LUCA, Giovanni Battista de, Cardenal

Theatrum veritatis, et iustitiae : siue decisiui discursus ad veritatem editi in forensibus controuersiis canonicis, & ciuilibus... / Io. Baptista de Luca... ; liber undecimus par. I, de legatis, par. II, de successionibus ab intestato, par. III, de renunciationibus . -- Romae : Typis Haeredum Corbelletti, 1672

[16], 192, 36, 178, [38], 76, [9] p., []4, a4, A-Z4, 2A-2C4, 2D6 a4, A-Z4, 2A-2B4, 2C8, A-K4, L3 ; Fol.

Antep. -- Port. con grab. calc.: "A. Clouvet scul.". -- Texto a dos col. -- Cada parte con port. propia

1. Derecho canónico 2. Zuzenbide kanonikoa 3. Derecho civil 4. Zuzenbide zibila I. Titulo

R-6297 Enc. piel con hierros dorados en el lomo

LIBER XI.

DE LEGATIS.

DE SVCCESSIONIBVS AB INTESTATO: ET DE RENVNCIATIONIBVS.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sac. Pal. Apoſt.

I. de Ang. Archiep. Urbin. Viceſg.

Stante relatione *D. Ioannis de Vrſis in Romana Curia Aduocati*, ex noſtra commiſſione, vt nihil contineatur Catholicæ fidei, & bonis moribus contrarium.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apoſt. Magiſt. Ord. Præd.

THEATRVM
VERITATIS, ET IVSTITIAE

SIVE

DECISIVI DISCVRSVS

Ad veritatem editi, in forenſibus controuerſijs, Canonicis, & Ciuilibus, in quibus, in Vrbe Aduocatus, pro vna partium ſcripſit, vel conſultus reſpondit

IO. BAPTISTA DE LVCA
VENVSINVS.

Per materias, ſeù titulos diſtinctos, iuxtà proximam indicem poſt præfationem.

LIBER VNDECIMVS

PAR. I.
DE LEGATIS.
PAR. II.
DE SVCCESSIONIBVS AB INTESTATO.
PAR. III.
DE RENVNCIATIONIBVS.



I. Clouvet fc.

ROMAE,
Typis Hæredum Corbelletti. M.DC.LXXII.

SUPERIORUM PERMISSU.

ITALICARVM RERVM CONSILIO

Apud Regem Catholicum.

IO. BAPTISTA DE LVCA. FELICITATEM.

ITALVM Scriptorem, quem natura, subditum; Professio autem, in Romana Curia, Regis Catholici Aduocatum, effecit; Decet, aliquod in suis laboribus, virtutis obsequium, præstare huic Senatui, qui in grauioribus Italiæ negotijs decidendis, vel regendis, eidem Regi, consilio assistit; Istud verò, mei THEATRI VERITATIS, & IVSTITIÆ volumen, in quo de LEGATIS agitur, Vobis offero; Vt ità Liber, illud peragendo munus, cuius vocabulum sibi commune est, tanquam mei absentis LEGATVS, summam ergà istum Amplissimum Senatum, animi mei deuotionem proferat, perpetuumque statuat, existimationis monumentum.

INDEX

Titulorum seù Materiarum totius operis.

LIB. I.

De Feudis
Et bonis iurisdictionalibus, & Bulla Baronum.

LIB. II.

De Regalibus.
Hoc est
Officijs venalibus, locis Montium, alijsque iuribus cum Principe seù Republica, Vectigalibus, & gabellis, salinis, & mineralibus, monetis, vijs publicis, fisco, & alijs de quibus *in cap. vnico quæ sint Regalia*.

LIB. III.

De Iurisdictione
Et foro competenti.
Par. II.
De Præeminentijs, & Præcedentijs.
Sub quibus
De Iure Cathedratico, Metropolitico, Nobilitate, Ciuilitate, & alijs iuribus honorificis.

LIB. IV.

De Seruitutibus Prædialibus.
Vsufructu, & vtroque retractu.
Par. II.
De Emphyteusi.
Par. III.
De Locatione, & Conductione.

LIB. V.

De Vsuris, & Interesse.
Par. II.
De Cambijs.
Par. III.
De Censibus.
Par IV.
De Societatibus Officiorum.

LIB. VI.

De Dote.
Lucris dotalibus, & alijs dotis appenditijs.

LIB. VII.

De Donationibus.
Par. II.
De Emptione, & Venditione.
Par. III.
De Alienationibus,
Contractibus, Obligationibus, & Pactis in genere.
Par. IV.
De Tutoribus,
Procuratoribus ad negotia, Administratoribus, & aliena negotia gerentibus.

LIB. VIII.

De Credito, & debito,
Creditore, & debitore.

LIB. IX.

De Testamentis,
Codicillis, & vltimis voluntatibus.
Par. II.
De Hærede, & Hæreditate.

Par.

Par. III.
De Legitima,
Trebellianica, & alijs detractionibus.

LIB. X.

De fideicommissis,
Primogenituris, & Maioratibus.

LIB. XI.

De Legatis.
Par. II.
De Successionibus ab intestato.
Par. III.
De Renunciationibus.

LIB. XII.

De Beneficijs Ecclesiasticis in genere.
Par. II.
De Canonicis, & Dignitatibus,
Capitulo, electione, & actibus capitularibus.
Par. III.
De Parocho, & Parochijs.

LIB. XIII.

De Iurepatronatus.
Par. II.
De Pensionibus ecclesiasticis.

LIB. XIV.

De Matrimonio,
Sponsalibus, & Diuortio.
Par. II.
De Decimis.
Oblationibus, & Eleemosynis.
Par. III.
De Regularibus,
Et Monialibus, alijsque Clericis, & Ecclesiasticis personis.
Par IV.
De Censuris;
Missis, anniuersarijs, & alijs materijs Ecclesiasticis.

LIB. XV.

De Iudicijs, & Iudicialibus.
Hoc est
De Sententia, & re iudicata, executione, attentatis, Iudice, Notario, Aduocatis, Procuratoribus, expensis, & alijs ad materiam iudiciorum.
Cum relatione Curiæ Romanæ circa forensia.

LIB. XVI.

Supplementum Miscellaneum.
Super omnibus dictis materijs, circa ea quæ pendente impressione disputata sunt; et cum obseruationibus ad plures discursus omnium titulorum.

INDEX ARGVMENTORVM IN DISCVRSIBVS

Qui habentur in hoc Lib. XI. Par. I. de Legatis,

Disc. I.

Ianuen. legati.

Facto legato bonorum differentium, quorum legatarius non fit capax, ex ipsorũ bonorum qualitate, puta quia sint feudalia, vel emphyteotica &c.; An legatario per hęredem debeatur æstimatio, vel potiùs dispositio inutilis remaneat.

Disc. II.

Romana prætensæ æstimationis.

An, & quando, cessante re legata, adeoùt legatũ remaneat inutile, adhùc debeatur per hæredẽ æstimatio, seù æquiualentia.

Disc. III.

Senogallien. legati.

An, & quando legatum censeatur factum de proprietate, vel de vsufructu, ad effectũ caducationis per prædecessum eius, qui post mortem vsufructuarij vocatus est; Et quando legatum, ad eumdem effectũ caducationis, dicatur cõditionale; Et præsertim, an mors faciat conditionem; Et quid de certa ætate, quæ legati assequutioni præfinita sit, an inducat conditionem, vel importet dilationem.

Disc. IV.

Lucana legati.

De legato creditorum, ac iurium, & actionum, quid compræhendat, àn scilicèt solùm nomina debitorum, vel etiam pecunias destinatas inuestimento, siuè existentes penès procuratores, & ministros testatoris; Vel potiùs referendum solũ sit ad credita, ac iura, & actiones quæ haberentur contra ipsum legatarium pro eius liberatione, non autem, vt ei legata sint iura, & actiones contra alios.

Disc. V.

Auximana legati.

An, & quando, sub legato mobilium domus, veniat pecunia numerata, quæ in domo reperta sit.

Disc. VI.

Romana, seù Cusentina legati.

An sub legato mobilium, veniant pecuniæ domi repertæ, quas erogare oportuit in expensas funerum, & medicinarum testatoris.

Et an sub legato mobilium veniant argenta, & alia mobilia, quæ in alia Ciuitate, vel Prouincia existant cũ destinatione illa introducendi in domum.

Et an, & quando pro legatis, competat via exequutiua, necnè.

Disc. VII.

Bononien. liquidationis pretij.

An, & quando sub legato prædij, vel possessionis, veniant alia prædia separata, quæ à testatore possidebantur tanquam connexa; Et an, & quando in legatis præstanda sit euictio.

Disc. VIII.

Lauretana legati.

Sub legato domus, an, & quando veniant, hortus, & stabulum, aliæquè officinæ; Et quid vbi legatũ nõ sit in proprietate, sed in vsufructu, vel in habitatione.

Disc. IX.

Firmana diuisionis.

Sub legato bonorum stabilium, an veniant animalia, & blades, aliaquè mobilia existentia in fundis, seù prædijs; Vel potiùs veniant sub legato bonorum mobilium, quando testator, de vno, ac altero genere diuersimodè disposuit.

Disc. X.

Romana legati mobilium.

De legato mobilium domus facto vxori, collato in eius arbitrium, de illis scilicèt, quæ sibi necessaria, vel oportuna iudicaret, quomodò interprætandum sit, siuè quomodò istud arbitrium à legatario interponi debeat.

Disc. XI.

Romana legati de Fabijs.

Legatis equis, an defectis illis, quos testator habebat, teneatur hæres alios supplere, vel potiùs casus cedat damno legatarij; Et an, & quando, frumentum, vinum, & oleum, aliaq; huiusmodi, quæ in domo reperiuntur, veniant sub legato mobilium domus.

Disc. XII.

Viterbien. legati censuum.

Legato generaliter relicto, cuius sit electio, an hæredis, vel legatarij; Et posito quod sit vnius, vel alterius, an possit eligi optimum, vel dari possit respectiuè pessimum; Et quando legatum generis sit inutile.

Disc. XIII.

Montis Falisci legati.

Facto legato generis, de quo in hæreditate adsint plures species, de melioribus, peioribus, & mediocribus, cuiusnam sit electio, Et quid eligendum, vel præstandum sit; Et quid in hoc operetur fauor causæ piæ.

Disc. XIV.

Nepesina legati.

An, & quando certa designatio in legatis pro certo opere faciendo, stet taxatiuè, vel demonstratiuè, adeoùt deficiente designatione, vel re designata non sufficiente, intret necnè obligatio supplendi aliundè.

Disc. XV.

Romana lucri, & legati.

An facto per vxorem viro legato de fundis dotalibus, vel de eorũ aliqua parte, possit vir lucrum dotale petere ab hæredibus mulieris in alijs bonis, vel potiùs illud sub legato comprehensum sit; Et an legatum factum per vxorem viro, compensetur cum lucro dotali.

Disc. XVI.

Comen. legati.

Facto legato omnibus filijs alicuius, an id conueniat etiam filiabus, adeoùt masculinum concipiat fœmininum; Et si fiant duæ species legatorum, vna pro filijs alicuius in genere, & altera illis filiabus eiusdem, quæ erant moniales professæ, quale legatum conueniat illi filiæ, quæ de tempore mortis testatoris erat nouitia.

Disc. XVII.

Romana, seù Senen. legati.

An legatum relictum pro subsidio dotali filiarum alicuius coniuncti, debeatur solùm illis filiabus, quæ viuente testatore procreatæ erant, vel etiam alijs post mortem susceptis.

Disc. XVIII.

Mutinen. legati.

De eadem materia, an legatum factum filijs alicuius, debeatur solùm natis de tempore testamenti, seù mortis testatoris, vel etiam alijs, qui posteà nati sint; Et an factum filijs intuitu patris, ad illũ pertinere dicatur, adeoùt de eo disponere possit, necnè.

Disc. XIX.

Romana annatæ.

An legatum annuum pro substentatione cappellanorum, sub ea lege, vt fructus primi anni erogari debeant in reparationem, ac vtensilia cappellæ, intelligendum veniat de primo anno fundationis cappellaniarum, vel potiùs de primo anno vacationis, ac prouisionis cuiuslibet cappellaniæ cum tractu successiuo.

Disc. XX.

Romana Cappellaniarum.

Facto legato erectionis certi numeri cappellaniarum, cum certo annuo redditu, puta scutorum centum pro qualibet, si tractu temporis bona legata diminutionem patiantur, seù aliàs diminuantur fructus, adeoùt tantus redditus percipi non valeat, an diminui debeat earum numerus, vel potiùs de eis prouisi, diminutionem redditus pati debeant.

Disc. XXI.

Romana annuæ præstationis.

Facto legato annuæ præstationis ad vitam, an legatarius ab inuito hærede petere possit assignationem tot bonorũ, ex quibus dictam præstationem manu sua percipiat; Et è conuerso, an hæres dictam assignationem legatario inuito facere valeat; Et an legatarius impedire possit hæredi venditionem officiorum vacabilium in ipsius legatarij persona cantãtium, vt ex eorum emolumentis legatam præstationem obtineat.

Disc. XXII.

Romana legati.

De legato annuæ præstationis relicto ei, qui in eodem testamento deputatus sit tutor

tutor filiorum teſtatoris, an, & quando ceſſet, ob tutelam recuſatam, vel aliàs ceſſatam, tãquam ipſius correſpectiuum, necnè.

Diſc. XXIII.

Ianuen. legati.

An, & quando legatum factum vxori cum onere habitandi cum filijs, ob iſtorum mortem, vel abſentiam, ſeù aliud impedimentum, tanquàm à ceſſante cauſa legandi, ceſſet, necnè.

Diſc. XXIV.

Romana, ſeù Viterbien. legati.

An legatarius habitationis, & alimentorũ in domo cum hærede, prætendere valeat alimenta, & habitationem extra domum, & menſam hæredis, ex aliqua iuſta cauſa, præſertim ex eo, quod legatũ fuerit factum mulieri tunc ſolutæ, quæ poſtea virum duxerit.

Et an, & quando legatarius, qui teſtamentum impugnat, eiuſque inualiditatem allegat, cadat, necnè à commodo legati.

Diſc. XXV.

Albanen. celebrationis miſſarum.

Legatum hæredi iniunctum, celebrationis certi numeri miſſarum in aliqua Eccleſia, an ſpectet ad religioſos dictæ Eccleſiæ, per quos perneceſsè miſſæ celebrandæ ſint, vel potius hæres eligere poſſit ſacerdotes ad celebrationem.

Diſc. XXVI.

Hortana legati.

Facto legato de aliquibus bonis, quæ alicui cenſui, vel oneri affecta ſint, cui incumbat, cenſus, vel oneris ſolutio, an ſcilicèt hæredi, vel legatario.

Diſc. XXVII.

Romana prætenſi legati de Geſſis.

Legatum incertum pro exoneratione conſcientiæ, in confeſſarij, ſeù alterius arbitrium collatum, an perneceſsè ſit integrè adimplendum, vel ſufficiat illud implementum, quod exequutor fecerit; Et an bona, ex quibus teſtator dixit tale legatum implendum eſſe, ſtent demonſtratiuè, vel taxatiuè; Et aliqua de facultatibus Fabricæ, circà legata pia exequenda.

Diſc. XXVIII.

Piſauren. fideicommiſſi.

De legati acceptatione, quando conſtare dicatur, necnè, ad effectum videndi, an bona legata, ſeparata ſint ab hæreditate, itaùt non cadant ſub fideicommiſſo vniuerſali in ea ordinato, vel è contrà.

Diſc. XXIX.

Romana prætenſi fideicommiſſi.

Legatum, cuius caducitas ob contrauentionem prætendatur, an ità dicatur eſſe in hæreditate teſtatoris, vt cadat ſub fideicommiſſo vniuerſali per ipſum ordinato; Et de differentia inter caſum caducationis, & caſum caducitatis.

Diſc. XXX.

Romana legati de Aggazarijs.

De eadem materia caducationis in legatis particularibus; Et an, & quando in eis intret vulgaris directa, vel anomala, necnè.

Diſc. XXXI.

Romana legati vſusfructus.

Legatarius vſusfructus vniuerſalis, an participare debeat de vſufructu rei particularis, alteri relicto, Et an dictus legatarius vniuerſalis haberi debeat loco hæredis.

Diſc. XXXII.

Veliterna legati.

Legatum, in quo alter ſubſtitutus ſit ſub conditione mortis vtriuſque primi legatarij, an ſubſtituto debeatur, ſi conditio mortis naturalis in vno tantùm purificata ſit, in altero verò contigerit mors ciuilis, ſeù ficta, putà tranſitus ad ſecunda vota.

Et aliqua in materia ademptionis, an ſcilicèt adempto onere, quod legato adiectum eſt, ità quoque legatum ademptum cenſeatur, ſiue illud ceſſet, tanquàm ex ceſſante cauſa.

Diſc. XXXIII.

Romana legati de Columna.

Legatum annuum, vel menſtruum relictum familiaribus, vel alijs, an intelligendum ſit ad vitam tantùm, vel potiùs perpetuum, ac tranſmiſſibile ad hæredes.

Et ſi duobus, vel pluribus fiat menſtruum legatum ſub vnica ſumma, an illa intelligatur pro omnibus collectiuè inter eos diuidenda, vel potiùs diſtributiuè, vt illa ſingulis relicta dicatur.

Diſc. XXXIV.

Romana legati miſſarum.

Legatum annuæ præſtationis quod non eſt directum ad legatarium, ſed iniunctum hæredi, vt præſtaret alicui Eccleſiæ, an intelligatur de primo hærede, itaùt eo defuncto ceſſet, vel potiùs ſit perpetuum,

ac præstandum ab alijs hæredibus mediatis.

Et an legatum iniunctum hæredi, debeatur etiam à substituto; Et quid in hoc operetur fauor piæ causæ.

Disc. XXXV.

Catanien. legati.

De contributo inter legatarios; Et de legatorum diminutione, an, & quando intret necnè, vbi hæreditas non sit omnibus legatis idonea.

Disc. XXXVI.

Romana legati de Iustinianis.

Legatum annuum, vel menstruum relictum pro subuentione iuuenum de familia, qui certam ætatem habentes, studijs per determinatum tempus vacarent; An sit perpetuum, & reiterabile cum tractu successiuo; Vel potiùs intelligendum veniat pro vnica vice ad fauorem eorum, qui primò admissi sint; Et de concursu plurium iuuenum eiusdem familiæ, quibusnam debita sit prælatio, & quomodò regulari debeat ætas à testatore præfinita.

Disc. XXXVII.

Spoletana prædij.

An pro fructibus legati ad legatarij fauorem cumulandis pro certa summa constituenda, affecta sint bona testatoris, in præiudicium aliorum legatariorum, vel fideicommissariorum.

Disc. XXXVIII.

Romana legati negotij.

An facto legato negotij expeditionum Datariæ, quod testator exercebat, illud factum censeatur cum iuribus etiam passiuis, adeoùt legatarius teneatur ad debita, ad quæ defunctus ex causa eiusdem negotij tenebatur; Et quid de creditis ex causa negotiorum iam expletorum à defuncto assequendis, & de quibus creditis legatum intelligatur.

Disc. XXXIX.

Anconitana legati.

De legato relicto vxori, vt sit domina, & vsufructuaria, an importet alimenta, vel formalem vsumfructum; Et quatenùs vsumfructum importet, quæ cautio per eam præstanda sit; Et an de illo participare debeat hæres vniuersalis; Siuè an capiat legitimam ipsi hæredi debitam.

Disc. XL.

Bononien. dotis, & legati.

De interpretatione legati quantitatis monetæ per testatorem expressæ in testamento, extrà eius patriam condito, quia nempè dixerit de tot scutis; De quibus intelligendum sit, an scilicèt de illis propriæ patriæ, vel de illis loci testamenti; Et quatenùs plures scutorum species in eodem loco currerent, de qua specie legatum intelligendum sit.

Disc. XLI.

Ianuen. legati.

De materia interpretationis legati, & quomodò ista facienda sit, quando verba sint ambigua, & apta recipere plures diuersos intellectus, & significationes.

Disc. XLII.

Camerinen. legatorum.

An legata tractum successiuum habentia, relicta ab instituto, censeantur repetita à substituto; Siuè an censeantur iniuncta primis tantùm, non autem vlterioribus hæredibus.

Disc. XLIII.

Romana legati, seù oneris.

An conditiones, vel onera legato adiecta, quæ sint adeò præiudicialia, vt non expediat legatario acceptare, vitient legatum, vel potiùs vitiata remaneant, ac pro non scriptis habeantur, ideoque legatum adhùc debeatur.

Disc. XLIV.

Marsicana legati.

Demandata per testatorem erectione alicuius Monasterij in domo eius habitationis, an ipsa domus legata censeatur, & quomodò, quatenùs non ibi, sed alibi Monasterium fundaretur; Et quid si domus, pleno iure non spectaret ad testatorem, an hæres teneatur eam redimere, vel soluere æstimationem legatario.

Disc. XLV.

Eugubina legati.

An legatum factum de fructibus aliquorum bonorum, sit perpetuum, ac transmissibile ad hæredes, vel potiùs personale, vndè terminetur cum vita legatarij.

Disc. XLVI.

Romana redditionis rationum.

De legato facto per socerum nurui, vsus gemmarum & iocalium, an cesset per dissolutionem matrimonij sequutam per mortem viri, adeoùt congruat, necnè eidem

dem legatariæ in ſtatu viduitatis.

Diſc. XLVII.
Narnien. bonorum.

An liberatio generalis à redditione rationum,& à quacumq;alia actione, per vxorem legata viro,qui eiuſdem vxoris bona extradotalia adminiſtrauit, importet eriam liberationem à debito reſtitutionis dotis.

Diſc. XLVIII.
Romanæ legati de Carafis.

An per alienationem voluntariam rei legatæ,reſultet legati ademptio,vel diminutio,ſi pretium vnico contextu in alia bona erogetur, vel potiùs intret iſtorum bonorum ſubrogatio.

Diſc. IL.
Viterbien. legati.

De legato contento in priori teſtamento, an cenſeatur diminutum per ſecundam diſpoſitionem, quæ expreſſam contineat diminutionem, deindè tamen emendatam; Et an talis emendatio per apoſtillam, ſeù additionem, facta cenſeatur de ordine, & voluntate teſtatoris; Vel quatenùs ea non adeſſet, an poſterior diminutio, ratione ſubiectæ materiæ, errori potiùs tribuenda ſit.

Legatarius annuæ præſtationis negligens eam exigere ab hærede grauato,an petere poſſit annualitates decurſas à ſucceſſore, vel actionem habeat ad bona teſtatoris.

Diſc. L.
Florentina legati.

De ademptione legati ordinata ſub certa conditione,an ad eius effectum, requiratur implementum in toto, atque in forma ſpecifica;Vel potiùs ſufficiat in parte, vel per æquipollens.

Diſc. LI.
Fulginaten. legati.

An,& quando legatum ceſſet, per prouiſionem à teſtatore factam poſt teſtamentum ad fauorem legatarij, ſiuè per implementum in vita,illius operis, pro quo legatum factum ſit.

Diſc. LII.
Romana contributionis.

An legatarius quotæ, ſeù alicuius vniuerſitatis bonorum,teneatur concurrere cum hærede in ſolutione æris alieni, aliorumquè onerum hæreditariorum, ac etiam legatorum.

Diſc. LIII.
Spoletana ſucceſſionis.

An & quando per ſecundum legatum contentum in codicillis, cenſeatur ademptum, ſeù diminutum alterum legatum in teſtamento factum eidem perſonæ.

Diſc. LIV.
Romana pecuniaria, ſeù legati de Benedellis.

Reuocato primo teſtamento per ſecundum, an reuocata cenſeantur omnia legata in primo contenta;Vel potiùs aliqua adhùc debeantur.

Diſc. LV.
Auenionen. legati.

An, & quando per alienationem rei legatæ ab ipſo teſtatore poſt teſtamentum factam, reſultet legati ademptio, necnè.

Diſc. LVI.
Lucana ademptionis legati.

De interpretatione ademptionis factæ in codicillis,de legato facto in teſtamento, & quomodò talis ademptio intelligenda ſit,vbi conſtet,quod affectio ergà legatarium non ſit diminuta,ſed potiùs diſpoſitio ademptiua maiorem arguat affectionem.

Diſc.LVII.
Peruſina caducitatis.

An, & quando legatarius, ob non implementum conditionum, & onerum adiectorum legato, iſtius caducitatem, ſeù priuationem incurrat;Vel potiùs ad moræ purgationem admittendus veniat.

Diſc. LVIII.
Senen. legati.

An legatum, vel alia diſpoſitio facta ad fauorem puellæ adhùc non nubilis pro quando erit in certa ætate, ac nubet, debeatur, ſi antè illam ætatem nubat, vel potiùs caducitas intret; Et de inter-

præ-

prætatione legati, seù disposition is, vt vxor testatoris tractari debeat eo modo, quo ipso viuente tractabatur.

Disc. LIX.

Discursus generalis.

An, & quando legatum dicatur purum, vel conditionale, vbi præsertim agatur de legato dotis; Et de effectibus exindè resultantibus.

Disc. LX.

Alter discursus generalis.

An legatum alicui puellæ in specie, vel puellis in genere factum pro dote, conueniat iam nuptis; Vel an intelligatur solùm de primis nuptijs, vel conueniat vlterioribus fauore viduarum; Et an secundum legatum deroget primo pinguiori.

SVMMA
SIVE COMPENDIVM

Eorum, quæ in foro magis practicabilia continentur in hoc Lib. XI. Par. I. de Legatis.

INDEX CAVSARVM

Hoc titulo de Legatis ordine alphabetico per Diœceſes diſpoſitus.

A

ALbanen. celebrationis miſſarum, diſc. 25. fol. 75.
Anconitana legati, diſc. 39. fol. 111.
Auenionen. legati, diſc. 55. fol. 160.
Auximana legati, diſc. 5. fol. 17.

B

BOnon. dotis, & legati, diſc. 40. fol. 114.
Eadem liquidationis pretij, diſcur. 7. fol. 24.

C

CAmerinen. legatorum, diſc. 42. fol. 121.
Catanien. legati, diſc. 35. fol. 99.
Comen. legati, diſc. 16. fol. 48.

E

EVgubina legati, diſ. 45. fol. 129.

F

FIrmana diuiſionis, diſc. 9. fol. 30.
Florentina legati, diſc. 50. fol. 144.
Fulginaten. legati, diſc. 51. fol. 146.

H

HOrtana legati, diſc. 26. fol. 77.

I

IAnuen. legati, diſc. 1. fol. 1.
Eadem legati, diſc. 23. fol. 67.
Eadem legati, diſc. 41. fol. 118.

L

LAuretana legati, diſc. 8. fol. 27.
Lucana ademptionis legati, diſc. 56. fol. 162.
Eadem legati, diſc. 4. fol. 14.

M

MArſicana legati, diſc. 44. fol. 126.
Montis Faliſci legati, d. 13. f. 40.
Mutinen. legati, diſc. 18. fol. 54.

N

NArnien. bonorum, diſc. 47. fol. 134.
Nepeſina legati, diſc. 14. fol. 43.

P

PErusina caducitatis, diſc. 57. fol. 165.
Piſauren. fideicommiſſi, diſc. 28. f. 83.

R

ROmana annatæ, diſc. 19. fol. 57.
Eadem annuæ præſtationis, diſc. 21. fol. 62.
Eadem cappellaniarum, diſc. 20. f. 59.
Eadem contributionis, diſc. 52. f. 149.

Eadem

Eadem legati, disc.22. fol.64.
Eadē legati de Agazzarijs, d.30. f.88.
Eadem legati de Caraffis, d 48.f.136.
Eadem legati de Columna, d.33.f.93.
Eadem legati de Fabijs, disc.11.f.34.
Eadē legati de Iustinianis, d.36.f.101.
Eadem legati missarum, disc.34.f.96.
Eadem legati mobilium, disc.10.f.32.
Eadem legati negotij, disc.38.f.108.
Eadem legati, seù oneris, d.43.f.123.
Eadem legati vsusfructus, d.31.f.90.
Eadem lucri, & legati, disc.15.fol.46.
Eadem pecuniaria, seù legati de Benedictis, disc.54. fol.156.
Eadem prætēsæ æstimationis, d.2.f.5.
Eadem prætensi fideicommissi, d. 29. fol.85.
Eadem prætensi legati de Gessis, d.27. fol. 79.
Eadem redditionis rationum, disc.46. fol.131.
Eadem, seù Cusentinæ legati, disc.6. fol. 21.
Eadem, seù Senen. legati, disc. 17. fol. 51.
Eadem, seù Viterbien. legati, disc.24. fol. 72.

S

SEnen. legati, disc.58. fol.167.
Senogallien. legati, disc.3. fol. 9.
Spoletana Prædij, disc.37. fol. 104.
Eadem successionis, disc.53.fol.152.

V

VEliterna legati, disc.32.fol.91.
Viterbien. legati, disc.49 fol.140.
Eadem legati censuum, d.12.f.35.

DE LEGATIS

DISCVRSVS PRIMVS

IANVEN. LEGATI

PRO

CONVENTV BEATÆ MARIÆ DE MONTE

CVM

HÆREDIBVS BLANCHINETTÆ.

Responsum ad causam, etiam cum sensu veritatis.

Facto legato bonorum differentium, quorum legatarius non sit capax ratione cuiusdam bonorum qualitate, puta quia sint feudalia, vel emphyteotica &c., àn legatario per hæredem debeatur æstimatio, vel potiùs dispositio inutilis remaneat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De capacitate, vel incapacitate Minorum Sancti Francisci remissiuè.*
3 *De eodem.*
4 *Manus mortua potest prohiberi ne retineat rem emphyteoticam, sed vendat.*
5 *Et quando hæc prohibitio cesset.*
6 *Vbi accedit etiam prohibitio inuestituræ, tunc manus mortua est incapax etiã ad effectum vendendi.*
7 *Vndè resultent æquiuoca Iuristarum.*
8 *Declaratur conclusio, de qua numer. 6., quando procedat.*
9 *Non potest dari feudum, vel emphyteusis tàm in re, quàm in pretio.*
10 *De alia declaratione conclusionis, de qua num. 6.*
11 *Pretium feudi, vel emphyteusis non est feudale, vel emphyteoticum.*
12 *Successor qui sit hæres vltimi possessoris tenetur ad factum auctoris saltèm in æstimatione.*
13 *De conclusione àn legato feudo, debeatur eius æstimatio, distinguuntur casus.*

DISC. I.

1 OBtinuit Caretta in emphyteusim, seù perpetuam locationem à Mensa Archiepiscopali, sibi concedi villam, pro se, eiusque hæredibus, & successoribus ex legitimo matrimonio procreatis, vel procreandis; Ipsa verò, facta de eadem villa dispositione ad fauorem Bernardi ex filio prædefuncto nepotis, & Blanchinettæ filiæ, istorum vltimo defecto sine prole substituit Conuentum Minorum obseruantium Beatæ Mariæ de Monte, in quo alter nepos ex filio professionem emiserat; Sequuta verò morte testatricis, concorditer Blanchinetta, & Bernardus de consensu domini directi, villam vẽdiderunt, erogato pretio in loca montium Reipublicæ, sub ea lege, vt post ipsorum mortem spectare deberent ad quem de iure; Vndè propterea ambobus defunctis absquè prole, inter Hieronymam Blanchinettæ ex fratre neptem, & hæredem, et Conuentum prædictum, orta cõtrouersia coram Magistratu Cameræ; De duplici incapacitate, Hierony-

ma rea conuenta opponebat aduersus Conuentum, iure substitutionis petentem dictorum locorum vindicationem; Primò nempè de illa quæ resultat à Religionis instituto iuxtà dispositionem 2 textus *in cap. exijt de verb. signif. in 6.*, & *in Clementin. exiui de paradiso eodem tit.*; Et secundò ex lege adiecta in inuestitura, iuxta consuetam formulam, vt sine consensu domini, in Ecclesiam, seù manum mortuam alienari non posset; Cumquè per Consultorem ab eo Magistratu (iuxtà stylum) electũ, datum esset votum fauore Conuentus super non obstantia primæ incapacitatis, ideoquè restricta esset difficultas ad alteram; Pro istius obstantia aliud votum prodijt ad fauorem hæredis, vnde propterea super hoc voto, vt illi responderetur, ex parte dicti Conuentus requisitus fui, dum pro eodem aliàs consultus, pro veritate responsum dederam, cõcludendo quod ista incapacitas non obstaret.

Super prima specie incapacitatis, non scripsi, solumquè in primo responso, obiter insinuaui, quod facilis esset obiecti solutio, quoniam, vt de hoc puncto habetur pluries in sua materia *sub tit. de* 3 *Regular.*; Istorum Minorum incapacitas, in legatis, alijsquè dispositionibus, percutit retentionem bonorum stabilium, vel æquipollẽtium fructiferorum in reditu, ex cuius prouisione cessaret mendicitas, non autem ad effectum vendendi, vt erogaretur pretium in Religiosorum victum, & vestitum, aliasquè necessitates; Multò verò magis vbi pro fabrica Ecclesiæ, vel Conuentus, siuè pro Sacristia, Infirmaria, vel Libraria, huiusmodi legata fierent, cum istis vsibus, vel indigentijs occurri non valeat cum ostiaria mẽdicitate, sed necessaria sit pecunia etiam in summa notabili, vt latiùs distinguendo in dicta sua materia, firmatur cæteris relatis plenè *per Rot. apud Merlin. decis. 456. repetit. decis. 365. par. 5. rec.*, & *decis. 16. par. 11.* ac in alijs.

Quatenus verò (præsupposita dicta capacitate personali) perrinet ad alteram realem ex inuestituræ prohibitione resultantẽ; Scribentes pro Hieronyma hærede (quibus Consultor in voto adhæsit) fundamentum constituebant in conclusione pluries firmata per Rotam præsertim *apud Gregor. decis. 529. Merlin. decis. 583. repetit decis. 211. par. 6. rec. decis. 692. Dunozet.*, *decis. 427. par. 9.* & *209. p. 10.*, & *per Andreol. contr. 378.*, quod scilicèt, quamuis attenta iuris dispositione, manus mortua prohiberi possit à domino, nè bona emphyteotica obtineat; Attamen id procedit ad effectũ 4 retinendi, non autem impeditur manus mortua huiusmodi bona obtinere ad effectum vendendi infrà annum manui nõ mortuæ, atquè ita pretium habendi ex deductis *apud Merlin. decis. 649. Add. ad Buratt. decis. 477.*, et habetur pluries in sua materia *sub tit. de emphyt. discur. 28.*; Vbi tamen aduertitur, vt hodiè ex introductione vsus quindenniorum, quo 5 mediante consultum est domini directi præiudicio circa laudemiorum emolumentum, ideoquè tanquam ex cessante ratione, dicta prohibitio cessare debeat, saltèm ex Iudicis officio, quando aliqua particularis ratio, vel circumstãtia aliud non suadeat, ex deductis in dicta sua materia.

Secùs verò dicendum est, vbi prohibitioni legis, accedat etiam expressa prohibitio hominis, cum tunc, iuxtà magis cõmunem opinionem præsertim in Rota, & Curia receptã, resultet manus mortuæ omnimoda incapacitas, etiam ad dic- 6 tum effectum obtinendi pretium, ideoquè inutilis remaneat dispositio ex firmatis in supra allegatis decisionibus, ac etiã *apud eumdẽ Merlin. dec. 872.*, & habetur pluries in dicta sua materia *sub tit. de emphyt.* præsertim *disc. 28.*, vbi agitur de eodẽ casu indiuiduo, de quo per *Andreol. dict. contr 378.*, vbi eam confutando, non negatur conclusio, sed negatur applicatio.

His tamen non obstantibus, retento eodem sensu veritatis, cum quo primum Responsum dedi; Dicebam probabiliores videri partes Conuentus actoris, dictumquè votum, quamuis nimis elaboratum, pluribusquè conclusionibus, ac doctrinis benè ornatum, laborare consueto modernorum pragmaticorũ morbo, circa defectum applicationis, cum plures cõclusiones, ac auctoritates essent 7 de iure in suis casibus veræ, non benè tamen ad rem applicarentur; Ità resultantibus co nsuetis æquiuocis produci solitis à nimium damnabili abusu attendendi simpliciter, ac in genere cõclusiones,

et

et doctrinas, illas indefinitè cuicumquè casui applicando, ac non reflectendo ad singulorum casuum particulares circumstantias, ob quas in vno eodemquè iuris articulo, modò iuxtà vnam, & modò iuxtà alteram opinionem iudicare oportet.

Distinguendo igitur casus, vt pro meo sensu frequenter inculcato in causis decidendis præcisè necessarium videtur; Tres in hoc proposito casus constituebam; Quorum primus est, vbi contentio sit inter dominum directum de rei emphyteoticæ deuolutione contendentem, & manum mortuam, quæ ex legato, vel alia dispositione, ipsam rem prætendat, adeoùt incapacitas percutiat solum ius, & interesse domini directi pro obseruãtia pacti, seù prohibitionis, quam ipse rei suæ adiecit, vt absquè obligatione refundendi pretiũ ipsam rem obtineat; Et istum casum percutiunt omnes dictæ Rotæ decisiones, ac aliæ auctoritates collectæ *per Andr. dicta contr.* 378.; Et consequenter eas, ac similes à controuersiæ casu omninò extraneas esse dicebam, cum in hac facti specie, dominus directus non esset in causa, nilquè sua interesset, àn huiusmodi loca Montium prouenientia ex pretio, magis ad vnũ, quàm ad alterum spectarent, dum ipsa res emphyteotica erat penès alterum, qui ab ipso nouam inuestiturã acceperat, ideoquè habebat suum vassallum, per annihilationem primi, nequè vt infrà dari potest eodem tempore duplex ius emphyteoticum in re, & pretio, vt aduertitur etiam *in Albanen. seù &c. sub tit. de feud. disc.* 48.

Alter casus est, vbi domino directo nõ existente in causa, bona, quæ manui mortuæ relicta sint, ex lege inuestituræ vendicentur ab agnato etiam contra defuncti iudicium; Et isto casu intrat quæstio, de qua infrà inter feudistas adeo disputata, an scilicèt legato feudo, debeatur æstimatio, & quo etiam casu in hac facti specie ex eius circumstantijs pro legatario super prerij affectione responderi debuisset, sed non opportuit de hoc agere, vtpotè extrà controuersiam.

Tertius demùm casus est, vbi quæstio non sit, neque cum domino, neque cum agnato, minusquè agatur de legato ipsius rei differentis, cuius manus mortua esset incapax, sed omnino extincto iure feudali, vel emphyteotico, ex quo inhabilitas resultat, quæstio sit in pretio existente penès disponentis hæredem, cui prohibitum est proprij auctoris factum impugnare iuxtà vulgares terminos *tex. in l. cum à matre C. de rei vendicat.* cum cõcordantibus; Et tunc dicebam, nullam subesse probabilem, quinimò nec apparentem dubitandi rationem; Non quidem ratione bonorum, cum agatur de pretio, quod retractum ex re feudali, vel emphyteotica, non est tale, sed indifferens, iuxtà ea, quæ super ista propositione, vt pretium feudi non sit feudale, habentur præsertim *sub tit. de emphyt. disc.* 58., Et magis in indiuiduo de pretio rei emphyteoticæ erogato iuxtà hanc facti speciem in loca montium, habetur *eodem tit. de emphyt. disc.* 36. *& in decisione Rotæ ibidem allegata.*

Quamuis enim in vtroq; loco de præfatis conclusionibus ego dubitem, attamen id prouenit ex facti qualitate, quod scilicèt *in disc.* 36. ageretur de interesse domini directi petentis deuolutionem in locis Montium tanquam subrogatis loco rei emphyteoticæ, quæ ampliùs non extabat, vel de mandato Principis ab eo vinculo soluta erat; Et *disc.* 58. agebatur de præiudicio creditorum, qui cum assensu domini ius quæsierant in ipsa re emphyteotica, cuius loco pretiũ subrogatum erat; Attamen illi sunt termini longè diuersi, diuersam habentes rationem ob dictas particulares circumstantias, quibus cessantibus, dicta conclusio, vt pretium feudi non sit feudale, seù rei emphyteoticæ, non sit emphyteoticum, procedit de plano, nullamquè habet probabilem dubitandi rationem.

Minusquè testatoris iudicium impugnari posse dicebam à persona successoris, cum iste nullum ius haberet ex persona propria ratione inuestituræ, quoniam vbi etiam dici posset emphyteusis, ad quam vocati essent hæredes sanguinis, adhùc tamen ob admixtam qualitatem hæreditariam, auctoris factũ impugnabile non erat iuxtà *decis.* 1. *Frãch.* cum alijs ibi collectis *per Adden.*, & plures in sua materia *sub tit. de feud.*, et consequenter r lla dubitandi probabilis ratio pro meo iudicio in hoc proposito cadere videbatur.

Et quoniam in primo Responso à me dato, insinuaueram suprascriptam quæstionem, àn pretium feudi sit feudale, super quo, ac auctoritatibus in ea deductis, dictum votum nimium se inuoluere videbatur; Hinc proindè in secunda
13 scriptura responsiua ad dictum votum, vt tollerētur æquiuoca, cum quibus procedi videbatur, aduertebam, vt ad casuum distinctionem quoque reflecti deberet; Vt enim patet ex ijs, quæ pro vtraque sententia in ista quæstione habentur cæteris relatis *apud Mantic. de coniectur. lib. 9. tit. 11. Fulgin. de emphyt. tit. de succes. quæst. 13. Aponte cons. 88. lib. 1. & cons. 75. & 77. lib. 2. Merlin. lib. 2. controu. 81.* circa finem, cum alijs relatis *per Modern. elaboratum de Luca in addit. ad Franchum d. decis. 1. nu. 16.*

Prima quæstio est, àn intret distinctio inter institutionem vniuersalem, & legatum particulare, plerisquè opinantibus, vt primo casu dispositio inutilis remaneat, atquè pretium non debeatur, secus autem in altero, sed quidquid sit de huius distinctionis veritate, illam examinare non oportuit, vtpotè extra casum quæstionis.

Alia verò quæstio est in ipso legato, seù dispositione particulari, àn scilicèt legata re feudali, vel emphyteutica personæ extraneæ, vel incapaci, debeatur æstimatio, et tunc distinguendū est; Aut enim controuersia est cum ipso domino directo, ad quem res feudalis, vel emphyteotica sit deuoluta, & à quo legatarius pretium petat; Et tunc, vbi incapacitas manus mortuæ proueniat ex duplici prohibitione legis, & hominis, admittebam verius esse, vt hæc obligatio non intraret, sed res liberè ad dominum rediret, iuxtà firmata in supra allegatis decisionibus præsertim *dicta decis.* 583. *Merlin. repetit. decis.* 211. *par.* 6. *rec.* & in alijs.

Aut verò agitur de casu, in quo rem feudalem, vel emphyteoticam extraneo incapaci legatā, iure suo vindicet agnatus ab inuestitura vocatus, independenter à defuncto, qui legatum fecit, vndè propterea, si daretur obligatio soluendi æstimationem, ità disponentis hæreditas duplicem iacturā pati cogeretur, vnam scilicèt amissionis ipsius rei feudalis, vel emphyteoticæ, quam agnatus, vel etiam dominus iure deuolutionis vendicaret, et alterā in refusione pretij de alijs eius bonis; Et tunc probabilius regula est negatiua, vt æstimatio nō debeatur, quoniā præsumptio est, vt testator reliquere solū voluerit ius, quod habebat, ac tale quale habebat, non autem eius hæreditatem grauare, nisi facti circumstantiæ suadeant diuersam voluntatem, cuius reuerà ista est quęstio, quidquid aliqui ex aliquibus generalibus propositionibus discurrant, quoniam in effectu est quæstio ambiguæ voluntatis, ex coniecturis, & facti circūstantijs decidenda.

Aut demùm cessat dictum inconueniens duplicis oneris, vel iacturæ, quàm hæreditas pateretur, ideòq; sola quæstio sit cum ipso hærede contendente de lucro, quia nempè ipsa res, cuius legatarius incapax prætenditur, vel eius pretiū, nisi à legatario obtineatur, penès ipsum hęredem remaneat ex causa lucratiua; Et tunc omninò verius est, vt vel res, vel pretium legatario præstari debeat iuxtà doctrinā *Speculator. in tit. de locat. §. nunc aliqua num.* 143., quam isto casu esse veram *ex Bursatt.* benè distinguente *cons.* 199. *nu.* 44. *& 45.* firmatur *in eadem decis.* 583. *Merlin. repetita decis.* 211. *par.* 6. *recent. num. penult. & fin.*; Ex ea congrua, & conuincenti ratione, quod ità hæres ex quadam legali subtilitate, manifestam ingratitudinem erga proprium auctorē committeret, atquè esset species furti, obtinendo rem alienam *inuito* domino, qui voluit, vt huiusmodi res, vel eius æquiualentia, esset legatarij, non autem hæredis, ideoquè vbi hæc voluntas impleri potest, nulla subest ratio, cur licitum esse debeat hæredi ad solum lucrum, & locupletationem, illam spernere, sed implere tenetur, si non in ipsa re, attamen in pretio, quod penès ipsum remanet.

Potissimè verò vbi nō perseueret eadē res prohibita penès ipsum hæredem, qui eā obtineat iure proprio ex inuestitura, quamuis ob annexam qualitatem hęreditariā grauari possit in pretio iuxtà dictā celebrem *decis. primam Franch.* cū concordantibus, quia nempè in hæreditate remaneat solum pretiū consistens in bonis allodialibus, ac indifferentibus, & res emphyteotica sit penès alterū, ideoq; casus videbatur pro meo iudicio planus, et tamen diuersum fuit dicti Cōsultoris iudicium; Talis est ingeniorū diuersitas.

RO-

ROMANA

PRÆTENSÆ ÆSTIMATIONIS

PRO

ANGELO ANDOSILLA IVNIORE

CVM

IO. BAPTISTA GVTIO.

Casus disputatus coram A. C. & concordatus.

An, & quando, cessante re legata, adeoùt legatum remaneat inutile, debeatur per hæredem æstimatio, seù æquiualentia.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quando debeatur æstimatio de legato rei alienæ.*
3 *De eodem.*
4 *Quando testator mandat, vt quis præsentetur, sufficit quod id sequutum sit.*
5 *Quid competat Patrono in beneficio.*
6 *De ijs, quæ non sunt in commercio, non debetur æstimatio.*
7 *De quæstione an legato feudo, debeatur æstimatio.*
8 *De eodem.*
9 *De differentia inter feuda, & beneficia ecclesiastica.*
10 *An ratio remunerationis meritorum attendatur.*
11 *Quid vbi legatum factum est famulo, qui diù inseruijt.*
12 *An pro seruitio competat actio vltrà salarium.*
13 *De obseruantia Curiæ circa translationes pensionum, quæ non sortiantur effectum.*

DISC. II.

1 IN codicillis, quos morti proximus fecit Angelus Andosilla insignis Iurisconsultus, prius Aduocatus primarius, deindè vtriusquè Signaturæ Decanus, approbato testamento prius ordinato, in quo Angelum iuniorẽ ex fratre pronepotem hæredem instituerat, huic, & Portiæ sorori, tutorem, & pro tempore curatorẽ, in vim indulti Apostolici deputauit, aliasquè fecit dispositiones; Cumquè in actu codicillandi, Ego, qui adeò charo amico, & magistro assistebam, ad præces Io. Baptistæ Gutij sacerdotis, qui longæuum seruitium ei præstiterat in munere amanuensis, seù adiutoris studij testatori insinuassem, vt dicti antiqui famuli recordaretur, ipsequè responderet, quod credebat eum iam prouidisse cum quodam beneficio, ad quod eum tãquam patronus præsentauerat, adhùc tamen mihi iniunxit curarem, vt per tutorem hæredis præsentaretur ad quoddam cõsimile beneficiũ per ipsiusmet testatoris mortem vacaturum; Hinc ex motiuo charitatis ergà dictum Io. Baptistam, sollicitus fui, vt id explicaretur in codicillis, nè tutor (qui erat Princeps Nicolaus Ludouisius), aliàs gratificari vellet aliquem eius aulicum, vt frequenter contingit, atq; ità sequutum fuit; Cum autem præsentatio effectum non habuerit ob litem motam per Sarauezzam hæredem fideicommissarium Manosij, ex cuius dispositione, ac bonis dictorum beneficiorum, seù capellaniarum erectio sequuta fuerat, dum Rota declarauit, vt Iuspatronatus non fecisset transitum ad hæredem dicti Andosillæ primi hæredis grauati, sed transijsset in fideicommissarium, & de qua causa habetur actum in sua materia *sub tit. de Iurepatronatus disc.* 14.; Hinc prætendere cœpit Gutius, quod per hæredem sibi deberetur recompensa, innixus iuribus disponentibus, vt præstari debeat æstimatio rei alienæ legatæ, dum legatum dici non poterat merè gratuitum, sed potiùs longæui seruitij remuneratiuum; Et introducta causa coram A. C., Iudex petitis

an-

annuendo, decreuit sibi præstandam esse recompensam in annua præstatione vitalitia scutorum 60; sed interposita appellatione, cum in disputatione habita in Signatura super modo committendi, actor difficultates agnouisset, hinc proindè quodam honesto concordiæ temperamento contentus fuit, quam ego dicto tutori consului, potiùs ex prudentialibus,& cõgruentiæ motiuis,quàm quod de iure huiusmodi prætẽsio alicuius subsistentiæ iudicaretur.

Ex triplici enim fundamento prorsus iniustam, malèque fundatam dicebam talem prætensionem; Primò quia, vt rei alienæ legatæ æstimatio debeatur, constare debet de scientia
2 in testatore, quod ea res esset aliena iuxtà *text.clar.in §.non solùm instit. de legatis,vbi glos.& DD.* plura deducunt concordantia *Mantic. de coniect. lib.9. tit.9. num.1. & sequ. Vtius decis.417. pariter num.1.cum seqq.*& cæteri passim;Hęc autem scientia in proposito non iustificabatur,quinimò erat improbabilis, dum ex pluribus fundamentis,quæ tamen Rotæ nõ placuerunt,de quibus *d. disc.14 de iurepatr.*, testator doctus I.C., firmiter credebat, vt absquè difficultate,dictum iuspatronatus esset transitorium ad eius hæredes.

Secundò, quia tunc intrare potest inspectio æstimationis præstandæ, quando res legata prorsùs aliena esset, adeoùt testator
3 sciret, quod nullum ius in ea sibi competeret; Secùs autem, vbi aliquod ius sibi competebat, vel competere credebat, cum tunc legasse censeatur ius suum, tale, quale sit, vt in specie *Mantic.dicto lib.9.tit.1.num.8.& 15.cum seqq. Caualer.decis.503.in fine*; Et generaliter habemus etiam in dispositionibus, vel contractibus inter viuos, in quibus præstanda est euictio, quod nisi ex pretij quantitate, vel alijs facti circumstantijs constet, quod tota res in contractum, vel dispositionem deducta sit, quoties disponens certam partem, seù ius in ea habet, de illa solùm disposuisse censetur, *ad text.in cap.Pastoralis de donat.& l.qui tabernas ff.de contraben. emp. Greg. decis. 225.num.2.& 3.*, & habetur non semel *sub tit.de empt.& vendit.*,& sub altero *de donat.*

Tertiò clarius, quia testator non reliquit iure legati beneficium, quod tanquam res spiritualis non cadit sub no-
4 strorum bonorum dispositione,sed solùm monuit hæredis tutorem, vt ad beneficium, ad quod per eius mortem vacaturum aliquem extraneum clericum, præsentare debebat, potiùs istum domesticum antiquum famulum,iuxtà conuenientiæ, ac benè ordinatæ charitatis leges gratificaret, idquè iam impletũ fuit, vndè propterea dicebam,quod quantum erat faciendum ex parte hæredis, atque totum id, quod testator ordinauerat, iam factum erat, ideòque neque videbamur esse incasu quæstionis super æstimatione rei alienæ legatæ, vel alterius quæstionis, super euictione pro legato præstanda.

Et nihilominùs,vbi etiam dici posset, quod ipsum beneficium legatum esset, adhùc tamen indebita fuisset prætensio, quoniam cum huiusmodi iura spiritualia non cadant sub morientium dispositionibus & legatis, dum eorum collatio pertinet ad superiorem ecclesiasticum,
5 solumquè patronis conceditur, ex gratiosa canonum indulgentia, facultas præsentandi, quæ eatenùs arctatiua est superioris ad conferendum, quatenùs de persona idonea gratuitò intra statuta tempora,seruatisquè alijs de iure seruandis,fiat; Sequitur exindè,intrare certum iuris principium, quod legatum earum rerum, quæ non sunt in nostro commercio, sit nullum,etiam quoad æstimationem, iuxtà textus expressos *in l.idem Iulianus §.constat ff. de legatis 1.§.non solùm in fine instit.eodem*, & vtrobiq; communiter *glos.& DD.Duran.decis.17.nu. 2.cum seqq.*
6

Neque huic principio obstare videntur ea, quæ per Feudistas habentur in quæstione, an legato feudo personæ incapaci, seù aliàs à lege inuestituræ non
7 vocatæ, debeatur æstimatio, de qua *Franch.decis.1.*vbi latè *modernus De Luca in addition. Merlin.lib.2. contr.81. de Marin.in addit.ad Reuent.obs.359.n.1.& resol. 45.nu.50. lib.2.* apud quos cæteri, & habetur insinuatũ *disc. præced.* in sua materia *sub tit.de feudis*,et in qua quæstione, quæ est facti;Et voluntatis,retenta etiam opinione negatiua,illa limitari solet, vbi

lega-

legatum esset ex causa remunerationis, quod videbatur in præsenti applicari posse, quamuis disputatum non esset, cum Scribentes pro legatario motiuum non excitassent.

Adhùc tamen non videbantur termini pares; Tum quia feudum in effectu est res temporalis, quæ naturaliter & de facto est in nostro commercio, licèt accidentaliter, ob feudorũ peculiares leges nõ
8 dicatur talis absquè assensu domini, quod dici non potest in beneficijs ecclesiasticis, quæ de eorum intrinseca natura non sunt in cõmercio; Tũ etiã quia, licèt præsertim in Regno Neap., vbi strictiùs feuda non dicantur in commercio ob Constitutionem incipientem *Constitutionem Diuæ memoriæ*, quæ latiùs patet, quàm prohibitio iuris communis feudorum *in Cap. Imperialem de prohib. feud. alien. per Feder.*; Nihilominùs pretium feudi dici-
9 tur esse in commercio, & in hæreditate feudatarij morientis, qui licèt non possit in præiudicium successoris sanguinis vocati per legem inuestituræ disponere de ipso corpore feudi, quod successor licèt habeat qualitatem hæreditariam, impugnando iudicium proprij auctoris, obtinere potest; Attamen disponere potest de integro valore, seu pretio, atquè in eo legitimum sanguinis successorem ob admixtam hęreditariam qualitatem grauare *Franch. dicta decis.* 1., & habetur sæpius in dicta sua materia *sub tit. de feud.*; Et sic absquè grauamine hæreditatis in alijs bonis, rectè legatum sortiri potest effectum, atquè testatoris voluntas impleri in ipsamet re legata, si non in specie, saltim in æquipollenti, eiusquè pretio, pro quo legatarius cogere potest legitimum sanguinis successorem in actione personali, illum etiam cogendo ad vendendum feudum, vt ex pretio exindè redigendo, soluat, eodem modo, quo ius competit creditoribus, quamuis nullum assensum habentibus, vt *per Franch. decis.* 704., aliosquè Regnicolas passim, & sæpiùs in dicta sua materia *sub tit. de feudis*; Id autem adaptabile non est beneficijs ecclesiasticis, ideoquè termini non sunt æquales.

Ac vlterius, ideò ratio remunerationis est in proposito considerabilis, quoniam ex ea resultat præsumptio, seu coniectu-
10 ra, quod si testator cogitasset, vt legatum in specie legata effectum sortiri non posset, verisimiliter aliam rem, vel æquiualentiam reliquisset; Hæc autem præsumpta voluntas, in hac facti specie (vt mihi præsertim ex certa scientia innotescebat) omninò ac radicitùs cessabat, quoniam testator ad id non cogitabat, atquè per me admonitus, replicauit, quod eum congruè prouiderat, cum consimili cappellania, ad quam viuẽs illum præsentauerat, communicando solùm mihi dictam voluntatem tutori insinuandam, adeout expressio in codicillis potiùs ex insinuato charitatiuo motiuo (testatore solùm approbante) à me demandata fuerit; Ducto etiam talis voluntatis argumento ex eo, quod nè hæredem grauaret, nullum fecerat legatum, etiam ijs, erga quos ex maiori conuenientiæ & honestatis, ac forsan iustitiæ ratione obligabatur; Tum etiã quia in testamento, quod in statu sanitatis, ac seriò & maturè condiderat, nil ad fauorẽ eiusdem ordinauerat.

Faciebat apud Signaturam impressionem, circumstantia longæui punctualis seruitij ex lege iustitiæ tali remuneratione digni; Verum hoc erat de iure nimium debile fundamentum, dum de lege iustitiæ pro famulatu menstruum conuentum salarium habuerat; Vnde
11 quemadmodum per ipsum dominum viuentem ad nutum dimittendus, nullam contrà eum actionem habuisset, ità dici non poterat, vt actionem haberet contrà hæreditatem; Licèt enim præsertim in Curia Romana, etiam gratuitum longæuum seruitium, vel obsequium præstari soleat sub remunerationis spe, quæ est Aulicorum totum pabulum, quod aliquos in modico numero nutrit, alios autem ad summam inediam reducit, non indè tamen resultat, vt actio aliqua ex lege iustitiæ competat, si eius malum fatum tribuat, vt sua spe elapsus remaneat, vt *apud Mantic. decis.* 266.

Considerationes autem, quæ circa debitam remunerationem famuli, benè ac vltrà consuetum seruientis, habentur *in*
12 *Romana donationis sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum dis.* 94. procedũt ad effectum substinendi donationes, vel alias dispositiones tanquàm causatiuas, aliàs prohibitas, vbi sunt merè voluntariæ, non autem ad effectum cogendi do-

mi-

minum inuitum, seu ad producendam actionem ex lege iustitiæ, nam aliàs id redũdaret in eorumdem benè inseruientium maximum præiudicium, si huiusmodi prætensiones reducerentur ad praxim; Cum enim Cardinalium, & Magnatum consuetudo sit, in mortis articulo prouidere magis benemeritos famulos, 13. cum pensionibus, quas in vim indulto. rum, & facultatum transferre possunt, ità omnes abstinerent ab huiusmodi remunerationibus, vbi crederent, quod contrà eorum hæreditatem ad æquiualentiam translatario actio competeret, quoties translatio effectum non haberet, vel ob eius formam non benè seruatam, vel ob incapacitatem beneficij, vel quia indultum aliquo defectu laboraret, seu ex alio accidenti, cuius contrarium seruat inconcussa obseruantia, quoniàm nunquã praxis docuit, vt illi, in quibus ex huiusmodi accidẽtibus translatio effectum sortita non est, regressum habuerint contrà transferẽtium hæreditatem pro euictione, seu præstatione æquiualentiæ; Et meritò, quoniàm transferens censetur dedisse solùm id, quod sibi competebat, & prout competebat, & non aliàs.

SENOGALLIEN.

LEGATI PRO GHERARDIS CVM MERCVRIIS.

Casus disputatus coram A.C., & coram aliis Iudicibus resolutus pro Mercurijs.

An, & quando legatum censeatur factum de proprietate, vel de vsufructu, ad effectum caducationis per prædecessum eius, qui post mortem vsufructuarij vocatus est; Et quando legatum ad eumdem effectum caducationis dicatur cõditionale, & præsertim an mors faciat conditionem; Et quid de certa ætate, legati assequutioni præfinita, an inducat conditionem, vel importet dilationem.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De quæstione, an vocatus post mortem vsufructuarij, dicatur purè vocatus ab initio, vel potiùs sit substitutus.*
3 *Quando propriè ista quæstio intret, & qualis sit casus huius controuersiæ.*
4 *De differentia inter dictam quæstionem, & alteram, an mors, vel tempus faciat conditionem.*
5 *De dicta quæstione, an mors, vel tempus faciat conditionem.*
6 *Vt in ea procedi debeat cum distinctione casuum.*
7 *De casu conditionis merè casualis.*
8 *De altero temporis determinati.*
9 *Quid de certo tempore ætatis legatarij.*
10 *Et de casu legati collati in tempus mortis, & de distinctione an substantiæ, vel exequutioni.*
11 *Quando in vna, vel altera distinctionis parte esse dicatur.*
12 & 13 *De eodem.*
14 *Quando legatum censeatur in solo vsufructu, non autem in proprietate.*
15 *Facto legato bonorum ad vsufructuandam, dicitur legata proprietas.*
16 *Declaratur, quando id procedat.*
17 *Quomodo decidenda sit ista quæstio, an sit legata proprietas, vel vsusfructus.*
18 *Ex voluntate disponentis fit transmissibile id, quod non est tale.*
19 *De differentia inter legatum speciei, & quantitatis, vel generis.*
20 *De eodem, de quo num. 17., & quomodo quæstio decidi debeat.*
21 *De eodem, & ad quid iuris distinctiones, & theoricæ deseruiant.*

22 De

De distinctione an commodum caducationis secundi legatarij sit primi, vel hæredis.

Quod in Iudice desideretur iudicium potiùs, quàm ingenium.

DISC. III.

TOrquatus de Gherardis, instituto hærede Theodosio patruo, Cleriæ amitæ reliquit prædium dotale eius matris, ad vsufructuandum donec viueret, post eius verò mortem, illud reliquit Tullio auunculo, seu aliàs ex materno latere coniuncto, adiecta ratione, vt illud rediret ad eam domum, à qua exierat; Cum autem casus dederit Tullij prædecessum Cleriæ; Hinc proindè inter Mercurios Tullij hæredes, & Gherardos filios, & hæredes dicti Theodosij, orta est lis super dicti prædij pertinentia; Introductaquè causa coram A.C, pro Mercurijs prodijt resolutio, cui Gherardi nõ acquiescentes, causam (mutatis etiam defensoribus), prosequuti sunt per duas alias instantias, in quibus etiam succubuerunt, atquè prima sententia confirmata fuit.

In disputationibus autem desuper habitis, antequàm ego ad causam euocatus essem, assumpta fuit quæstio, inter *Imolam, & Baldum*, de qua habetur, præsertim particulariter actum *in Imolen. prædij sub tit. de legit. & detract. disc.* 33., ac pluries insinuatur *sub tit. de fideicommiss.*; An scilicèt instituto aliquo hærede in vsufructu, atquè post istius mortem, dato alio hærede in proprietate, primus dicendus esset hæres pleno iure, fideicommisso grauatus restituere secundo; Vel potiùs iste dicendus esset hæres directus ab initio, ille autem simplex legatarius vsusfructus; Istaq; posterior opinio, cessantibus coniecturis diuersæ voluntatis testatoris, est magis communis & recepta, ex ibi deductis.

Mihi verò videbatur, quod ista quæstio extranea esset à casu controuersiæ, cum verè & propriè illa procedat, vbi agatur de dispositione vniuersali, in qua irrare valeat ratio caducationis, vel absurdi, vt decedat, quis pro parte testatus, & pro parte intestatus; Secùs autem, vbi de legato, seu dispositione particulari, in qua non dignoscitur illa implicantia, quæ viget in hæreditate, vt ad tempus, vel sub conditione relinquatur; Ideoquè potiùs intrare videbatur altera quæstio, an tempus mortis legato adiectum, illud reddat conditionale, necnè, adeoùt legatario prædecedẽte priusquàm conditio verificetur, intret necnè caducatio.

Magna etenim differẽtia est inter primam quæstionem, & istam; In illa etenim, controuersia est inter primò, & secundo vocatos, an scilicèt secundò præmoriente, bona iure caducationis remaneãt penès primum, vel potiùs transmittantur ad hæredes dicti præmorientis; In ista verò non est controuersia cum primo honorato, sed cum hærede vniuersali, penès quem residet proprietas, donec purificetur conditio ad fauorem secundi ad eam vocati post mortem primi, quamuis huic solus vsusfructus relictus esset; Atquè hic erat casus præcisus.

Ista verò quæstio an scilicèt, & quando mors, vel aliud tempus faciat conditionem, vel potiùs inducat simplicem dilationem, reputatur vna de magis nodosis ac intricatis quæstionibus, quæ in iure habeantur, ob nimiam opinionum diuersitatem, adeout DD. in hoc se inuoluisse videantur, dictaſquè diuersas opiniones referunt, post alios ab eis deductos, *Menoch. lib. 4. præsumpt.* 201. *Castill. lib. 4. controu. cap.* 56. *Capyc. Latr. dec.* 107. cum alijs de quibus infrà discurrendo, ac etiam insinuatur *sub tit. de feud. disc.* 108. vbi de puncto, an & quando tempus certæ ætatis stare dicatur pro conditione, vel pro dilatione; Vndè propterea in plerisque causis à me disputatis, sub ista quæstione cadentibus, expertus fui magnum æquiuocorum incursum, magnamquè rerum iudicatarum diuersitatem, ex consueta ingeniorum varietate; Siuè (& frequentius) ob consueta æquiuoca resultantia à pragmatico abusu confarcinandi doctrinas, & auctoritates in confuso, totam vim cõstituendo in earum maiori arithmetico numero, non benè illas distinguendo.

Hinc proindè, ad æquiuoca huiusmodi tollenda, atquè pro materiæ dilucidatione, aduertebam, vt procedendum esset cum distinctione casuum, cum quæ conciliari videntur quamplures opinio-

nes, quæ reputari solent inuicem pugnantes; Præsertim verò ad rem, constituendi videbãtur quatuor casus, neglectis alijs considerari solitis, vtpotè ad rem non facientibus.

Primus est, vbi agitur de conditione omninò incerta cum omnimoda incertitudine, tàm in tempore, quàm in substantia, non habente casum, vel tempus mortis, magis vnius, quàm alterius; Vt putà si nauis ex Asia venerit, vel si Titius Consul erit, cum similibus, et tunc cum omninò incertum sit, àn id extiturum sit, et quatenus extiturum, adhùc incertum, quando, hinc proindè apud omnes receptum est, vt legatum sit conditionale, ideoquè per legatarium morientem antè conditionis purificationem non transmittatur, sed caducetur. 7

Alter casus est, vbi tempus est certum, quia nempè dicatur, vt legatum præstãdum sit tali die, vel tali anno, et tunc cõcordant, vt illud non dicatur conditionale, sed purum, proindequè non caducetur, sed per legatarium interim morientem transmittatur ad eius hæredem, quoniam tempus dicitur importare potiùs dilationem, quam conditionem. 8

Tertius casus est, vbi tempus est certum, quando, sed est incertum quoad substantiam, àn scilicèt sit extiturum necnè; Puta quia legetur Titio, cum 30. annorum erit, quoniam certum est, quando id tempus cessurum sit, sed est incertum, àn Titius ad eam ætatem sit deuenturus, et tunc intrat, ac recipiẽda venit distinctio, ex qua decisio quæstionis pendet; àn tempus adiectum sit substantiæ legati, vel potiùs præstationi, seù exequutioni tanquàm simplex dilatio, vt primo casu caducetur, secùs autem in secundo. 9

Hinc proindè ista nõ est quęstio iuris, sed potius facti, seù applicationis, quando .s. in vna, vel altera distinctionis parte versari dicamur; Atq; in hoc, certa, & determinata regula dari non potest, sed totum pendet ex singulorum casuum indiuiduis circumstantijs, præsertim verò ex causa legandi, putà pro legitima non recipiente conditionem, vel dilationem, vt frequentèr contingit in legatis, quæ pro dote filiabus relinquuntur, cum ad certam ætatem deuenerint ex, nè deductis *per Merlin. lib. 2. controu. 1. Menoch. Castill., & Capye. Latr. vbi supra*, cum alijs de quibus *dicto tit de feud. disc.* 108.ĵ, vbi agitur de isto casu præciso, & in proposito legati pro dote habetur actum in sua materia *sub tit. de Dote disc.* 14.

Quartus demùm est casus conueniens præsenti controuersiæ, vbi scilicèt respectu legatarij dies est omninò incertus, tàm circa substantiam, quia nempè incertum sit, àn ille sit euenturus, quàm circa tempus, quia nempè incertum sit quando id contingere debeat, quia nempè legatum relictũ sit in tempus nuptiarum ipsius legatarij, seù post mortem hæredis, vel alterius; Tunc enim non solùm est incertum, quandò id extiturũ sit, sed etiam àn id in substantia sit euenturum, cum legatarius possit non nubere, vel alteri non superuiuere; Et tunc aliqui conati sunt casum decidere cum eadem distinctione, de qua in præcedenti, àn scilicèt hoc tempus adiectum esset substantiæ, vel executioni. 10

Verũ eorũ opinio, vtpotè claris iuribus cõtraria, frequentiori calculo reiecta videtur, magisquè cõmuniter receptum, vt tale tempus indistinctè faciat conditionem, *vt per Castill. dicto cap* 56. *num.* 71. *vers. quartus & vltimus*, & benè *Capye. Latr. dec.* 107. *n.* 30 *cum sequen.*, vbi *n.* 42., ità testatur decisum, atquè *idem Menoch. dicta præsumpt.* 201. *num.* 50. *vers. cæterùm*, qui inclinat in dictam distinctionẽ, fatetur, quod difficilè esset in foro recedere à communi, quam monet in iudicãdo retinendam esse; Vt in terminis temporis incerti nuptiarum, quoties priuilegium causæ legandi, non resecat ex iuris ministerio conditionem, vel dilationem, tenuit sæpiùs Rota præsertim *decis.* 346. *num.* 6. *apud Gregor. in Bonon. legati* 28. *Iunij* 1652. *coram Verospio* impress. *decis.* 291. *par.* 11. *rec.*, & habetur deductum *sub dicto tit. de Dote disc.* 14.; Et hic videbatur casus, quoniam cum legatum relictum esset post mortem Cleriæ, incertum erat, àn legatarius de tempore talis mortis extiturus esset in rerum natura, et consequentèr locus erat caducationi, vt in specie firmatur *in dict. decis.* 291. *par.* 11. *rec.*

Clariùs verò ità dicendum videbatur in hac facti specie, quoniam admissa etiã dicta distinctione, de qua in casu præcedenti,

11 denti, àn scilicèt tempus mortis adiectũ esset substantiæ, vel executioni, quando DD. disputant super applicatione, àn scilicèt in vna vel altera distinctionis parte versaremur; Quamuis reuerà pro meo iudicio erroneum sit certam regulam determinatam statuere, cum potiùs vt supra, totum pendeat ex particularibus facti circumstantijs; Nihilominus ad statuendam quamdam regulam præsumptiuam, ad effectum videndi, cui in dubio assistat iuris præsumptio, quæ transferat onus probationis in alterũ; Considerari solet, àn legatum conceptum esset per præcedentem orationem puram, ac perfectam, adeoùt ad sui perfectionem aliud non exigeret, aliaquè subsequentia verba tempus mortis respiciẽtia, si omissa essent, non redderent dispositionem mancam, & imperfectam; Vel è conuerso si est vnica oratio, itaùt dempta conditione, seu tempore mortis, dispositio esset imperfecta, iuxtà ea, quę pluries hoc *eodem tit.* firmata sunt in proposito dignoscendi, àn certa destinatio staret taxatiuè, vel demonstratiuè, vt præsertim habetur *in allegata Bonon. coram Verospio*, vbi allegantur *Noal. de transmiss. cas. 17. num. 55.* & alij; Hoc enim posito, versabamur in hac secunda parte, dum dicebatur, quod titulo institutionis post mortem Cleriæ relinquebatur prædium Tullio, & sic mors alterius præcedit, eaque separari non potest ab oratione perficiente legatum.

Hinc dicebam non obstare auctoritates, quæ in contrarium deducebantur præsertim *decis. in Maceraten. coram Coccino inter suas decis. 272.*, & regiſtratam *apud Gratian. disceptat. 136.*, ac repetitam *decis. 163. par. 2. rec.*, quoniam ibi legatum erat purum, & cum oratione iam perfecta conceptum, deindè verò cum separata oratione præcipitur legatario, ne pro certo tempore hæredem molestaret, vt in specie huic decisioni respondetur *apud Capyc. Latr. dicta decis. 107. num. 38.*

12

Et quamuis in contrarium pro maiori fundamento deducerentur firmata (licèt incidenter, & ad alium effectum), *apud Sess. decis. 127. num. 28. circa finem*; Replicabam tamen hunc Auctorem rectè loqui in casu suo, quando scilicèt vni vsusfructus, & alteri proprietas relicta est, quoniam cum hæc legata sint inter se distincta, tunc mors legatarij, cui relicta est proprietas, antè mortem vsufructuarij non causat caducationem, & in hoc benè dicitur; Sed punctus controuersiæ erat in applicatione, àn scilicèt dictæ mulieri relictus esset bonorum cõtrouersorum solus vsusfructus formalis contradistinctus à proprietate, quæ proindè Tullio ab initio relicta diceretur habita mentione mortis tanquam demõstratio temporis, in quo proprietas vtilitatem allatura esset, vel potiùs è conuerso censeretur dictæ mulieri relicta, proprietas, quàm esset grauata post mortem dicto Tullio restituere; Primò enim casu caducatio non intrabat; In altero autem ea remanebat certa.

13

In hoc autem puncto, à quo decisio causæ pendere videbatur; Scribentes pro altera parte, magnam vim constituebant *in decision. 257. Buratti 195.*, & *decis. 238. par. 7. rec.* & *119. par. 8.*, in quibus, in eadem causa æditis, præsertim verò, magis ex professo in vltima, firmatur, vt ob restrictionem legati ad vitam, illud censeretur potiùs in vsufructu, quàm in proprietate.

14

Et conuerso autem ego scribens pro hac parte, more Aduocati ad causæ opportunitatem, dicebam quod cum legatum inciperet ab ipsis bonis, ità relicta censeretur proprietas, non obstante quod diceretur *ad vsufructuandum*, quoniam, Aliud est relinquere vsumfructum bonorum, adeoùt legatum principaliter dirigatur ad ipsum vsumfructum; Aliud verò relinquere bona ad vsufructuandum, cum id non aduersetur legato proprietatis *l. vlt. ff. de vsufruct. earum rerum &c. l. species ff. de aur. & argent. legat. l. libertis ff. de alim. & cibar. legat.*, vbi *Bartol. & alij*, ac firmant *Menoch. Mantic. Surd.* & alij de more cumulati *per Castill. de vsufruct. cap. 30. num. 4.*

15

Reflectendo autem ad veritatem (quatenus ad hanc facti speciem pertinet); Mihi videbantur probabiliores esse partes dictorũ de Mercurijs hæredũ Tullij, in exclusionem prætensæ caducationis, (vt ab initio pro stylo insinuaui huic parti, pro qua scribebam), ideoquè resolutio probabilis visa fuit, quoniam dicta con-

clusio, quàm deducebam, vt legatum directum ad bona, importaret proprietatem, non obstante quod dicatur ad vsufructuandum, cum id legato proprietatis non aduersetur; Rectè procedit, quãdo legatum, simpliciter, ac indeterminatè conceptum est; Secùs autem vbi cum restrictione vitæ legatarij iuxtà magistralem distinctionem *Baldi in l. 1. Cod. de fructib. & lit. expens.*, quam sequuntur DD. magis communiter relati per *Honded. cons. 69. lib. 1. Menoch. lib. 4. præsumpt. 133. num. 12.*, vbi dicit hanc opinionem esse magis communem, & veram *Castill. de vsufruct. dicto cap. 30. num. 13. Rot. dicta decis. 119. num. 3. par. 8. rec.*, & conferunt ea quæ habentur *decis. 460. nu. 30. par. 9. rec.*

16 Prætereà ponderabam quod (quidquid DD. variando, vel se inuoluendo dicant), reuera ista est quæstio ambiguæ voluntatis, ideoquè decidenda cum adeo

17 frequenter insinuata propositione, vt principaliter indaganda sit substantia verisimilis voluntatis, ex facti circumstãtijs desumendæ, non autem immorandum sit in formalitate verborum, quæ potiùs Notarij quam testatoris esse solent ex deductis *per Castill. dicto cap. 30. num. 12. & seq.*, vbi allegantur *Mantic. Honded.* & alij.

Substantia verò voluntatis erat, iuxtà rationem ab eodẽ testatore assignatam, vt ità prædium rediret ad domum, à qua exierat; Et consequenter quod, Vel istud legatum respectu Tullij interprætandũ esset purum ab initio in proprietate (quo casu absquè dubio intrabat transmissio); Vel quod ità resultaret sufficiens coniectura pro transmissione; Quamuis enim regula sit, vt legatum, vel fideicommissum conditionale per morientem ante-

18 purificatam conditionem non transmittatur; Attamen receptissima est limitatio ex contraria voluntate disponentis, ex qua etiam tacita, seù præsumpta, & coniecturali, sine dubio fit transmissibile id, quod regulariter de iure non est tale, vt pluries in sua materia *sub tit. de fideicom. præsertim disc. 112. & seqq.*

Clariùs verò ex duplici circumstantia; Primò nempè quod agebatur de legato rei corporalis stabilis, vndè propte-

19 reà non intrat illa maior præsumptio legati proprietatis, quæ intrat in legato pecuniæ, seù alterius rei, quæ vsu consumitur, vt ità respondendo ad textum *in l. vlt. ff. de vsufructu earum rerum, quæ vsu consum.*, obseruat in specie *Bertaz. zol. consil. ciuil. 4. num. 36.*; Et secundò quia nullum adiectum fuerat grauamen primo legatario, restituendi post eius mortẽ bona secundo, & quod grauamen supponere videtur, vt relicta sit proprietas, vt cæteris relatis *Castill. dicto cap. 30. num. 23.*

Istæ verò, vel similes ponderationes, sunt quidem bona argumenta deseruiẽtia in dubio, & quando alia maiora non

20 vrgeãt, deducta præsertim potiùs ex circumstantijs facti, quàm ex verbis, quibus facta semper prævalent, quoniam vt plurimum illa sunt Notarij, vel scriptoris testamenti, ista verò sunt ipsius disponentis; Potissimè verò vbi, (vt in præsenti) agitur de personis idiotis, huiusmodi subtilitates nõ callentibus, quas in eo testandi actu, præsertim per infirmos, vix ex centum iuris professoribus, callent decem; Ideoquè manifesta ineptia videtur, in hac formalitate verborum, seù qualitate phrasis, ac modo loquendi, tantam vim constituere, dum verè id à casu prouenit, pro stylo, seù formulario Notarij, vel alterius scriptoris, in cuius animo, multò verò minus in illo testatoris, nequè per somnium huiusmodi subtilitates, vel distinctiones ceciderunt.

Hinc proindè, laudabilis quidem est, imò necessaria, huiusmodi theoricæ, ac distinctionum notitia pro benè regulandis coniecturis, & circumstantijs facti,

21 & nè Iudex rusticano more, vel in solo naturali sensu procedat; Damnabile autem omninò est, ità cum sola auctoritate DD. hanc theoricam tradentium, in omni casu procedere, non reflectendo ad facti qualitatem, ex qua substantia voluntatis disponentis desumenda sit, & àn verè vnũ, vel aliud tempus stet pro conditione, vel dilatione, & àn respiciat substantiam, vel exequutionem, iuxtà põderationes, cum quibus ego, (gerẽdo partes Iudicis), processi in casu, de quo *dicto disc. 108. sub tit. de feud.*, quoniã ibi deducta nimium ad huiusmodi materiam, seù quæstionem conferre videntur.

Pro maiori autem vel minori efficacia præ-

præsumptionū, siuè pro magis benigna, vel stricta interpretatione, ad fauorem,
22 vel respectiuè odium secundi legatarij, nimium considerabilis quoquè videtur distinctio, supra initio considerata, àn scilicèt caducationis commodum, ità sit primi legatarij, cui, attenta naturali veritate, testator nonnisi vsumfructum, seù fruitionem ad vitam relinquere voluit, adeoùt ex legis subtilitate, præter intentionem disponentis, proprietatem obtineat; Et àn, nulla data alteratione huius voluntatis naturalis, atquè primo legatario remanente in terminis vsufructuarij, dictum cōmodum caducationis cedat commodo hæredis, iuxtà casum de quo in sortioribus terminis hæreditatis post mortem vsufructuarij conditionaliter alteri relictę, habetur *per Rotam decis. 24. num. 18. cum seqq. post Pattell.*, quoniam præsertim in particularibus dispositionibus, in quibus non vrget illa implicantia, quæ de stricta iuris censura vrget in vniuersalibus, stant benè simul, vt primo relictus sit solus vsusfructus, secundo autem relicta sit proprietas sub conditione mortis primi, & quatenus huic superuiuat, cum interim proprietas benè residere possit penès hæredem; Ideoque magna differentia est inter vnam, & alteram speciem dispositionis; Et consequenter totum reducitur ad voluntatē, cuius substantia ex facti qualitate potiùs, quàm ex prædictis legulcicis subtilitatibus desumenda est; Atquè in idem conferunt, quæ circa vulgarem anomalam, àn procedendum sit cum theorica *Bartoli*, vel cum illa *Angeli in l. quamdiù ff. de acquir. hæred.*, habentur *dicto titulo de fideicommiss. discur. 106. & seqq.*, ac etiam hoc *eodem titulo disc. 30.* cum similibus.

Atquè ex hac ratione, in Iudice magis congruit iudicium, quàm ingenium; Ideoquè aliquando eximij, ac ingeniosi
23 Aduocati, vel Cathedratici (magis verò isti, quàm illi), nō benè Iudicis, vel Consulētis ad veritatem partes explent, quoniam ex ingenij acumine, huiusmodi subtilitatibus, ac distinctionibus legalibus principaliter vacando, atquè impatientes effecti, negligunt maturè reflectere ad factum, eiusquè omnes etiam minutas circumstantias considerare, ex quibus vnitim ponderandis cum consueta regula, *vt singula, quæ non prosunt &c.*, verè congrua decisio omnium ferè quæstionum forensium pendere videtur; Ideoquè ista non dicitur iuris scientia, sed iuris prudentia.

LVCANA

LEGATI

PRO

CLARA FRANCIOTTA

CVM

MICHAELE ANGELO STIAVA.

Casus disputatus coram A. C., postea concordatus.

De legato creditorum, ac iurium, & actionum, quid comprehendat, àn scilicèt solum nomina debitorum, vel etiam pecunias destinatas inuestimento, siuè existentes penès procuratores, & ministros testatoris; Vel potiùs referendū solū sit ad credita, ac iura, & actiones quæ haberentur contra ipsum legatarium pro eius liberatione, non autem, vt ei legata sint iura, & actiones contra alios.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Est attendenda substantia voluntatis, non autem formula verborum.*
3 *Et voluntas desumenda est ex facti circumstantijs simul iunctis.*
4 *De coniecturis, & argumentis probantibus, vt solum relicta esset liberatio.*

5 Quæ

5 *Quæ propriè dicantur nomina debitorum.*

6 *Sub istorum nomine non veniunt occupatores bonorum debitoris, vel depositarij, & ministri.*

7 *Loca montium, & similia iura habentur pro stabilibus.*

8 *De verbo* inuestire *quid significet.*

9 *Actus est in dubio referendus ad titulum licitum.*

10 *Ad regulandam voluntatem testatoris attendi debet eius destinatio, vel opinio &c.*

DISC. IV.

1 IN testamento Augustini Franciotti Nuncij Colonien sis, de quo habetur actum *sub tit. de legitim. & detract. disc.* 10., inter alia ibi disposita, continetur in particulari, & separato capitulo, legatum scutorum trium mille ad fauorem Michaelis Angeli secretarij, ac intimi familiaris testatoris, cum assertione pro remuneratione eius seruitij; Deindequè per aliud capitulum separatum, assignata ratione, vt dictũ Michaelem Angelum ab omnibus molestijs liberaret, ei legauit omnia credita, & actiones directas, & indirectas, ac tàm ciuiles, quàm criminales, quæ ex qualibet causa ipsi testatori competere possent; Cum autem in hæreditate adessent quamplura nomina debitorum ex causa mutui, vel alia, tàm in Vrbe, quàm in Ciuitate Lucana; Ac etiam penès eiusdem testatoris Agentem, seù negotiorum gestorem in Vrbe, reperirentur de tempore mortis, scuta bis mille ex diuersis effectibus obuenta; Ipsequè testator per annos antequam ab Vrbe discederet, dedisset cuidam probato negotiatori scuta quatuor mille circiter, quos dictus negotiator promisit sub eius nomine inuestire se obligabat, sin minus soluere fructus ad rationem locorum montium; Hinc proindè dictus Michael Angelus prætendere cæpit, vt hæc omnia sub dicto legato venirent, atquè ad ipsũ spectarent; Cumque acquiescere nollet meo Respõso pro veritate desuper edito ad instantiam hæredis, fretus aliquibus Responsis aliorum Aduocatorum diuersimodè sentientium, iuxtà eam ingeniorũ varietatem, quam quotidiè experimur; Hinc proindè introducta fuit lis coram A. C., posteà concordata.

In responso autem vt supra dato, ac etiam deindè scribendo in causa, pro hærede, more Aduocati; Duas efformabam inspectiones; Vnam scilicèt generalem, vt hæc dispositio nihil ex dictis effectibus complecteretur, sed importaret solum liberationem à creditis, ac iuribus, & actionibus, quæ contra ipsum legatarium, testatori, eiusquè hæredi, vel alijs ex causa eius seruitij, & administrationis competere possent; Et alteram particularem, an posito, vt compræhenderet credita, ac iura, & actiones actiuas contra alios, de quibusnam id intelligendũ esset, & præsertim, an compræhenderet dictas duas partitas existentes, penès agentem, & penès campsorem.

Quatenùs pertinet ad primam; Dicebam (etiam in sensu veritatis (vt attenta regula, quæ perpetuò in omnibus actibus, præsertim verò in illis vltimarum 2 voluntatum, attendenda est, hoc *eodem tit.*, ac *sub alijs de testam., & de fideicommiss.*, omniquè alia materia frequentèr insinuata, vt non formalitas, vel grammaticalis significatio, siuè litteralis sensus verborum, sed substantia veritatis attendi debeat; Ex toto dispositionis contextu, magisquè ex alijs facti circumstantijs, & qualitate desumenda, patebat quod reuera istud legatum contineret solum liberationem à quibuscumq; creditis, ac iuribus, & actionibus, quæ testatori, vel alteri ex eius causa, contrà ipsum legatarium competerent, non autem in eo sensu litterali, in quo legatarius, eiusquè Consultores illud accipiebant.

Ad ità sentiendum mouebar ex pluribus fundamentis, & considerationibus, ponderandis cum altera pariter recepta regula, in vltimarum voluntatum præsertim interprætatione, attendenda, de 3 qua satis frequentèr *dicto titulo de fideic.* & alibi, vt *singula, quæ non prosunt, vnita iuuent*; Ità iuxtà pluries insinuatum exẽplum more pictoris in opere musyuo, ex pluribus paruis lapidibus, nihil de per se operantibus, efformando figuram.

Primò nempè accipiendo rei primordium, quod dictus legatarius, quamuis eius principale munus esset secretarij, atta-

attamen vtpotè primus, ac totalis testatoris fiduciarius, omnimodam administrationem tàm negotiorum priuatorũ, quàm pertinentiũ ad Nuntiaturam habuerat; Et consequenter quod, tam per testatoris hæredem, quàm per ministros camerales ipsius Nuntiaturæ, ac Vrbis ad redditionem rationum, earumquè iustificationẽ cogi poterat, atq; molestias desuper pati.

4 Secundò in idem, attento proemio dispositionis, dum non assignatur causa beneuolentiæ, vel gratitudinis, seù remunerationis, sed altera liberandi ipsum Michaelem Angelum à quibuscumque molestijs; Istaq; ratio seù causa proemialis, quæ de sui regulari natura denotat causam finalem, congruebat huic intellectui, non autem alteri.

Tertiò in idem ratione discretiuæ, quoniam quando testator legatũ eidem famulo facere voluit, in præmium, ac remunerationem seruitij, id expressit cum legato particulari summæ scutor. 3000., quæ attenta qualitate legatarij, ac seruitij, erat potiùs magna, & exorbitans, præsertim comparatiuè ad alios familiares.

Quartò, incõgruentia quæ alias adesse videretur in illis verbis *iuriũ, & actionum, tàm ciuilium, quàm criminalium*, dum incongruum est actiones criminales actiuè alteri legari.

Quintò, ob præceptum datum hæredi liberandi eumdem à quibuscumquè molestijs, quæ ab alijs eidem familiari inferri possent, eumdem hæredem obligando ad suppeditandum quidquid pro dicta liberatione necessarium esset, quamuis vniuersam hæreditatem desuper erogare oporteret; Argumentum clarum, quod per hanc dispositionem, aliud in animo testator non habuerit, nisi dictũ finem in proemio enarratum, liberandi hunc fiduciarium familiarem à quibuscumquè molestijs, quæ pati posset ex causa fiduciariæ administrationis, ob quã non solent confici libri, neque adhiberi illæ diligentiæ super iustificatione rationum, quæ fiunt per illos, qui habent ex munere principali, domus præfecturam, seù aliam administrationem, istequè videbatur verus, ac germanus huius dispositionis intellectus.

Et sextò demum, ac omnium fortiùs, ex maxima inuerisimilitudine, dum supponebatur, quod nomina debitorum (compræhensis dictis duabus partitis) importarent ingentem summam scutorũ 12. m. circiter; Omninò etenim id improbabile videbatur; Tùm ex eo quod summa esset incongrua, atq; importaret notabilem partem hæreditatis, quam testator reliquerat germanæ sorori, cum fideicommisso ad fauorem eius filiorum, & deindè ad fauorem Ecclesiæ iuxtà seriem de qua *dicto disc.* 10. *de legit. & detract.*; Tùm etiam quia verisimiliter in hoc legato expressisset eamdem causam, quam cum verbis nimium significatiuis expressit in longè magis exiguo legato scutorum 3.m.; Ponderando etiam quod in dicto legato scutorum 3000. dixit ea relinquere iure legati, quod non dixit in hac altera dispositione.

Prætereà aduertebam, quod cum de recenti sequuta esset mors patris testatoris, per quam duplex actio sibi aperta erat ad bona per eumdem patrem possessa; Vna scilicèt testatæ, vel inteſtatæ successionis; Et altera antiqui fideicommissi, quorum neutram agnouerat, vndè propterea dominium bonorum non acquisierat, sed solùm ad ea ius, & actionem habebat; Hinc proindè, vbi dicta verba, in litterali, seù grammaticali sensu accipienda essent, istas hæreditates, & successiones quoq; capere deberent, dum ità non nisi ius, & actio competebat, contra omnem prorsus verisimilitudinem, quæ in ambiguæ voluntatis quæstionibus principatum obtinet inter *præsumptiones*, & coniecturas, ex vulgari, & quotidiano axiomate, quod verisimilitudo imaginem habet veritatis, inuerisimilitudo autem illam falsitatis.

Hinc proindè opus non erat assumere aliam inspectionem, quæ scilicèt partitæ venirent sub dicto legato, necnè, vtpotè inanem, quoniam vel nullæ, vel omnes venire debebant; Siquidem vbi legatum ad nomina debitorũ solum restrictum esset, tunc rectè hæc inspectio intraret, quidnam scilicèt sub hoc vocabulo veniat, sed quoniam dispositio latiùs patebat de quibuscumq; iuribus, & actionibus ex quacumque causa competentibus, concepta per verba effrænata, idcircò omnia hæc capiebat, et consequenter, vel totum, vel nihil capiebat; Cumque

omni-

omninò incongruum esset, vt totum caperet, idcircò omninò probabilius erat, vt nihil nisi dictum effectum liberationis operaretur.

Verùm vbi, iuxtà sensum scribentium pro legatario, de nominibus debitorum tantùm ageretur, adeoàt illa venirent; Adhùc tamen (eodem veritatis sensu retento) dicebam, vt venire non deberent
3 prædictæ duæ partitæ; Non [quidem] illa scutorum bis mille, quæ in pecunia reperiebantur penès Agentem, seù negotiorum gestorem, quoniam nomina debitorum, seù credita, verè, & propriè, dicuntur illa, quæ pendent ex causa mutui, vel alia causa debendi, vndè dominium pecuniæ, vel alterius quantitatis, non sit penès creditorem, sed penès debitorem obligatum ad solutionem; Id autē in hac facti specie dici non poterat, dum dictus negotiorum gestor retinebat hanc pecuniam, potiùs tanquam depositarius, vel minister.

Ideoquè concluſionem habemus, quod sub nomine debitorum, & eorum nominum, veniunt solum illi, qui sunt tales,
6 nō autem illi, qui detinent bona testatoris iuxtà doctrinam *Baldi in l. cum necessitate num. 2. Cod. de fideicom. Mantic. de coniect. lib. 9. tit. 4. num. 3. vers. cæterum*; Atquè in hoc dabam practicum exemplum omnium Magnatum, & nobilium, ac etiam mercatorum, qui retinent eorū pecunias penès thesaurarios, vel capserios, alioſquè ministros, ideoquè dici non possunt nomina debitorum; Idemque pro illis pecunijs, quæ retinentur pœnes ædem sacram, vel in alio banco in forma depositi irregularis, quod in effectu nomen debitoris de stricto iure importat, attamen prorsus incongruum esset dicere, vt id veniret sub nomine debitorum.

Quoverò ad alteram partitam scut. 4000., quæ per quattuor annos antè discessum testatoris ab Vrbe, data fuit campsori vt supra, planum videbatur, vt eā nō veniret sub legato nominum debitorum, cum cōstaret eam fuisse destinatam inuestimento locorū montium, quæ prò
7 stabilibus potiùs habentur, ac loco circumscribuntur, vt de locis montium Vrbis *Gabr. conſ. 141. lib. 2. num. 23. Buratt. deciſ. 474. num. 1. & deciſ. 913. num. 10. Royas deciſ. 66. num. 10.*; Et de iuribus super redditibus Regijs, vel Reipublicæ *Theſ. iun. lib. 2. quæſt. forenſ. 5. Rouit. pragmat. 1. de iur., & exaction. Fiſcal. num. 66. & 80. cum ſeqq.*; Et de pecunijs depositis in Montibus Venetiarum, seù Florentiæ *Rota in Veneta pretij bonorum 13. Nouembris 1602. coram Cardinali Hieronymo Panphilio*, quæ passim recepta est, tanquam in materia magistralis, vt *ſub tit. de alien. & contract. diſc. 1.*

Destinatio autem probabatur; Tum ex verbo *inuestire*, quod ex communi loquendi vsu conuenit huiusmodi inue-
8 stimentis, non autem mutuo, vt *deciſ. 275. numer. 1. poſt Zacch. de oblig. eam. deciſ. 85. par. 4. rec. tom. 2. & 668. eadem par. 4. tom. 3. deciſ. 56. num. 6. par. 12. rec.* & in alijs; Tùm etiam ex qualitate datoris pecuniæ, qui erat Archiepiscopus, & Ecclesiasticus, ideoquè ei non congruebat mercatura, et consequenter
9 conuentio referenda est ad titulum licitum, vt ad rem benè habetur *per Rotam deciſ. 259. num. 4. & 5. par. 11. rec.*; Nil obstante quod campsor, qui pecuniam receperat, eam non inuestierit, vndè propterea remaneret in terminis crediti, quoniam in hac materia attendenda est destinatio domini pecuniæ, vel bonorū,
10 ad effectum regulandi eius voluntatem, non autem quod ex facto tertij id sequutum non sit, vt in alijs pluries aduertitur; Ità enim testator supponendo, vt dictus campsor datam fidem impleuisset iustè opinari potuit, quod istud inuestimentū factum iam esset in loca montium; Proùt etiam ista ratio deficientis animi cadere poterat in dicta alia partita penès Agentem, seù negotiorum gestorem, dum eam ignorabat, concordia tamen substulit occasionem vlterioris disputationis; Verū ista mihi videbatur veritas.

AVXIMANA LEGATI PRO VGONE, ET ALIIS DE CIMIS CVM VBALDO ETIAM DE CIMIS

Casus disputatus coram A. C., & resolutas pro Vbaldo.

An, & quando sub legato mobilium domus, veniat pecunia numerata, quæ in domo reperta sit.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De decisionibus firmantibus comprehensionem pecuniæ sub legato mobilium.*
3 *De abusu deferendi doctrinis, non curando distinctiones, & ratiocinia.*
4 *Est quæstio facti, an pecunia veniat sub hoc legato, & quomodo cum distinctionibus decidenda.*
5 *De legato generali absquè præfinitione loci.*
6 *Vsus loquendi in hoc attendi debet.*
7 *De distinctione inter pecuniam præsdij causa, & alteram.*
8 *Quando dicatur de una, vel altera specie.*
9 *De eodem cum distinctione.*
10 *Declarantur decisiones, de quibus numer. 2.*
11 *Quod facti circumstantiæ potiùs attendi debeant, & quomodo in hac materia procedendum sit.*
12 *De circumstantijs in hac facti specie, vt pecunia non veniat.*
13 *De vocabulo* massaritiarum *posito cum illo mobilium tanquam sinonymo.*

DISC. V.

1 CVM Silvester, Vbaldo ex sorore nepoti reliquisset vsumfructum domus, ac omnium, & quorumcumquè mobilium in ea existentium, cum verbis ampliis eorum vniuersitatem denotantibus; Casus autem dedisset, quod de tempore mortis testatoris, domi reperta esset quædam summa scutorum 300. circiter in pecunia numerata; Hinc proindè orta est controuersia inter legatarium, & hæredes, àn dicta pecunia sub dicto legato comprehensa esset, introductaq; causa coram A.C., ab isto prodijt determinatio, fauore legatarij, commissaque appellationis causa in Rota, incertum est, an ea vlteriorem progressum habuerit, vel per concordiam terminata sit, cum amplius de illa actum non audierim.

Resolutionis fundamentum fuit auctoritas specialis Rotæ *in Cathacen. legati 7. Iunij 1652. coram Cerro*, edita in
2 casu illius testamenti, de quo habetur actum *sub tit. de testam. disc. 22.*, vbi pro legatario mobilium, responsum fuit pro comprehensione pecuniæ in summa valdè notabili scutorum circiter bis mille; Ac etiam ob firmata in eisdem terminis comprehensionis pecuniæ sub legato mobilium *apud Altograd. cons. 70. lib. 1.*, vbi latè de istius opinionis fundamentis; Et quamuis ego scribens pro hæredibus, deducerem distinctiones casuum, de quibus infra, ex quibus huius quæstionis decisio verè regulanda est, attamen iuxtà currentem abusum, immorandi in auctoritatibus punctualibus,
3 cum eis processum fuit, non curando distinctiones, quæ in omnibus Aduocatis, præsertim verò in me, ità meo fato, exigente, ratiocinia, ac ingenij acumen reputari solent.

Dicebam igitur, etiam cum sensu veritatis, quod, quidquid nostri certent super antinomya legum, quæ in hac materia inuicem pugnare videntur; Omninò
4 verius est, vt ista non sit quæstio iuris, sed voluntatis, ideoquè metienda ex facti circumstantijs, quæ illam vno, vel altero modo expressè, vel coniecturaliter

probent; Istaquè probatione accedente, cessant omnes iuris regulæ, vel dispositiones, ad quas solum recurrere oportet, vbi dicta probatione non accedente, versemur in ambiguo, in quo pro congrua iurium applicatione, adhibenda venit plurium casuum distinctio, quam inter antiquiores, omnium melius adhibet *Menoch. lib. 4. præsumpt. 138.*, ad quē in hac materia omninò recurrendum esse admonet *Castill. de vsufruct. cap. 38. num. 23.*, atquè inter moderniores, benè etiam occasione comprehensionis mercium venalium sub legato mobilium, distinguit *Merlin. lib. 2. contr. 65.*, nequè distinctionem negat *Altograd. dicto consil. 70.*

Primus igitur casus est, vbi agitur de indefinito, ac generali legato mobilium absquè aliqua domus, vel alterius loci præfinitione; Et tunc licèt nō desint contradicentes, verior tamen, magisque communis videtur opinio, pro comprehensione pecuniæ indefinitè, ex sola tamen (vt dictum est) præsumptione iuris, cuius virtus, ac operatio est transfundendi onus contrariæ probationis in hęredem.

Alter casus est, vbi accedat loci præfinitio, præsertim verò, iuxtà frequentiorem contingentiam, sit præfinitio domus, quia nempè factum sit legatum mobilium domus, vel in domo existentium, & tunc altera intrat subdistinctio, an in loco adsit vsus loquendi, per quem sub hoc vocabulo mobilium domus, sola suppellectilia comprehendantur, ideoque pecunia non veniat, cuius iure etiam merces, ac gemmæ, vasa aurea, & argentea regulari solent, illis exceptis, quæ quotidiano communi vsui deseruiāt, tūc enim vsui deferendum est, siuè sit vniuersalis loci, siuè (& melius) sit particularis testatoris.

Aut verò ille non probatur, vt probari debere (quatenus non sit notorius), credit magis communis DD. schola, ac pariter subdistinguendum est inter eam pecuniam, quæ domi retineatur, peculij, seu præsidij causa, & sic cum destinatione, vt ibi perpetuò maneat, & tunc veniat sub legato; Aut ibi reposita est, vt fœnori detur, vel tanquam inuestimento destinata, siuè vt impendatur pro quotidianis vsibus, & tunc non veniat, nisi legatarius, in quem, ob contrariam iuris præsumptionem trāsfunditur onus probationis, istam expressam, vel coniecturalem faciat, ex ijs, quæ cæteris relatis habētur *apud Gabriel. conf. 98. lib. 1.* (quod est ad veritatem) *Menoch. dicta præsumpt. 138. num. 8. Thesaur. decis. 160. per tot.* præsertim *nu. 9. cum seq.* & admittunt *Peregr. conf. 37. lib 2. & Altograd dicto conf. 70.* qui partes legatarij tenent, & cum hac distinctione deducta *ex text. in l. si chorus § 1. ff. de legat. 3.* perpetuò processit *Rota vt decis. 432. & 434. par. 1. diuers. Romana legati mobilium 23. Maij 1603. coram Pamphilio*, alia *Romana mobilium domus 28. Ianuarij 1632. coram Motmanno*, & admittitur *in dicta Cathacen. legati coram Cerro*, in qua pro legatarijs fundamentum constituitur in circumstantijs facti, vt infrà.

Hinc proindè, maior quæstio consistere videtur in applicatione huius distinctionis ad factum, quando scilicèt pecunia, quæ domi reperta est, de vna, vel altera specie censenda veniat; Atque in hoc DD. nimium se inuoluere videntur circà summam; Alijs illam dicentibus maiorem, & alijs minorem, vt patet ex relatis *per Thesaur. dicta decis. 160. & per Altograd. dicto conf. 70.*

Alij verò certant, cui nam qualitati magis assistat præsumptio, vt scilicèt potiùs stare censeatur peculij, seu præsidij causa, & consequenter vt fundata sit legatarij intentio, donec hæres probet, quod inuestimento, vel fœnori, siue quotidianis vsibus destinata sit, & hanc tenet *Decius conf. 472.*, cum quo pertranseunt *Peregr. conf. 37. lib. 2. & Altogr. dicto conf. 70.* vtpotè, Consulentium more, ad causæ opportunitatem substinentes partes legatarij.

Verum alij tenent contrarium, ex eo quod iste vsus retinendi pecuniam, peculij, seu præsidij causa, qui apud antiquos erat frequens, hodie non vigeat, vel sit rarus, & non frequens, vt benè probat cæteris relatis *Gabr. dicto conf. 98. nu. 27. & 32. cum seqq.* (cui nimium deferendum est tanquam decisiuo, & ad veritatem), & sequuntur *Menoch. dicta præsumpt. 138. num. 12. & Rota in supra allegatis decisionibus*, ex quibus patet, quod

in

in communi, ac magis recepto sensu, *dictum cons. Decij*, cui inititur *Peregr.*, est reprobatum; vt etiam agnoscit *Thesaur. dicta decis.* 160., istaque opinio omnino tenenda videtur, quoniam reuerà nostris temporibus habemus potius regulam in contrarium, quod scilicèt nemo præsumitur tenere pecuniam otiosam ex ijs, quæ habentur *sub tit. de vsur.* in proposito interesse lucri cessantis.

Et quamuis (cum nulla detur in humano genere regula absque limitatione) etiam hodie adsint auari, ac pecuniæ idolatræ, qui otiosis horis, in illius aspectu, vel numeratione, summam delectationem capiunt, atque aliud non habentes studium, in hoc turpi exercitio, tempus adeò damnabiliter conterunt; Attamen rarus est hic vsus, frequentior autem est ille inuestiendi, siue negotiandi, vel retinendi pecunias in aliqua sacra æde, seu publico banco.

Neque deferendum esse dicebam *dictæ decisioni Cathacen. coram Cerro*, quoniam quidquid ex aliqua inaduertentia dicatur circa genericam propositionem; illa resolutio in suo casu probabilis prodijt ex facti circumstantijs, eam voluntatem suadentibus; Tum propter nimiam amplitudinem verborum legati, quod simpliciter conceptum non erat de mobilibus domus, sed de auro, argento, alijsque mobilibus omnibus, ideoque rectè adaptabantur ea, quæ ob amplitudinem verborum super comprehensione mercium habentur *apud Merlin. dicta contr.* 65. *lib.* 2. cum ibi deductis.

Tùm clariùs ob alias particulares facti circumstantias; Primò scilicèt, quod legatum cum dicta amplitudine verborum conceptum non erat per Notarium iuxtà eius formularium, sed per ipsum testatorem I.C. ac eruditum, qui cum affectata elegantia pedagogica, ordinauit testamentum adeò ambiguum, vt patet ex deductis *dicto disc.* 22. *de testam.*; Secundò ob eiusdem testatoris statum, & consuetudinem, quod scilicèt esset clericus, cui prohibita erat negotiatio, quam etiam abhorrebat, vt etiam abhorrere probatum fuerat inuestimenta incensus, vel alia in ea regione vsitata, ex quibus pecunia numerata ad omne placitum, vel opportunitatem haberi non potest prompta, eo modo quo habetur, vbi inuestimentum fiat in locis montium, vel similibus iuribus publicis, quorum occasio habetur solùm in magnis, ac metropoliticis Ciuitatibus; Tertiò ob qualitatem monetæ, quæ ad formam peculij, seu delectationis huiusmodi pecuniæ cultorum, studiosè redacta erat ad speciosam, & conseruationi destinatam monetam auri in dupplonis hispanicis, & similibus; Quartò ob verisimilem maiorem affectionem erga legatarios fratres vterinos; Et quintò fortiùs ob quasdam alias facti circumstantias, tam ex testamento resultantes, quàm extrinsecùs iustificatas, quibus potiùs, quàm præmissis omnibus alijs meritò delatum fuit.

In his etenim quæstionibus facti, & voluntatis, rectè intrat, ac verificatur dicterium, quod ego sæpiùs in consuetudine habeo, vt *s. maioris ponderis*, vel efficaciæ sit vna vncia facti, quã cẽtũ libræ iuris; Atq; in eodẽ facto plus valet vna vncia eorum, quæ pẽdent à gestis ipsius disponentis, quàm quæ pendent à verbis testamenti, vel alterius dispositionis; Potissimè, vbi non constat, quod sint verba ipsius disponentis, qui rectè eorum vim, ac operationem calleat, sed sint Notarij, vel alterius, ad cuius dictamen, iuxtà frequẽtiorem contingentiam, dispositio cõcepta sit; Hinc proindè perpetuò irrisione dignos censui eos, qui in verborum, & clausularum cortice, vel grammaticalibus significationibus, aut in regulis generalibus, siue in Consulentium, aliorumque scribentium auctoritate generica, vel etiam specifica *in casu* diuerso vim constituunt, quoniam commendabilis quidem est, imò necessaria notitia tam regularum, & conclusionum, ac distinctionum generalium, quàm etiã decisionum, & doctrinarum specialium in casibus similibus, vt cum hoc lumine iudicium benè, ac legaliter, non autem in solo sensu naturali interponi valeat, sed combinandæ sunt diligenter facti circumstantiæ pro congrua conclusionum, ac doctrinarum applicatione, in qua totus est punctus, & ad cuius effectum in hac facultate magis necessarium est iudicium, quàm ingenium, quamuis istud quoque necessarium sit.

Applicando autem ad rem; Plures circum-

cumstantiæ, pro meo iudicio, clarè excludebant comprehensionem dictæ pecuniæ sub legato mobilium; Primò nempè attenta qualitate testatoris, quem per hæredem iustificatum fuit, esse virum nimium industrem, non solitum, nequidem per dies, retinere pecuniam otiosam, nisi quatenus prompta occasio nõ supperet; Secundò magis in specie super destinatione huiusmet pecuniæ inuestimẽto, quando occasio haberetur; Tertiò ob diligentissimam etiã superfluam descriptionem domus, omniumq; eius membrorũ, vndè probabile est, quod huius sũmæ pecuniariæ, quæ attenta eius conditione erat notabilis, mentionẽ fecisset; Quartò, quia agebatur de legato vsusfructus tantũ, quod attẽto more regionis potiùs importabat habitationem, cum non de facili inueniantur inquilini, adeout mobilia explicata essent accessoriè ad domum eiusq; habitationem; Et quintò omnium fortiùs, ob communem vsum loquendi præsertim in viris popularibus, & idiotis, in paruis locis, in quibus ille videtur communis, & notorius, vt aduertit *Thesaur. dicta decis. 160. nu. 7. cum seqq.*, cum quo pertransit *Menoch. dicta præsumpt. 138. num. 14.*; Clariùs verò, dum pro sinonymis habuerat vocabulum *mobilium, & massaritiarum*, quibus omnibus simul iunctus, casus videbatur planus, ideoque probabiliter prosequendo appellationem
13 sperari debuisset retractatio; Credo autem, quod cum non ageretur de legato in sorte principali, sed in solo vsufructu, non expediret pati sumptus prosequutionis, vt frequenter contingit.

ROMANA SEV CVSENTINA LEGATI PRO PP. S. THERESIÆ CVM HYACINTHO ALTOMARE.

Casus disputatus coram A.C., & in Signatura, postea concordatus.

An sub legato mobilium veniant pecuniæ domi repertæ, quas erogare oportuit in expensas funerum, & medicinarum.

Et an sub legato mobilium veniant argenta, & alia mobilia, quæ in alia Ciuitate, vel prouincia existant, ex destinatione illa introducendi in domum.

Et an, & quando pro legatis competat via exequutiua, necnè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quando pecunia veniat sub legato mobilium.*
3 *Etiam in executiuis intrat appellatio ratione iniustitiæ.*
4 *An merces, vel ea mobilia, quæ sunt extrà domum, veniant sub legato mobilium.*
5 *De stylo pragmatico procedendi cum traditionibus.*
6 *Quod opinio* Angeli *sit magis recepta, vt pro legato competat via executiua.*
7 *Rota verò sequitur contrariam* Alexandri.
8 *Quando recipienda sit opinio* Angeli.
9 *Et quando contraria opinio* Alexandri.
10 *De eodem, ac pluribus casibus, in quibus non procedat lex executiua.*

11 *Non*

11 *Non dicitur impugnare, qui negat comprehensionem.*
12 *De legato diuiduo speciei admittente executionem in parte, dantur exempla.*
13 *De eodem in materia legati quantitatis.*
14 *Quid vbi sententia concepta est vnica structura, an pars indebita impediat executionem etiam pro parte debita.*

DISC. VI.

1 LÆlius Donatus Romanam Curiam sequens, institutis hæredibus PP. Ordinis Sanctæ Theresiæ Ciuitatis Cusentiæ eius patriæ, factisquè nonnullis legatis aliquibus amicis, de aliquibus tabulis pictis, mobilia domus reliquit Hyacintho eius medico italico sermone explicata, *in numero singulari, cum illis verbis il mobile di casa*; Cumque in domo reperta esset summa scutorum centum circiter pecuniæ numeratæ, quam incontinenti sequuta morte, erogare oportuit in expensas funerum, ac medicinarum; atque testator paulò ante infirmitatem, mandasset eius procuratori in patria, vt quędam argenta, quæ ibi habebat, nisi emptor inueniretur, ad Vrbem transmitteret, illaque proindè essent in via; Hinc Hyacinthus, prætensionem excitauit, vt in dicto legato, tam pecunia, quam dicta argenta, inclusa essent; Introductaque causa coram A.C., ad eius fauorem super pecunia prodijt resolutio; Verum Signaturam commissa fuit causa appellationis, cum clausula suspensiua *Si quid exequendum*, quod rescriptum anfam dedit honestæ concordiæ litem terminanti; Super argentis autem iudicatum fuit fauore hæredis, pro non comprehensione.

In disputationibus respectiuè habitis coram A.C., & in Signatura, tres erant puncti; Primò nempe circà pecuniam numeratam; Secundò circà vasa argentea, quæ erant in patria, siue in via; Et tertiò ordinis circà viam exequutiuam, an competeret, necnè pro isto legato.

Quoad primũ, clarissimũ pro meo sẽsu erat grauamẽ; Tũ ex eo, quod ſtãte sũma, dici nõ poterat, quod pecunia retineretur domi, peculij, seu præsidij causa, sed potius, vt impẽderetur in quotidianos vsus iuxtà distinctionẽ, de qua *in Auximana disc. præc.*; Tum etiã quia, omninò improbabile erat, vt ista manualis pecunia spectare deberet ad legatarium, dum hæres erat absens, neque alter pro eo promptè subministrare poterat illas expensas, sine quibus ipse testator remansisset insepultus, ac etiam viuus non prouisus in vltima infirmitate de necessarijs, adeoùt dicta determinatio non leuem præbuerit admirationem, cum verè nullum haberet, nec iuris, nec facti fundamentum; Et tamen adeò acriter cum bina propositione disputare oportuit in Signatura, an aduersùs hoc decretum rescribẽdum esset de clausula translatiua exequutionis, dum etiam in ijs, quę sunt indubitatè 3 exequutiua, quamuis solet de translatione exequutionis cum obligatione camerali, rescribi ratione iniustitiæ, quoniam sententia, vel alia determinatio iniusta nunquàm exequutionem meretur.

Quouerò ad secundum punctum argentorum, quæ domi non erant (reflectendo etiam ad veritatem), iusta visa est determinatio ex duplici fundamento; Primò nempe ex communi vsu loquendi, insinuato *in eadem Auximana disc. præced.*; Et secundò clariùs, quoniam licèt destinatio patrisfamilias totum faciat, atque operetur, vt ea, quæ extrà domum sunt, etiam in partibus remotis, pro extantibus in domo habeantur; Attamen id procedit, quando constat de dicta destinatione, vt ea bona in domo permãsura sint; Id autẽ in hac facti specie potiùs excludebatur, dum ita constabat, quod testator hæc argenta destinauerat venditioni, qua non sequuta in patria, ad Vrbem ad eumdem effectum transmitti voluit, ideoque rectè intrabant ea, quæ de mercibus, vel alijs rebus venditioni destinatis, habentur *apud Castill. de vsufruct. cap.* 38., & pleniùs, magisque ex professo discussa materia, *apud Merlin. lib.* 2. *contr.* 65.

Maior igitur disputatio fuit in Signatura super tertio puncto ordinis, an scilicèt pro legato competat, necnè via exequutiua; Cum enim vt plurimum Curia sit merè pragmatica, procedere solita cũ receptis propositionibus, ac traditionibus, non indagando rationem, vel fundamentum; Atque receptum sit, vt (excep-

to

to tribunali Rotæ, quod (nescitur ex quo spiritu) persistit insequendo opinionem *Alexandri*, vt pro legato non detur via exequutiua) omnia alia Tribunalia, ipsaquè Signatura sequuntur opinionem *Angeli* super dictæ viæ executiuæ competentia, hinc proindè sensus erat, vt iuxta naturã processus executiui rescribendum esset in deuolutiuo tantùm, non autem in suspensiuo.

In hoc autem Scribens pro appellante, admittebam quidem, vt opinio *Angeli* esset verior, magisquè recepta, non
6 solum in Tribunalibus A. C., & in Signatura, omnibusquè alijs Tribunalibus Vrbis, verùm etiam in illis aliorum locorum, vt patet ex deductis *per Becc. cons.* 17. *Hodiern. contr.* 19. *in fin. Capyc. Latr. decis.* 12. *numer.* 17. *Merlin. lib.* 2. *contr.* 2., *& Prat. obseru.* 24.; Adeoùt opinio Rotæ, quæ retinere vult illam *Alexandri*, sit fortè singularis, quamuis eam plures sequantur præsertim *Menoch. de adipisc. remed.* 4. *num.* 694. *& seqq. Thesaur. decis.* 26. *num.* 10. & alij
7 plenè relati *per Rotam decis.* 359. *par.* 9. *rec. apud Dunozett. in Romana domunculanum* 10. *Februarij* 1647. *inter suas decis.* 792. *Add. ad Buratt. decisione* 208. *num.* 12.

Dicebam tamen, vt hæc opinio *Angeli* recipienda esset in eo casu, in quo eius ratio vigeat, atquè cesset altera,
8 cui connixa est opinio *Alexandri*, quia nempè contentio sit inter hæredem, & legatarium, quorum vterque veniat ex eodem testamento, legatum autem sit certũ, nullaq; exceptione elidibile; Tunc etenim intrare non potest ratio opinionis *Alexandri*, vt hæres, à cuius manu legatum præstandum est, dicatur legitimus contradictor, dum ipse impugnare non potest illud iudicium, ex quo eius ius metitur, testamentum verò quoad ipsum est probatio probata, ac species rei iudicatæ, vndè propterea appellatio calumniosa censenda est.

Secùs autem vbi contentio sit cum hærede ab intestato impugnante testamentum, in quo legatum continetur, quia nempè, ob præteritionem, vel ex alio defectu, testamentum iure directo non subsistineatur, possint autem subsistineri legata in vim clausulæ codicillaris, ..è ex dispositione textus *in Authent. ex causa Cod. de liber. præterit.* cum similibus,
9 cum tunc, competente hæredi ex diuerso titulo facultate impugnandi testamẽtum, illudquè habendi pro non existente in rerum natura, atquè legatario veniente potiùs ex dispositione, vel interpretatione iuris, vtiquè intrat ratio legitimi contradictoris iuxtà doctrinam *Bart. & Saliceti in authentica ex causa num.* 21. *& seqq. Cod. de liberis præteritis Becc. dicto cons.* 17. *num.* 7. *Turret. de clauſ. codicillar. quæst.* 30.

Aut contentio sit cum ipsomet testamentario, qui tamen iustam oppositionis causam habeat, ideoquè dici quoquè possit legitimus contradictor, quia
10 nempè non sit quæstio super substantia legati, seù eius directa impugnatione, sed sit super eius compræhensione, vel interprætatione, vt erat in casu præsentis quæstionis, ac aliarum, de quibus in discursibus proximis, àn scilicèt sub nomine mobilium veniant pecuniæ, ac merces, & alia, in quibus cadat probabilis quæstio compræhensionis; Siuè àn sub nomine prædij veniant ea, quæ prætenduntur membra annexa &c.; Vel quod non subsistente legato in ipsa re, in qua factum sit, puta quia in re aliena, aut perempta, siuè differenti, cuius legatarius sit incapax, intret quæstio, àn debeatur æstimatio; Aut intret altera quæstio, an certa destinatio stet taxatiuè, vel demonstratiuè, cum similibus quæstionibus, quæ habentur *hoc eod. tit.*; Tunc etenim non dicitur formalis oppositio, seù impugnatio iudicij defuncti, sed potiùs iftius æxistentia negatur, ex recepta propositione in foro frequenter volitante, quod im-
11 pugnare, vel contrauenire non dicitur, qui non comprehensionem allegat; Ideoquè intrant ea, quæ passim in iure habemus circa exceptiones modificatiuas, rectè deducibiles etiam in ijs casibus, in quibus prohibitum sit exceptiones deducere, vndè implementum, omni exceptione postposita, præstandum sit; Quæstio etenim hæc exigit formalem declarationem, seù determinationẽ Iudicis causa cognita; Hoc autẽ posito intrat de plano appellatio, seù materia legitimi contradictoris, quoniam non est appellare à iudicio defuncti, sed ab illo Iudicis, qui mandet præstari id, quod prætenditur defunctum noluisse; Ad instar eo-

rum,

rum, quæ habemus in materia beneficiali super impedimento exequutionis litterarum Apostolicarum, quoniam non dicitur appellari ab eo, quod disponit Papa, sed ab eo quod mandat Iudex, præter, vel contrà Papæ intentionem.

Ac etiam dari potest casus, vt hæres legatario sit legitimus contradictor, quamuis nulla cadat quæstio voluntatis vt supra, adeoùt legatum sit omninò clarum, ob insufficientiam scilicèt virium hæreditariarum, vndè intret quæstio contributi; Siuè quia eadem insufficientia pendeat, non à facto, sed à iure, àn scilicèt hæredi debita esset, necnè falcidia, quæ ob legatariorum priuilegium; siuè ob tacitam, & coniecturalem prohibitionem negetur, cum tunc intret eadem ratio appellationis, non à iudicio defuncti, sed ab illo Iudicis.

Benè verùm, quod in his, vel similibus casibus, in quibus nulla cadat quæstio super substantia legati, sed super aliqua eius diminutione, difficultas cadit
12 in ijs, quæ consistant in specie indiuidua; Secùs autem in ijs, quæ siuè in specie, siuè in quantitate, compatibiliter impleri possunt, quoniam tunc illiquiditas, & incertitudo in parte, impedire non debet exequutionem in altera parte certa, & liquida; *Vt puta* facto legato prædij iuxtà casum, de quo *in Bonon. disc. sequ.*, intret quæstio, àn sub eo veniant alia prædia, & bona, quæ prætenduntur annexa, quoniam cessabit quidem via exequutiua in huiusmodi membris, vel annexis, quæ sunt sub quæstione, non autem in ipso prædio principali, in quo nulla cadat quæstio; Siuè si disputetur, àn sub legato mobilium domus veniant solum suppellectilia, non autem vasa aurea, & argentea, vel gemmæ, & merces, ac pecunia numerata, appellatio rectè intrabit quoad ea, quorum non comprehensio prætenditur, non tamen exindè retardari poterit processus exequutiuus in ipsis suppellectilibus, in quibus nulla quæstio cadat, cum similibus.

Atquè in legato quantitatis, vtpotè diuiduo, in quo tantam affert vtilitatem totum respectu totius, quantam pars respectu partis, quæstio in parte, non debet retardare totum; *Vt puta* legatis mille, hæres prætendat quod ob insufficientiam virium hæreditatis, vel ob detractionem falcidiæ, non debeantur integra mille, sed solum quingentũ; Tunc enim pro istis deneganda non erit exe-
13 quutio ex recepta propositione, de qua *apud Gregor. decis. 220. infine Otthob. dec. 32. n. 13.*, quod exequutio partis liquidæ in rebus diuiduis, retardari nõ debet per partem illiquidam.

Et quamuis de stricto iure, vbi sententia, vel alia condemnatio per vnicam periodum, seù verborum structuram fiat
14 in totum, tunc appellatio in totum admittenda sit ob indiuiduum voluntatis Iudicis; Secùs autem vbi per capitula separata ex ijs, quæ habentur *apud Add. ad Burat. decis. 360. Rot. decis. 285. nu. 19. par. 10. rec. Royas decis. 332. num. 6.*, & *decis. 355. num. 10.*, & in sua materia *sub tit. de iudic.*; Attamen laudabilis Signaturæ stylus inoleuit resecandi hos leguleicos rigores, atquè attenta veritate demandandi exequutionem partis liquidæ, & non controuersæ, vt in dicta sua materia *sub tit. de iudicijs.*

BONONIEN.

LIQVIDATIONIS PRETII

PRO

COMITISSA CAMILLA ZAMBECCARIA

CVM

HÆREDIBVS FRANCISCI DE PEPVLIS.

Casus variè decisus per Rotam.

An, & quando sub legato prædij, vel possessionis veniant alia prædia se-

pa-

parata, quæ à teſtatore poſſidebantur tanquam connexa; Et an, & quando in legatis præſtanda ſit euictio.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutiones cauſæ.*
3 *In legatis non præſtatur euictio.*
4 *Fallit, vbi ſit ex cauſa oneroſa.*
5 *Quando legatum dicatur ex cauſa oneroſa.*
6 *De concluſione, vt confeſſio debiti importet legatum, & ad quem effectum.*
7 *De contributo legatariorum, vbi hereditas non ſit omnibus legatis idonea.*
8 *An, & quando confeſſio viri fauore vxoris attendatur.*
9 *De eodem, & de adminiculis.*
10 *An confeſſio meritorum attendatur in donatione.*
11 *De materia annexionis vnius rei cum altera.*
12 *Quomodo in ea procedi debeat.*
13 *Diuerſitas vocabulorum, vel materialis ſeparatio non attenditur.*
14 *Quando legatum largè, vel ſtrictè interpretari debeat.*
15 *De connexione bonorum allodialium feudo, & de ratione differentiæ inter feuda, & bona indifferentia.*
16 *In dubio pro excluſione donationis.*
17 *De circumſtantijs ſuadentibus annexionem.*
18 *Ex qualitate pretij regulatur voluntas.*
19 *Bona fides, vel media excuſat à fructibus conſumptis.*

DISC. VII.

1 CVM Comitiſſa Camilla de Zambeccarijs hæres inſtituta per primum virum, ſecundò nupſiſſet Franciſco de Pepulis, iſte in recompenſam illorum bonorum mobilium, quæ ex hæreditate primi viri obuenta, in eius domũ (in dote non comprehenſa) intulerat, in teſtamento ei reliquit prædium, ſeù poſſeſſionem in loco nuncupato *Dozza*, cum omnibus eius iuribus, & adhærentijs; In huius autem legati executionem, eidem Camillæ tradita fuerunt duo prædia materialiter ſeiuncta, quorum vtrumq; ſub vno colono, vnaquè domo, ac vna area teſtator habere conſueuerat; Euicta verò tractu temporis dictorum prędiorum medietate, egit Camilla ad eorum pretium loco euictionis, ac deſuper in partibus, & coram A. C. tres obtinuit ſententias; Commiſſaque per appellationem cauſa *in Rota coram Emerix* ſuper liquidatione pretij, datoquè dubio, an mandatum relaxatum in vim trium
2 conformium eſſet exequendum, *ſub die quarta Iulij* 1664. negatiua prodijt reſolutio, quæ tamen reuocata, vel reformata fuit *ſub diebus* 4. *Maij* 1665. *&* 23. *Ianuarij* 1666., deindequè puto, quod cauſa per concordiam finem habuerit, dum de illa, quod ſciam, amplius actum non fuit.

In his autem diſputationibus habitis in Rota, tres fuerunt puncti; Primò nempè, an pro legato deberetur euictio; Secundò, euictionis obligatione præſuppoſita, an ſub legato prædij, ſeù poſſeſſionis explicatæ ſub vocabulo *Dozzæ*, quod altera Pars non negabat comprehenderetur alterum inferius prædium ab eo ſeparatum, quod ſupponebatur habere diuerſam nuncupationem *della volta*; Et tertiò, poſito quod iſtud non comprehenderetur, an dicta legataria teneretur reſtituere, vel imputare fructus ex illo, plurium annorũ ſpatio perceptos, ex quibus illiquidum remaneret creditum euictionis prædij legati, ac euicti iuxta ſenſum primæ deciſionis.

Quatenus pertinet ad primum; Scribens ego pro legataria, non negabam regulam, quam latè exornare conabantur Scribentes pro hærede, vt in legatis non
3 præſtetur euictio, cũ ſit principium certum, ac fundatum in claris iuribus præſertim *in l. ſi à ſubſtituto in fine ff. de legatis* 1. *cum concordan. in Bonon. legati vſuſfructus* 5. *Decembris* 1650. *coram Bichio inter ſuas deciſ.* 445.; E' conuerſo autem ijdem ſcribentes pro hærede, non negabant limitationem, de qua cæteris relatis *Mangil. de euict. quæſt.* 63. *num.*
4 37. *Rota deciſ.* 148. *num* 24. *&* 26. *par.* 9. *rec.* & ſæpius, vt ſecùs dicendum ſit, quãdo legatum non ſit gratuitum, ſed cor-

reſ-

reſpectiuum, & in recompenſam eius, quod legatarius à teſtatore, eiuſquè hæreditate, vel à tertio, conſequi debebat, vel prætendere poterat, cum tunc habeat ſpeciem dationis in ſolutum, vt *per Rot. vbi ſupra, & Nouar. de dat. in ſolut. quæſt.* 11. *num.* 8.

Hinc proindè quæſtio erat facti, ſiuè applicationis, an ſcilicèt conſtaret, necnè de cauſa oneroſa, vel correſpectiua, vtpotè aliàs non iuſtificata, quàm per eiuſdem viri confeſſionem, ſuper cuius irreleuantia ijdem Scribentes plenè cumulabant ea, quæ habentur *ſub tit. de dote diſc. generali* 159, & in pleriſquè alijs particularibus, vt confeſſio viri de dote recepta non probet veritatem ſine adminiculis etiam in præiudicium confitentis, vel eius hæredum.

Verùm (cum ſenſu etiam veritatis) dicebam id nullum penitùs habere fundamentum ex duplici motiuo; Primò quia, vbi etiam eſſet confeſſio pura, nullis adminiculis ſuffulta, adeoùt reſolueretur in legatū, quod vtiquè non cadit ſub prohibitione donationis inter coniuges, adhùc tamen dum teſtator noluit procedere per viam legati, ſed per viam confeſſionis debiti, exindè reſultare videbatur
6 eius voluntas, vt præſtanda eſſet euictio, quoniam concluſio, vt huiuſmodi confeſſiones aliundè non iuſtificatæ reſoluantur in legatum, ſeù donationem, percutit intereſſe tertij, puta, filiorum pro legitima, ſeù etiam ipſius hæredis pro falcidia non prohibita, cum ſimilibus; In reliquis autem, præſertim ad hunc effectum, iſte modus diſponendi, dictam voluntatem clarè præferre videtur, quod ſcilicèt teſtator voluerit, vt iſtud legatum non regularetur tanquam legatum, ſed tanquam debitum, ideoquè; Aliud eſt quod iex fingit; Aliud eſt quod teſtator de facto vult, vel dicit.

Hinc propterea quamuis in hæreditate omnibus legatis non idonea, intret
7 inter legatarios contributum ex plenè deductis *per Rouitum deciſ.* 87. cum alijs infra *diſc.* 35.; Attamen cum id ceſſet ex diuerſa, quamuis coniecturata teſtatoris voluntate, ità iſta probari videtur, dum non per viam liberalitatis, ſed per viam agnitionis debiti, diſpoſitio facta eſt ob poſſibilem confeſſionis veritatem teſtatori cognitam, quamuis nobis ignotam pro exoneratione eius conſcientiæ, ideoquè ceſſante ratione fraudis, quæ tertio fieri poſſet, nulla ſuppetit ratio, cur tali agnitioni deferendum non ſit.

Et ſecundò quia vt habetur *in eadem* ſua materia *diſc.* 159. *de dote*, & in alijs, ea, quæ de ſtricta iuris cenſura habentur in hac materia confeſſionis viri ad fauo-
8 rem vxoris, frequentiùs, ac penè ſemper locum habent, vbi verſetur fraus, vel præiudicium tertij, putà, creditorum, vel ſucceſſorum in fideicommiſſo, ad quem effectum vrgentia adminicula deſiderantur; Secùs autem vbi ceſſante ſuſpicione fraudis, vel præiudicij tertij, agatur de ſolo præiudicio hæredis confitentis, quoniam huic non de facili concedendū eſt, proprij auctoris factum impugnare, illumquè de mendacio redarguere, et conſequenter etiam modica, & leuia adminicula ſufficiunt.

In hac autem facti ſpecie, confeſſionem minimum adminiculatam eſſe dicebā, adeoùt etiā cum tertio ad veritatē probādā ſufficiens reputari deberet; Primò
9 nempè, & potiſſimùm ob certum veritatis primordium in genere vel ſubſtantia, dum iſta mulier à primo viro hæres inſtituta, eiuſdē viri ſuppellectilia, ob eius nobilitatem, & qualitatem veriſimiliter conſiderabilis valoris, atquè in tabulis dotalibus ſecundi matrimonij tō deſcripta, ad ſecundi viri domum tradixit; Secundò ob eiuſdem teſtatoris probitatem, iunctam cum tempore, in quo confeſſio facta eſt, in mortis ſcilicèt articulo, quādo nemo præſumendus eſt mendax, atq; ſalutis æternæ immemor; Tertiò ex ceſſante prohibitione legis, dum ſubſtantia diſpoſitionis, ità conferebatur in tempus habile poſt diſſolutum matrimonium iuxtà diſtinctionem de qua *ſub tit. de donationibus diſc.* 30.; Et quartò clariùs, ob ceſſantem cauſam ſimulandi, ſeù mendacem aſſertionem faciendi, dum teſtator prole carens ex libera facultate collaterales attinentes inſtituit, quibus neglectis, liberè poterat eamdem vxorem in vniuerſo aſſe inſtituere, ideoquè nulla ſuberat probabilis ratio, quæ huic agnitioni fidem adimeret, et cōſequenter hic punctus erat planus.

Atq; ad comprobationem, deducebam ea, quæ in propoſito euictionis præſtādæ pro donatione remuneratoria, quoties

merita deducta sunt ad speciem, quamuis ex sola confessione donatoris absquè alia extrinseca probatione, quoties agatur de
10 non prohibitis, habentur in sua materia *sub tit. de donat.*; ac etiam *sub tit. de feud* ad materiam bullæ Baronum *disc.* 94.

Quoverò ad secundum punctum (in quo maior, ac penè tota fuit disputatio), an scilicèt sub legato dicti prædij maioris, veniret alterum inferius, per aliquod
11 spatium separatum, sub eodem tamen colono, ac horreo, & area, tanquam annexum per testatorem possideri solitũ; Quamuis Scribentes pro hærede, cũ consueta inepta transcriptione eorũ, quæ traduntur in hac materia annexionis vnius rei cum altera, chartas implerent cum ijs, quæ deducta habentur *apud Fab. de Ann. conf.* 10. *Apont. conf.* 63. *lib.* 1. *Galeot. lib.* 1. *controu. cap.* 22.; Attamen iste pro meo iudicio remanebat solitus inanis, ac improbus labor Legistarum, quoniam vt ad litteram probant plura iura expensa *per Galeot. dicta contr.* 22. præsertim *in l. quod in rerum* §. *si quis post ff. de legat.* 1., *l. cum fundus ff. de leg.* 2., *l. Seio* §. *Tyranne ff. de fund. instruct.* & in alijs, de quibus etiam *in Romana prælationis sub tit. de seruit. disc.* 74.; Indubitatum est de iure, vt sola destinatio patris familias huiusmodi vnionem, seù connexionem inducat, non curata materiali separatione, etiam cum notabili distantia plurium milliarium; Vt in specie de distantia per tria milliaria vnius prædij ab altero, quod tamen habendum esset pro vnico, aduertit *Rota in Meleuitana fideicommissi* 13. *Maij* 1652. *coram Bichio inter suas decis.* 506.

Adinstar eorũ, quæ habemus in materia vnionis Ecclesiarũ, vel beneficiorũ in sua sede *sub tit. de benefic.*, ac etiam *sub tit. de præmin. disc.* 7., quoniam in hoc sola voluntas attẽditur eius, qui vniendi potestatem habet; Ideoquè nulla desuper cadit quæstio iuris, sed tota est facti, &
12 voluntatis, et consequenter intrat frequenter inculcatus error procedendi cũ doctrinis, ac regulis generalibus, earumquè cumulum faciendi merè inutiliter, cum totum pendeat à circumstantijs facti, hanc voluntatem suadentibus.

Distinctiones autem desuper tr[illegible] solitæ, an vtriusquè rei contemporanea, vel separata fuerit acquisitio; Siuè an pro vnico, vel separato pretio; Vel an eadem, seù diuersa sit nuncupatio, cum
13 similibus frigiditatibus, in aliqua consideratione haberi debent, ad effectum regulandi dictam voluntatem, qua concurrente, etiam diuersitas vocabulorum, vel nuncupationum in nulla consideratione habetur, ex ijs, quæ in specie legati facti vxori, habentur *apud Odd. conf.* 21., & generaliter *apud Mantic. de coniect. lib.* 9. *tit.* 2. *num.* 13. *Galeot. dicta contr.* 22. *nu.* 18. *& seqq. Bellon. iun. conf.* 10. *num.* 27. *& seqq. Rouit conf.* 101. *lib.* 2. *Surd. decis.* 241. *nu.* 12. *&* 13. *Rota apud Merlin. decis.* 316. *num.* 9. *cum seqq.* & sæpiùs.

An autem pro huiusmodi voluntatis probatione, largè, vel strictè procedendũ sit, pariter certa, & determinata regula tradi non potest, erroneumquè est cum generalitatibus procedere, cum pendeat
14 ex facti qualitate, ac verisimilitudine metienda ex effectibus, ad quos vnio, seù connexio deducatur; Ideoquè aduertebam, quod in hoc legato, vtpotè ad fauorem dilectæ vxoris in concursu hæredum penè extraneorum; Et quod magis, potiùs pro exoneratione conscientiæ, ac agnitione veritatis, quàm ex liberalitate, benignè procedendum esset, ideoquè intrare non deberent illi rigores, qui ad hunc effectum ponderantur *apud Apont. & Fab. de Ann.*, ac alios vbi supra, qui loquuntur ad effectũ inducendi incorporationem bonorũ allodialium, cum feudo, quod redolet exorbitantiã; Tũ quia bona libera, ità efficiuntur serua, ideoquè
15 ex vulgato axiomate capienda est interpretatio, quæ pro libertate facit; Tùm clariùs, quoniam actus redolet inuerisimilitudinem, ob deuolutionem, cui feuda subiacent; Ac etiam inuestitura durante, ob nimium restrictam libertatem alienandi, seù aliàs disponendi, ideoquè meritò cum restrictione proceditur, ob resistentem verisimilitudinem, vt bona liberè alienabilia, vel transmissibilia, vel [illegible] quis facere serua ad fauorem domini directi, vel agnatorum, cum esset species donationis, quæ in dubio non est præ-
16 sumenda, et cõsequenter omnis possibilis intellectus pro eius exclusione capiẽdus est ex deductis *apud Caualer. decis.* 603. *Rot. dec.* 41. *in princ. par.* 9 *rec.*, et frequenter in sua materia *sub tit. de donat.*

Applicando autem ad rem, plures circum-

cumſtantiæ deſuper apud allegatos ponderari ſolitæ, hanc annexionem ſuadebant; Atquè pro larga, benignaq; legati
17 interprætatione, ponderabam dictam cauſam legandi, ac etiam diſtinctionem pluries in alijs hoc *eodem tit.* inſinuatam inter maiorem dilectionem, quæ vigeat cum hærede, vel reſpectiuè cũ legatario, vt vnius, vel alterius fauore, ſtricta, ſeù larga interprætatio fieri debeat; Potiſſimè quia in vltimis diſputationibus iuſtificatum fuit, concurrere quoque identitatem contratæ, ſeù denominationis, quodquè illa diuerſa nominatio, quæ in prima deciſione præſuppoſita fuit, proueniebat potiùs ex lenio periti æſtimatoris lite pendente.

Aduertebam etiam, vt (quãdo poſſibile eſſet) ex hac parte ſaltem adminiculatiuè iuſtificaretur valor, ſeù quãtitas bonorum, pro quorum recompenſa iſtud le-
18 gatũ factũ erat, & an vnius, vel reſpectiuè vtriuſq; prædij valori reſponderet, ex recepta, & frequẽti propoſitione pluries in omni ferè materia inſinuata, vt pretiũ ſit magnum argumentum rei in contractum, vel diſpoſitionem deductæ.

Demùm quoad tertium punctum reſtitutionis, vel imputationis fructuum; Vbi etiam aliud prædiũ compræhenſum non eſſet, adhùc modica cadebat diſpu-
19 tandi ratio, quoniam ex præmiſſis negari non poterat quin poſſeditrix fuerit in bona fide, vel ſaltèm media, quæ ad hunc effectum reſtitutionis fructuum cõſumptorũ ſufficiens reputatur, cum ſufficiat abeſſe malam fidem poſitiuam, iuxta nimiùm vulgarem, & quotidianam receptam propoſitionem, de qua *deciſ.* 3. *p.* 7. *rec.* aliàs *apud Merlin. deciſ.* 663. *Gregor. & Add. deciſ.* 74. *Buratt. & Add. dec.* 184. & ſæpiùs cum ſit in foro nimiũ frequens, vt alibi pluries aduertitur.

LAVRETANA

LEGATI

PRO

ANTONIO FELICE THOMASSINO

CVM

MAGDALENA TOFFINA

Caſus diſputatus coram A. C., reſolutus pro Magdalena.

Sub legato domus, an, & quando veniant, hortus, & ſtabulum, aliæque officinæ; Et quid vbi legatum non ſit in proprietate, ſed in vſufructu, vel in habitatione.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *An facto legato domus veniant hortus, & alia membra.*
3 *Materialis ſeparatio non tollit annexionem.*
4 *Quomodo iſta materia regulanda, & decidenda ſit, & num.* 8.
5 *Diſtinguuntur tres caſus, & de eorum ſingulis.*
6 *De differẽtia inter legatum habitationis, & facultatis habitandi remiſſiuè.*
7 *De applicatione ad caſum, eiuſquè circumſtantijs.*
8 *De eodem, de quo num.* 4.
9 *Quare congrua ſit repetitio plurium caſuum cadentium ſub eiſdem articulis.*

DISC. VIII.

1 LVcas de Cæſaris, inſtituto hærede Antonio Felice ex ſorore pronepote, Magdalenæ vxori reliquit vſumfructum domus ſolitæ habitationis, ac ſuppellectilium in ea exiſtentium; Cumque teſtator, ab aliquibus annis ante obitum, emiſſet aliquas domunculas eidem domui vicinas, nõ tamen confinantes, ob

viam, seù plateam intermediam, in quibus, stabulum, & horreum, ac hortum cõstruxit; Hinc proindè orta est controuersia, àn huiusmodi membra, sub dicto legato venirent; Et introducta causa coram A. C., ad fauorem legatariæ resolutũ fuit; Quamuis enim resolutio in parte placeret, in parte autem non, Attamen quia non agebatur de perpetuo præiudicio, sed probabiliter ad modicum tempus ob dictæ Magdalenæ grauem ætatem, atquè ad horreum, & stabulum restringebatur grauamen (cum respectu horti ego scribens pro hærede darem manus ad fauorẽ legatariæ) hinc proindè hæres acquieuit, cum non expediret causam vlteriùs prosequi.

In disputationibus autem desuper habitis; Scribentes pro legataria, principale fundamentum constituebant in ea circumstantia, quod testator expressisset domum suæ habitationis, etiam cum suppellectilibus, vndè argumentum desumi dicebant voluntatis testatoris, vt vxor continuare deberet, in domus, eiusque membrorum, & officinarum habitatione, ac fruitione, eo modo, quo ipso viuente, habitauerat, ac potita erat, deducendo ea, quæ in hoc proposito habentur *apud Eugen. cons. 66. num. 45. cum seq. lib. 1. Castill. lib. 5. contr. 62. Cancer par. 3. var. cap. 20. de legatis nu. 143. & seq. & Vegg. cons. 54. num. 19 cum seqq.*, vbi plenè examinantur notata per DD. ad materiam textus *in l prædijs §. balneos ff. de legat. 3. cum concordan.*

Neque obstare dicebant materialem separationem dictorum membrorum, publica via, vel platea mediante, cum in hac materia totum faciat patrisfamilias destinatio, ob quam dicuntur annexa, & de pertinentijs fundi etiam ea bona, quæ cum notabili distantia sint materialiter separata ex iuribus, & auctoritatibus, de quibus *in Bononien. liquidationis pretij disc. præceden.*

Scribens ego pro hærede dicebam, quod pro meo sensu, erroneum erat huiusmodi quæstionem tractare cum dictis generalitatibus, cum ista non sit quæstio iuris, sed voluntatis, ac facti, ex istius particulari qualitate decidenda, prudenti arbitrio, pro quo benè regulando, necessaria quidem est notitia theoricæ iuris, inspiciendo cui assistat regula, cuius virtus, ac operatio est fundare intentionem illius, cui ipsa assistit, ac transfundere in aliam partem onus probandi limitationem, cuius tamen probatione accedente, sine dubio regula cessat, cum ista simplicem iuris præsumptionem inducat, contraria probatione etiam coniecturali, seu præsumptiua elidibilem; Cognitaq; iuris theorica descendẽdũ est ad examen facti, eiusque circumstantiarum, ex quibus pendet iudicium, an in casu regulæ, vel potiùs in altero limitationis versemur.

Quatenus igitur ad iuris theoricam pertinet, dicebam quod malè per scribentes in contrarium, ac etiam per aliquos ex eis allegatos, generica regula desuper constituebatur, quoniam in vero conciliatiuo sensu iurium, quæ desuper habemus, tres casus in proposito distinguendi sunt; Primò nempè, vbi hortus, aliaque membra, de quibus est quæstio, ità connexionem habeant cum domo, vt nonnisi per ipsam aditus, ac vsus haberi valeat; Secundò, vbi pariter concurrit connexio, seu contiguatio, idemque habeatur aditus per domum, non tamen iste sit necessarius, sed aliundè haberi possit, quia nempe hortus, vel aliud membrum ianuam habeat in via, ideoquè sit practicabilis diuiduitas, atquè commodè vtriusque separatus vsus haberi possit; Et tertiò demum, vbi non adsit connexio materialis iuxtà casum præsentis cõtrouersiæ, adeoùt perneceſſe habeatur aliundè aditus, ac vsus, solùmque intret connexio ficta, seu intellectualis, quæ ex legis fictione ob destinationem patrisfamilias resultat.

In primo casu intrat distinctio, an legatum sit de domo, vel eius vsufructu, seu formali habitatione redolente seruitutem, quæ locandi facultatem tribuat, vel potiùs de legato facultatis habitandi in domo, iuxtà distinctionem inter habitationem, & facultatem habitandi, de qua *sub tit. de seruit. disc. 66.*, vt in prima specie veniant etiam membra, secùs autem in altera, vt combinando textum *in l. Olimpico ff. de seruit. vrban. præd.* cum alio textu *in l. prædijs §. fin. ff. de legat. 3.* pleriq; firmant, de quo sensu plenè *Vegg. dicto cons 54*; Verùm de isto primo casu vtpotè extrà illum controuersiæ, iuxta commendabilem Curiæ stylum prohiben-

bentem superfluas euagationes, actum non fuit, ideoquè desuper maturum iudicium efformatum non fuit.

In secundo nimium certant DD., in varias sciffi opiniones, atque cum consuetis formalitatibus distinguũt, an hortus, aliaq; membra eodem tempore cum domo acquisita sint pro vnico, eodemq; pretio, tãquàm vnum corpus; Siue an acquisitio facta sit animo omnimodæ incorporationis, ac faciendi vnum, & idem corpus ex relatis *per Cancer. dicta par. 3. tit. 20. de legat. num. 144. & seqq.* cum alijs *in dicta Bonon. liquidationis pretij discur. præced. & dicto tit. de seruit. disc. 74.*, sed pariter istius casus veritatem examinare non oportuit, cum esset quoque extraneus à quæstione.

In tertio autem proprio, ac præciso; Regula assistit potiùs hæredi, quàm legatario, vt sub legato domus non veniant hortus, & alia membra huiusmodi, nisi concurrant adminicula, quæ diuersam voluntatem suadeant, ideoquè limitationem inducant, vt antiquioribus relatis habetur *apud Cephal. conf. 169. num. 16.* benè *Mantic. de coniect. lib. 9. tit. 2. nu. 36., & de tacit. lib. 13. tit. 23. num. 33.*, & cum hoc sensu videtur perpetuò Rota processisse, vt *apud Caputaq. decis. 342. par. 3. apud Buratt. decis. 354. num. 2. decis. 432. num. 4. par. 5. rec. dec. 125. par. 9. decis. 77. par. 10. Bonon. manutentionis 2. Februarij 1648. coram Peutingerio*, & in alijs.

Hinc proindè (applicando ad rem) dicebam, quod regula assistebat hæredi ità habenti intentionem fundatam, donec per legatariam probaretur limitatio, & consequenter non incumbebat huic
7 Parti, sed alteri probare diuersam voluntatem; Et nihilominus facti circumstantiæ erant tales, vt vbi etiam regula hæredi resisteret, illius limitationem suadebant, dum constabat, quod testator longo tempore cum vxore legataria domum habitauerat sine horto, & stabulo, ac horreo, curasset autem postmodum construere propè domum pro maiori commoditate principaliter stabulum, & horreum occasione acquisitionis aliquorum prædiorum, pro quorum cultura, & assistentia, stabulo indigebat, vt equum pro eius vsu, aliaque animalia retineret, ac etiam vt in horreo triticum, aliasque fruges conseruaret; Quibus sic stantibus, cum testator huiusmodi prædia reliquisset hæredi, ità eamdem habenti indigentiam dictorum membrorum, quæ mulieri legatariæ inutilia remanebant, nisi extraneis locaret, nimium improbabile videbatur, vt de illis testator sensisset, quodq; verus sensus esset, vt pro eo vsu, qui mulieri congruus est, mulier continuaret habitationem in domo cum vsu suppellectilium eo modo, quo viuente viro habitauerat; Solumque inspecta verisimilitudine, probabile videbatur, vt vsum horti benè separabilis haberet pro quadam muliebri consolatione compensatiua afflictionis ob amissionem viri, vt Iudex motiuabat, atque ego, vt dictum est, ex quadam epiecia admittebam, non tamen vt exindè ista potiùs non scripta æquitas, ad prædicta alia membra legatariæ incongrua, hæredi autem nedum opportuna, sed etiam necessaria, inferendum esset.

Et consequenter firmum remanet id, quod suprà insinuatum est, vt certa, & determinata regula desuper statui non
8 possit, erroneumque sit cum regulis, vel doctrinis generalibus procedere, siue decisiones in vno casu editas, indefinitè cuicumq; alteri iuxtà modernum pragmaticum abusum applicare, manifestaq; ineptia est in huiusmodi quæstionibus volũtatis, cũ improbo labore, auctoritatũ legiones congerere, atq; in earum arithmetico numero pro verè contemptibili stylo vim constituere, cum necessaria quidem sit theoricę generalis notitia pro benè regulando arbitrio, istius autem interpositio verè pendeat à circumstantijs facti; Ideoquè ad hunc effectum, eo-
9 dem modo, quo præsertim in fideicommissaria materia aduertitur, opportunum, imò necessarium est, citrà superfluitatis vitium, recensere plures casus cadentes sub eisdem articulis, vt ità bene iudicium efformari valeat, dum in duobus penè identificis casibus diuersimodè frequenter iudicandum esse praxis docet, ad quod non aduertunt illi tincti, qui rerum superficiem, atq; inutiles chartarum repletiones cum allegationibus respiciunt.



FIR-

FIRMANA DIVISIONIS INTER FILIOS IO. ANTONII DE PASSERIS.

Responsum pro veritate.

Sub legato bonorum stabilium, an veniant animalia, & blades, aliaque mobilia existentia in fundis, seù prædijs, vel potiùs veniant sub legato bonorum mobilium, quando testator, de vno, ac altero genere diuersim modè disposuit.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An & quando animalia veniant sub legato fundi.*
3 *Sub legato rerum in domo, vel fundo existentium, quænam veniant.*
4 *De eodem, de quo num. 2.*
5 *De ponderatione super eodem.*
6 *Quomodo ista quæstio decidi debeat.*
7 *De eodem.*

DISC. IX.

1 IOannes Antonius Passerus, institutis hæredibus duobus eius filijs, ad tollendam inter eos omnem controuersiæ occasionem super diuisione bonorū, illam fecit in ipsomet testamento, assignando cuilibet quasdam possessiones, aliaque bona stabilia; Quoueró ad mobilia, & ornamenta, & massaritias, ac alia, necnon quædam officia, & nomina debitorum, ac census, alioſque effectus huiusmodi, mandauit, vt omnia æqualiter diuiderentur; Cum autem in possessionibus, ac domibus, vt suprà respectiuè assignatis, nonnulla animalia, & certa quantitas frumenti, aliaque bona mobilia reperta essēt; Hinc orta est dubitatio, an ista venirent in ea æquali diuisione, quæ per testatorem de bonis mobilibus demandata fuit, vel potiùs integrè spectarent ad eos, quibus respectiuè ipsa bona stabilia assignata fuerūt; Vndè desuper pro veritate consultus.

Respondi, decisionem pendere ex circumstantijs facti, an scilicèt animalia, aliaque bona essent in dictis prædijs pro eorum cultura, & tanquàm eorumdem
2 prędiorū instrumenta, perpetuò destinata, siuè frumentum pro semine, ac victu colonorum; Vel èconuerso accidentaliter & ad tempus, animalia scilicèt pro pascendis herbis, vel glandibus, ad effectum deindè vendendi tanquàm mercem; Vndè frumētum ibi repositum esset custodiæ causa, vt venderetur; Primo enim casu veniunt cum ipsis prædijs, & sub nomine bonorum stabilium, tanquàm pars, ac instrumēta fundi ad text. *in l. de grege, & l. quæsitum est, ff. de fundo instructo, & instrumento legato, l. generaliter, §. vxori, ff. de vsufructu legato, l. vxorem, §. legauerat, & l. quis alium, ff. de legat. 3.*; Secùs autem in secundo casu, in quo animalia, & bona ibi accidentaliter sint, vt vendantur, seù alibi transportentur, quoniàm sub legato rerum in loco existentium veniunt solùm ea, quæ ibi sunt, vt perpetuò maneant, nisi aliàs de diuersa testatoris voluntate constet ex deductis
3 *per Menoch. lib. 4. præsumpt. 137.* latè *Altograd. cons. 70. ex num. 20. lib. 1. Merlin. lib. 2. controu. 65. n. 30. & per tot.*, vbi benè materiam examinat, ac expendit iura, quæ inuicem pugnantia videntur, atque habetur actum *in Romana, seu Cusentina legati, & in Auximana legati, & in alijs hoc eodem tit. discurs. 5. & 6.*

In contrarium obstare videbatur, quod plura ex iuribus superiùs allegatis procedunt in legato fundi instructi, secùs autem, vbi fundi, & bona simpliciter relicta sunt, vt in puncto de animalibus non venientibus sub dispositione fundi
4 *per text. in l. cum fundus, ff. de fundo instructo* cum concordan. probat *Qdd. cons. 30. nu. 41. cum sequen.*; Verùm credebam, vt ponderatio non obstaret ex verisimili intentione testatoris, dum non agebatur de vero, ac proprio legato, quod importaret grauamen hæredis ad fauorem extranei, seu alterius, qui non esset hæ-

hæres, vndè propterea intraret propositio super stricta legati intelligentia, sed agebatur de quadam diuisione, quam prudens testator de bonis hæreditarijs inter ipsosmet filios, & hæredes, ad tollendam discordiarum occasionem facere voluit, vndè propterea intrare videbatur dispositio, vel ratio textus *in l. quæsitum circa finem, vers. sed & ipse Papinianus, ff. de fund. instructo* cum ijs, quæ in dispositis ad fauorem filiorum obseruant DD. deducti *per Merlin. dicta contr. 65. num 26. & 27.*

Ponderando etiam, quod quando testator loquutus est de mobilibus, & iuribus, quæ vtpotè ab ipso non diuisa, præ-
5 cepit æqualiter diuidi debere, enumerauit satis distinctè, & accuratè illorum species, scilicèt ornamenta, massaritias domus, tabulas pictas, vasa argentea, officia, census, & nomina debitorum, ideoq; verisimiliter de animalibus, ac tritico, aliisque frugibus, specificam mentionem habuisset, si non credidisset, vt sub distributione possessionum, aliorumque stabilium, tanquàm eorum partes, & instrumenta venirent.

Quinimò etiam respectu animalium, ac fructuum in ipsis fundis existentium ad exuberantiam, & quæ venditioni destinata essent, & in quibus vt suprà regula est in contrarium, adhùc inspiciendum esse dixi valorem bonorũ, quę dictis filijs, & hæredibus per testatorem distri-
6 buta fuerũt, an scilicèt habita etiã ratione dictorum animalium, & frugum, aliorumq; mobilium portiones remanerent æquales, quoniàm cum ex æquali institutione, ac præcepto de æqualiter dividendo reliqua omnia per ipsum testatorem non diuisa, constaret euidenter de enixa voluntate seruandi omnimodam æqualitatem inter dictos filios, tunc etiam ea, quæ tanquàm exuberantia venditioni destinata erant, sub ipsorum prędiorum, seu bonorum stabilium nomine venirent, vel econtrà ad text. *in dicta l. quæsitum, ff. de fundo instructo* cum concord. *per Merlin. dicta controu. 65. nu. 27. & 28. & per Altograd. dicto cons. 70. num. 34. & 35.*; Vbi potissimùm ponderatur id quod satis ad rem adaptabile erat, quod scilicèt dicta animalia, & fruges etiam exuberantia, ibi introducta non erant ab extrà mercimonij causa, sed de-
7 stinata erant venditioni, seu domestico vsui, quia superabant ipsorum prædiorum necessitatem; Et in summa cum ista sit quæstio facti potiùs, & voluntatis quàm iuris, atque mihi communicatæ non essent distinctè facti circumstantię, circà quantitatem, & qualitatem bonorum tam stabilium, quàm mobilium, ac etiam circà valorem; Hinc proindè hæc omnia ità generaliter pro vtraque parte insinuabam pro directione peritorum, in partibus, vt ità concordiam à testatore desideratam inter fratres conseruarent, atq; ità credo sequutum esse.

ROMANA

LEGATI MOBILIVM

PRO

ANNA ROTTIGNA

CVM

MARCO ANTONIO LONGO.

Casus disputatus coram A.C., sopitus per concordiam.

De legato mobilium domus facto vxori, collato in eius arbitrium, de illis scilicèt, quæ sibi necessaria, vel opportuna iudicaret, quomodò interprætandum sit, siuè quomodò istud arbitrium interponi debeat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quod argentum non veniat sub legato mobilium domus.*

3 De

3 *De legato mobilium ad arbitrium legatarij quomodò intelligendum.*
4 *In specie de legato mobilium vxori viduæ.*
5 *Quæ mobilia non congruant viduis.*
6 *Aduocati in Curia, vt plurimum coguntur sequi vestigia Procuratorum.*
7 *Vxor plebea copulata viro nobili, efficitur nobilis, & quid è contrà.*
8 *Vxori pauperi debetur successio in bonis viri in quarta parte.*

DISC. X.

CAtharinæ inæqualis conditionis, ac amasiæ, in mortis articulo, (forsan ex medici spiritualis cõsilio, vt frequenter contingit, siuè ex motiuo legitimandi filios) desponsatæ; Reliquit Riccardus facultatem, accipiendi ea mobilia domus, quæ sibi necessaria, & opportuna reputaret, vt commodè in statu viduitatis viuere posset; Sequuta verò eiusdem Catharinæ morte, inter Marcum Antonium ipsius, & Annam Riccardi testatoris hæredem, orta est controuersia super aliquibus vasis argenteis, alijsque pretiosis mobilibus, quæ in vim dictæ facultatis, Catharina propria auctoritate acceperat, de tempore, quo Anna in pupillari ætate constituta erat, introductaque causa coram A.C., post aliquas disputationes, concordia finem dedit controuersiæ.

In disputationibus autem desuper habitis, Iudex duos restrinxit punctos; Vnum super argentis in genere, an scilicèt ista venirent sub legato mobilium; Et alterum respectu aliorũ mobilium, seù suppellectilium, dum legatum non erat generale de omnibus, sed solùm de illis, quæ ipsi legatariæ necessaria, vel opportuna viderentur, de quibus scilicèt intelligendum veniret, & quomodò prædictum sibi attributum arbitrium interponi debuisset, adeoùt locus esset restitutioni illorum, quæ ex testatoris voluntate sub legato non venirent.

Quatenus pertinet ad primum; Dicebam scribens pro Anna hærede, quod quidquid sit de quæstione, an facto simpliciter generali legato mobilium domus, veniant pecunia numerata, aurum, argentum, gemmæ, merces, & alia huiusmodi, ex deductis *hoc eodem titulo discursis præcedentibus*; In hac tamen facti specie, ista quæstio cessabat ex facto, seù contextu testamenti, dum testator de argentis, ac gemmis, & pecunijs loquutus fuerat discretè à mobilibus domus, sub quorum nomine, de solis suppellectilibus intelligere voluit, ideoque planum erat, vt aliqua vasa argentea non venirent, aliquibus exceptis, quæ vtpotè pro quotidiano vsu, si non præcisè, saltem moraliter necessaria, sub nomine suppellectilium potiùs venire dicuntur; Ista enim (vt alibi ad hanc materiam aduertitur) dicitur potiùs quæstio facti, quàm iuris, pro facti, ac personarum qualitate decidenda; In idem quoque accedente ponderatione, de qua in alio puncto super huiusmodi argentorum incongruitate, attenta qualitate, ac statu personæ.

Quoueròad alium punctum qualitatis, vel quantitatis bonorum, quæ venirent sub hoc legato mobilium collato in arbitrium legatarij; Aduertebam indubitatum esse, vt nulla certa, & determinata regula desuper tradi posset, cum omninò id pendeat à singulorum casuũ circumstantijs, pro qualitate scilicèt personarum, bonorum, & locorum, eorumq; vsus, ex ijs, quę in terminis legati incerti, ac indefiniti habentur generaliter *apud Crot. in l. nemo potest num. 61. ff de legat. 1. Mantic. de coniect. lib. 3. tit. 1. num. 17. Martin. de Andr. decis. 73. & decis. 239. par. 7. recent.*; Et in terminis specialibus legati mobilium domus, vt veniant solum ea, quæ statui viduili mulieris conueniunt *benè Cordub. in l. si quis à liberis §. si quis ex his ff. de liber. agnosc. numer. 168.*, cum quo pertransit *Cancer. par. 3. var. cap. 20. de legat. num. 326.*; Et generaliter conferunt ea, quæ habemus in materia legati, vel alterius dispositionis legis, vel hominis super præstatione alimentorum, cum arbitrio Iudicis determinandum id veniat pro personarum, locorum, & bonorum quantitate, & qualitate, ac verisimili disponentis intentione, vt etiam in materia taxæ dotis congruæ habetur *sub tit. de dote disc. 2. & 144.* & iuxtà ea, quæ habẽtur plenè *apud Gizz. dec. 57. vbi add.* in proposito cõtrahentis, qui alterius cõtrahentis arbitrio se remittat, vel subditi, qui se remittat arbitrio superioris cum similibus.

Ap-

Applicando autem ad rem (etiam in sensu veritatis, qualem Iudex agnoscebat) extra controuersiam esse dicebam, vt sub hoc legato non venirent quædam culcitræ, aliaquè lecti ornamenta, ac alia suppellectilia serica rubei coloris, trinis aureis ornata, necnon gemmæ, & alia, viduili statui omninò incongrua, atquè à testatoris animo sine dubio aliena, eodē modo quo vt supra in primo puncto de vasi argenteis pretiosis dictum est, cum spectata substantia voluntatis testatoris, constaret eum solùm voluisse, vt vxor in domo habitaret prouisa aliqua decenti suppellectili, non autem, vt huiusmodi bona omninò incongrua haberet, viduas ad luxum, ac vitam licentiosam, siuè ad secundas nuptias potiùs excitantia.

Quouerò ad alia bona, eorumq; quantitatem, & qualitatem; Quamuis causæ Patronus excitasset motiuum, vt hoc arbitrium regulandum esset attenta humili qualitate naturali istius mulieris, vndè propterea ego tanquam Aduocatus, causæ oportunitati inseruiendo, studerem
6 istud motiuum confouere, cum præsertim ex Curiæ stylo Aduocatorum partes videantur illæ artificum ornantium pannum, vel telam alterius cum auro, vel serico, seù gemmis, siquidem causarum Patroni promouent motiua, Aduocati verò ornant, potissimè vbi contingat (vt sæpiùs praxis docet) quod illi sint peritissimi I. C., quandoquè ipsis Aduocatis peritiores.

Attamen reflectendo ad veritatem, id continebat fallaciam, quoniam cum dicta mulier iam constituta esset in statu vxoris testatoris, illius radijs coruscabat, atque de ignobili, nobilis effecta
7 erat, sicuti è conuerso mulier nobilis viro ignobili, ac plebeo copulata, potiùs ignobilis, ac plebea fieri dicitur in puncto iuris, quamuis de facto contrarium sequatur, vt scilicèt ex eius radijs vir coruscare dicatur, atquè si non veram nobilitatem, saltèm quandam maiorem existimationem, siuè introductionem ad statum nobilem, ac magis qualificatum acquirere dicatur, ex ijs, quæ habentur *sub tit. de Dote disc.* 2. & alibi.

Et consequenter dicebam, vt arbitriū interponendum esset eo modo, quo vxorem testatoris, non aurem concubinam, seù amasiam deceret; Tùm ex verisimili defuncti voluntate; Tùm etiam ducto argumento à dispositione textus *in authentica præterea Cod. vnde vir, & vxor*, dum supponitur vxor pauper, ideoquè
8 inferioris conditionis viro, et tamen ei lex decernit congruam prouisionem cum successione in quarta parte bonorum viri iuxtà declarationes tamen, de quibus *Fontanell. de pact. claus. 5. glos 8 par. 9. & seq. Hodiern. ad Surd. decis. 61. Mangil. de imput. quæst.* 137. plenè *Conc. ol. alleg. 9. & 10. Duran. decis.* 29. & 42.; Licèt adhùc occasionem non habuerim de hac successione agere, istequè meus sensus liberè dictæ Annæ (pro qua scribebam) insinuatus, facilitauit concordiam, dum ità temperauit maiorem prætensionem excitatam à sensu causæ Patroni, qui in Curia solet esse priuatorum litigantium oraculum.

ROMANA

LEGATI DE FABIIS

PRO

IVLIANO BVTIO

CVM

PETRO DE FABIIS.

Casus disputatus coram A. C., postea concordatus.

Legatis equis, an defectis illis, quos testator habebat, teneatur hæres alios supplere, vel potiùs casus cedat damno legatarij; Et an, & quando frumentum, vinum, & oleum, ac alia huiusmodi, quæ in domo reperiuntur, veniant sub legato mobilium domus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An pecunia veniat sub legato mobilium domus.*
3 *Quid de frumento, vino, & oleo, quæ in domo sunt.*
4 *De eodem.*
5 *Legatum generis non cessat, quamuis aliquæ species pereant.*
6 *Declaratur quando id procedat.*
7 *Legatis equis, intelligitur de illis, quos testator habebat.*
8 *Legatum in specie, ista perempta cessat.*

DISC. XI.

IN testamento, de cuius validitate habetur actum *sub tit. de testam. discur. 2.*, priusquam ea controuersia excitata esset, facto legato per testatricem Petro fratri, medietatis mobilium domus, ac etiã currus cum equis; Cum casus dedisset, vt viuente testatrice, vel paulò post mortem, peremptio vnius equorum sequuta esset, hinc orta est inter legatarium, & hæredem quæstio, an alter equus supplendus esset; Ac etiam, àn legatarius participare deberet de pecunia numerata, & de frumento, ac vino, & oleo, quæ domi reperta fuerunt, atquè post aliquas disputationes, concordia litem terminauit, quamuis postmodum altera super ipsius testamenti substantia exorta sit, de qua *dicto disc. 2. de testam.*

Tres igitur erant puncti; Primò nempè super pecunia numerata; Secundò super frumento, vino, & oleo; Et tertiò super peremptione dicti equi; In primo autem deducta fuerunt eadem, quæ habentur super hoc articulo *in Auximana disc. 5.* & in alijs, quæ repetere non oportet; Quatenus autem pertinet ad secundum, super frumento, vino, & oleo; Admittebam ego scribens pro hærede, vt sub dicto legato veniret illa pars, quæ probabiliter destinata esset eiusdem testatricis vsui pro eo anno, quatenus eius mors non contigisset; Dicebam tamen, vt non veniret pars excedens, quæ venditioni potiùs destinata esset, iuxta ea, quæ in proposito mercium venalium ex theorica *Bartoli in l. Diuus numer. 4. de bon. damnat.* habentur *apud Gabr. conf. 98. lib. 1., & Merlin. lib. 2. controu. 2. per tot.* præsertim *num. 17. & seqq.*, vbi latè concordantes.

Verùm reflectendo ad veritatem, quemadmodùm prætensio legatarij improbabilis videbatur circa pecuniam numeratam, in quadam moderata summa quotidianis, ac manualibus vsibus proportionata, adeoùt vix sufficeret ad expensas funerum, & vltimæ infirmitatis iuxtà casum, de quo *in Romana, seù Cusentina disc.* ; Ità è conuerso parum probabilis videbatur ista prætensio hæredis, quoniam non ex eo quod aliqua maior fiat prouisio, vndè congruat quantitatem excedentem vendere, resultat, quod dicantur merces, seù bona mercimonij gratia retenta, præsertim in mulieres, cui incongrua est mercatura, et consequenter quod conclusio de non comprehensione mercium venalium, non esset applicabilis ad casum.

Demùm quoad tertium punctum legati equorum; Scribentes pro legataria dicebant, quod cum testatrix certos equos non designasset, sed reliquisset equos in genere, ità casus peremptionis, damno hæredis, non autem legatarij cedere deberet, quoniam genus nunquam perit, vt ex claris iuribus alibi aduertitur; Verùm reflectendo ad veritatem, dicebam quod hæc prætensio nullum penitus fundamentum haberet; Dicta etenim propositio, quod genus nunquam perit, rectè procedit, quando testatrix nullos habuisset equos in eius hæreditate, adeoùt hæredi iniuncta esset obligatio illos emendi; Siuè quod magnus equorum numerus, vel armentum adesset, adeoùt, aliquibus peremptis, alij remanerent, ex quibus legatum impleri posset; Secùs autem dum testatrix habebat solum duos equos ad vsum currus, quoniam de illis legatũ censetur, quamuis generaliter conceptum esset ad nota *per DD. in l. legato generaliter relicto ff. de leg. 1.* ex dispositione, vel ratione textus *in l. si domus ff. eodem*; Idquè adeo verũ est, vt quamuis testatrix diuersum colorem expressisset, quia nempè dixisset legare equos albos, illi autem essent rubei, vel nigri, vulgò *bai*, seù *morelli*, adhùc legatum intelligendum veniret

de

de illis, quos testatrix habebat, vt aduertit in specie *Graff. de successi. in §. legatum quæst. 65. num. fin.*; Idquè ad nimiam euidentiam probari videbatur ex facti circumstantijs, ea præsertim, quod non fuerunt simpliciter legati duo equi, sed relictus currus cum equis, ideoquè sine dubio id intelligendum veniebat de curru eo modo, quo ipsa testatrix illo vtebatur, et consequenter legatum remanebat speciei, cuius peremptio legatarij damno 7 cedit ad *text. in l. mortuo boue ff. de leg. 2. §. si res, & §. si rem. Institut. de leg. & DD.* communiter, quoniam quæstio cadit, an legatum consistat in specie, vel in genere, sed posito, quod consistat in specie, tunc nulla desuper dignoscitur ratio dubitandi, et consequenter huius legatarij prætensio in secundo puncto solùm probabilitatem habebat, non autem in alijs.

VITERBIEN.

LEGATI CENSVVM PRO COLLEGIO SOCIETATIS IESV CVM FANIS.

Discursus in congressu.

Legato generaliter relicto, cuius sit electio, àn hæredis, vel legatarij; Et posito quod sit vnius, vel alterius, an possit eligi optimum, vel dari possit respectiuè pessimum; Et quãdo legatum generis sit inutile.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An legatum factum de aliqua re in genere valeat, distinguitur.*
3 *Quando valeat etiam, vbi aliàs valere non deberet.*
4 *De suppletione voluntatis testatoris à lege, vel Iudice facienda.*
5 *Vbi voluntas adest cessant quæstiones.*
6 *Quando electio sit hæredis.*
7 *Et quando eiusdem, vel legatarij.*
8 *De distinctione inter res animatas, & inanimatas.*
9 *Respondetur ad* Harpret. *tenentem, vt semper electio sit legatarij.*
10 *Quomodo leges debeant intelligi.*
11 *De aliquibus* Rotæ decisionibus *super electione legatarij.*
12 *Quando vni vel alteri competit electio, quid sit eligendum.*
13 *Fauore piæ causæ debetur quod magis.*
14 *Quod sit legatum quantitatis, non autem speciei.*
15 *Quando bona sint in facultate soluendi.*
16 *Quomodo dignoscatur àn sit de specie, vel de quantitate.*
17 *Vincula minuunt de valore.*
18 *Potest census vendi minori pretio, quàm sit impositus.*
19 *De alio argumento, vt legatum sit quantitatis.*
20 *Vbi legatum est de specie, vinculi diminutio cedit damno legatarij.*
21 *Census si non habet ab initio fundũ idoneum, non est census.*

DISC. XII.

1 DOnatus de Spadensibus creditor patrimonij Monaldensium in pluribus censibus diuerso tempore constitutis, quorum aliqui ob anterioritatem erant tuti; Alij verò posteriores periculosi, iuxtà seriem, de qua *sub tit. de feud.* ad materiam bullæ Baronum *disc. 77. & seq.* legatum fecit Collegio Societatis Iesu Viterbij scutorum 1500. pro fabrica Ecclesiæ, adimplendum ex huiusmodi censibus in genere, non exprimendo de quibus; Vnde propterea inter Colle-

gium legatarium, & hæredem orta est extraiudicialis controuersia (cum quodã concordiæ beneuolo temperamento sopita) cuiusnam esset electio, an hæredis, vel legatarij, dum hæres prætendebat dare de posterioribus, legatarius autem prætendebat eligere de melioribus; Ac etiam cum Congregatio Baronum non liberet pecunias nisi vinculatas cum cautione de restituendo prioribus, & potioribus, atquè vbi præstari non potest idonea cautio, loco istius fit inuestimentum in loca montium cum hoc vinculo, vt pluries aduertitur ad dictam materiã Bullæ Baronum *sub tit. de feudis*, ac etiã *eodem titulo in supplemento*, *& sub tit. de credito præsertim disc.* 127.; Hinc dubitari etiam contigit, an huiusmodi cautio præstari deberet per hæredem, vel per legatarium; Ideoquè, pendente tractatu concordiæ, ex parte Collegij conuocatus fuit congressus Aduocatorum, ad effectum deliberandi, quid magis expediret.

Quatenùs igitur pertinet ad punctum electionis, an illa esset hæredis, vel legatarij; Iuxtà stylũ huiusmodi cõgressuum, quod quandoquè ad ostentationem totiùs materiæ discursus assumi solet, generaliter actũ fuit de materia legati generaliter relicti; Atq; super hoc articulo dicebam, quod duæ cadant inspectiones, vna scilicèt validitatis, & altera electionis; Et quoad validitatem, quidquid aliqui scribentes varient, (qui tàm in
2 hoc puncto validitatis, quàm in altero electionis se inuoluere videntur), distinctio est quod; Aut res legata in genere habet fines determinatos à natura, vt sunt semouentia, et tunc si est genus generalissimum, quia nempè relictum esset animal, absquè specificatione, illud inutile remanet, vtpotè verificabile in musca, vel in alio simili animali inutili; Aut genus redactum est ad speciem, seù explicatum est, quia nempè relictus sit equus, vel bos, et tunc valet, intrante solùm altera quæstione super electione, & qualitate, vt infrà; Aut verò res legata non habet fines determinatos à natura, sed recipit determinationem à facto hominis, quia nempè legetur fundus, vel domus, et tunc, Aut in hæredi. te nulli adsunt fundi, vel domus, & pariter magis receptum videtur, vt legatum sit inutile,
3 nisi facti circumstãtiæ suadeant certam, ac determinatam testatoris voluntatem, quod noluerit nugari, sed verè prouidere legatarium de vna domo, seù de vna vinea, vel de altero prædio, quoniam licèt suam voluntatem explicare ignorauerit, adhùc tamen ex illa suppletione,
4 quæ per legem, vel iudicem facienda est, quando constat, quod sit minus scriptũ, quàm volitum, et de qua suppletione habetur præsertim actum *sub tit. de fideic. disc.* 115., vbi de iuribus, & auctoritatibus, ita attendendi potiùs substantiam voluntatis testatoris, ac naturalem volũtatem, quàm sonum verborum, vel subtilitates, ac formalitates iuris ciuilis præsertim antiqui Digestorum, quod nimiũ immorabatur in verborum formalitatibus, etiam in institutione hæredis, ac in alijs, de quarum moderatione habemus in iure nouo, vel nouissimo Codicis, & Authenticorum; Et tunc intret Iudicis arbitriũ ad cogendum hęredem, vt emat pro legatario domum, vel vineam, quæ ipsius legatarij conditioni proportionata sit pro verisimili testatoris voluntate, habita consideratione virium hæreditariarum, aliarumquè circumstantiarum, ex quibus ipsa substantia voluntatis desumatur; Si verò in hæreditate adsunt domus, vel fundi, et tunc extrà controuersiam est legati validitas, remanente solùm quæstione super electione, vt infrà.

Et consequenter (applicando ad rem), vbi etiam istud dicendum esset legatum speciei, siuè generis huiusmodi censuum (cuius contrarium mihi probabilius videbatur, vt potiùs esset legatum quantitatis, vt infrà) dubitari non poterat de validitate, dum in hæreditate aderant census, ac propterea restringebatur inspectio ad alteram quæstionem electionis, an scilicèt illa esset hæredis, vel legatarij, ac etiam super modo eligendi, quatenùs ad vnum, vel alterum respectiuè pertineret, an de melioribus, vel de deterioribus.

Super vtroquè autem, vtpotè in quæstione voluntatis potiùs, quàm iuris, quoties accedunt probationes expressæ, vel etiam præsumptæ, & coniecturales vo-
5 luntatis testatoris, omnes quæstiones cessant, cum voluntari tanquam dominanti, ac Reginæ, in ijs, in quibus ob legis prohibi-

ibitionem, non intret defectus poteſta-
s, perpetuò lex cedat; Atquè in hoc cer-
a, & determinata regula tradi non po-
eſt, cum totum pendeat ex facti qualí-
tate, ſingulorumuè caſuum particulari-
bus circumſtantijs, huiuſmodi voluntatẽ
probantibus, necnè.

Vbi verò huiuſmodi voluntas omninò ambigua ſit, adeoùt ad iuris diſpoſitionem pro ea regulanda recurrere oporteat, et tunc diſtinguendum etiam eſt, an teſtator, genus reſtrinxerit ad certam ſpeciem, ſeù demõſtrationem, quia nempè relinquendo ſeruum, illum explicauerit per nomen proprium, cum tamen plures in hæreditate adeſſent, qui idem 6 nomen haberẽt, quia nempè dixerit lego Stycum, cum plures eſſent eiuſdem nominis; Siuè quod dicat relinquere equũ album, vel nigrum, cum plures in hæreditate eiuſdem coloris adeſſent equi, cũ ſimilibus; Et tunc verius eſt, vt indiſtinctè electio ſit hæredis, ſiuè agatur de rebus animatis iuxtà exempla ſuperius tradita, in quibus maior dubitandi ratio cadit, vt infra, ſiuè de rebus inanimatis, in quibus facilius eſt electio hæredis iuxtà diſpoſitionem *textus in l. ſi quis à filio* §. 1. *& l. legato generaliter relicto ff. de leg.* 1.; Idquè duas habet rationes aſſignari ſolitas *per gloſ. & DD. ibidem*; Primò nempè, quod cum teſtator ſenſerit de re certa, tunc non dicitur amplius electio, ſed potiùs declaratio, quæ fieri debet per hæredem, vtpotè veriſimiliter informatum de voluntate teſtatoris; Et ſecundò quia de ſtricta iuris cẽſura, iſtud legatum, ratione incertitudinis, deberet eſſe inutile, ideoquè cum ſubſtineatur ex quadam iuris æquitate, iſta non eſt multiplicanda fauore eiuſdem legatarij, ex regula prohibente cumulum ſpecialitatum in idem, ideoquè dum hæres grauatur circa ſubſtantiam, grauari non debet circa modum, ſeù electionem, et conſequenter (ad rem applicando) videbatur quod electio eſſet hæredis, dum teſtator, genus ad ſpeciem reduxerat, quia non loquutus eſt de cenſibus in genere, qui plures quoquè aderant cum alijs debitoribus, ſed de illis cum certo debitore.

Proſequendo autem materiæ diſcurſum, (quamuis extra controuerſiæ neceſſitatem) quod ſcilicèt teſtator ad hanc ſpecificationem non deuenerit, ſed relinquat in genere vnam ex rebus, quæ in hæreditate exiſtant; Et tunc, vt dictum eſt, reuera DD. nimium variant ob iura, 7 quæ inuicem pugnantia habemus, dum legatario tribuitur electio *per textum in §. ſi quis generaliter Inſtit. de leg.*, *& in l. qui duos ff. de leg* 1. *cum concordan*, de quibus poſt antiquiores *Harprect. in dicto §. ſi quis generaliter numer.* 15.; E' cõuerſo autem hæredi illam tribuunt *textus in l. ſi quis à filio* §. 1. *& l. legato generaliter relicto ff. de legat* 1. cum concordantibus relatis *per Harprect. vbi ſupra*, qui tamen indiſtinctè partes legatarij tenet, ac per alios de quibus infrà.

Mihi verò, tã iſtius, quã aliarũ cõtrouerſiarũ occaſione, ad iſtã quæſtionem reflectendo (quatenus fauor piæ cauſæ, vel alia circũſtantia nõ accedat, quæ limitationem ſuadeat), probabilior, meliuſquè 8 fundata viſa eſt diſtinctio, quam ex antiquiorum ſenſu, præſertim verò ex magiſtrali *gloſa in l. legato generaliter*, magis communiter receptã, benè præ cæteris, pro meo iudicio, tradunt *Craſſ. in §. legatum quæſt.* 62., *& Simon de Pretis de interpret. vltim. vol. lib.* 1. *dubit.* 3. *fol.* 3. *&* 4. *fol. in meis* 19. *&* 22., cum quibus pertranſit *Barrius de ſucceſſ. lib.* 9. *tit.* 8., quod ſcilicèt; Aut agitur de rebus animatis; Aut de inanimatis; Primo caſu ceſſante dicta certa deſtinatione per teſtatorem facta, in rebus animatis, electio debeat eſſe legatarij, iuxtà diſpoſitionem *textus in dicta l. qui duos*; In rebus autem inanimatis electio debeat eſſe hæredis iuxtà diſpoſitionem *textus in dicta l. ſi domus ff. eodem tit. de leg.* 1.; Ex ea ratione differentiæ, quod in rebus animatis puta in ſeruis, vel animalibus, quãdoquè magis expedit non habere, quàm habere morboſum, ſeù aliàs inutilem, ob expenſam neceſſariam in alimoni.; Secùs autem vbi agatur de rebus inanimatis, in quibus dicta ratio non intrat, quoniam tunc quomodocumquè hæres eligat, ſemper magis expedit habere, quàm non habere.

Et quamuis huic diſtinctioni obſtare videatur generalitas textus *in dicto §. ſi generaliter Inſtit. de legat.*, in qua ſe fundat (more ſcholaſticorũ litteram textus 9 rigoroſè ſentientium) *Harprect. ibidem*, qui proindè generaliter legatario electio

ctionem tribuit, atquè cum eius auctoritate tanquam in re plana procedebant alij desuper consulti; Attamen vt benè præ cæteris obseruat *Simon de Pretis vbi supra nu.4. circa finem*, cum textus exemplificet in seruo, hinc proindè quãdo generaliter de alijs loquitur, intelligendus est de similibus, ità capiendo intellectũ conciliatiuum cum textu *in dicta l. si domus*, & concordantium super electione hæredis.

Licèt enim *idem Harpprect.*, scholastico more, seù (vt aliqui dicunt) potiùs tanquam grammaticus legalis, quàm tanquam I. C., respondendo
10 ad textum *in dicta l. si domus*, nimium elaborare curet super illius emendatiori littera in Pandectis Florentinis, & an illud verbum *velent* stare possit potiùs in numero singulari, quàm plurali; Attamen istę, ac similes scholasticorum subtilitates, commendabiles quidem censendæ sunt in scholis, & academijs, ad iuuenum ingenia exercenda, pro acuminis acquisitione, vt ità resultet bonus effectus practicus super applicatione, & nè aliàs procedatur cum ineptissimo, nimiumquè damnabili, quamuis frequentiori, ac penè communi, pragmatico vsu, attẽdẽdi auctoritates in sola littera; Non autem, vt in foro super huiusmodi grammaticalibus rigoribus, seù emendationibus legum, adeò immorandum sit; Tùm ex rationibus ponderatis *sub tit. de vsur. discur.2.*; Tùm etiam ex alia ratione ponderata in historia legali recensita *sub tit. de seruitut. disc.1.*, quod scilicèt, dum legum vsum habemus, non ex auctoritate Imperiali, sed ex vsus receptione post inuentionẽ, idcircò illas attẽdere debemus iuxtà editionem vulgarẽ, cum qua populi illas receperunt, non autem cum huiusmodi nouis ponderationibus, vel subtilitatibus, vt *dicto disc. 1. de seruit.* aduertitur.

Alij desuper consulti, atquè ad congressum vocati, magnum fundamentum
11 constituebant in auctoritate *Rotæ decis. 203. num. 3. par. 1. recent. & decis. 238. num.7. par.4. tom.2.*, vbi constitui videtur regula ad fauorem legatarij, vt eius sit electio; Verùm aduertebam quod in dictis decisionibus nullum fundamentũ cõstitui deberet, dum incidenter articulo non discusso, atquè ad alium effectum ibi de hoc agitur.

Et quoad alterum punctum, àn scilicèt, præsuppositio quod vni, vel respectiuè alteri electio competeret, an vbi competit legatario, possit eligere optimum, & è conuerso vbi competit hæredi, pos-
12 sit eligere pessimum; Quamuis pariter DD. nimium discrepent; Aliquibus in summo iuris rigore, seù leguleico more extremum retinentibus; Alijs verò (& probabilius), mediam viam tenentibus, quodquè propterea mediocre pro facti qualitate, ac verisimili disponentis voluntate ex Iudicis prudenti arbitrio, præstandum sit, adeoùt certa, & determinata regula desuper non cadat, vt sentiunt *Crass., Simon de Pret., & Barryus vbi sup.*; Non tamen fuit opus huius quæstionis veritatem examinare, cum ageretur de legato ad pias causas, cuius priuilegium
13 est, vt censeatur relictum quid magis ex deductis *per Tiraq. de priuil. piæ caus. cap.25., & Surd. decis. 298.*, apud quos concordantes, vt alibi aduertitur.

Ista deducebam discurrendo, retento præsuppositio, cum quo ab omnibus procedebatur, vt istud esset legatum in genere de tot censibus, qui considerandi essent tãquam species, eodem modo, quo considerantur legata facta de domo, vel de fundo, seù de alia re in genere; Verùm pro meo sensu aduertebã, vt hæc omnia essent extra casum quæstionis, cum mihi
14 videretur potiùs quod ageretur de legato quantitatis scutorum 1500., pro quorum solutione destinati essent census, qui proindè ita starent potiùs pro facultate soluendi, seù tanquam effectus demonstrati, ex quibus solutio facienda esset.

Ad id autem sentiendum mouebar; Primò ratione subiectę materię, seu operis, cui legatum factum erat, pro fabrica scilicèt Ecclesiæ, pro qua, congruæ, imò necessaria erat pecunia prompta, & numerata, incongrui autem census, quorum fors est irrepetibilis, quodquè propterea intrarent ea, quæ ex theorica *Bartoli in l. decem in mille ff. de verbor. oblig.*
15 & alijs, habentur *in Romana dotis, seù canonum sub tit. de dote disc.55.*, vbi quod Aliud est debitum bonorum in specie; Aliud verò illud quantitatis, pro quo bona danda sint, & quæ propterea posita sint in facultate soluendi, ideoquè vt

onus

onus esse deberet hæredis vendere tot ex his censibus sibi melius visis, pretium autem vsquè ad dictam summam erogare in hoc opus.

Secundò idem suaderi credebam ex contextu dispositionis, seù verborum formula, dum legatum directum nõ erat ad census, super quibus substantia dispo-
16 sitionis resideret, sed directum erat ad quantitatem, & deindè demonstrati essent census, ideoq; census potius starent demonstrativè tanquam effectus, ex quibus solutio facienda esset.

Et tertiò quoniam stante dicto stylo Congregationis Baronum, qui etiam est iuridicus, ac iuris dispositioni innixus quando agatur de concursu creditorum, non liberandi pecuniam, nisi cum cautione, seù istius loco cum inuestimento vinculato vtsupra; Ità de consequenti resultrabat, quod vbi census legati fuissent tanquam species, illi minus vale-
17 rent ratione vinculi, quod sine dubio minuit de valore, ex ijs, quæ habentur *sub titulo de Regal. disc.* 30. *cum duobus seqq.*, ac etiam *sub tit. de credito disc.* 53. & alibi, ideoq; summam legatam legatarius non obtineret.

Hinc proindè verius videbatur, vt hęredes cogendi essent vendere tot ex istis censibus etiam in maiori summa, vt dicta summa legata in opus demandatum integrè erogari posset, quoniam etiam in censibus, quæ pro iusto pretio constituti sunt, verius est dari maioris, vel minoris pretij alterationem ob vincula siuè
18 ob difficultatem exactionis, aliasquè circumstantias ex deductis *per Cenc. de cens. quæst.* 72. *Roder. de ann. redd. quæst.* 8. *num.* 22. *Cyriac. contr.* 170. *num.* 13. *Rouit. prag.* 1. *de cens. num.* 33. latè *Salgad. in labyr. par.* 1. *cap.* 13. §. 2. *num.* 36. *& seqq. & cap.* 27. *num.* 80. *& seqq.*, vbi referendo vtriusquè opinionis sequaces, veriorem firmare videtur negatiuam in praxi de facto receptam.

Dictumquè argumentum subiectæ materiæ nimiùm concludens videbatur ex dicta circumstantia cautionis, quam dare oportebat de restituendo, siuè eius loco inuestiẽdi in loca montium inalie-
19 nabilia, cum ita impossibile esset practicare erogationem huius pecuniæ in fabricam Ecclesiæ, vtpotè in actum irretractabilem, vndè aliàs dari posset casus auocationis, ob quam Collegium damnificatum remaneret de proprio; Sunt autem ista argumenta pro regulanda ambigua voluntate, secùs autem, vbi istius expressa probatio accedat, vel etiam tacita deducta ex fortioribus præsumptionibus, cũ in huiusmodi quęstionibus semper regulæ, vel præsumptiones iuris, cedant voluntati testatoris.

Vbi verò legatum esset de speciebus, tunc aduertebam, quod caderet quidem inspectio super dicto onere præstãdi cautionem, illudquè admittebam in-
20 cumbere legatario volenti census pretiũ obtinere, cum sit onus, seù vinculum de natura rei, quamuis illud minuat de valore, dum ità censetur relictum illud minus, ipsequè census talis qualis est, summa verò stat potiùs demonstrativè ad denotandum, quanta dictorum censuum rata relicta esset.

Quouerò ad punctum electionis, an vni, vel alteri incumberet; Siuè circa modum, an de melioribus, vel de deterioribus; Verè erat inspectio inanis, dum istud patrimonium iam positum erat sub concursu ad effectum extinguendi census ex deductis *sub tit. de feud.* ad materiam bullæ Baronum *in Romana reuiuiscentiæ censuum disc.* 81., cum ita intraret dilemma quod, Aut census assignandi, erant de-
21 non subiectis auocationi ab anterioribus, vel potioribus, et tunc nullus effectus erat, an potiùs vni, quã alteri assignarẽtur; Aut verò erant de posterioribus, adeoùt non remanerent bona, ex quibus satisfieri possent, et tunc *illi dicuntur* deficere in radice ex defectu fundi, ac reputantur non census ab initio, ideoquè hæres non adimplet legatum iuxtà celebrem *decisionem* 639. *Merlin.*, & aduertitur *sub tit. de credito disc.* 64.

MON-

MONTIS FALISCI LEGATI PRO CAPPELLANIIS CVM COLLEGIO CATHECVMENORVM.

Casus disputatus coram Protectore Collegij, & resolutus cum temperamento.

Facto legato generis, de quo in hæreditate adsint plures speciès, de melioribus, peioribus, & mediocribus, cuiusnam sit electio, & quid eligendum, vel præstandum sit, Et quid in hoc operetur fauor causæ piæ.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Legatum generis intelligitur de ijs rebus, quæ sunt in hæreditate.*
3 *Cui competat electio, an hæredi, vel legatario.*
4 *De eodem &c.*
5 *In legatis non pijs, debetur quod minus, secus in pijs, vt quod magis.*
6 *Quid vbi etiam hæres sit causa pia, & de conquassatione priuilegiorum.*
7, & 8 *De eodem, & quæ dicatur causa magis pia.*

DISC. XIII.

1 IOannes Venturellus, instituto hærede Collegio Cathecumenorum, inter alia legata, reliquit loca 20. montium, ad effectū erigendi in Cathedrali Montis Falisci duas cappellanias, quas sequuta morte testatoris Episcopus cum Capitulo illicò erexit; Cumquè in hæreditate quamplura reperta essent loca montium trium specierum, ex quarum singulis, integrè legatum impleri poterat; Aliqua enim erant baronalia, quæ tunc iuxtà temporum cõditionem reputabantur meliora, habentia pretium extrinsecum scutorum quinque, vltrà intrinsecum scutorum 100. pro quolibet; Alia verò cameralia, quæ mediocria dici poterant, habentia solùm valorem intrinsecum cum satis modico augmento vix ad vnum scutum ascendente valoris extrinseci; Et alia erant, siuè cameralia, siuè baronalia, fortè ob dotis, ac assignamentorum deterioratam conditionem, quorum valor non ascendebat ad intrinsecum, ideoquè erant de deterioribus; Hinc proindè orta est controuersia, cuiusnam esse deberet electio; Et quatenus vnius, vel respectiuè alterius esset, an meliora, vel respectiuè deteriora eligi possent, vel potiùs capienda essent mediocria, seù de omnibus tribus speciebus pro rata; Quarè ex parte cappellanorum requisitus ad scribendum coram Cardinali eiusdem Collegij Protectore in forma potiùs extraiudiciali, & beneuola, quàm contentiosa.

Præsuppositò certo iuris principio, quod dum in hæreditate aderant loca montium, eorum legatum, quamuis in 2 genere factum, attamen de hæreditarijs intelligendum esset iuxtà *text. expressum in l. si domus 74. ff. de legat. 1.* cum cõcordant.; Quatenùs pertinet ad punctum electionis, cui scilicèt ea cõpetat, àn hæredi, vel legatario; Dicebam quod huius quæstionis occasionem præbet varia lectura *text. in dicta l. si domus*, ex deductis 3 præsertim *per Harpprect. in §. si generaliter Instit. de legatis ex num. 13.*, vbi cæteris allegatis probat, quod emendatior lectura videtur assistere legatario, vt scilicèt quoties agatur de legato speciei, hæres præstare teneatur eam ex pluribus domibus in hæreditate existentibus, quã legatarius velit, nisi in contrariũ vrgeãt adminicula diuersam testatoris voluntatẽ suadentia; Atquè pro legatario stare regulam dixit pluries *Rota præsertim decis. 203. num. 3 par. 1. rec.*, & *238. numer 7. par. 4. tom. 2.*

Verùm in hac facti specie opus non erat assumere huiusmodi quæstionem, super cuius proindè determinatione matura reflexio habita non fuit, (ideo- 4 què præmissa incidenter insinuabantur), atquè de eis actum est *discur. præced.*;

Si-

Siquidem non agebatur de legato domus, vel prædij, seù aliarum rerum similium diuersæ naturæ, seù valoris, itaùt magis expediret vnam potiùs, quàm alteram habere, sed agebatur de locis montium, quæ omnia eumdem intrinsecum valorem habent, idemque genus constituunt, solumque adest aliqua accidentalis differentia inter vnam, & alteram speciem, circà maiorem, vel respectiuè minorem valorem extrinsecum, vndè propterea nil refert, an electio sit vnius, vel alterius, cum in eis non concurrat illa ratio affectionis, seu maioris commoditatis, quæ in speciebus datur vltrà interesse bursale; Ideoque reducebatur quæstio ad punctum super modo eligendi, an scilicèt, (siuè ad legatarium, siuè ad hæredem id spectaret), eligenda, vel respectiuè præstanda essent meliora, vel deteriora, aut media.

Quandò autem hæres non esset etiam causa pia, tunc dicebam, quod casus esset ext. à quæstionem, vt meliora, atq; habentia maiorem valorem, præstari deberent, quoniam inter causæ piæ fauores, ac priuilegia illud computatur, vt legato generaliter relicto, debeatur quod plus; In hoc etenim differunt legata pia à prophanis, quod in *istis* regulariter debetur quod minus *ad text. in l. Titia §. Seia ff. de auro, & argento legatis*, vbi *Bart.* & cæteri cõgesti *per Tiraquell. priuil. piæ causæ 25. in princ.*, ibiquè *Adden.* (licèt ipse *Tiraquell.* dubitet) *Harpprect. in dicto §. si generaliter numer. 23. Gratian. discept. 611. num. 16. & discept. 700. num. 12. cum seqq. Surd. de alim. tit. 8. priuil. 25. & decis. 298. num. 12.*, ibiquè *Hodiern.*

Quarè difficultas residebat in eo, quod hæres etiam esset causa pia, àn scilicèt intraret inter æquè priuilegiatos cõquassatio priuilegiorum, itaùt, vel intraret distinctio, quæ habetur in legatis prophanis inter res animatas, quas, vbi sunt deteriores, magis expedit non habere, quàm habere, et res inanimatas, quas semper habere expedit, vndè propterea prestando etiam deterius, legatum remaneat proficuum, & operatiuum.

Et in hoc, licèt *Capr. cons. 3. num. 3. & sequen.* ex dicta ratione conquassationis priuilegiorũ punctualiter firmet, vt mediocre debeatur; Nihilominùs dicebam, vt de stricto iure contrarium probabilius videretur, quoniam regula, vt inter priuilegiatos priuilegia cõquassentur, procedit, vbi ambo sunt priuilegiati in genere, & in specie, atquè vterquè deducere potest priuilegiũ actiuè, & passiuè, & non alias, vt cæteris cumulatis *Tiraquell. priuil. piæ causæ 26.* plenè *Trentacinq. lib. 1. var. tit. de rescript. & priuil. resol. 1. n. 3.*; Ideoq; cum causa pia reperiatur in iure priuilegiata, quando est legataria, et sic in specie cõsequendi ex legato, quod maius; E' cõuerso autẽ nõ reperiatur priuilegiata in eadẽ specie, quãdo est hæres, præstãdi quod minus ex priuilegio, eo quia aliàs de iure, quod maius præstare deberet, hinc proindè sequitur, vt cesset concursus priuilegiorũ hinc indè, et consequenter locus non sit regulæ.

Præterea, posito etiam concursu priuilegiorum in eadem specie, adhùc tamen inter easdem causas pias datur inæqualitas priuilegiorum, seù magis, & minus iuxtà maiorem, vel minorem pietatem, seù verisimilem testatoris voluntatem, quæ vni magis quàm alteri pio operi assistat, vt non semèl *hoc eodem titulo* inferius habetur in proposito contributi inter legatarios, quoties hæreditas omnibus idonea non sit, quoniam in eodem genere piarum dispositionum, datur maius, vel minus priuilegium, vt vna pia dispositio nõ subtraceat contributo, & alia sic, quia nempè agatur de facta pro restitutione malè ablatorum, ac exoneratione conscientiæ, siuè pro missis celebrãdis, aut aliæ concurrant circumstantiæ maiorem affectionem testatoris verisimiliter suadentes; Licèt enim omnes essent dispositiones piæ, animę fauorabiles, ac directæ in Deum, qui est vnus, & idem qui per plura organa, seù media, nostras pias elargitiones in peccatorum redemptionem recipit; Nihilominus adhùc datur inter eadem opera aliqua differẽtia maioris pietatis, seù magis benè ordinatæ charitatis, vel maioris affectionis ipsius disponentis; Idquè præsertim à DD. exemplificari solet in legatis pro celebratione missarum vtpotè ex operę, quod iuxtà piam catholicam credulitatem magis proximè operatiuum est ad animæ suffragium, ac liberationem, vel aliquod leuamen à pœnis purgatorij; Et hunc dicebam esse casum cum ageretur de legato pro erigendis cappellanijs

cùm onere missarum, ac vlterius concurreret ratio verisimilis maioris affectionis testatoris, dū quo magis cappellaniæ erant benè dotatæ, eo magis id influebat in honorificam cōseruationem eius memoriæ in patria.

Accedēre etiam alia ratione melioris, magisquè honorifici cultus Ecclesiæ Cathedralis, dum quò magis beneficia sunt pinguia, & benè prouisa, eo magis habētur personæ qualificatæ melius Ecclesiæ inseruientes; Licèt enim quoad prouisionem huiusmodi cappellaniarum, seù beneficiorū, principaliter spectetur fructus, qui siuè in vna, siuè in altera locorum specie erat vnus, & idem, vt iuditiosè mōtiuabat idem Cardinalis Protector; Replicabā tamen quod dicta circumstantia maioris, vel minoris valoris influebat quoquè in fructum, licèt non circa quantitatem, benè tamen circa faciliorem exactionem; Ac etiam quia sæpius, ob dotis, seù assignamentorum deteriorationem, oportet pati de facto etiam diminutionem fructuum, vel amissionem in parte, ex qua circumstantia resultat diminutio valoris intrinseci; Non fuit tamen opus super his, vltrà primam informationem, elaborare, quoniam causæ Patronus, qui pro cappellanis scribebat, cum quadam simplicitate petijt mediocria, arquè Collegij Administratores visis istis difficultatibus dederunt libentèr; Et de hac eadē materia in terminis legati certæ quantitatis in tot censibus, cuius esset electio, & an legatarius eligere possit anteriores, & magis exigibiles, vel hæres præstare posset posteriores, & minus tutos habetur *in Viterbien. legati hoc eodem tit. disc. præced.*

NEPESINA

LEGATI

PRO

HÆREDIBVS CATHARINÆ ZACCARDINÆ.

Responsum pro veritate.

An, & quando certa designatio in legatis pro certo opere faciendo, stet taxatiuè, vel demonstratiuè, adeoùt deficiente designatione, vel re designata non sufficiente, intret, necnè obligatio supplendi aliundè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De ratione deficientiæ fructuum locorum montium.*
3 *Quod facta assignatione aliquorum bonorum cum præsuppositio, vt quemdam redditum importarent, non teneatur hæres, si reditus deficiunt, & non intret suppletio.*
4 *De priuilegio piæ causæ, vt semper destinatio stet demonstratiuè.*
5 *Contrarium, vt pia causa in hoc non sit priuilegiata.*
6 *Distinguitur, seù conciliatur.*
7 *De eodem, & vt in dubio pro pia causa quod magis.*
8 *Pia causa attendit veritatem naturalem, cuius defectum ea non supplet.*
9 *Declarantur decisiones, de quibus nu. 3.*
10 *Quando designatio dicatur stare taxatiuè, vel demonstratiuè.*
11 *De eodem, & quomodò id dignoscendum sit.*
12 *De applicatione ad casum quæstionis.*
13 *De alio casu controuersiæ, vt designatio staret demonstratiuè.*
14 *Et de alio casu, in quo dicitur idem.*

DISC. XIV.



Catharina prole carens, inſtitutis pronepotibus ex fratre, factaquè narratiua, quod poſſideret in Vrbe 26. loca montium, tunc fructuãtium ad rationem quinque pro centenario, mandauit erogari ex eorum fructibus annua ſcuta centũ pro ſubſidio dotali quatuor pauperum puellarum, & ſcuta 20. pro diuerſis alijs pijs operibus, mandando, vt in caſu extractionis, pretium (toties quoties id contingeret) non in alios effectus, quàm in conſimilia loca montiũ inueſtiri deberet, aſſignata ratione, vt dicta annua ſumma ex fructibus pro pijs operibus implendis percipi poſſet; Tractu verò temporis, duplicem diminutionem, tam in ſorte, quàm in fructibus dicta loca montium paſſa ſunt; In fructibus ſcilicet ob reductiones primò ad quatuor cum dimidio, & deindè ad quatuor; Et in ſorte, quoniam ſequuta extractione, in cuius caſu, Camera debitrix reſtituit ſolũ ſcuta centum pro quolibet loco, in quibus conſiſtit pretium intrinſecum, & naturale, ad effectum emendi alia conſimilia loca, iuxta frequentiorem contingentiã, oportet erogare aliquam maiorem ſummam, ratione augmenti extrinſeci; Et quatenùs id expleri non poſſit (quia nempè alia non adſit pecunia, niſi ex huiuſmodi extractione retracta), id cauſat diminutionem numeri, adeoùt (e. g.) cum pretio locorum 26., vix emantur loca 25. vel 24., & ſic ſucceſſiuè, contingente huiuſmodi replicata extractione, & noua erogatione, ſors primæua, longo temporis tractu, recipit notabilem diminutionẽ, ex qua de conſequenti reſultat diminutio fructuum; Quare exequutores ab eadem teſtatrice ad id deputati, non integram ſummam ſcutorum 120. ab ea demandatam, ſed ſolùm eos minores fructus, qui in tempora, percepti fuerunt, erogarunt; Hinc proindè officiales Fabricæ, prætenſionem excitarunt contra hæredes teſtatricis pro ſuppletione omnium annorum decurſorum, quod ſummam notabilẽ importabat; Quarè deſuper, pro veritate ab eiſdem hæredibus conſultus fui, ad effectum deliberandi, an expediret litem ſubſtinere (vt aliquorum deſuper conſultorum ſenſus erat), vel potiùs, cum honeſta concordia pro iſtius Tribunalis ſtylo huiuſmodi litem, & moleſtias redimere, atquè iuxtà hanc ſecundam partem Ego reſpondi.

1

2

Conſulentes autem litis proſequutionem, opinando quod moleſtiæ eſſent indebitæ, iuxtà ſolitum pragmaticum ſtylum, qui hodie adeò inualuit, procedendi cum deciſionibus, & auctoritatibus, quæ videntur ſpeciales, illas non examinando, nequè caſus diſtinguendo; Fundamentum conſtituebant in firmatis *per Rotam in Camerinen. dotis Eccleſiæ* 22. *Iunij* 1650. & 9. *Maij* 1653. *coram Meltio*, quarum prima eſt impreſſa *deciſ.* 62. *par.* 11. *recent.*, in quibus deciditur, quod fundata per teſtatorem, vel diſponentem Eccleſia, ſeù cappella cum annuo reddittu per hæredes ſoluendo ſcutorum 500. redimibili cum ſorte ſcutorum 6. m., inueſtiendorum in effectus fructiferos, ſi dicta ſumma per hæredes reſtituta, eaquè inueſtita, dictum fructum non produceret, ſed longè minorem, non tenerentur hæredes, ad ſuppletionem; Ac etiam *in Romana ſupplementi dotis* 5. *Decembris* 1653. *coram Cerro*, vbi quod facta donatione, vel aſſignatione pro dote Monaſterij tot bonorum, quæ redderent in fructu annua ſcuta 300., ſi poſt aſſignationem dictus fructus diminutionẽ pateretur, non teneantur hæredes ſupplere; Ad quod etiam conferunt deducta *apud Mantic. deciſ.* 242., & latè *per Brixian. in repertor. deciſ. Borgnin.* verſ. *verba potiùs præſumuntur poſita demonſtratiuè &c.*, vbi in fortioribus terminis certi numeri miſſarum celebrandarum, vt diminuto aſſignamento, vel excreta eleemoſyna miſſarum, vndè propterea, illud ad præfinitum numerum non ſufficiat, iſte reduci debeat iuxtà frequẽtem, & quotidianam praxim reductionis miſſarum ex iſta cauſa.

3

Non acquieſcendo autem, pro genio, ac ſtylo huiuſmodi generalitatibus; Ad veritatem melius indagandam, opportunum cenſui examinare priùs theoricam iuris generalem, ſiuè in abſtracto, deindèque agere de concreto, ſiuè de applicatione, diſtinguendo primam iuris inſpectionem in duas quæſtiones, quas de-

ſuper habemus; Primò nempè, an fauor piæ cauſæ aliquam ſpecialitatem in hac materia inducat, adeoùt, quamuis regulariter in prophanis, deſtinatio taxatiuè potiùs, quàm demonſtratiuè ſtaret, vndè propterea indubitata reſultet iuris diſpoſitio pro excluſione ſuppletionis, attamen in pijs legatis ſecùs dicendum eſſet; Et ſecundò, quatenus pia cauſa huiſmodi priuilegium non habeat, dictumque effectum non operetur, adeoùt pariformiter cum generali regula, ſeù theorica procedendum ſit; An & quando in vnâ, vel reſpectiuè altera taxatiuæ, vel demonſtratiuæ ſpecie verſari dicamur.

Quatenus pertinet ad primam; Inter antiquiores non modica fuit quæſtio, an inter cauſæ piæ fauores, & priuilegia,
4 iſtud recenſendum veniat, vt taxatiuam reſoluat in demonſtratiuam, ad effectum vt pium opus à teſtatore volitum, integrè impleatur, cum obligatione hæredis ad ſuppletionem; Vel potiùs, vt in hoc nullum dignoſcatur priuilegium; Atque iuxtà primam partem fauore piæ cauſæ ſentiunt *Roman. ſingul.* 435. quod ab omnibus in hoc allegari ſolet, & alij relati *per add. ibidem Tiraquell. priuil. piæ cauſ.* 63. *Tondut. quæſt. benef. tom.* 1. *quæſt.* 90. *num.* 2. *Rouit. deciſ.* 57. *num.* 2.

Contrarium verò tenent *Felin. in cap. ſuper litteris num.* 4. *de reſcrip.* & alij relati *per Rouit. dicta deciſ.* 57. vbi iſtam quæ-
5 ſtionem ex profeſſo hincindè diſputat, ex quibus patet, magis communem eſſe hanc ſecundam opinionem; Quod etiam agnoſcit *Rota deciſ.* 11. *de teſtam. in antiq.*, *deciſ.* 662. *par.* 1. *diuerſ. apud Merlin. deciſ.* 456. *num.* 35. *& ſeqq. repetit. dec.* 365. *par.* 5. *rec.*, *deciſ.* 63. *nu* 21. *par.* 11. *rec. Tondut. dicta quæſt.* 90. *num.* 4. *& ſeqq.*

Quod ſcilicèt, in eis fauore piæ cauſæ, & pro ſuppletione reſpondeatur, eo quia ambiguum eſſet, an in vna, vel altera
6 ſpecie verſaremur, quo caſu fauor piæ cauſæ hunc effectum operatur, magis benignæ, ac latæ interprætationis, atque vt in dubio potiùs pro demonſtratiua, quàm pro taxatiua reſpondendum ſit, præſumendo voluntatem diſponentis eo modo, quo melius, ac pinguius illa impleri poteſt, ex concluſione, de qua pluries *ſub tit. de dote*, & alibi, vt nemadmodum in legatis prophanis, ſeù aliàs ob
7 præſumptam maiorem hæredis dilectionem legatum ambiguum, ſeù æquiuocum interprætandum eſt, vt minus grauet, ità è contrario pia legata interprætationem habeant in oppoſitum; Vbi verò facti circumſtantiæ ob claram probationem, vel fortiores præſumptiones dictam præſumptionem ceſſare faciant, atque taxatiuam ſuadeant, tunc fauor cauſæ piæ nullius eſt operationis, ex vera propoſitione pluries inſinuata *ſub tit. de teſtam.* & alibi, quod piæ cauſæ priuilegium operatiuum eſt in
8 ijs, quæ pendent à iuris poſitiui ſubtilitate, & ſolemnitatibus, non autem in ijs, quæ ſunt voluntatis, ac iuris naturæ, quoniam dum Eccleſia alijs enixè prohibet obtinere bona alterius citrà iſtius voluntatem, multò magis ipſa hoc obſeruare debet; Iſtaque videtur huius quæſtionis genuina veritas; Et conſequenter tanquàm in quæſtione facti, & voluntatis potiùs, quàm iuris, neglectis diuerſis opinionibus, deciſio regulanda eſt ex facti circumſtantijs, ex quibus veriſimilem diſponentis voluntatem indagare oportet, illamque ſeruare; Atque in his terminis, & cum hoc præſuppoſito proce-
9 dunt dictæ deciſiones, in quibus Alij deſuper conſulti ſimpliciter fundamentum conſtituebant, quoniam reuerà error eſt cum generalitatibus in hac materia procedere.

Cùm eadem diſtinctione, ſeù reflexione procedendum eſſe dicebam in altera quæſtione, quando ſcilicèt deſignatio ſtare dicatur taxatiuè, vel demonſtratiuè;
10 Quamuis etenim Scribentes, pro conſueta leguleica inſipidura, totam vim conſtituere ſoleant in verborum ordine, ſeù contextura, diſtinguendo, an legatum cum ſua perfecta oratione præcedat, adeoùt alia ſuppletione non indigeat, deindeq; adijciatur deſignatio; Et tunc cenſeatur demonſtratiuè; Aut verò ſine deſignatione oratio eſſet imperfecta, ipſaq; deſignatio eam perficiat; Et tunc ſecùs; Magnam etiam retexendo quæſtionem, an oratio debeat eſſe penitùs ſeparata à deſignatione, vel ſufficiat vnica, & coniunctiua cum ſolo relatiuo, vt ex ſenſu *Bartol.* diſtinguit *Caſtrenſ. conſ.* 338. *lib.* 1. *num.* 3., quem cæteri ſequuntur relati *per Cyriacum contr.* 336. *num.* 8. *& ſeqq. Grat. diſcept.* 256. *num.* 1. *& ſeqq. Lara de anniuerſ. lib.* 1. *cap.* 15. *in fin. Alphonſ. de Leon. de cappellan. quæſt.* 5. *ſect.* 14. *Caſtill. lib.* 4.

contr.

contr. 54. nu. 21. & seq. Galeot. lib. 2. contr. 44. de Maria decis. 124. lib. 2. Rouit. decis. 57. num. 3. & 12. Merlin. decis. 456. nu. 35. & seqq. Rot. decis. 63. num. 21. par. 11. rec. Fanen. dotis 31. Ianuarij 1656. coram Verospio, & aduertitur etiam *sub tit. de dote disc. 61.*

Attamen mihi id nunquam placuit, quoniam ex propositione præ oculis semper habenda, vt non cortex, & figura
11 verborum, sed substantia veritatis attendi debeat, erroneum videtur, ità generaliter decisionem regulare cum hac formalitate verborum, quæ potiùs Notarij, quàm testatoris esse dicuntur; Potissimè verò in hac facti specie, quod agebatur de testamento mulieris, quod iuxtà huius regionis nimium damnabilem abusum, conceptum erat in lingua latina, ipsi testatrici omninò ignota; Et consequenter prorsùs fabulosum videtur ex formalitate verborum, vel phrase Notarij, voluntatem regulare, cum potiùs indagari debeat substantia voluntatis ex facti circumstantijs, potissimùm verò à qualitate hæredis, an sit verisimiliter magis dilectus, necnè.

Applicando autem ad rem; In hac facti specie ex eius circumstantijs, pro demonstratiua potiùs mihi respondendum videbatur, ideoque consului, vt concordia
12 procurari debuisset, vt credo sequutum, quoniam etiam contextus verborum id suadere videbatur, cum tamen sufficeret, quod esset dubium, vt in eo pro causa pia facienda esset interpretatio vt suprà; Clariùs verò, quoniam agebatur de hærede penè extraneo, adeoùt non intraret illa magis benigna interpretatio, quę fauore hæredis contrà legatarium ex ratione prædilectionis fieri debet, atque agebatur de asse hæreditario valdè notabili, vndè propterea onus suppletionis non remanebat incongruum, neque inuerisimile, totiusque dispositionis contextus ostendere videbatur, vt testatrix erogationem dictæ summæ annuorum scutorum 120. in animo principaliter habuerit.

Hinc in pluribus nimiùm frequentibus quæstionibus pluries disputatis, cum hac distinctione, seù regula procedere consueui, præter genium, vt inepto vsui satisfieret, iuxtà opportunitatem causarum pro vna, vel altera parte, prædictarum auctoritatum cumulum faciendo; Præsertim verò *in vna Perusina legati* pro Collegio Cambij cum Flordespina Sētia; Cum enim testator fuerit magnus negotiator, instituto hærede vnico filio
13 infante, in casu eius obitus absque prole, vndè fieret locus substitutioni ad fauorem Flordespinæ filiæ, reliquisset aliqua legata, præsertim vnum scutorum bis mille dicto Collegio pro pijs operibus adimplendis, designando pecunias retrahendas ex effectibus Thesaurariæ, quam ipse habuerat; Idem verò per aliquod tempus superuiuens dictos effectus in notabili parte exigendo, pecunias inuestierit eo modo, quo per hæredis tutores fieri debere mandauerat, vndè propterea facto casu legati non aderant, nisi modici effectus inexigibiles, meritò *per Rotam sub die 4. Maij 1671. coram Bourlemont* decisum fuit pro legatario, vt destinatio staret demonstratiuè, non autem taxatiuè, quodque substantia voluntatis esset, vt defecto filio masculo, ideoq; transeuntibus bonis ad fœminam aliqua maiora fierent pia opera pro animæ suffragio, ob cessantem rationem prædilectionis, ac maioris prouisionis filij masculi, & agnationis; Ex ea potissimùm circumstantia, quod post testamentum superuixit testator per plures annos, atque morti proximus aliqua legata in testamēto cōtenta, in codicillis reuocauit, & in reliquis testamentum confirmauit.

Et *in vna Mediolanen.* disputata coram Prælato Iudice commissario; Cum Æmilia Carpana reliquisset aliquibus
14 eius filijs professis *in diuersis Religionibus* quasdam annuas summas ad eorum vitam percipiendas ex fructibus effectuum, quos ipsa habebat in banco Sancti Ambrosij, istoque defecto, vel deteriorato, prætenderet hæres, vt legatariorum damno id cedere deberet, quodque dicta destinatio staret taxatiuè; Dicebam ego scribēs pro Religiosis legatarijs idē quod suprà vt. *spectari* deberet substātia voluntatis, quæ erat prouidendi filios religiosos de annua vitalitia subuentione ex tollerata Ecclesiæ cōsuetudine pro illis extraordinarijs indigentijs & vsibus, quibus Religio non prouidet, quamuis adijci soleat, vt Religiosi legatarij debeant erogare in vsus pios ab ipsis testatoribus eis communicatos, quoniam ista

est

est cautela adhiberi solita, vt Religio manus desuper non apponat, atq; in alijs vsibus eroget ex deductis *sub tit. de testam. disc. 56.* ac etiam *sub tit. de Regularibus*, in effectu autem substantia voluntatis est, prouidendi personas ex motiuo sanguinis, ideoque destinatio facta fuit de effectibus dicti banci, in gratiam legatariorum, tanquam de effectibus magis promptis, & explicitis, non autem, vt eis cessantibus, dicta subuentio cessare deberet, & consequenter standum non est verbis, seu eorum formalitati; Eodemque modo quamplures alias consimiles quæstiones decidendas esse, pro meo sensu, respondere consueui.

ROMANA

LVCRI ET LEGATI

PRO

ANTEA CORSINA DE PACTIS

CVM

ALEXANDRO SABELLO.

Casus disputatus coră A.C., resolutus pro Alexandro, postea vt credo, concordatus.

An facto per vxorem viro legato de fundis dotalibus, vel eorum aliqua parte, possit vir lucrum dotale petere ab hæredibus mulieris in alijs bonis, vel potiùs illud sub legato comprahensum sit; Et an legatum factum per vxorem viro, compensetur cum lucro dotali.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An legatum factum per debitorem creditori censeatur animo compensandi, & in specie an legatum factum viro compensetur cum lucro dotali.*
3 *Quando cesset regula super compensatione, vel non compensatione.*
4 *Quid in terminis lucri debiti ex Statuto Vrbis.*
5 *Probatio voluntatis naturalis in hoc sufficit.*
6 *De distinctione inter casum certum, & dubium, an debitum sit voluntarium.*
7 *Lucrum est pars quotitatiua dotis.*
8 *Legatum censetur factum de portione, vel iure spectante ad testatorem.*

DISC. XV.

1 MAria Flauia de Corsinis nupta Alexandro cum dote scutorum 3000., hoc est ducentum in bonis mobilibus, & 2800. in tot locis montium, cũ expressione quod ea remanerent pro fundo dotali tanquàm species; Decedens, in eius testamento, pluribus factis legatis, penè absorbentibus dicta bona mobilia, & quædam alia extradotalia, viro reliquit vsumfructum dictorum locorum montium, eorumdem proprietate relicta Anteæ nepti hæredi institutæ, contrà quam idem vir iudicium instituit pro consequutione lucri dotalis sibi debiti ex Statuto Vrbis, vltrà dictum legatum, atque mandatum executiuum ab A.C. obtinuit, commissaque causa appellationis *in Rota coram Ninot*; Ego ad scribendum pro rea conuenta requisitus fui, neque quod sciam ad vlteriorem disputationem deuentum est, vel ob mortem dicti Alexãdri, vel propter concordiã, seù ob defensorum mutationem.

In congressu autem, iuxtà laudabilem stylum, pro causæ directione habito, ac etiam in informationibus futuræ disputationis Rotalis præparatorijs, recognitis scripturis, tam coram A.C., quàm in Signatura, pro vtraque parte editis, duo erant puncti; Primò nempè, an dictum le-

legatum compensandum veniret cum lucro dotali; Et secundò, an illud factum censeretur de omnibus locis montium, vel solùm de illa parte, quæ spectabat ad vxorem, dempta quota spectante ad virum ratione dicti lucri.

Quatenus pertinet ad primum; Quamuis alij scribentes pro hac parte, post consuetum inutilem, ac superfluum cumulum eorum, quæ collecta habentur *apud Menoch. lib. 4. præsumpt. 110. Altogr. cons. 68. lib. 1. Rot. decis. 257. & 312. par. 7. recent.*, & in alijs frequenter, in ista quæstione, an & quando legatum factum creditori, censeatur factum animo compensandi, stante vulgari, nimiùmque recepta distinctione, inter causam voluntariam, & necessariam, seu legalem, & conuentionalem, dicerent, quod lucrum dotale, vtpotè delatum à Statuto, etiam sine conuentione esset potiùs legale, ac necessarium quàm voluntarium; Attamen quando causa restringeretur ad hunc punctum, ego dicebam, quod nimiùm de illo dubitandum esset, quoniam licèt etiam in his specialibus terminis, in puncto iuris, verior fortè videatur hæc opinio, pro qua *constituenda sit regula*, vt agnoscit *eadem Rota apud Caualer. dec. 168 num. 4. & decis. 318. num. 1.*, & habetur *sub tit. de dote in Romana augmenti dotis disc. 27.*; In terminis tamen specialibus Statuti Vrbis, contrarium Rotæ sequi placuit, vt scilicèt dicatur potiùs debitum voluntarium, et consequenter, vt regulariter non intret compensatio, vt *apud Caualer. dicta decis. 318., & apud Buratt. decis. 291.*, & habetur in dicta sua materia *sub tit. de dote.*

Et quamuis regula, quæ iuxtà dictam distinctionem statuitur, inducat simplicem iuris præsumptionem, quæ non solum per cõtrariam probationem expressam, sed etiam per præsumptiuam, seù adminiculatiuam, est elidibilis ex generaliter deductis *apud Menoch. & Altogr. vbi supra*, et in specialibus terminis dotis, & lucri *d. decis. 257. & 312. par. 7. rec.*, adeoùt ista pariter non sit quæstio iuris, sed facti, & voluntatis, non recipiens proindè certam regulam generalem cuicumquè casui applicabilem, cum decisio pendea à singulorũ casuum indiuiduis circumstantijs, prudenti arbitrio ponderandis; Ideoquè irrisione dignæ mihi semper visæ sunt illæ iuris quæstiones, quæ desuper assumi solent, siuè illæ chartarum inanes repletiones, quæ cum allegationum magno cumulo desuper fieri solent, quoniam theorica iuris est indubitata, ideoq; tota quæstio reducitur ad factum siuè ad applicationem; Attamen in hac facti specie, nullæ aderant coniecturæ, quæ suadere possent limitationem dictæ regulæ.

Super hoc autem puncto, in eodem casu, de quo agitur *dicto tit. de dote disc. 27.*; Aduertebam, vt pro compensatione respondendum esset, non solũ ex qua-
4 litate legati valdè notabilis, et quæ circumstantia in hoc proposito pro coniectura ponderari solet, vt *apud Altograd. dicto cons. 68. num. 38. Rot. dicta decis. 257. num. 11., & decis. 312. num. 10 & 11. par. 7. rec.*, sed etiam ob aliud testamentum posterius, quod inefficax fuit ad derogationem primi ob defectum solemnitatũ, adeoùt si fuisset inter liberos, vel ad pias
5 causas, rectè valuisset, cum voluntas esset perfecta; Et consequenter dum accedebat concludens probatio naturalis, ista sine dubio attendenda videbatur, dum ad hunc effectum sufficiunt solæ præsumptiones, & coniecturæ.

Ponderando vlteriùs, circa huiusmodi præsumptionum, & coniecturarum efficaciam, quod magna differentia est, in-
6 ter casum, in quo agatur de simplici credito indifferenti, ex causa merè voluntaria, vndè propterea intret sine dubio regula compensationis exclusiua, atq; illum casum, in quo agatur de lucro statutario, in quo sub quæstione est, an potiùs dicendum veniat debitum legale, ac necessarium, ad effectum regulandi vim, seù efficaciam coniecturarum; Istæ siquidem longè minores in isto casu dubio, quàm in altero magis claro desiderandæ veniunt, vtpotè minorem facere debentes operationem, iuxtà ea, quæ circa efficaciam coniecturarum, ac præsumptionum frequentèr habentur *sub titulo de fideicommiss.*

Quoueròad alterum punctum; Mihi videbatur, quod clarum esset bonum ius huius partis, et consequenter quod clara
7 esset iniustitia dicti decreti, quoniam vt habetur pluries in sua materia *sub tit. de dote* præsertim *in Romana dotis de Anguilaria disc. 128.*, lucrum statutarium

dici-

dicitur pars quotitatiua dotis, quæ ipso iure acquiritur viro proportionabiliter, & pro rata in singulis rebus dotalibus, eo modo quo de legitima, aliisque detractionibus habemus; Ideoque cum de tempore mortis testatricis, in quo testamentum perfectionem recepit, ipsa esset solùm domina trium ex quatuor partibus istorum locorum montium, hinc legatū censendum est factum de portione spectante ad testatorem, nequè legatarius
8 prætendere potest æstimationem illius ratæ, quę est sua iuxtà textus expressos *in l. serui electione §. fin.*, & magis punctualiter *in l. si domus §. etiam fin. ff de leg. 1. Bart. in dicta l serui electione num. 2.*, ad quem tanquam magistrum se referunt *Alex.* & cæteri *in dicta l. si domus*; Et generaliter de quacumquè dispositione, etiam correspectiua, vt intelligatur de iure, seù portione ad ipsum disponentem competente *ad text. in l. qui tabernas ff. de contrab. empt., & cap. pastoralis de donat. Gregor. decis. 225. num. 2. & 3. Otthob. decis. 195. num. 19. cum seqq.*, & aduertitur *sub titde donat.*, & sub altero *de empt. & vendit.* ac alibi &c.

filiæ, quæ de tempore mortis testatoris erat nouitia.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Nouitij dicuntur personæ Religiosæ.*
3 *Masculinum concipit fœmininum.*
4 *Contrarium, seù declaratur.*
5 *Quomodò istæ quæstiones decidantur, & num. 10.*
6 *Si testator post factum legatum perficit opus, non debetur.*
7 *Sed si expendit minus, debetur id, quod superest.*
8 *Vitalitiæ subuentiones monialium reputantur pars dotis.*
9 *Relictum filijs intuitu patris, dicitur à patre obtineri.*
10 *De eodem, de quo num. 5., quomodo scilicèt istæ quæstiones decidendæ sint.*
11 *De legato generali facto Prioribus Ciuitatis, & particulari facto alicui, an vtrumque debeatur, si hic esset Prior, & de factis Monacis, & Priori &c.*
12 *An familiares honorati cum legato particulari participent de legato generali facto familiæ, remissiuè.*
13 *Legatum factum filijs alicuius, an conueniat solum tunc natis, vel etiam natis post mortem testatoris.*

COMEN.

LEGATI

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

Facto legato omnibus filijs alicuius, an id conueniat etiam filiabus, adeoùt masculinum concipiat fœmininum; Et si fiant duæ species legatorum, vna pro filijs in genere, & altera illis filiabus eiusdem patris, quæ erant monialis professæ, quale legatum conueniat illi

DISC. XVI.

1 CVM testator (qui propria prole carendo, etiam invita subuenerat nepotem ex fratre, numerosa familia oneratum, in expensis necessarijs pro monacagio aliquarū filiarū); In eius testamēto, monialibus explicatis cum proprijs, ac appellatiuis nominibus, annuum legatum vitalitium librarum 30. pro qualibet fecisset; Deindequè omnibus eiusdem nepotis filijs, sub nomine generico, & collectiuo, reliquisset libras 3000. pro quolibet; Casus autem dedisset, vt de tempore mortis, vna ex eiusdem nepotis filiabus, quæ de tempore testamēti erat puella innupta, reperiretur nouitia in Monasterio; Hinc proindè orta est quæstio, an, & quale legatum huic conueniret,

ret, an ſcilicèt illud vitalitium factum monialibus annuarum librarum 30., vel potiùs alterum generale factum omnibus filijs librarum 3000.; Cumquè deſuper meum votum pro veritate expetẽdo ſuppreſſis nominibus, adeoùt incertus eſſem de requirente, communicata fuiſſent reſponſa plurium hinc inde Scribentium; Comperij, quod ad duas dubitandi rationes quæſtio reſtringebatur pro excluſione dictæ nouitiæ à legato maiori; Primò nempè, quod illud factum filijs conueniret, ſolum maſculis, adeoùt maſculinum non conciperet fœmininum; Et ſecundò, quod cũ dictũ maius legatũ librarum 3000. factum eſſet cum expreſſione, quod fieret omnibus alijs dicti nepotis filijs in ſæculo exiſtentibus, ità non congrueret dictæ monali, quãuis adhuc non profeſſæ, ſed nouitiæ, multas cumulando auctoritates, de quibus præſertim *apud Sperell. deciſ.16. num.13. cum ſeqq.*, *Vecch. de nouitijs diſp.11. quæſt.10. num.2.* *Donat in praxi rerũ regular. tom.2. tract. 6. de priuil. nouitior. qu.2.*, ad probandũ vt nouitij dicantur potiùs perſonæ religioſæ, & eccleſiaſticæ, quàm ſæculares.

Quatenùs igitur ad has duas dubitandi rationes pertinet; Reſpondi, vt pro meo ſenſu, neutra ſubſiſteret; Non quidem prima, quoniam quidquid aliqui contradicant, verius eſt, magiſquè receptum, vt in vltimis voluntatibus, atquè in rebus indifferentibus, maſculinum cõcipiat fœmininum, atquè ſub nomine filiorum veniant etiam fœminæ, vt frequenter habetur *ſub tit. de fideic. diſc.34. & ſeqq.* & alibi.

Et quoad alteram dubitandi rationem aduertebam, quod licèt nouitij, dicantur quidem religioſi, ſeù veriùs pro religioſis habeantur, ad quoſdam effectus fauorabiles, relatos per ſupra allegatos; Attamen ad alios effectus, magiſquè generaliter, præſertim quoad factionem teſtamenti actiuam, vel paſſiuam, ac ius ſuccedendi, & ſimiles, habentur potiùs pro ſæcularibus, quàm religioſis; Vt in ſpecie hæreditatis, vel legati relicti exiſtentibus in ſæculo, vt debeatur nouitijs, cæteris relatis, habetur *apud Paſqualig. quæſtion. moral. centur.3. quæſtione 286. per tot.*; Et generaliter *Sanchez ad præcepta decalog. lib.5. cap.5. numer.12. Sperell. dicta deciſ.16. à num.2. ad 11.* & alij ſupra allegati; Potiſſimè quia dicta expreſſio qualitatis ſæcularis dici non poterat ità præciſa, ſeù taxatiua, vt non niſi verè in ſæculo, ac ſæculari more viuentibus, diſpoſitio cum tractu ſucceſſiuo competeret, iuxtà illos caſus, de quibus habetur *ſub tit. de fideicom. diſc.63. cum ſeqq.*, vel ſimilibus, quoniã ità dictũ fuit, diſcretiuè à monialibus iam profeſſis, quibus idem teſtator diuerſum inferius legatum fecerat, ità eius voluntatem explicando pronidendi ſolum perſonas, non autem ditandi monaſteria, vltrà neceſſitatẽ perſonarum.

Neglectis autem huiuſmodi generalitatibus, atquè inhærendo conſueto ſtylo, ac genio, regulandi huiuſmodi quæſtiones voluntatis, quæ ſunt potiùs facti, quã
5 iuris, cum adeo frequenter inſinuata propoſitione, vt non cortex, vel formalitas verborum, ſed ſubſtantia voluntatis attendi debeat, ex ſingulorum caſuum indiuiduis circumſtantijs deſumenda; Meus ſenſus fuit, vt inſpiciendum eſſet, an pro dote, quæ ante admiſſionem ad ſuſceptionem habitus nouitiarũ, deponẽda eſt penès ædem ſacrã, vel in ipſo Monaſterio iuxtà decreta generalia, de quibus *ſub tit. de dote diſc.167.*, vbi agitur de dote monialiũ, ipſe met teſtator (vt in dictis alijs proneptibus iã profeſſis fecerat) dictã ſummam, ſeù aliam in vita poſt teſtamentum erogaſſet, vt tunc dictum le-
6 gatum, vtpotè implicitè certam habens cauſam, ſeù finem, ità impleũ eſſet præuentiuè, et conſequenter, quod duplicata ſolutio deneganda eſſet ad *textum in l. libertis quos ff de alim. & cibar. legat. cum concordan. apud Menoch. lib.4. præſumpt. 128. Rotæ deciſ.60. num.1.*, & *deciſ.336. n.9. par.6. rec. Romana pecuniaria, ſeù legati 11. Martij 1650. coram Albergato*, & in alijs; Si verò non dediſſet in vita, quia nempè ipſe pater, dotis depoſitum feciſſet, vt tunc deberetur legatum, quo mediante, idem pater, quem teſtator ſubleuare voluit, in toto, vel in parte ſe reintegraret.

Dubitandi autem ratio, ſupererat in caſu, quo dicta ſumma eſſet excedens, an ſcilicèt illud plus deberetur; Ac etiã, an huic nouitiæ, poſtquam effecta eſſet mo-
7 nialis, deberetur quoquè dicta vitalitia ſubuentio relicta alijs monialibus; Et in hoc, quamuis magis communis opinio

videatur, vt testatore implente in vita opus à eo volitum, cum minori summa, quàm relicta sit, debeatur residuum legatario, quoties iste talis dicendus veniat, non autem simplex exequutor, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Casanatt. conf.* 35. *Capyc. Latr. consult.* 17. *de Marin. resol.* 93. *lib.* 1. *Gregor. & Add. decis.* 236.; Attamen, retenta eadē propositione, de qua supra, vt attendi potiùs debeat substantia voluntatis, quàm verborum cortex, seù formalitas; Aduertebam, quod vtrumquè peti non posset, residuum scilicèt dictæ summæ, ac etiam præfata annua subuentio vitalitia, quoniam ista relicta fuit solùm certis, ac determinatis personis, proprio, ac appellatiuo nomine explicatis, ideoquè alijs competere nō poterat; Benè tamen prouidus testator, incertus de statu, quem alię dicti nepotis filiæ assumpturę essent, dicta summam reliquit, vtpotè probabiliter cōgruam pro dote matrimonij carnalis, quæ frequentiùs maior esse solet, ac etiam pro altero matrimonio spirituali, et prò dote solita dari monasterio, quæ minor est, sed adæquare solet ob alias expensas ad id necessarias, iuncta dicta vitalitia subuentione, quę necessaria etiam reputatur, ideoquè pars dotis dicitur, vt
8 in specie *apud Merlin. decis.* 671. *repetit. decis.* 30. *par.* 7. *rec. num.* 27., & pluries in sua materia *sub titulo de dote*; Et sic, quod summa excedens, seù residualis, erogaretur in censum, vel alia iura vitalitia, pro dicto effectu assequendo, & nè ista proneptis alijs inferior esset, dum substantia voluntatis fuit occurrendi necessitati, qua præmebatur eius nepos istarum fœminarum pater, cuius intuitu principaliter hoc legatum genericum pro omnibus filijs etiam nascituris, & ignotis, personale meritum non habentibus, factum censetur; Adeoùt propte-
9 reà, filij, à patre potiùs, quàm à testatore agnoscere dicantur, atquè id reputetur peculiū profectitium, vt aduertitur pluries *dicto tit. de dote disc.* 154., & in altero *de Iagit. & detract.*

Si enim residuum, vel summa excedens, deberetur ipsi puellæ ad eius liberam dispositionem, vel quod ea non disponente, per subsequentem professionem acquireretur Monasterio, ità set erogare legatum in diuersam causam, seù finem, quam à testatore volitum, dum puellæ pater; quem testator subleuare voluit, adhùc præmeretur necessitate, saltem morali, suppeditandi aliquam vita-
10 litiam subuentionem; Istequè videtur verus modus interprætandi, ac exequendi legata, aliasquè vltimas voluntates, indagando scilicèt earum substantiam, seù finem, vel effectum, quem testator in animo habuit, non autem cum leguleica insipidura, vim constituere in verborum formalitate, seù grammaticali significatione, vel in regulis generalibus, aut in decisionibus, vel doctrinis, quæ certos diuersos casus percutiant, vt in dies cum manifesto æquiuoco fieri videmus.

Et quamuis ad scripturæ ornatum plura deducerem, super quæstione, an & quando species deroget generi, in ordine
11 deducēdo ea, quæ habētur ex traditione *Baldi in l. si Consul n.* 2., *& in l.* 2. *ff. de stipulatione seruorum, & conf.* 349. *lib.* 4. *& conf* 140. *lib.* 5 *cum concordant. apud Rebuf. decis.* 57., *& de Marin. resolut.* 237. *lib.* 1. Quod scilicèt facto legato generali Prioribus Ciuitatis, & alio legato speciali personæ, appellatiuo nomine explicatæ, quod si ista reperiatur etiam de Prioribus, vtrumquè legatum assequi debeat; Ita pariter de legato generali facto omnibus fratribus Monasterij, & aliquo particulari facto Priori, seù Abbati, quod huic vtrumquè debeatur; Siuè quod facto legato generali omnibus mulieribus de familia, vel genere, ac particulari alicui fœminæ, quæ sit de dicto genere, ista debeat vtrumquè obtinere cum similibus; Attamen ista potiùs ad ornatum, (vt dictum est) deducta, quandam superfluam euagationem continebant, cum legatum particulare librarum 30. ad vitam, factum non esset omnibus dicti nepotis filiabus, quæ essent moniales, sed certis, ac determinatis personis, appellatiuo nomine explicatis, ideoquè dicta quæstio non intrabat.

De illa verò agi solet inter Aulicos, quando scilicèt Cardinalis, vel alter Magnates faciat legatum generale distribuē-
12 dum inter omnes de familia, & aliquod particulare aliquibus familiaribus appellatiuo nomine explicatis, an scilicèt isti participare quoquè debeant de dicto legato generali, quod particulariter agere occasio non dedit.

Tunc

Tunc enim dicta vitalitia subuentio omnibus filiabus dicti nepotis, quæ monniales fierent, debita esset, quando de illis in genere loquutus esset, cū tunc non restringeretur ad moniales, quę de eo tempore existerent, sed etiam ad alias, quæ in futurum fierent.

Hinc propterea in vna *Ianuen.* in qua suppressis nominibus consultus fui, an legatum annuarum librarum 500. ad vitam factum à Petro, omnibus filijs alterius Petri ex fratre nepotis, deberetur 13 solum filijs iam natis de tempore mortis testatoris, vel illis etiam, qui postea nati essent; Respondi, vt illud omnibus debitum esset, cum natura generis, seu nominis collectiui sit omnes sub eo genere, vel nomine venientes comprehendere; Ac etiam quia nati de tempore testamenti, non erant in tali statu, quod meritum ex persona propria habere possent apud testatorem, quem non constabat eos vnquā vidisse; Quare ex coniunctione sanguinis erga Petrum nepotem, atque ex modo legandi ad vitam annuam præstationem, regulariter alimentis referibilē, censendum est, quod testator principaliter respexisset ad dictum Petrum, vt ità eum in filiorum substentatione subueniret; Ideoquè dispositio generaliter de omnibus intelligenda est iuxtà theoric. *Bart. in l. si cognatis num. 1. in fine, & nu. 4. ff. de reb. dub.*, quam cæteri sequuntur, vt *per Alex. conf. 171. num. 4. lib. 2. Peregr. de fideic. art. 22. num. 14. 16. & 19. Fusar. quæst. 318. numer. 18. & 23. Surd. de alim. tit. 8. priuil. 31. num fin. Menoch. lib. 4. præsumpt. 122. num. 9. Castill. 8. tom. controu. cap. 53. num. 8. cum seqq. & num. 15.*, vbi concordantes.

ROMANA

SEV

SENEN. LEGATI

PRO

CAMILLA BERNINA, & IOSEPHO CATINO VIRO

CVM N.

Casus disputatus coram Prælato Iudice deputato, credo resolutus pro N. siuè concordatus.

An legatum relictum pro subsidio dotali filiarum alicuius coniuncti, debeatur solùm illis filiabus, quæ viuente testatore procreatæ erant, vel etiam alijs post mortem susceptis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quomodo ista quæstio sit decidenda.*
3 *Ex quibus constet, quod ad legatum omnes filiæ etiam nascituræ sint vocatæ, & num. 6.*
4 *Dos data ab extraneo intuitu patris, dicitur profectitia, ac si à patre.*
5 *Quando ità dos data, seù legata censeatur.*
6 *De eodem, de quo num. 3., vt filiæ etiam nascituræ vocatæ sint.*
7 *Quod in legatis non detur extensio, & quod grauamina non sint multiplicanda.*
8 *Declaratur quando id procedat, & quando intret ista conclusio.*

DISC. XVII.

1 CVM testatrix, viuens in Ciuitate Senen. haberet fratrem artificem qui in Vrbe viuebat vxoratus, atque in dies filios tàm masculos, quàm fœminas procreabat, in testamento quamdam

ſummam reliquit, ſub pij loci, ſeù qualificatæ perſonæ prouida administratione multiplicandam cum fructibus, vt ità ſuis temporibus, ſubſidiſi dotale parari poſſet filiabus, quas poſt ipſius mortem dictũ fratrem habere, ac prouidere debere contingeret; Cumquè de tempore mortis teſtatricis, aliquæ adeſſent iam procreatæ fœmine, poſtmodũ verò procreata eſſet Camilla, nupta Ioſepho, hinc exequutor, pecuniã ex iſto legato prouenientem, & multiplicatam, tàm ei, quàm alijs diſtribuit, quarè dictæ ſorores priùs procreatæ prætendentes, quod ipſis tantùm legatum congrueret, repetitionem ſummæ ſolutæ à ſorore, eiuſquè viro intentarunt coram Prælato Iudice particulariter deputato, qui inhærendo ſoli litteræ teſtamenti, ac verbis, quę iuxtà grammaticalem ſignificationẽ congruere tantũ videbãtur filiabus de tempore mortis procreatis, fortè iuxtà petita iudicauit; vel ob eius difficultates, cauſa per cõcordiam finem habuit; dum poſt vnicam diſputationem, ampliùs de illa actum non audiui.

Mihi autẽ ſcribenti pro reis conuentis (etiam in ſenſu veritatis) contrarium probabilius videbatur, inculcando ſæpiùs inſinuatam veram propoſitionem, (non tamen de facili apud pragmaticos pro
2 moderno ſtylo admitti ſolitam) vt in huiuſmodi quæſtionibus decidendis, vtpotè nudi facti, & voluntatis, potiùs quàm iuris, immorandum non ſit in formalitate, ſeù grammaticali ſignificatione verborum, ſed in naturali veritate, ac ſubſtantia veriſimilis voluntatis; Potiſſimè verò, & clariùs, vbi agatur de diſpoſitionibus mulierum, vel perſonarũ idiotarum, quas certum eſt, non ſcripſiſſe nec præcisè dictaſſe diſpoſitionẽ per ſe ipſas, adeoùt ex verborum ſenſu earũ voluntas deſumi valeat, dum potiùs certum remanet, quod ſint verba Notarij, vel alterius ſcriptoris, qui pro eius ſtylo, verba, ſeù eorũ phraſim conceperit, iſtiquè frequẽtiùs non aduertunt ad eorumdẽ verborũ vim, ſeù efficaciam, vt in dies experimur, & cuiq; ad ſenſum clarè probatur; Ideoq; id nimia admiratione dignum videtur, quod omnes id agnoſcamus, ac fateamur, et tamen in dies magis creſcit abuſus in contrarium, inſiſtendi in ſola formalitate verborum, vel ſignificatione clauſularium, & dictionum, perindè, ac ſi eſſent verba I. C. in Pandectis, quæ non niſi ſeriò, ac miſteriosè prolata ſint; Error quidem magna irriſione dignus.

Attenta verò ſubſtantia voluntatis, iſta pro meo iudicio, clara videbatur cõſiderandi prouiſionem filiarum fratris in genere, principaliter reſpiciendo ad
3 iſtum ſubleuãdum ab onere, quod teſtatrix præuidebat ſibi incumbere debere, vt filiarum honeſtati conſuleretur, dum ipſa morabatur Senis, frater autem cum vxore, & familia in Vrbe, vnde propterea teſtatrix ignorabat, an, & quales filias haberet, nullaquè iam procreatarum ſibi cognita erat, adeoùt intrare poſſet motiuum, vel ratio affectionis perſonalis, et conſequenter cauſa, ſeù motiuum legati reſpiciebat ipſum patrem, ac fratrem reſpectiuè, illi verè, ac directè faciendo legatum, eius tamen vſum, vel diſtributionem, ità reſtringendo, ne ſcilicèt in alios vſus illud erogari poſſet.

Hinc propterea intrat concluſio, vt hæc dos patris intuitu filiabus relicta,
4 profectitia cenſenda ſit, perindè, ac ſi verè ex paterna ſubſtantia proueniret ad *text.in l.profectitia ff.de iur.dot.§.1.inſtit. per quas perſon.nobis acquir. Gabr.de iur. dot.concluſ.5.Mangil.de imput. quæſt* 19. *num.*16. *& quæſt.*20.*num.*5. *Bottiglier.de ſucceſſ. ab inteſt.theor.*21.*num.*2. *Rot.deciſ.* 46.*nu.*7 *par.*6 *recent. Romana cenſus* 15. *Iunij* 1654.*corã Bichio inter ſuas dec.*610. *num.*37. & ſæpiùs; Et de huiuſmodi legatis relictis pro dotandis filiabus, vt cenſeantur contẽplatione patris, atq; ad eum
5 ſubleuandum *Otthob.deciſ.*15.*n.*5.*& ſeqq. & per tot.*, et habetur in ſua materia *ſubtit.de dote præſertim diſcur.generali* 154., vbi agitur de natura, ſeù qualitate dotis, & quando ſit profectitia, vel aduentitia.

Hinc proindè, probabilem, benèque fundatam eſſe dicebam ſpecialem doctrinam *Ruini conſ.*30. *à num.*1.*ad* 12.*lib.*2., vbi in terminis hoc firmatur, vt ſcilicèt
6 legatum relictum filiabus alicuius, cõueniat tàm natis, quàm naſcituris, eo quia inter vnas, & alias nulla dignoſcatur differentiæ ratio, quoties non vrgeat ratio perſonalis affectionis erga iam natas; Et conferunt deducta *apud Surd.conſ.*72.cũ alijs *per Caſtill. de vſufr. cap.*2. *num.*62. *& ſeqq.*, an conueniat legatum omnibus

filijs

filijs etiam ex secunda vxore.

Cum etenim legati motiuum sit affectio testatoris erga patrem, ad eum subleuandum, atquè ad consulendum huiusmodi fœminarum honestati, hinc nulla subest ratio, cur vnam, & non aliam disponens prouidere voluerit.

Et quamuis Scribentes in contrarium deducerent regulam, in qua Iudex nimiũ se fundare videbatur, quod in legatis vtpotè continentibus onus, admittenda nõ sit extensio de persona ad personam, vel de casu ad casum, quoniam onera non sunt multiplicanda, & de qua regula habetur *sub tit. de fideicom.* pluries; Attamen aduertebam, quod id contineret æquiuocum clarum, ob dictæ regulæ incongruam applicationem; Procederet enim quando ageretur de multiplicando onus hæredis, puta quia testator certam summam inuariabilem distributiuè singulis filiabus alicuius fecisset, cum tunc hæredis, interesset, ad euitandam oneris multiplicationem, vt nascituræ nõ comprehenderentur; Atquè tunc intraret regula restrictiua, quoties non vrgeat ratio maioris dilectionis erga legatarios, quam erga hæredem; Secùs autẽ vbi vnicum est legatum, quod ex numero alterationem non recipit, vt in præsenti, vndè propterea nil interfit hęredis, an maior, vel minor sit filiarũ numerus, & an omnes participent, necnè, adeoùt sola quæstio sit inter personas de eodem genere, super modo participãdi inter se, tunc etenim non intrat dicta regula restrictiua, sed potiùs intrant dictæ aliæ rationes vniformis prouisionis totius generis, ità testatore assumente partes patris, qui omnes filias pariformiter diligit, ac prouidere debet, iftaquè mihi videbatur genuina veritas.

MVTINEN.

LEGATI

AD PETITIONEM

PROSPERI DE PRATIS

Responsum pro veritate.

De eadem materia, an legatum factum filijs alicuius, debeatur solum natis de tempore testamenti, seù mortis testatoris, vel etiam alijs, qui posteà nati sint; Et an factum filijs intuitu patris, ad istum pertinere dicatur, adeoùt de eo disponere possit, necnè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Dispositio facta fauore filiorum alicuius intelligitur de tunc natis.*
3 *Fallit ex coniecturis.*
4 *Affectio dari potest etiam infantibus.*
5 *Legatum factum filijs intuitu patris, ipsi patri factum dicitur.*
6 *Donatio contemplatione matrimonij, an acquiratur etiam filijs procreatis ex diuerso matrimonio.*
7 *De argumento vocationis filiorum per nomen collectiuum.*
8 *Quando filij nascituri etiam ex diuersa vxore procreati, veniant.*
9 *Ad quid referat conclusio, de qua num. 5.*
10 *Obseruantia est optima interpres, ique deferendum est.*
11 *De differentia inter legatum purum, & conditionale.*
12 *Quarè in eisdem articulis diuersimodè iudicetur.*
13 *Quarè legatum pro dote factum filiabus alicuius, censeatur factum ipsi patri.*
14 *De eadem conclusione, de qua num. 5.*
15 *Et quando procedat.*
16 *De feudo concesso pro se, & filijs.*
17 *Quando donatio dicatur verè remuneratoria, & quæ merita attendantur.*

18 *Quo-*

18 *Quomodo iudicandum, seù procedendum sit in dicta conclusione, de qua num. 5. & in alijs, vt relictum filijs censeatur relictum patri.*

DISC. XVIII.

1 EOnora, instituti Ioanne, & Cæsare filijs primi matrimonij in semisse, & Gaspare filio secundi in alio semisse; In codicillis ad quadriennium posteà conditis, legauit filijs masculis Gasparis quædam bona, assignata ratione gratitudinis ergà dictum Gasparem, ac recompensæ seruitiorum, quæ in longa infirmitate receperat, ac recipiebat; Cumquè, tàm de tempore codicillorum, quàm mortis testatricis, Gaspar (vltrà filias fœminas) duos haberet masculos, Camillum scilicèt, & Io. Baptistam; Ad plures autem annos posteà suscepisset Robertum, deindèquè moriens, huic vltimo solam legitimam reliquerit, hæredem autem scripserit Io. Baptistam (stante prædecessu Camilli), dictusquè Io. Baptista moriens absquè prole, hæredem instituerit Faustinam sororem; Hinc proindè orta est controuersia super dicti legati pertinentia, & an illud in toto, vel in parte spectaret ad Robertum, ex cuius parte pro veritate desuper consultus fui.

Respòdi quod pèderet resolutio à duobus punctis, de quibus *disc. præcedenti*; Primò nempè, an dictum legatum simpliciter factum filijs masculis Gasparis, conueniret omnibus etiam posteà natis, vel solum illis, qui tunc nati erant; Et, secundò, (quatenus etiam nascituris conueniret), an tanquam factum filijs intuitu, & contemplatione patris, huic acquisitum esset, adeòut ipse de bonis legatis disponere potuerit, siuè illa sub eius hæreditate, ac dispositione venirent.

Quatenùs pertinet ad primum; Respondi oppositum eius, quod dictum est *discur. præcedenti*, quod in legatis, alijsquè dispositionibus puris factis filijs alicuius, 2 non veniunt illi, qui tàm post tempus dispositionis, quàm post illud mortis, nequè nati, nequè concepti sunt, cum quæstio intret respectu eorum, qui erant solum concepti, non autem nati, siuè vna, vel altera qualitas non aderat de tempore dispositionis, verificatur tamen de tempore mortis disponentis, sed vtraque circumstantia cessante, regula est plana, ad *textum in l. si cognatis ff. de reb. dub. l. qui filiabus ff. de legat. 1., l. cum ità §. in fideicommisso ff. de leg 2., l. in. teruenit ff. de legat. præstand.*, & firmant communiter Scribentes plenè de more relati *per Fusar. de substit. quæst. 318. nu. 1. cum seqq. præsertim vers. vltimo in specie.*

Et quamuis ista regula (iuxtà generalem naturam omnium aliarum, quas habemus in hac materia vltimarum voluntatum) limitationem recipiat, ex diuersa quamuis præsumpta, seù coniecturata testatoris voluntate, ob quam etiam nascituris congruere valeat ex relatis *per eumdem Fusar. dicta quæst. 318. num. 28.*, & firmatur *disc. præcedenti*; Attamen in hac facti specie non videbatur, quod adessent coniecturæ, & circumstantiæ tales, quæ hanc voluntatem suaderent, sed potiùs in oppositum vrgebat, quod cum testatrix viueret in domo dicti Gasparis, ibiquè senex, & infirma per plures annos stetisset, ità concipere potuit affectionem erga eos pueros iam natos, qui etiam infantes, atquè in fascijs existentes, affectionem captare solent, adeoùt non desint DD. dicentes, vt in eis verificabilis sit assertio meritorum, ob quorũ causam donatio, vel alia dispositio fieri dicatur, ex ijs, quæ habentur *sub tit. de alienat. & contractib. disc. 45.* 3 4

Ponderabam duo in contrarium; Primò nempè, quod si testatrix ex affectione personali mota esset, dictos Camillum & Io. Baptistam iam natos, proprijs, ac appellatiuis nominibus expressisset, non autem per nomen collectiuum, ac generale filiorum masculorum; Et secundò fortiùs, quod legatum habebat causam expressam meritorum, & beneficiorum Gasparis patris, non autem ipsorum filiorum; Et consequenter intraret conclusio, de qua *eodem discur. præcedenti*, vt legata, vel dispositiones factæ ad fauorem filiorum intuitu, & contemplatione patris, huic potiùs acquirantur, à quo filij agnoscere dicantur tanquã per speciem peculij profectitij, ideoquè omnium filiorum æqualis esse de- 5

beret

beret conditio.

Adinſtar eorum,quæ habentur *ſub tit. de donat.diſc.*10. in quæſtione ,an bona donata contemplatione matrimonij, ac-
6 quirantur etiam filijs procreatis ex alijs matrimonijs,quam ex illo cuius contemplatione facta eſt, quoniam, vbi non conſtat, quod filij ex eo matrimonio naſciturí principaliter contemplati ſint, adeoùt veniant tanquam filij,regula eſt, vt omnes pariformiter ſuccedant.

Verùm huiuſmodi cõſiderationes non videbantur ad id ſufficientes, quoniam prima eſt nimium vaga, & leuis, quoniam ſtante exiſtentia plurium eiuſdem
7 Gaſparis filiarum iam procreatarum, teſtatrix ità filios maſculos,quos honorare voluit ſub nomine collectiuo tanquam per ſpeciem appellatiui, expreſſit, cum ſolo adiecto ſexus, & conſequenter non ſuberat neceſſitas ſpecificandi ſingulos per nomen appellatiuum.

Alicuius maioris ponderis videbatur altera conſideratio, quod legatum principaliter factum eſſet intuitu,& contemplatione patris, potiùs quàm ipſorum fi-
8 liorum, & conſequenter, vt omnibus filijs pariformiter congruere deberet, ex ijs,quæ in ſpecie filiorum procreatorum ex altera vxore diuerſa ab ea,quam pater habebat de tempore diſpoſitionis,habentur *apud Surd.conſ*72. *Peregrin.de fideic. art.* 22. *num.*19. *Fuſar. dicta quæſt.* 318. *num.*23.cum alijs *diſc.præced.*

Aduertebam tamen, quod id nimiùm conſiderabile eſſet, quando pater ab inteſtato obijſſet,ſeu omnes filios tam pro-
9 creatos de tempore legati, quàm poſteà æqualiter inſtituiſſet, adeoùt quoad ipſum patrem, omninò eadem, & æqualis eſſet conditio, & cum quo præſuppoſito proceditur *dicto diſc.*10 *ſub tit.de donat.*; Secùs autem, dum ſolùm eos, qui procreati fuerant, & quibus regula aſſiſtit, eius ſucceſſores eſſe voluit, quoniam tunc quomodocumque dicatur, idem reſultat effectus; Intrat etenim dilemma; Aut legatum factum eſt ipſiſmet filijs, quibus directè ex teſtatoris iudicio acquiratur tanquam peculium aduẽtitium, & tunc non intrat conſideratio, ſeu argumentum; Aut ità factum dicitur ipſi patri, ex cuius iudicio, ac ſubſtantia filij agnoſcere dicantur, & tunc in iſta facti ſpecie idem effectus reſultabat, dum iſte filius poſteà procreatus, non erat patris hæres,& ſucceſſor vniuerſalis, vndè propterea ſolus effectus ei proficuus videbatur ille, quod bona in huiuſmodi legato contenta, computanda venirent in aſſe paterno pro impinguanda legitima, in qua ipſe ſolùm inſtitutus erat.

Magnum quoque argumentum contrà iſtum poſteà procreatum deſumebam ex ſubſequuta obſeruantia, quæ (vt in
10 omni ferè materia aduertitur tanquam nimium frequens,& recepta propoſitio), dicitur quarumcumque ambiguarum diſpoſitionum, ac voluntatum optima interpres, adeoùt verborum proprietati quoq; præualeat, dum ſolus Io. Baptiſta procreatus de tempore legati, donec vixit, illud obtinuit præcipuum, abſque eo quod aliquam habuiſſet participationem aliter poſteà natus,qui contrà fratris poſteà defuncti mentem hanc prętenſionem excitauit.

Neque præmiſſis obſtare videntur ea, quæ fauore filiorum poſteà natorum habentur *dicto diſc.præcedenti*, ob longè di-
11 uerſam rationem, diuerſaſque facti circumſtantias; In eo etenim caſu agitur de diſpoſitione conditionali, pro ſubſidio ſcilicèt dotali illarum puellarum, quas matrimonium carnale,vel ſpirituale contracturas eſſe caſus daret,quod incertum erat, in quibus verificabile eſſet, necnè; In præſenti autem agitur de legato puro recipiente perfectionem,ſuumq; effectum ſortiente illicò poſt mortem teſtatoris in illis,qui tũc exiſtunt, atq;ſunt habiles ad illud aſſequendum, & conſequenter iſto effectu in iam natis conſumato,intrat regula,de qua pluries *ſub tit. de fideic.* & alibi, vt poſteà nati, quamuis aliquam maiorem qualitatem habentes, non auocent ius alteri quæſitum; Ideoq; magna differentia eſt inter iſtum caſum,& illum,de quo *d.diſc præcedenti*

Hinc propterea reſultat, quod in eodem articulo variè iudicare oportet, quamuis ignarum vulgus id percipere nõ
12 valeat, ideoq;de facili ſcandalizetur, vt præſertim contingit in ijs, qui aliquam peritiam habentes politioris litteraturæ de omnibus iudicare volunt, atq; de legum profeſſoribus, ex iſta præſertim ratione obloquuntur,ex ignorantia tamen, non aduertendo,quod lex non eſt in omnibus caſibus vniformis.

Alia

Alia item valdè notabili circumstantia, seu differentiæ ratione accedente, quod in casu, de quo *disc. præcedenti*,
13 testator, legando filiabus alicuius, expressit causam, quæ respectu patris, cuius intuitu, & contemplatione legatum factum fuit, necessaria erat, adeoùt, stante conclusione, de qua *sub tit. de dote disc.* 1. & 142., vt pater filiam quamuis diuitem, ac aliundè prouisam dotare teneatur, ità rectè intrat verisimilis testatoris voluntas, vt ad patrem subleuandum ab hoc onere, facere voluerit legatum directum ad filias pro restrictione vsus, in quem pater illud erogare deberet, nè alijs vsibus applicaret, atq; ob alias pōderationes, de quibus in hoc legato dotium facto filiabus alicuius, habetur *dicto tit. de dote disc.* 2. & 154., iſtæ autem considerationes non intrant in legato puro, & simplici facto filijs masculis.

Hinc opus non erat agere de altero puncto, an scilicèt ità istud legatum intuitu patris factum esset, vt illi acquisitum fuisset, adeoùt filij ex paterna sub-
14 stantia illud obtinere dicerentur, dum vt suprà effectus erat idem, præterquam respectu alicuius impinguationis legitimæ; Verùm, vbi de hoc agendum esset; Adhùc veriùs mihi videri respondi, vt legatum ipsis filijs directè factum censeretur, quamuis eorum pater fuisset dispositionis causa motiua, seu impulsiua, iuxtà ea, quæ in similibus terminis donationis factæ patri, & filijs, habentur in sua materia *sub tit. de donat. disc.* 1. *cum pluribus seqq.*; Ac etiam, quoniam vbi agitur de legato purè facto ex liberalitate, & beneuolentia, atque non intrat ratio superiùs ponderata, quæ adaptabilis est legato dotis, vel subsidij dotalis, id incongruum videtur, quoniam testator ità potiùs ipsi patri directè legatum feciſſet, neque vrgere videtur congrua ratio faciendi hūc circulum aptum producere lites inter patrem, & filios.

Quarè conclusio superiùs insinuata, & de qua *disc. præcedenti* in suis casibus vera, recipienda videtur in duobus casibus,
15 vel in alijs similibus, quibus ex facti qualitate eędem congruant rationes; Primò scilicèt, vbi legatum expressam habeat eam causam, quæ in patre erg. filios aliàs necessaria esset, putà, filiabus pro dote, & filijs masculis pro expensis studij, ac doctoratus, aut pro sacris ordinibus suscipiendis, cum similibus.

Et secundò, vbi dispositio intuitu patris principaliter facta sit, non ex liberalitate, vel ex simplici obligatione antidorali ad limites iustitiæ distributiuæ, sed ex causa onerosa, & correspe-
16 ctiua, ad limites iustitiæ commutatiuæ, iuxtà ea, quæ habentur *sub tit. de feud. disc.* 75. in quęstione per Feudistas disputata, an feudum concessum patri, & filijs, vel filijs tantùm intuitu, & contemplatione patris, ipsis filijs directè acquiratur, eisque concessum censeatur, vel potiùs patri, ex ibi deductis.

Applicando autem ad rem; Videbamur esse in prima parte distinctionis potiùs quàm in secunda, quoniam merita Gasparis filij per testatricem expressa, non erant talia, vt producerent actionem ad pręmium, ac remunerationem ex obligatione, seu ratione iustitiæ commutatiuæ, sed solùm quamdam obligationem antidoralem, quæ actum iustificaret, illumque rationabilem redderet, benèquè ordinatum ex regulis iustitiæ distributi-
17 uæ, ad effectum tollendi aliquas prohibitiones, vel dispositiones iuris positiui in actibus merè lucratiuis, & gratuitis, iuxtà distinctionem, de qua in proposito donationis verè remuneratoriæ pluries in sua materia *sub tit. de donat.* ac etiam *sub tit. de feud. disc.* 94; Siquidē, si Gaspar testatricis filius, legatariorum pater, matri seni, ac infirmæ diligenter obsequia, & seruitia præstiterat, propriæ obligationi filiali satisfecerat, ac etiam condignum, imò exuberans præmium receperat, Tùm in hæreditatis quota sibi relicta, quam in esse ex matris beneuolentia, & liberalitate obtinuit; Tùm fortiùs ob gratificationem, quod cum vnicus esset secundi matrimonij filius, atque ab intestato solam tertiam partem obtinere debuisset, stante existentia duorum aliorum filiorum ex primo, ità obtinuit semissem per quamdam speciem successionis in stirpes; Benè tamen ista causa meritorum patris narrata fuit à testatrice pro cohonestando istā codicillarē dispositionē factam fauore filiorum huius filij secundi matrimonij, nè alij filij ex primo conquæri possent, ac dicere, quod ità in eorum fraudem, ac supplantationem istud legatum factum esset, ideoque

pater

pater fuit quidem causa, vt filijs legatum fieret, sed motiua, seu impulsiua, non autem vt ipsi patri verè, & propriè ità legatum factum censeretur, vt filij ex paterna substantia potiùs obtinere dicerentur.

Hinc proindè dicta conclusio vt datum, & relictum filijs intuitu, & contemplatione patris, speciem peculij profectitij potiùs habeat, non ità simpliciter, ac indefinitè capienda est, vt frequenter cum æquiuoco manifesto id fieri practicaui ex consueto pragmaticorum errore attendendi iuris conclusiones, vel doctrinas verbaliter, & ad litteram, sed pro facti qualitate, & substantia iuxtà vnum ex duobus suprà exemplificatis casibus, vel in alijs similibus, quibus eædem respectiuè congruant rationes, quoniam in effectu est quæstio voluntatis, quæ ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs, vnam, vel alteram voluntatem suadentibus, non autem ex regulis, vel doctrinis generalibus decidenda venit. 18

Et his stantibus, consului requirenti, vt eo meliori modo, quo posset se cum sorore concordaret, quoniam ego sentiebam difficultatem contrà ipsum; Incertum tamen est, quid sequutum sit.

ROMANA

ANNATÆ

PRO

CAPITVLO S. MARIÆ MAIORIS

CVM

ALIQVIBVS CAPPELLANIS.

Casus disputatus in Congregatione Visitationis Apostolicæ sub incerto exitu.

An legatum annuum pro substentatione cappellanorum, sub ea lege, vt fructus primi anni erogari debeant in reparationem, ac vtensilia cappellæ, intelligendum veniat de primo anno fundationis cappellaniarum, vel potiùs de primo anno vacationis, & prouisionis cuiuslibet cappellaniæ cum tractu successiuo.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Dispositio intelligitur de prima vice sine tractu successiuo.*
3 *De prohibitione Constitutionis Pij, applicandi Capitulo fructus primi anni beneficiorum.*
4 *Fallit ex consuetudine, quæ quando sit valida, & num. 9.*
5 *Membra regulantur à natura corporis.*
6 *Ratione subiectæ materiæ, quæ exigat tractum successiuum, limitatur regula, de qua num. 2.*
7 *Fauore piæ causæ limitatur etiam dicta regula.*
8 *De regula conquassationis priuilegiorum inter priuilegiatos.*
9 *De eadem consuetudine, de qua num. 4.*

DISC. XIX.

1 FActo per Cardinalē Sfortiam, vel Cæsium legato aliquorum bonorum pro erectione tot cappellaniarum, in vnius, vel alterius familiæ cappellã existente in Basilica Sanctæ Mariæ Maioris, sub ea lege, vt fructus primi anni, in reparationem cappellæ, & in sacram suppellectilem erogari deberent; Orta est controuersia, inter Capitulum dictæ Ecclesiæ, & cappellanos iam prouisos post notabilem temporis decursum, in quo dictæ legis obseruantia, per cappellanos neglecta fuerat, an illi satisfactum esset, erogando fructus primi anni, in quo sequuta fuit cappellaniarum erectio, vel potiùs id intelligendum veniret cum tractu successiuo, ac discretiuè in cuiuslibet noui cappellani prouisione, vt scilicèt prima annata fructuum, ipsius cap-

pellæ seruitio applicari deberet; Atque re delata ad Congregationem Visitationis Apostolicæ, incertum est quæ resolutio prodierit, dum post vnicam disputationem amplius de causa actum non audiui; Credo tamen, quod ea prodierit iuxtà votum Capituli, pro quo scribebam, vtpotè probabile, cum aliqua tamen moderatione ad limites necessitatis, stante redditnum diminutione, vt generaliter contigit.

In hac autem disputatione, Scribentes pro cappellanis, procedebant cum regula generali insinuata *in Romana legati de Iustinianis disc.* 36. resultante ex vulgari textu *in l. boues*, §. *sermone, ff. de verb. sig-*
2 *nific.* vt quælibet dispositio intelligatur de prima vice, absque tractu successiuo; Magis verò insistebant in dispositione sacri Concilij Tridentini, & in Constitutione Pij V., super prohibita applicatio-
3 ne primæ annatæ integræ, vel dimidiæ, seu alterius partis fructuum spectantium ad nouiter prouisos, ad Capitulum, ex ijs, quæ super huiusmodi prohibitione habentur *sub tit. de Canonic. & Capitulo disc.* 8.

His tamen non obstantibus, Scribens pro Capitulo (etiam cum sensu veritatis) contrarium dicebam probabilius ex pluribus fundamentis clarè suadentibus dictæ regulæ limitationem, tam ex verisimili fundatoris voluntate, quàm etiam ex subiecta materia resultantem.

Primò autem, ac potissimùm in id ponderabam eiusdem Basilicæ, quinimò omnium aliarum Vrbis consuetudinem super dicta applicatione emolumentorum
4 primi anni ad beneficium sacristiæ pro sacræ suppellectilis prouisione; Et quam consuetudinem non esse improbatam à Concilio, vel Constitutione Pij V. habetur *dicto disc. 8. de Canonic. & Capitulo*; Dicta enim prohibitio procedit, quando emolumẽta cederent ad priuatum cómmodum Capituli, & Canonicorum, tanquam per speciem præmij admissionis nouiter prouisi; Secùs autem, vbi ex dicto rationabili motiuo, ità regulandi pro maiori commoditate illam collectam, seu contributionem, quæ aliàs inter ipsos Canonicos, & Beneficiatos ad hunc effectum facienda esset: Ideoque cum fundator optauerit, vt huiusmodi
5 cappellani, insignia beneficiatorum eiusdem Ecclesiæ obtinerent, atque in choro, alijsque diuinis, statutis temporibus, inseruirent, ità constituentes aliqua membra eiusdem corporis Capituli; Exindè clarè resultare dicebam eiusdem voluntatem, vt ista membra regulentur cum consuetudine reliqui corporis, atque cum debita proportione.

Secundò etiam in idem, ac ad euidentiam, ratione subiectæ materiæ, quoniam, cum in dies, nouas cappellæ restaurationes facere oporteat, at-
6 que sacram suppellectilem renouare, neque desuper alundè prouisum esset, ità perneceſsè hunc intellectum dare oportebat, ex ijs, quæ cæteris relatis plenè habẽtur *apud Cyriac. controu.* 340. *Castill. tom.* 8. *controu. cap.* 42. *num.* 30. *cum seqq.*, vbi pro consueto stylo alij cumulantur, atque in re, quæ ad sensum clarè probari videtur, fruſtrà desiderandæ veniunt auctoritates, vtpotè in quæstione potiùs facti, quàm iuris.

Et nihilominùs dicebam sufficere, quod versaremur in ambiguo, vt huic magis latæ, ac benignæ interprætationi
7 locus esset, ratione pietatis causæ, ac fauore Diuini cultus, ex quibus magis cõmunis, præsertim Canonistarum, opinio est (sequendo sensum *Cuman.*) vt pro perpetuitate, & reiteratione fiat interprætatio ex deductis *per Menoch. lib.* 4. *præsumpt.* 132. *num.* 3., *Decian. conf.* 115. *nu.* 3. *cum seq. lib.* 3., *Genuen. in prax. Eccl. quæst.* 225., *Castill. dicto cap.* 42. *nu.* 22. *vers. omnium tamen sententia &c.*

Scribentes in contrarium, dicebant id rectè procedere, quando ageretur ad fauorem pię causæ contra causam prophanam, cum tunc intraret priuilegium prædictum, secùs autem, dum quæstio erat in concursu duorum corporum æquè ecclesiasticorum, ac priuilegiatorum,
8 ideoque dicebant intrare regulam conquassationis priuilegiorum inter æquè priuilegiatos, & super qua regula pro consueto moderno inepto stylo, magnus allegationum cumulus fiebat; Verùm dicebam huiusmodi axioma prorsus extraneum esse à casu, ac propterea dictum allegationum cumulum, inanem laborem continere (vt frequenter cõtingit), quoniam vltrà plures declarationes, quas illud recipit, & præsertim, an vterque priuilegiatus sit talis in eadem specie, vel

po-

potiùs, vnus in genere, & alter in specie; Siuè an vnus agat de lucro, & alter de damno, cum alijs distinctionibus desuper tradi solitis; Cessabat omnis difficultas ex facto, seu ex defectu applicationis, quoniam Capitulum non agebat causam propriam, sed pro decore Ecclesiæ, & cappellæ, ac etiam nè aliàs consumeretur propria sacra suppellectilis, id petebat, cappellani autem id negabant ex proprio, & priuato interesse, et consequenter prorsus impropria, ac extranea remanebat hæc inspectio conquassationis priuilegiorum inter æquè priuilegiatos.

Atque vt aduertitur *dict. disc. 8. de Canonic. & Capitul.*, ista prouisio potiùs rationabilis, & commendabilis dicenda est, quoniam libenter nouiter prouisi in
9 eo primo anno lætitiæ, abstinent ab assequutione fructuum acquirendorum, & sic à lucro sine iactura rei quæsitæ, postmodùm verò, illo primo calore refrigerato, cum magna difficultate inducuntur ad contributiones ad id necessarias, ex axiomate, quo etiã Legistæ vtuntur, quod turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hospes.

ROMANA CAPPELLANIARVM PRO CAPITVLO S. MARIÆ MAIORIS CVM CAPPELLANIS TOLETANIS.

Casus disputatus in Sacra Congregatione Visitationis Apostolicæ, resolutus pro Capitulo.

Facto legato erectionis certi numeri cappellaniarum cum certo annuo reddittu, puta scutorum centum pro quolibet, si tractu temporis bona legata diminutionem patiantur, seù aliàs diminuantur fructus, adeoùt tantus redditus percipi non valeat, an diminui debeat earũ numerus, vel potiùs de eis prouisi, diminutionem redditus pati debeant.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De suppletione, vel respectiuè diminutione, si destinatio non sufficit.*
3 *De quæstione an destinatio stet taxatiuè, vel demonstratiuè.*
4 *Quod quæstio sit decidenda cum casuum distinctione.*
5 *Distinguuntur plures casus cum diuersis decisionibus pro eorum diuersitate.*
6 *Quando ob diminutionem reddituum, possint supprimi canonicatus, vel beneficia.*

DISC. XX.

1 DOctrina, & pietate insignis Cardinalis de Toleto Societatis Iesu, scripta hærede Imagine Beatissimæ Virginis in Basilica S. Mariæ Maioris, mandauit, vt ex pretio eius bonorum, ab exequutoribus vendendorum, emi deberent tot loca montium, quorum fructus deseruire deberent pro tot cappellanis ad Capituli nominationem prouidendis, ad rationem scutorum centũ pro quolibet, eoquè tempore attento, ob maiorem fructum locorum montium, duodecim cappellaniæ erectæ fuerunt, aliæquè duæ postea ex quodã augmento; Cum autem ex eodem casu insinuato *in Nepesina disc.* 14., loca montium, tàm in sorte, seù numero, quàm in fructu, notabilem diminutionem passa essent, adeoùt dictus numerus ad præscriptam rationem scutorũ centum pro quolibet, impleri non posset; Hinc proindè cappellani prætensionem excitarunt, vt sequuta duarum cappella-

niarum vacatione non posset Capitulum nouam facere præsentationem, sed deberent supprimi, atquè ità reduci numerus, ad effectum, vt adimpleretur fundatoris voluntas, & quilibet cappellanus haberet in redditu scuta centum, cum ità vix sexaginta obtineret; Atquè re delata ad Sacr. Congregationem Apostolicæ Visitationis, contra huiusmodi cappellanorum prætensionem, prodijt resolutio.

In disputatione autem desuper habita; Scribentes pro cappellanis se fundabant
2 in dispositione *text. in l. alumne* §. *Attie*, *& l. Titio ff. de annuis legat.*, quæ iura in proposito expendit *Lara de anniuers. & cappellan. lib. 1. cap. 3. nu. 10. cum seqq.*

Atquè assumendo quæstionem, de qua *in dicta Nepesina disc. 14.*, an scilicèt certa destinatio fauore piæ causæ, demon-
3 stratiuam indefinitè importare deberet, fuso calamo deducebant omnia, quæ *eod. disc. 14.* deducta habentur, transcribendo plenè cumulata *per Rouitum decisione 57.*, qui examinat quæstionem ad partes.

In hoc autem, scribens ego pro Capitulo, (quod aliud non habebat in causa, interesse, nisi illud iuris nominandi, ac maioris Ecclesiæ cultus, vnde propterea maius interesse erat nominatorũ ad duas cappellanias vacatas, quarum suppressio petebatur); Quatenus ad istam quæstionem pertinet, aduertebam, vt ad tollen-
4 da æquiuoca, quorum incursus in hac materia facilis est, atq; pro cõciliatione, seù congrua applicatione doctrinarum, quæ pugnare videntur, eodem modo, quo penè in omnibus fori quæstionibus, illis præsertim ambiguæ voluntatis, facere oportet, plures casus distinguendi veniant.

Primus igitur casus est, vbi testator, pluribus bonis in hæreditate relictis, aliquod pium legatum, seù opus relinquit ex certo prædio, seù certis bonis præstandum, seù implendum, et tunc dictis bonis
5 deficientibus, vel ad integrum opus non ascendentibus, intrat quæstio, an hæres vniuersalis, ex reliquis bonis in idonea hæreditate existentibus, supplere teneatur, eaq; decidenda venit cum distinctione, an destinatio staret demonstratiuè, vel taxatiuè; Et quatenus sonus verborũ importaret taxatiuam, intrare solet dubitatio, an fauor piæ causæ sit in aliquo operatiuus ex deductis plenè *per Rouit. decis. 57. Castill. lib. 4. cap. 54. num. 21. cum seqq.* cũ alijs, de quibus plenius *in dicta Nepesina disc. 14.*; Verùm hic non erat casus controuersiæ, quoniam penès hæredem vniuersalem alia non aderant bona, ex quibus huiusmodi suppletio fieri posset, ideoq; extraneæ remanebant auctoritates istum casum percutientes.

Alter casus est, vbi destinatio testatoris est certa, seù taxatiua pro certo opere pio implendo, pro quo res, vel quantitas destinata tunc sufficiebat, deindè verò non sufficiat, non ex diminutione rei destinatæ, sed ex augmento impensarũ pro opere explendo; Vt puta, reliquit testator præstari per hæredem annua scuta 100. pro celebrandis mille missis in perpetuum ad rationem vnius iulij (qui de tempore dispositionis importabat congruum præmium, seù congruã eleemosynã etiam in oneribus perpetuis), si deindè dictum salarium, seù eleemosyna augeatur, quia nempè ob adauctum pretium victualium non reputetur sufficiens ad substentationem sacerdotis, ideoquè cum dicto annuo redditu scutorum 100. non minuendo, opus esset diminuere numerum missarum; Et tunc posita sufficientia virium hæreditariarum, intrat dubitatio, an debeat potiùs hæres supplere maiorem redditum ad id necessariũ, vel è conuerso ipsum pium opus minuẽdum sit; Et pro diminutione operis latè agit *Brixianus in repertor. decis. Caualcan.* verbo *verba*; E' conuerso autem pro augmẽto stipendij, seù suppletione, itaut opus non minuatur *Genuen. in practica. bil. Eccles. quæst. 179. Ricc. Diana*, & cæteri, de quibus *Barbos. de Episcopo allegat. 29. numer. 7. & Tondut.* & alij de quibus *dicto disc. 14.*; Sed pariter hic non erat casus; Tùm quia penès hæredem non aderant alia bona, ex quibus suppletio fieri posset; Tùm ob cessantem rationẽ, cui hæc posterior opinio innititur, nè scilicèt disponentis anima eo maiori suffragiorum numero priuetur, cum in hac facti specie redditus quamuis diminuti longè excederent præmium missarum, & onerũ per testatorem singulis cappellanis adiunctorum.

Tertius est casus, vbi testator dotat Ecclesiam de certo annuo redditu præstando per hæredem, quem liberatũ esse

dispo-

disponat cum solutione certæ summæ in sorte principali, ex qua inuestienda testator opinabatur eumdem redditum percipi posse, et tunc si ex summa per hæredem solata id non sequatur, intrat dubitatio, an teneatur supplere, et de hoc punctualiter agitur *in Camerinen. dotis Ecclesiæ 22. Iunij 1650. & 9. Maij 1653. coram Meltio*, quarum prima est *decis. 62. par. 11. rec.*, vbi deciditur ad fauorem hęredis, quoniã huic ad liberationem obtinẽdam sufficit præstasse summam à testatore sibi demandatã, vt aduertitur *eodem disc. 14.*

Quartus casus est, vbi testator ab initio, vltrà eius vires disponit, faciendo plura legata pia, vel respectiuè prophana, ac demandando plura pia opera, quibus omnibus, bona hæreditaria non sufficiant; Et tunc intrat quæstio contributi, an istud æqualiter de omnibus faciendum sit, vel potiùs legata seù opera pia debeant priùs integrè impleri, atquè de hoc agunt *Rouit. decis. 87. Franch. decis. 236. Capyc. Latr. decis. 12. Rub. de testam. ad vias causas cap. 56. num. 141. cum seqq.*, ac habetur alibi actum *hoc eodem titulo*, sed pariter non erat iste casus quæstionis, cum de tẽpore tàm primæ, quàm secundæ erectionis, redditus ad integram summam à testatore destinatam essent sufficientes.

Quintus demùm est casus controuersiæ, vbi scilicèt testator omnia eius bona destinauit in certa opera, ad quæ iuxtà summas ab eo præscriptas, tunc illa sufficiebant, deindè verò diminuta sint, neque diminutio suppleri possit ex alijs bonis, sed solùm intret dubitatio, àn potiùs ipsa opera minui debeant; Et isto casu dicebam, vt sine dubio respondendum esset pro diminutionis exclusione, quoties id, quod pro singulo opere supereft, sufficit ad necessitatem, ideoquè sola deficientia est in ea maiori prouisione, quam disponens ad exuberantiam, seù honorificentiam præscripsit, ex regula, quam ex mente *Sac. Concil. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 15.* habemus in materia suppressionis canonicatuum, vel beneficiorum ecclesiasticorum, quoniam si certus numerus canonicorum, seù beneficiorum cum pingui præbenda, seù prouisione erectus est, nõ ex eo, quod deindè redditus diminuantur, fit locus suppressioni, nisi in casu magnæ tenuitatis, & inopiæ, ob quam Ecclesiæ cultus deseratur ex deductis *per Barbos. ad idem Conc. vbi supra, & de potestate Episcopi alleg. 67. num. 1. cum sequen., & de Canonicis cap. 3. num. 18. cum sequen.*, dum attento etiam isto redditu sic diminuto in casu cuiuslibet vacationis, multi habentur concurrentes, qui ad huiusmodi cappellaniarum assecutionem anhelent, Vndè propterèa cessabat ratio desertionis cultus, ob quam suppressionibus locus aperitur; Neque vrgebat ratio diminutionis suffragiorum, dum currentes redditus superabundabant, ideoquè contentio erat de maiori ditatione cappellanorum.

6

ROMANA

ANNVÆ PRÆSTATIONIS

PRO

FRATRIBVS DE MARESCOTTIS

Responsum pro veritate.

Facto legato annuæ præstationis ad vitam, an legatarius ab inuito hærede petere possit assignationem tot bonorum, ex quibus dictam præstationem manu sua percipiat; Et è conuerso, an hæres dictam assignationem legatario inuito facere valeat; Et an legatarius impedire possit hæredi venditionem officiorum vacabilium in ipsius legatarij persona cantantium, vt ex eorum emolumentis legatam præstationem obtineat.

SVM.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De quæstione an legatæ annuæ præstatione debeantur tot bona, quæ tanti reddant.*
3 *Legatum relictum titulo institutionis non est capiendum à manu hæredis.*
4 *Facto legato annuo de certa quantitate vini, potest assignari vinea.*
5 *De materia* text. in l. si quis argentum C. de donat.
6 *De diuersitate rationis in hac materia inter hæredem, & legatarium.*
7 *An relicto assignamento de aliquibus bonis alternatiuè, fieri possit electio partim de vnis, & partim de alijs.*
8 *Alternatiua quandoque resoluitur in copulatiuam.*
9 *De eodem* text. in l. si quis argentum.
10 *Vsufructuarius non impedit proprietario venditionem proprietatis.*

DISC. XXI.

1 COmes Sforzia de Marescottis, numerosam habens prolem, emit plura officia vacabilia, præsertim illud Præsidentis Cameræ in persona vnius ex filijs, qui in Prælatura ratione dicti officij se constituit, cum libera reseruatione decreti ad eius fauorem; Moriens autem, instituto hærede filio primogenito in castro Vignanelli, alijsquè bonis, factisquè alijs prudentibus dispositionibus ad fauorem aliorum filiorum, dicto filio Prælato, reliquit ad vitam pro eius condecenti substentatione in eo statu Prælaturæ annuam præstationem scutorum 2500. circiter, percipiendam, vel ex fructibus officiorum, vel ex alijs effectibus hæreditarijs Vrbis; Cumquè sequuta morte, inter hæredem, ac Prælatum, retenta magna beneuolentia, aliqua discrepantia super modo implendi dictum legatum orta esset; Hinc super tribus ab vtroquè concorditer tanquam communis amicus, & Aduocatus, pro veritate consultus fui; Primò scilicèt an legatarius inuito hærede prętendere posset assignationem tot bonorum, vel effectuum, ex quibus manu sua dictam præstationem perciperet; Secundò è conuerso, an hæres legatario inuito dictam assignationem facere posset, ità, & taliter, quod quicumquè futurus casus, siuè bonus, siuè malus, ipsius legatarij damno cederet; Et tertiò, an hæres in vim reseruationis decreti, cogere posset eumdem legatarium ad venditionem officiorum.

Ad primum respondi, quod inter DD. in quæstione est, an legato annuo reddito, legata censeantur tot bona, ex quibus ille percipi valeat ad terminos textus *in l. si quis argentum Cod. de donat.*, vel potiùs singulis annis prestatio solui debeat; Pleriſquè volentibus, vt id prætendi non 2 valeat, ex regula, quod legatum capiendum est à manu hæredis, vt cæteris relatis firmat *Surd. de alim. tit. 9. quæst. 41. num. 12.*; Alijs verò sentientibus contrarium, vt censeantur legata tot bona, quæ legatario danda sunt, vt manu sua redditum ex eis percipiat ex deductis *per Soccin. iun. conſ. 60. num. 34. & seqq. lib. 4. Surd. conſ. 319. numer. 7. & per tot. Rota apud Buratt. deciſ. 487.*; Et conferunt pro eadem opinione ea, quæ in legato alimentorum habentur *apud Pen. deciſ. 1154, & deciſ. 194. num. 69. par. 7. rec.*; Potiſſimè verò vbi non agatur de simplici legato, quod extraneo factum 3 sit, sed de illo, quod sit factum filio honorabili titulo institutionis, quo casu non intrat regula, vt legatum capi debeat à manu hæredis ex deductis *apud Buratt. dicta deciſ. 487.*

Retẽta verò hac secũda opinione, quę magis recepta videtur; Hinc proindè, tã in primo, quã in secundo puncto respondendum esset pro eo, qui hanc assignationem peteret, vel respectiuè facere vellet, cum ex natura correlatiuorum, vtriusquè puncti, seù dubij, eadem sit ratio, eademquè resolutio; Ad quod conferunt ea, quæ ex *Baldo in eadem l. si quis argentum num. 6., & Tiraquell. de retract. conſangu. §. 1. gloſ. 6. num. 20.*, & alijs, habentur *apud Capyc. Latr. deciſ. 11. num. 4.*, quod scilicèt facto legato annuo 4 Religiosis tot salmarum vini, possit, vel respectiuè debeat eisdem assignari vinea, quæ dictam vini quantitatem fructare solita sit.

Verùm his non obstantibus, contrarium in hac facti specie dixi verius videri,

ri, quoniam præmissa procedunt, vbi legatum esset indefinitum, ac perpetuum, vndè propterea, ex dispositione, vel ratione dicti textus *in l. si quis argentum*, dici possent legata tot bona in proprietate; Et de cuius textus dispositione habetur præsertim *per Rotã in Romana supplementi dotis 5. Decembris 1653. coram Cerro*, & insinuatur *in Romana fideicommissi de Cesijs sub tit. de fideicom. disc. 134.* & alibi; Secùs autem vbi (vt in præsenti) agatur de annuo legato ad vitam pro substentatione in eo statu, in quo testator filium legatarium cõstituerat, cum tunc, nequè ratio, neq; dispositio dicti textus intret, vt admittunt ijdem *Soccin. dicto cons. 60. & Surd. dicto cons. 319.*, ideoquè remanet legatum quantitatis, non autem speciei.

Dicebã tamen, quod in hoc proposito aliqua dignosci videatur claudicatio inter hæredem, & legatarium, vt scilicèt legatario volente exigere assignamentũ ex ijsdem officijs, aliisquè effectibus Vrbis, id ei negari non deberet; Tùm ex 6 voluntate testatoris ità disponentis, dum dixit dictam præstationem percipi debere, vel ex officijs, vel ex bonis Vrbis tãquam magis promptis, & explicitis; Tùm etiam ex officio, seù arbitrio Iudicis, nè singulis annis, ac temporibus cogeretur ille, qui in Prælaturæ statu constitutus est, ac propterea in dies indiget pecunijs pro eius substentatione, habere incommodum exactionis, atq; denegata prompta solutione, litem suscipere, iuxtà ea, quæ in praxi recepta sunt de alimentorum assignatione facienda clerico debitori iuxtà dispositionem textus *in cap. Odoardus de solut.*, cum similibus.

Secùs autem in casu conuerso, ideoq; intrare non videtur ratio correlatiuorum, ratione subiectæ materiæ, seù qualitatis legatarij constituti in statu Prælaturæ, cuius ratione, iuxtà cursum Curiæ, munera pro seruitio sedis Apostolicæ in Præfecturis, ac Nuntiaturis exercere oportet (vt meritò, atq; cõmendabiliter in hoc Prælato contigit, qui post aliquas Præfecturas munus Inquisitoris Insulæ Meleuitanæ, deindequè Nuntiaturas Poloniæ exercuit, et nunc illam Hispaniæ exercet); Et consequẽter incõgruũ esset, vt cogendus veniret tot bona accipere, quorũ culturę, ac administrationi vacare cogeretur, cum incerto etiam fructu, ob casus, qui in fructibus ratione sterilitatis, vel ex alio accidenti cõtingunt; Ideoquè diuersa est ratio hæredis, ac legatarij, nequè correlatiuorum æqualitas intrat ob rationis diuersitatem.

Et quamuis quæsitum etiam esset, an legatarius hoc assignamentum à testatore demandatum alternatiuè, vel in offi- 7 cijs, vel in alijs bonis Vrbis, eligere posset de vtraquè specie; Atquè in hoc dicerem, quod de stricto rigore iuris id non liceret per *text. in l. ex toto §. si ità legatum ff. de legat. 1.*, vbi decidit, quod legato certo numero seruorum, vel eorum æstimatione ad rationem scutorum decem pro quolibet, non potest legatarius eligere partim de seruis, partim de pecunia, atq; ità ex eodẽ textu notant ibidem *Ripa, Iaf.*, & alij, de quibus *Grat. discept. 248. num. 31.*; Nihilominus credebam, vt etiam in hoc præclusum non esset Iudicis arbitrium, ex dicta ratione interponendum, ex recepta propositione, de qua in omni ferè materia præsertim *sub tit. de fideicom.*, & sub altero *de credito*, vt 8 non semper alternatiua capienda sit in eius propria, ac naturali significatione, sed quandoquè resoluatur in copulatiuã pro facti qualitate, quodquè testator bona Vrbis cumulauerit cum officijs in gratiam legatarij, præsertim dicta ratione accedente.

Ad textum verò *in dicta l. si quis argentum*, respondebam, illius dispositionem procedere in gratiam donatoris, vt 9 ità ab eo onere se liberaret, vt aduertunt communiter Scribentes; Secùs autem fauore hæredis contra legatarium, qui in hac parte censetur prædilectus ex deductis *per Surd. de alim. dicto tit. 9 quæst. 40. num. 32. & quæst. 41. num. 10. & per tot.*; Et in summa ista videtur, ad instar aliarum, quæstio potiùs facti, quàm iuris, certam, ac determinatam regulam non recipiens, sed in singulis casibus pro facti qualitate ex verisimili testatoris voluntate, siuè ex qualitate legatarij, vel operis, prudenti iudicis arbitrio decidenda.

Demum quoad tertium, & vltimum quæsitum; Quamuis *Surd. dicto cons. 319.* plura iura ponderet ad probãdum, quod hæres in præiudicium legatarij, eoquè 10 inuito, alienare non possit bona, ex quibus annua præstatio ab eodem legatario

obti-

obtinenda est; Attamen contrarium in hac facti specie dixi verius per textum expressum *in l. fundi Trebatiani ff. de vsu, & vsufruct. legat.* cum concordantibus, de quibus *sub titulo de seruit. distur.* 65., vbi de conclusione, quod per legatum vsusfructus, vel habitationis, non impeditur hæres dominus proprietatis, illam vendere.

Clariùs autem in hac facti specie, dum agebatur de officijs vacabilibus periculo vacationis subiectis, cũ perpetuo præiudicio hæreditatis, ac successorum, ſtãte perpetuo, ac successiuo fideicõmisso ordinato per eumdẽ testatorem, cuius verisimili voluntati id aduersari videtur, ac etiam ex axiomate, vt quod vni non nocet, & alteri prodest &c.

Hæc respondebam vt mihi vera viderẽtur in pũcto iuris; Laudabã verò magis prudentialia temperamenta inter fratres beneuolos congrua, vt sequutum fuit.

ROMANA

LEGATI

PRO

ANNA DE GVARDIA

CVM

PETRO DE LVPIS.

Casus disputatus coram A. C., postea concordatus.

De legato annuæ præstationis relicto ei, qui in eodem testamento deputatus est tutor filiorum testatoris, an, & quando cesset ob tutelam recusatam, vel aliàs cessatam tanquam ipsius correspectiuum, necnè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An legatum factum tutori cesset ob cessatam tutelam, datur distinctio.*
3 *Quod indistinctè cesset, neque dicta distinctio intret.*
4 *Quando hæc secunda opinio procedat.*
5 *Quod ista sit quæstio voluntatis, & facti, & quomodò decidi debeat.*
6 *Vt in dubio præsumptio stet pro cessatione legati.*
7 *De circumstantijs facti pro ademptione, vel ècontrà.*
8 *De eodem.*
9 *De alio casu controuersiæ super eodem puncto.*
10 *Transitus ad secunda vota non est causa ademptionis legati, sed benè iunctus cum desertione tutelæ.*

DISC. XXII.

1 NN. De Guardia, Annæ filiæ in pupillari ætate existenti, in testamento tutorem, & pro tempore curatorem deputauit Petrum, cui cum expressione amoris, & beneuolentiæ, ac etiam in remunerationem incommodi, & laboris, ac aliàs omni meliori modo, reliquit annua scuta 20.; Cumq; ante obitum idem testator dictam filiam nuptui tradidisset, atque in apoca dotali declarasset, quod eam eximebat à tutore, vel curatore in testamento deputato, transferendo quamcumque administrationem in sponsum, ac respectiuè pro tempore virum; Hinc propterea, sequuta morte testatoris, orta est controuersia inter dictos Annam, & Petrum, super dicti annui legati præstatione, quam hæres cessatam esse esse dicebat, ob cessatam causam legandi; Et introducta causa coram A.C., informantibus tantùm causę Patronis hinc indè, prodijt decretum relaxationis mãdati pro prima annualitate ad fauorem Petri, ideoq; iuxtà frequentiorem consuetudinẽ Curiæ in hoc Tribunali A.C., aliisque Iudicibus primæ instantiæ, assumendi

mendi Aduocatum post causam iam vulneratam), ad Annæ defensionem euocatus fui; Et quãuis inferiùs deducẽda pro hærede more Aduocatorum nimiùm exagerata fuissent; Nihilominùs cum causa non esset integra, atq; ageretur de puncto coniecturali, in quo nimiùm operatur arbitrium Iudicis, cuius, ac etiam meam beneuolẽtiam Petrus lepidus curialis habebat, idcircò eum à decreto remouere non potuerunt, atque me etiam consulente, honesta concordia controuersiam terminauit.

In vnica igitur disputatione habita; Dicebam scribens pro hærede, quod in hoc puncto, an tutor, cui legatum relictum est à testatore, qui eumdem in tutorem, vel curatorem eius filiorum 2 deputauit, illud assequatur cessata tutelæ, vel curæ administratione, duas habemus opiniones, Vnam *Salyceti*, ac aliorum sequentium distinctionem traditam *per text. in l. Nesennius ff. de excusat. tutorum*, vt scilicèt cesset illud legatum, quod constet intuitu tutelæ, vel curæ relictum esse, non autem illud, quod factum sit principaliter intuitu personæ, quodq; aliàs etiam sine tali onere testator fuisset relicturus, atque hanc sequuntur plures relati *per Guttier.*, qui eam sequitur, magisq; communem dicit *in tract. de tutelis par. 1. cap. 22. numer. 14.*, & referunt *Hodiern. ad Surd. dec. 38. Capyc. Latr. consult 106. nu. 14. Carpius de execut. test. lib. 1. cap. 18.*

Altera verò est opinio *Iacobi de Belui-sio*, & *Romani*, ac sequacium volentium, vt huiusmodi distinctio procedat de iure antiquo *Digestorum*, secùs autem attento iure nouissimo *Authenticorum in §. his omnibus auth. de hared. & falcid.*, 3 quam sequuntur, ac veriorem probant *Menoch.* qui alios cõgerit *lib. 4. præsumpt. 124. Surd. Baez.* & alij cumulati *per Carp. dicta quæst. 18. & Capyc. Latr. dicta consult. 106. num. 11. cum seqq.*, vt scilicèt indistinctè, dicto iure attento, siuè legatũ relictũ sit intuitu tutelæ, siuè nõ illud cesset, tutelæ non acceptata, vel recusata; Vndè propterea scribẽdo more Aduocati, atque congestis auctoritatibus relatis per allegatos, ostẽdere conabar, quod hæc esset magis communis, & recepta, proindèq; nil suffragaretur, an legatum prædictum diceretur principaliter relictum ob causam amoris, & beneuolentiæ priùs expressam, vt insistebant scribentes in contrarium.

Reflectendo autem ad veritatem, dubitabam de motiuo; Quidquid enim sit de veritate huius secundæ opinionis, quę licèt magnum habeat sequacium cumulum, nihilominùs, vt pluries expertus sum, nõ de facili in foro recipitur; Adhùc tamen cessabat eius applicatio ad 4 factum, cum ea probabiliter recipienda videatur in casu culposæ recusationis, vel respectiuè dimissionis, tanquam in pœnam ingratitudinis, quæ ità ergà testatorem à legatario committi videtur, vndè propterea ex præsumpta indignatione, tacita, seu præsumpta ademptio resultet, & in his terminis loquuntur dictæ opinionis sequaces; Secùs autem, vbi sine aliqua tutoris culpa id proueniat; Putà ex facto eiusdẽ testatoris, (vt in præsenti), vel ob superuentam adultam ætatem, seu ex alia iusta causa, adeoùt omninò cesset dicta ratio ingratitudinis, seu præsumptæ indignationis, vel etiam cesset altera, quæ contrà legatarium forsan vrgere posset immutatæ beneuolentiæ, seu fiduciæ, quia scilicèt reuocato isto tutore alium deputasset, ex ijs, quæ cæteris allegatis habentur plenè *apud Surd. dec. 38.*; Hæc autem omnia in præsenti cessabant, dum immutatio administratoris prouenit à rationali motiuo id committendi eiusdem pupillæ, vel minoris sponso, ac respectiuè viro.

Quare firma remanente distinctione textus *in dicta l. Nesennius*, quæstio erat potiùs facti, & applicationis quàm iuris, ideoque non habens certam, ac determinatam regulam, sed pendens ex singulorum casuum particularibus circumstantijs, ex quibus pro prudentis Iudicis arbitrio, ambigua disponentis voluntas de- 5 sumenda est, ad effectum inspiciendi, an in vna, vel altera distinctionis parte versemur; Solaque iuris disputatio cadere videtur super statuenda præsumptione in dubio, cui scilicèt illa assistat, an hæredi, vel legatario; Idq; nimiùm refert; Tùm ob onus probationis, quod transfertur in eum, cui præsumptio resistit; Tùm etiam ob pondus, seu efficaciam coniecturarum hincindè colluctantium, vt in pari, vel parùm inæquali concursu potior sit conditio eius, cui præsumptio

assistit; De reliquo enim quoad singularum coniecturarum vim, & efficaciam, iuxtà generalem coniecturalium naturam, fatuinas est, certam, ac generalem regulam statuere, siue coniecturas in vno casu approbatas, vel reiectas, in quocumque alio recipere, vel reijcere, quoniàm stant benè simul, vt aliquæ coniecturæ in vno casu, ob illius facti circũstantias essent validæ, atq; in altero, ob circumstantias diuersas, eædem, ac maiores sint inefficaces, vel ècontrà.

In dubio autem, magis communis recepta opinio videtur, vt præsumptio assistat hæredi contrà legatarium, quod scilicèt præsumatur principaliter legatum 6 relictum esse intuitu tutelæ *per tex.in dicta l.Nesennius, & l.sequ.cum concord.*, vt cæteris cumulatis probant *Menoch.dicta præsumpt.* 124.*num.*1.*& sequen.*, *Surd.dicta decis.* 38.*num.*3., *Capyc.Latr.dicta consult.* 106.*num.*23.*& sequen.*; Eaque probabilior videtur, vbi præsertim agatur de extraneo, ergà quem nulla obligatio naturalis, vel sanguinis ratio vrgeat ad eam prouidendum, grauando proprios filios, ergà quos regulariter maior affectio præsumitur; Ideoque in hac facti specie dicebã, quod hæredi sufficibat dicta iuris præsumptio, donec legatarius diuersam voluntatem probaret, vt insinuatur etiam *sub tit.de seruit.disc.* 50.

In hac autem voluntate probanda, Scribentes incõtrarium satis insistebant in illis verbis, *per segno dell' affetto, che li porta*, primo loco prolatis, quasi quod ista fuisset principalis causa legandi; Verùm videbatur satis leuis coniectura, dum immediatè, ac per copulam, in eadem oratione subiuncta erant alia ver- 7 ba, *& per l'incommodi, e fatighe*; Potissimè, quia in eadem periodo, ac vnica oratione continebantur deputatio tutelæ, & curæ, ac legatum, quod potiùs magnum erat argumentum correspectiuitatis; Altero etiam adminiculo in contrarium vrgente per argumentum à contrario sensu deductum *apud Menoch. cõs.* 346.*num.*12., *& dicta præsumpt.* 124.*nu.* 11.*& per Rot.decis.*636.*num.*6.*&* 7.*par.* 4.*rec.tom.*3.*& in Firmana codicillorum* 1. *Martij, &* 15.*Nouembris* 1649. *coram Cerro decis.*250.*&* 349.*par.*10.*rec.*, vbi pro legatario consideratur, quod annuum legatum relictum erat ad vitam legatarij, ideoq; testator cõsiderauit illius durationem etiam post expletam tutelam, vel curam, quod in præsenti cessabat.

Credebam tamen, quod maior probabilitas legatario assisteret, ex alijs circumstantijs facti insimul, ac vnitim à me ponderatis, quamuis per scribentes in contrarium non deductis, & in quibus magis, quàm in verbis, semper insistendum est, pro ambigua defuncti voluntate indaganda; Attenta scilicèt in primis 8 amplitudine patrimonij, cuius in vnica filia fœmina, alijs legatis non multùm onerata, satis modicum onus erat; Ac etiam attenta non leui affectione, quam testator viuens habebat ergà legatarium, cuius opera in omnibus eius negotijs vtebatur; Item quià postquàm dictam filiam collocauerat, eiusque viro administrationem dederat, ideoq; sciebat cessasse onus tutelæ legatario demandatũ cum aliquo tẽpore superuixisset, atq; dispositorũ rectè cõscius esset, dũ super eis oretenùs aliquas fecit declarationes; Attamẽ nil dixit in cõtrariũ, quibus omnibus insimul ponderatis vnà cum dictis verbis, quæ vnicè pro legatario deducebantur, videbatur, quod ei maior assisteret probabilitas, vndè propterea consului Annæ viro, vt curaret, eo quo posset modo, concordiam obtinere, vt credo sequutum.

Tũc etenim pro legati cessatione probabilius respondendum videtur, quamuis vrgerent adminicula affectionis, quodque cessante etiam causa tutelæ, testator esset relicturus, quandò scilicèt tutor, ex eius facto merè voluntario, tutelam acceptare recuset, siue illam acceptatam deserat, adeout huiusmodi actus testatori ignotus, verisimiliter dici valeat causa diminutionis prioris beneuolentiæ, ac inductiuus iustæ indignationis, iuxtà facti circumstantias. 9

Ideoque *in vna Firmana vsus fructus* pro Beatrice Vagnarella cum Anna Catalana, eius matre, de qua habetur actum *sub tit. de seruitutibus* ad materiam vsusfructus *disc.* 50, disputata *in Rota coram Albergato*, & in qua principalis disputatio erat super puncto, an legatum vsusfructus vxori relictum, resolueretur in alimenta iuxtà consuetudinem *Bulgari*, vel potiùs importaret vsumfructum for-

ma-

malem, vt Rota credidit, magnam mihi intulit admirationem illa resolutio; Non quidem super dicto articulo, quoniàm cum sit iuris, ac merè coniecturalis, varia esse solent ingenia, quamuis ab omnibus ad veritatem reflectatur.

Sed ob non curatam cessationem legati, siue vno, siue altero modo factum esset, dum eodem contextu vxor relicta fuerat tutrix communis filiæ pupillæ heredis institutæ, atque culposè tutelam deseruerat ob transitum ad secunda vota; Et tamen istud motiuum in decisione neglectum fuit; Quinimò cum inculcatum fuisset pro obtinenda noua audientia, id nõ fuit attentum, ex eo fundamento in decisione deducto, quod transitus ad secunda vota, cessante expressa pœna caducitatis nõ esset sufficiens causa ademptionis, seu cessationis legati; Verùm hoc videbatur æquiuocum clarum, quoniàm dicta legati cessatio, non deducebatur ex solo transitu ad secunda vota, tanquàm eius pœna, sed ex præsumptione cessatæ voluntatis defuncti deducta à probabili indignatione, ob voluntariè desertam filiæ tutelam, ex culposa, parumque viro defuncto grata causa transitus ad secunda vota; Ideoque in hac parte intellectus non acquieuit, atq; omninò parum probabilis visa est resolutio, licèt nequè illa placeret super altero puncto interprætationis legati vsusfructus ex deductis in dicta propria materia, *disc. 50. de seruit.*

IANVEN.

LEGATI

PRO

BRIGNOLIS.

Discursus pro veritate extrà Curiam.

An & quandò legatum factum vxori cum onere habitandi cum filijs, ob istorum mortem, vel absentiam, seu aliud impedimẽtum, tanquàm à cessante causa legandi, cesset, nec-nè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Recepta est distinctio* Decij.
3 *Quando constat, quod legatum sit in gratiam filiorum, sine dubio cessat.*
4 *Secùs è conuerso.*
5 *Quid in casu mixto, quod sit in gratiam vtriusque.*
6 *Vbi agitur de alimentis, præsumptio est fauore legatarij.*
7 *Idem vbi de habitatione.*
8 *Quod attendi debeat præponderantia.*
9 *Ponderantur coniecturæ fauore legatarij, præsertim vxoris.*
10 *Declaratur, in quibus terminis ista quæstio procedat.*
11 *Legatum habitationis est onus, & non fauor.*
12 *De circumstantijs, ob quas sit in gratiam hæredis.*
13 *De eodem fauore hæredis.*
14 *Matri educanti filios debentur alimenta.*
15 *Respondetur coniecturis assistentibus legatario, de quibus num. 9.*
16 *Quod mors ciuilis in hoc æquiparetur naturali.*

DISC. XXIII.

NDe Brignolis, in testamẽto mandauit, vt eius filij hæredes instituti, in infantili, vel respectiuè pupillari ætate constituti, educari deberent penès eius vxorem, ac respectiuè matrem, viduitatem tamen seruantem, dictoque casu illi danda esset habitatio cum eisdem filijs in domo designata; Cum autem duo tantùm supererent filij, quorum vnus de tempore mortis testatoris erat infans, vel respectiuè pupillus, Alter verò maior; Atque minor succedendo maior factus, à patria de Superiorum mandato exulare coactus esset; Hinc prætendere cœpit alter filius maior, qui educationi commendatus non erat, vt resolutum esset dictum legatum habitationis ad fauorem vxoris; Atque pro veritate desuper consultus.

1

Respondi, quod in hoc articulo, an legatum factum vxori cum onere, vel cõditione habitandi cum filijs, per istorum

2 mortem, vel recessum tanquàm à cessante causa, cesset, ex veterum sententia *Decius consil.* 601., qui in hoc distinguendi modo per moderniores communiter est receptus, tres casus distinguit.

Primò nempè, vbi tale onus adiectum legato facto vxori, respiciat principaliter fauorem, ac intuitum filiorum, & tunc omnes concordant, vt cessante causa legandi, expiret legatum *ad text.*

3 *in l. illis libertis in fin. ff. de cond. & demonstrat. l. Seio in princip. ff. de annuis legatis, Bart. Salycet.* & alij *in l. 1. Cod. de legat. Ancharan. conf* 185. & 237. vtrobique *nu.* 1., quem post *Dec. dicto conf.* 601. *in princip.* cæteri sequuntur, de quibus *Menoch. lib. 4. præsump.* 123. *num.* 21. *conf.* 146. *num.* 1. & 970. *num.* 27. & *sequen. Surd. de alim. tit.* 8. *priuil.* 23. *num* 8. *Cyriac. controu.* 50. *num.* 19. & 20. *Arias de Mesa lib.* 2. *var. resol. cap.* 4. *num.* 23. *Peregrin. de fideic. art.* 16. *num.* 148. *Franch. decis.* 58. *num.* 4. *vbi adden.*, & tanquàm absolutum admittit *Rota in Ferrarien. legati* 4. *Febr.* 1626. *coram Manzanedo decis.* 636. *par.* 4. *rec. tom.* 3. *num.* 3. & *sequen.*, & *in Firmana dicillorum* 1. *Martij*, & 15. *Nouembris* 1649. *coram Cerro impress. dec.* 290. & 349. *p.* 10.

Alter casus est, vbi respiciat solum commodum, & fauorem vxoris; Et tunc ècõuerso est pariter absolutum, vt mors,

4 vel aliud impedimentum illorum, cum quibus habitatio est demandata, nullatenùs legatariæ præiudicet, vt apud allegatos.

Tertius est casus mixtus, quia nempè causa legandi respiciat commodum vtriusque, & tunc discrepant DD.; Aliqui

5 enim volunt, vt adhùc legatum cesset, vt *ex Peregr. dicto art.* 16. *num.* 149. *Menoch. dicto conf.* 970. *post num.* 43.; Alij verò magis communiter tenent, vt in casu mixto præponderare debeat fauor legatarij *per text. in l.* 1. *Cod. de legat.* vbi DD. *Dec. dicto conf.* 601., quem ità intelligunt *idem Peregr.* sibi contrarius *conf.* 38. *post num.* 8. *lib.* 2. *vers. cum autem*, & *Menoch. conf.* 146. *post num.* 14. *vers. sexto dato &c. Franch. dicta decis.* 58. *nu* 4. cum alijs *per Arias de Mesa dicto lib.* 2. *var. cap.* 5. *num.* 19., vbi testatur, quod hæc opinio est frequentius recepta, vt recepit *Rota in dicta Firmana codicillorum* 1. *Martij*, & 15. *Nouembris* 1649. *coram Cerro decis.* 290. & 349. *par.* 10. *rec.* reprobatis in specie *Menoch. dicto conf.* 970. & *Cyriac. controu.* 50., qui dictam controuersiam edidit in allegata *Ferrarien. legati coram Manzanedo impress. decis.* 636 *par.* 4. *rec. tom.* 3., in qua succubuit.

Et quando hæc opinio fauore legatarij pati posset aliquam difficultatem in alijs legatis, magis tamen de plano pro-

6 cedit, vbi agatur fauore alimentorum, in quibus, semper legatarij fauor præponderat; Ideoque speciale dicitur etiam per contrariæ sententiæ auctores, vt deficiẽtia conditionis non causet illius expirationem *per text. in dicta l.* 1. *Cod. de leg.* vbi *Bart.* & *l. Caio*, §. *Imperator de adim. leg. cum concord. per Peregr. dicto conf.* 38. *num.* 3. *Menoch. dicto conf.* 146. *num.* 15. & admittit *dicto conf.* 970. cum alijs *per Arias de Mesa dicto cap.* 4. *num.* 21.

Cum igitur in hac facti specie ageretur de legato habitationis, quæ est pars alimentorũ, vt aduertunt *Berou. conf.* 24. *n.* 8. *lib.* 2. & alij, de quibus in his terminis

7 *per Arias de Mesa dicto cap.* 2. *num.* 10. & *cap.* 6. *num.* 4., hinc dictum priuilegium intrare videbatur.

Deducebam ista in forma discursiua, vt insinuaretur, quid in materia DD. di-

cant;

cant; Mihi autem videtur, vt in ista, potiùs facti, ac voluntatis, quàm iuris quæstione, inspicienda sit fauoris, vel affectionis præponderantia, ex vero principio, quod mixtum assumit qualitatem illius simplicis, de quo magis participet, vt in his terminis ingeniosè de more obseruat *Eugen. conf. 49. lib. 2. ex num. 18.* & sequitur *Arias de Mesa dicto cap. 5. num. 21.*

8 Ideoque difficultatis cardo totus in facto, consistere videbatur, an scilicèt habitatio relicta esset vxori intuitu ipsius, vel filiorum, vel vtriusque; Et quod ipsius vxoris, vel saltim vtriusq; respectus habitus fuerit, suadere videbantur; Primò

9 regula generalis, vt in dubio legatum potiùs intuitu, & fauore legatarij quàm tertij factum censeatur, maximè vbi agitur de vxore, uel alia persona dilecta, quidquid sit de libertis, alijsque personis seruitorijs, vt rectè post antiquiores ab eis allegatos firmant *Menoch. lib. 4 præsumpt. 123. num. 1. & sequen. & conf. 146. num. 9. Peregr. dicto conf. 38. post num. 10.*, vbi considerat distinctionem vxoris, vel alterius personæ dilectæ, à libertis, vel alijs personis seruitorijs *Arias de Mesa dicto cap. 2. num. 2 & 3. Merlin. lib. 2. controu. 40. num. 37. Rot. dicta decis. 636. num. 5. par. 4. rec. tom. 3.* & in allegatis *Firmana codicillorum coram Cerro decis. 290. & 349. par. 10. rec.*

Secundò ob qualitatem rei legatæ, nempè habitationis, cum enim cohabitatio mutua inter matrem, & filios sit connaturalis, duraque sit separatio, ideò vtriusq; cohabitare debentis fauor à testatore consideratus censetur, vt *per Peregr. dicto conf. 38. num. 8. vers. cum autem in fine.*

Tertiò ob cõditionem viduitatis vxori impositam, vt post *Dec. conf. 485. num. 7. & Signoroll. de Homod. conf. 179. ad fin.* benè prosequitur *Arias de Mesa dicta cap. 2. num. 4. & sequen.*, atque istam conjecturam satis considerauit *Rota in alleg. Firmana codicillorum coram Cerro decis. 290. & 349. par. 10.*

Quartò, quia testator reliquit onus habitationis sub libera voluntate vxoris per illa verba, *Che si compiacerà &c.*, quo casu receptum est, vt onus non censeatur adiectum principaliter contemplatione filiorum, vt post *Soccin. sen. conf. 69. num. 6. lib. 1. Menoch. dicta præsumpt. 123. num. 14. Peregr. dicto conf. 38. nu. 13. Arias de Mesa dicto cap. 5. num. 4.*

Quintò pro vxore legataria faciebat, quod ipsa per multum tempus educauerat filios, eosq; penès se habuit, ideòq; dũ iam testatoris præcepto satisfecit, non debebat commodo legati priuari, si per eam non stabat quominùs continuetur, vt latè per iura, & rationes probant *Menoch. conf. 146. num. 19. & Arias de Mesa vbi supra cap. 2. num. 8. per text. in l. mœuia 13. in principio ff. de annuis legatis.*

Sextò vbi agitur de legato, quod verisimiliter testator fecisset, etiã deficientibus filijs, tunc censetur, quod ad vxorem habuerit respectum, vt post *Dec.*, & *Soccin.* & alios *Menoch. dicta præsumpt. 123. num. 9. & conf. 146. post num. 11.*; Talis autem videbatur istud legatum habitationis tribuendæ vxori viduæ, quæ durante statu viduitatis dicitur in coniugio perdurare, ideoquè præsumitur, vt testator desiderauerit continuationem habitationis vxoris viduæ in propria domo, vt in puncto per deficientiam cõditionis ex banno filij, cum quo vxor habitare debebat *Arias de Mesa vbi supra cap. 6. num. 1. 2. & 3.*

Pro meliori autem veritatis indagatione, ego desiderassem videre totum testamentum, ad effectum colligẽdi ex alijs eius partibus affectionem testatoris ergà vxorem, & quomodò eam tractauerit, vt exindè argumentum voluntatis melius posset deduci; Attenta verò sola particula transmissa, credidi cum modica difficultate, vt versaremur in primo casu distinctionis, quod nempè demandatum esset præstari habitationem vxori in solam gratiam filiorum, ac intuitu eorum educationis, adeoùt cessante causa, cessaret obligatio illam præstandi; Diligen-

10 ter etenim consideratis casibus positis per DD. supra allegatos, ac alios per eos adductos super isto articulo dissidentes, omnes loqui videntur in terminis legati facti vxori de aliqua re sub onere, vel cõditione habitationis cum filijs, adeoùt legatum consistat in alia re, quàm in habitatione, quæ non est legatum, sed potiùs consideratur tanquam onus, vt post *Bart. in l. 1. Cod. de legat.* egregiè *Eugen. dicto conf. 49. num. 25. & seqq.*

Quodque

Quodquè habitatio faciẽda cum alio, dicatur onus, & non fauor, vel commodum, firmat generaliter *Rot.* alijs allegatis *apud Burate. decis. 354. num. 4.*, & pro-
11 bat *text. in liquet concubinam 29. §. vxori ff. de leg. 3.*; Quæstio enim est, an conditio, vel modus, seù onus habitandi qualificet aliud legatum, illudquè faciat causatiuum; Ideoquè cum in hac facti specie nullum legeretur legatum factum vxori, quæ in testamento nominata fuit sola occasione præcepti iniuncti filijs minoribus, vt penès eam educari debeant; Hinc sequi videbatur, vt habitatio non esset ei relicta per modum legati, sed tantùm per viam dispositionis consequutiuæ, & accessoriæ ad præcedentem edu-
12 cationem filiorum, vt clarè sonant verba testamenti, ibi, *lascia che li figli siano alimentati appresso la Signora Isabella, & in tal caso lascia, che le sia data l'habitatione insieme con detti figlioli*, adeoùt habitatio demandetur tanquam necessaria educationi, quæ fieri non potest penès matrem, nisi habitet in eadem domo cũ filijs, vt benè ostendit illud verbum; *In tal caso.*

Idquè apertius probari videbatur ex limitatione temporis, ibi, *per tutto il tempo, che si compiacerà di viuere con detti figlioli*; Legatum etenim habitationis factum intuitu legatarij, fieri solet ad vitam; Et clariùs probari videbatur ex finalibus verbis dispositionis, ibi, *non ostante, che viuerà, e sarà come sopra in dette cose alla cura, e gouerno di detti suoi figlioli*, ergò viuere, & habitare, quod factura erat in domo, confideratum fuit à testatore pro cura, & gubernio filiorum; Et consequenter dicebam, quod versaremur extrà terminos quæstionis agitatæ per DD., dum nullum aderat legatum vxori factum, vel in ipsam directum.

Et quamuis vbi adest clara dispositio, vanum sit recurrere ad coniecturas iuxtà vulgarem *text. in l. ille aut ille ff. de leg. 3.*; Attamen ad tollẽdam omnem ambiguitatem plures considerabam coniecturas vehementes suadentes, quod habitatio in solam causam educationis filiorum relicta esset; Primò nempè qualitas filiorum educandorum in minori ætate exi-
13 stentium, cura, & educatione materna indigentium, maximè quia testator istam qualitatem considerauit, & expressit, ibi, *lascio che gli figlioli minori &c.* ad text. *in l. sed si hoc in fin. ff. de condit. & demonstr. iuxtà conf. Signorol. de Homod. 179. Alex. post Rainer. in l. 1. C. de legat. Dec. conf. 485. numer. 7.* cum alijs *per Menoch. conf. 146. sub num. 3., & dicta præsumpt. 123. nu. 15. Peregr. dicto conf. 38. num. 10. Eugen. dicto conf. 49. nu. 38. & sequen. Purpurat. conf. 2. num. 11. lib. 2. Arias de Mesa vbi supra cap. 5. num. 12. & sequen.*; Licèt enim ista coniectura, vbi sit sola, impugnetur ab alijs; Attamen vnita, videtur potentissima, maximè vbi testator ætatem filiorum considerauit.

Secunda desumebatur coniectura ex qualitate ipsius legatariæ, quæ erat mater, cui propriè incumbit filiorum impuberum educatio, *vt benè Eugen. dicto conf. 49. num. 37.*; Dictaquè coniectura efficacior reddebatur ex circumstantia viduitatis à testatore desideratæ, quam solam pro coniectura deducunt post *Signorol. dicto conf. 179.* & alios antiquiores *Menoch. conf. 970. num. 31. & sequen., & de præsumpt. dicto cap. 123. numer. 17., Capyc. Latr. consult. 120. num 66.*, atquè videtur coniectura indubitata, vbi conditio viduitatis ponatur post onus, vt in casu nostro, quoniam tunc est cõsequutiua oneri, licèt secùs, vbi sit à parte anteà, in quibus terminis procedunt loquentes in oppositum, vt distinguendo firmat *Decius dicto conf. 485. num. 8.*, & *Rota in alleg. Ferrarien. legati coram Manzanedo decis. 636. num. 8. & seqq. par. 4. rec. tom. 3.*

Tertiam ponderabam coniecturam, quod commodum legati non solum adæquaret onus, sed esset longè inferius; Ideoquè sicuti quandò commodum superat, coniectura est pro legatario, ità quãdo æquat, coniectura est pro hærede, vt obseruant post *Benintend. decis. vltima Menoch. dicto conf. 146. nu. 13. & sequen.* cum alijs *per Arias de Mesa cap. 5. n. 29.*; Quinimò ex isto modo disponẽdi, quem testator fecit, aperta desumitur coniectura exclusiua affectionis, & dilectionis testatoris ergà vxorem, quoniam cum ei reliquisset onus educationis, & curæ filiorum, nihilominùs, non solùm eam nullis verbis benevolis tractauit, in qui-
14 bus principaliter se fundant ferè omnes tenentes partes legatariæ, sed nec ei reliquit alimenta, quæ de iuris censura vi-

den-

dentur debita matri, cui filiorum educatio demandata fuit iuxtà *theor. Bart. in l. vltima num.8. Cod. de indict. viduit.tollen. cum concord. per Surd. de alim. tit. 2. quæst.3.num.2. Mantic.de coniectur lib.9. tit.4. num.12. Arias de Mesa dicto cap.3. num.5.*; Si enim omisit relinquere vxori id, quod tenebatur relinquere in præmium laboris iniuncti, hinc proindè certa, & aperta desumitur exclusio affectionis, quæ pariter aliena probabatur, dū de illa tanquam extranea potiùs, quàm de vxore loquendo, nulla verba benevola adiecit, neque de illa confidit circa filiorum tutelam, vel administrationem, sed tantùm eam considerauit tanquam simplicem educatricem, ac minùs, dum etiã educatrici danda sunt alimenta, quæ testator omisit.

Neque istis coniecturis præponderare videbantur aliæ supra in contrarium ponderatæ; Prima enim est simplex præsumptio legalis nimis debilis, vbi non
15 est vestita verbis expressiuis amoris, ac dilectionis, atque tollitur per contrarias vehementiores, eamquè in specie paruipendit *Eugen. dicto cons.49.nu.47.* quem sequuntur alij.

Secunda retorquetur, quoniam nuda habitatio est potiùs onus, quàm fauor, ac legatum, vt supra.

Tertia est resoluta in secunda coniectura pro filijs, atquè potiùs retorquetur vt supra.

Quarta procederet, vbi legatum esset purum, atquè onus voluntarium, itaùt nolente illa ferre onus iniunctum, adhùc consequi posset legatum, et in his terminis loquuntur, qui pro ista coniectura possunt allegari, & in specie obseruat *Eugen. dicto cons.49.num.53.*, & patet ad sensum.

Quinta non est coniectura, sed particularis opinio aliquorum considerantiũ onus tanquàm conditionem, sed est vanum, quoniam nullum aderat legatum, ac etiam quia constabat illud esse merè causatiuum, seù consequutiuum vt supra.

Et sexta fundata in verisimilitudine procedere posset, vbi constaret de affectione testatoris ergà vxorem, atquè non vrgerent in contrarium coniecturæ illã excludentes, dū videbatur, quod testator eatenùs voluisset vxori dari habitationem, quatenùs filiorum curæ, & educationi assisteret; In casu autem posito *per Arias de Mesa dicto cap. 6.* constabat de maxima affectione testatoris ergà vxorem, cui ingens legatum fecerat, vltrà habitationem; Et vlterius ibi agebatur de dando habitationem vxori viduæ in domo viri, ad exclusionem Fisci, non autem ad exclusionem filij, & hæredis, vt in præsenti.

Et licèt DD. ferè omnes tractent materiam in casu mortis naturalis filiorum; Attamen idem dicendum videri dicebã in casu mortis ciuilis, quoniam eadem
16 est ratio cessationis causæ, dum nõ proueniret ex actu merè voluntario, ac ordinato ad impediendum implementum conditionis, sed erat impedimentum quod veniebat in consequentiam, vt in indiuiduo latè, & eruditè probat *Arias de mesa* (quem in scholis habui præceptorem) *dicto lib.2. cap.6. ex nu.18.* præsertim *num.27.*, ad quem sufficit relationem haberi, dum alios deducit.

ROMANA

SEV

VITERBIEN. LEGATI

PRO

CAMILLO BERNARDO

CVM

CÆCILIA NEPTE.

Casus decisus per Rotam vt infrà.

An legatarius habitationis, & alimentorum in domo cum hærede, prætendere valeat alimenta, & habitationem extra domum, & mensam

sam hæredis ex aliqua iusta causa, præsertim ex eo, quod legatum fuerit factum mulieri tunc solutæ, quæ postea virum duxerit.

Et an, & quando legatarius, qui testamentum impugnat, eiusquè inualiditatem allegat, cadat, necnè à commodo legati.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Legatarius, qui impugnat testamentum, cadit à legato cum distinctione.*
4 *An restituatur in integrum.*
5 *Quæ regula desuper cadat.*
6 *De distinctione inter ius quæsitũ, & quærendum.*
7 *Vsufructuarius an faciat suos fructus, caution non data.*
8 *Quando restitutio in integrum debeat negari.*
9 *De eodem, & quando concedi.*
10 *Vndè resultent æquiuoca Iuristarum.*
11 *Transitus ad secunda vota non causat amissionem legati.*
12 *An alimenta legata peti possint extrà domum hæredis.*
13 *Vbi etiam peti non possunt extrà domum, adhùc fallit ex iusta causa, & quæ ista dicatur.*
14 *Quando etiam iusta causa non obliget.*
15 *Non est augendum onus à testatore non iniunctum.*
16 *Quando non sunt præstanda extrà domum, & accedit causa, dandum est quanti domi esset impensurus.*
17 *De differentia inter legatum habitationis, & legatum facultatis habitandi.*

DISC. XXIV.

1 CArolus, scripto hærede Camillo, patruo, huic onus iniunxit, vt Cæciliam ipsius testatoris sororem viduam secum in domo, & mensa retinere deberet; Cumquè sequuta morte testatoris, dicta Cæcilia testamentum impugnasset, litem per aliquod tempus substinendo cum testamentario, qui, opposita inualiditate non obstante, obtinuit testamentum canonizari, hinc eadem Cæcilia, deserta lite, atquè facto transitu ad secundas nuptias, petijt legatum habitationis, & alimentorum, aduersùs quam petitionem Camillus hæres reus conuentus de duobus opposuit; Primò nempè de caducitate incursa ob testamenti impugnationem; Et secundò vt non teneretur dictum legatũ præstare extrà propriam domum, & mensam; Assumptaquè desuper disputatione in Rota, (vbi iam occasione validitatis testamẽti causa introducta erat) *coram Verospio sub die 16. Iunij 1664.*, agendo tantum de primo puncto caducitatis, pro istius ex-
2 clusione prodijt resolutio; Deuolutaquè causa *in eadem Rota coram Albergato sub die 17. Martij 1666. & 25. Maij 1668.* prodijt resolutio prouisionalis ad fauorẽ legatariæ, vt ei præstari deberent, quarta pars domus pro habitatione, & annua scuta quadraginta pro alimentis, pluresquè aliæ disputationes postmodùm habitæ principaliter fuerunt, consistentes potiùs in facto, quam in iure, super statu hæreditatis, ac istius incapacitate ad prædictum onus supportandum; Potissimè quia ob sequutam mortem causæ Patroni, ac etiam ipsius met Camilli, causa, iuxtà stylum, mutauit defensores.

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum caducitatis à legato, quam legatarius incurrit ob impugnationẽ testamenti, quoties ista sit ex defectu vo-
3 luntatis, secùs autem, vbi ex altero solemnitatum, iuxtà distinctionem, de qua cæteris relatis, *apud Grat. discept. 419. num. 37. cum seqq.*, & in sua materia *sub tit. de testam. disc. 55.*; Scribentes pro legataria, non negabant conclusionem, minusq; eam negat dicta decisio *coram Verospio*, vtpotè fundata in iuribus litteralibus, de quibus in dicta sua materia *sub tit. de testamentis*; Dicebant tamen, ac Rota admisit, quod cum ageretur de muliere huiusmodi subtilitatum legum ignara, quodquè hæc impugnatio, potiùs ex mẽ-
4 te secundi viri, vel Causidicorum sequuta esset, subueniendum illi veniret ex beneficio restitutionis in integrum ex clausula generali *si qua mihi &c.*; In id deducendo ea, quæ generaliter habentur super restitutione in integrum mulieribus, imò etiam quandoq; viris ex dicta clausula

sula *si qua mihi* cõcedenda aduersùs aditionẽ hæreditatis incõsultò factã sine beneficio inuẽtarij, siuè aduersus eius solẽnitates omissas ex deductis *apud Franch. & Add. decis.* 229. *Capyc. Latr. cons.* 57. *& Rota decis.* 82. *par.* 9. *rec.* cum similibus.

In hoc autem, non de facili iudicium pro veritate efformari potest, seù certa regula generalis desuper statui, quæ cuicumq; casui sit applicabilis, quoniam, cum sit materia Iudici arbitraria, atquè arbitrium regulandum veniat ex singulorum casuum indiuiduis circumstantijs, ex quibus pendet, an accedat, necnè iusta causa, ob quam mulieri tanquam excusabili de hoc beneficio succurrendum sit, hinc proindè, totum pendet ex facto potiùs, quàm ex iure; Et consequenter aduertebam erroneum videri, ità generaliter, ac indefinitè in hoc puncto procedere, vt in dicta decisione proceditur, quoniã reflectendum est ad distinctionem, de qua in proposito caducitatis ob contrauentionem, vel non implementum, habe-
6 tur in omni ferè materia præsertim verò *sub tit. de fideicom. disc.* 154. & latiùs *sub titulo de testam. discur.* 73., ac etiam *sub titulo de matrim.*; Quod scilicèt magna differentia sit inter casum, in quo caducitas operetur priuationem, seù amissionem iuris, vel emolumenti iam agniti, & quæsiti, ac alterum, in quo agatur de iure quærendo, seù de impediendo, nè quis acquirat, seù lucrum obtineat; Primò etenim casu importante speciem pœnæ, supponendum est delictum, à quo proindè, de facili excusatio admittenda est, secùs autem in altero, ex ibi deductis.

Ad quod conferunt etiam quæ habentur *sub tit. de seruit.* ad materiam vsusfructus *disc.* 48. super obligatione, quæ vsufructuario incumbit præstandi cautionem de vtendo, & fruendo arbitrio boni viri, & quandoquè etiã *Mutianam*, quodquè aliàs suum non facit vsumfructum, quoniam si vsufructuarius agat de iure
7 quærendo, pro fructibus scilicèt ante huiusmodi implementum à proprietario perceptis, tunc non de facili exauditur, nequè muliebris simplicitas, vel alia iusta causa admittitur, facilius tamen, vbi ad effectum excusandi à restitutione perceptorum, quoniam reuera, magna differentia est inter vnum, ac alterum effectum.

Et consequenter, cum in præsenti ageretur de hac secunda parte, mihi videbatur, vt in proposito procederetur cum aliquo æquiuoco; Potissimè cum id magis consisteret, in iure, cuius ignorantia, iuxtà satis vulgarem, ac receptam distin-
8 ctionem non excusat agentem de lucro captando, seù de acquirendo, non obstante rusticitate, vel muliebri simplicitate, cui benè consultum esse potest, consulendo peritiores; Alias etenim lex, verbis potiùs quàm rebus imposita diceretur, atquè de facili, huic legis prouisioni fraus fieri posset, adituſq; aperiri testamẽtorum impugnationibus (per quas iniuria testatoribus inferri dicitur), impunè ob istud refugium, pro quo vtpotè præuiso, facilè est, aliquas iustas causas excusationis studiosè, ac affectatè parare; Potissimè quia huiusmodi impugnationes in forma iudiciali, & cum formali subsistentatione litis, fieri non solent, nec possunt, absquè opera, & consilio Aduocatorum, & Procuratorum, hanc legis dispositionem benè callentium, à quibus impugnatores, quamuis legum ignari, rectè instrui possunt; Et clariùs vbi impugnatio tractum habuit successiuum cũ diuturna litis subsistentatione, cum tunc difficiliùs ista æquitatiua excusatio admittenda videatur, vt in hac facti specie eius circumstantiæ suadebant.

Est benè verum, quod in hac materia, omninò certa, & determinata regula statui non potest cuicumquè casui applicabilis, quoniam dari posset casus (quem ego quandoquè expertus sum), vt hæres,
9 vel alter, ad cuius commodum caducitas cedat, colludendo cum aliqua Rabula forensi, cui mulier, vel alter, ex eius malo fato eius iura commiserit, ad effectum, vt ità per innocentem ista pœna incurratur, curet, vt hæc oppositio fiat, istoquè casu verum est, vt dictum æquitatiuum arbitrium, iustè, ac rationabiliter interponi debeat, etiam ad hunc effectum; Secùs autem vbi ista circumstãtia cesset; Atquè hinc, in ista legali facultate, resultat tàm magna æquiuocorum frequen-
10 tia, quoniam ea, quæ in vno casu, quamuis iustè, ac fundatè decisa, vel dicta sint, vno alterum transcribente, statuantur pro regula generali, cuicumquè casui applicabili.

Quoniam verò ad alterum punctum, an scilicèt

licèt hæc legataria, quæ post mortem testatoris, immutando statum viduitatis ad alia vota trãsitum fecerat, habitationem ab hærede separatam, ac alimenta extra eiusdem hæredis mensam petere posset.

Scribentes pro ea, cum consueta ineptia, seù improbo pragmaticorum superfluo labore, magnum allegationum cumulum faciebant super conclusione, quæ in specie firmatur *in Romana vsufructus coram Beuilaqua decis. 95. num. 4. & 5. par. 12.*, & pluries alibi insinuata, quod scilicèt transitus ad secundas nuptias non causat amissionem legati, quamuis istud à primo viro factum sit, cuius, eiusquè filiorum superstitum tantùm fauore, vel ratione, in vsu remanent pœnæ secundo nubentium, & non aliàs, ex ijs, quæ ad hanc materiam secundarum nuptiarum habentur *sub tit. de successionibus*; Multò igitur minùs, vbi agitur de legato facto per alium, quàm per primũ virum, eiusquè caducitas non percutit fauorem filiorum primi matrimonij, sed alterius. 11

Hoc autem posito; Quamuis ijdem Scribentes admitterent regulam, vt habitatio, ac alimenta isto casu sequi deberent personã hæredis ob expressam testatoris voluntatem, quæ cessare facit quæstionem iuris, super qua ad satietatẽ multa de more cumulant *Addent. ad decis. 636 par. 4. rec. tom. 3.*, vbi, ac in alijs ibidem cumulatis habetur, de distinctione inter alimenta debita iure actionis, ac alia officio Iudicis. 12

Dicebant tamen, quod etiam in casu quo, ex legis, vel hominis dispositione, alimentandus recipere debet alimenta in domo hæredis, vel alterius alere obligati, qui extrà propriam domum ad id non teneatur, adhùc tamen, id cesset ex iusta causa, ex parte alimentarij verè non culposa, ex ijs, quæ pariter ad satietatem cumulãtur per dictos *Addent. ad decisionem 636. num. 113. cum seqq. par. 4. rec. tom. 3.*; Vbi quod inter iustas causas reputatur ista dissensionum, vel odij ratione litis; Multo verò magis altera iusta causa quoquè accedente, licitæ, atquè iure canonico potiùs approbatæ, quàm improbatæ mutationis status per transitum ad alia vota, vndè propterea nedum incongrua, sed ex facti qualitate impossibilis reddebatur dicta conuiuentia cum hærede, eò modo, quo in statu viduitatis sequuta erat. 13

Admittebam ego scribens pro hærede veritatem omnium præmissorum in abstracto, siuè *in suis casibus*; Attamen (etiã cum aliquo sensu veritatis) negabam applicationem, in qua aduertebã quod consisteret æquiuocum; Procedendo etenim cum ea, (quę mihi semper cordi est), propositione, quæ pro meo sensu ante omnia præ oculis habenda est, vt in huiusmodi quæstionibus voluntatis, *istius* substantia principaliter attendi debeat, non autem procedi cum formalitate verborũ, vel cũ generalibus iuris propositionibus; Ista verò substantia attenta, stantibus personarum qualitate, ac patrimonij quantitate, clarum videbatur, vt testatoris voluntas fuerit iniungendi patruo eius hæredi, vt sororem, quam viduam, atquè in eo statu perseuerantem præsupposuit, apud se in propria mensa, ac domo retinere cõtinuaret, eodẽ modo, quo ipse defunctus apud se retinebat, dum penè eadem sanguinis arcta coniunctio concurrebat; Idquè modicum, ac ferè nullum redolebat onus; Tum quia coniunctæ mulieris esistẽtia in domo, ob eius opera, & seruitia, potiùs commodum, & vtilitatem importet; Tum etiam clariùs, quia modicum onus est mulieri, seù alteri coniũctæ personæ familiariter suppeditare alimenta in propria mensa, pro qua penè eosdem sumptus suppeditare oportet; Et consequenter obligando ad præstandum alimenta extrà domum in pecunia, esset augere onus à testatore non volitum, neq; iniunctũ iuxtà decisa per Rotam *in Spoletana alimentorum 24. Maij 1593. coram Gyptio* cum alijs cumulatis *per dictos Add. ad decisionem 636. par. 4. rec. tom. 3. num. 122. cum seqq.*; Ideoquè dicebam quod aliud ab ista legataria prætendi non posset, nisi æstimatio eius, quod imporaret præstare habitationem, ac alimenta in propria domo, atq; id, quod domi fuisset impensurus iuxtà ea, quæ habẽtur in Romana pecuniaria *pro Ornano sub tit. de credito disc. 86.*; Et ad quod conferre obseruabã ea, quæ habentur *sub tit. de seruit. discur. 66.* super distinctione inter legatum habitationis, ac legatum facultatis habitandi, ex ibi deductis. 14 15 16

ALBA-

ALBANEN.

CELEBRATIONIS MISSARVM

PRO

MAGDALENA MANFRONA.

Responsum pro veritate.

Legatum hæredi iniunctum, celebrationis certi numeri missarum in aliqua Ecclesia, an spectet ad religiosos dictæ Ecclesiæ, per quos perneceſsè missæ celebrandæ sint, vel potiùs hæres eligere possit sacerdotes ad celebrationem.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Legatum Ecclesiæ pro missis pertinet ad Rectorem.*
3 *Fallit vbi onus est iniunctum hæredi.*
4 *Legatum pro missis in Ecclesia monialiũ, cui Ecclesiæ debeatur, si moniales transferantur.*
5 *Quod clerici sæculares possint accedere ad Ecclesias Regularium.*
6 *Decretum* Gratiani *non est authenticum.*
7 *Declaratur conclusio, de qua num. 5.*
8 *Declaratur circa idem* consil. Abbat.
9 *De alio casu controuersiæ.*
10 *De aliquibus declarationibus S. Congregationis.*
11 *Vbi Regulares se opponunt nè Clerici sæculares missas ibi celebrent, legatum in alia Ecclesia impleri potest.*
12 *De alijs declarationibus Sac. Congregationis, & quando procedant.*

DISC. XXV.

1 DOMINICVS hæredem instituit Aloysium Ioannem Baptistam filium, cui morienti sine prole, succedere voluit Margaritam vxorem, cũ onere, vt teneretur celebrari facere pro anima ipsius, & suorũ in Ecclesia Beatæ Mariæ Gratiarũ Oppidi Mareni singulis annis quasdã missas in perpetuũ; Cũ autẽ factus esset casus dictæ substitutionis, dictaquè Ecclesia pertineret ad Clericos Regulares minores, istiquè prætenderent ius, & actionem habere exigendi effectus ad id assignatos, hæres autem vellet in eadem Ecclesia, quatenùs impedimentum non reciperet, celebrari facere ab alijs Sacerdotibus dictas missas, sin minùs in casu impedimenti in alia Ecclesia; Hinc ex parte Magdalenæ hęredis dictę Margaritæ interim defunctæ pro veritate consultus.

Respondi, quod quandò legatum directum esset in ipsam Ecclesiam, quia nempè dictum esset relinqui Ecclesiæ annuã summam pro missis celebrandis, tunc probabilius respondendum esset pro di-
2 ctis Regularibus, qui Rectores eorum Ecclesiæ dicuntur iuxtà *decisiones Caualer.* 369. & 405., in quibus firmatur, vt legatum factum pro missis celebrandis in Ecclesia, debeatur eiusdẽ Ecclesię Rectori, cui incumbat onus, seù cura celebrationis, quod etiam habetur *decis.* 294. & 338. *par.* 9. *rec.*, vbi concordantes.

Verùm, quia onus iniunctum erat ipsi hæredi, idcircò pro isto potiùs in hac facti specie dixi respondendum videri, quoniam, vbi onus hęredi iniunctum est,
3 aliam iste non habet obligationem, nisi illam adimplendi, atque curandi, vt sequatur opus à testatore volitum, & sic ipsum sacrificium, quod solùm à testatore contemplatum fuit, non autem vna, vel altera persona, quæ celebrare deberet, vt benè aduertit *Petrus de Vbaldis in tract. de portione Can. cap. 7. num.* 57. atque per argumentum à contrario comprobant *eædem decis.* 294. & 338. *par.* 9. *rec.*, in quibus totus punctus restrictus fuit, an onus iniunctum esset hæredi, vel Rectori.

Et licèt in contrarium facere viderentur deducta *apud Seraph. decis.* 1149., vbi quod non videatur contemplata
4 Ecclesia localis, sed ea, in qua essent moniales, quæ principaliter contemplatæ videntur; Nihilominùs ibi deducta non videbantur facere ad rem, ob diuersas facti circumstantias, quoniam legatum directũ erat in Moniales, atq; ex dispositionis contextu apparebat, quod fa-

ctum esset in earum gratiam, vt ità scilicèt releuarentur ab onere subsistentandi proprium cappellanum pro missa quotidiana conuentuali, qua indigent, Vndè propterea benè deciditur, quod si Moniales translatæ sint de loco ad locum, missæ celebrandæ sunt in noua Ecclesia loci translationis, vbi illæ residenr, non autem in antiqua, quamuis testator illam expressè nominasset, cum censeretur nominata demonstratiuè, & cum præsuppositio, quod Monialibus deseruiret.

Et quamuis pro ratione dubitandi ponderarem dispositionem textus *in cap. dudum 18. quæst. 2.*, vbi deciditur, quod 5 clerici sæculares accedere non debent ad celebrandum in Ecclesijs regularium, nisi ab istis inuitentur, per quem textū ità in terminis plenè firmat *Abb. cons. 59. par. 2*; Attamē dicebam, quod hujusmodi prohibitio hodie de facto non militaret; Tùm quia decretum *Gratiani* non est authenticum, minusque Canones in eo contenti habent vim legis, vt habent illi, qui continentur in Decretalibus, 6 & sexto, alijsque annexis, vt aduertit *Rota apud Peniam decis. 377.* iuxtà *Venetum* alias 484. iuxtà *Lugdunen.* & in alijs; Tùm etiam, quia cessauit dicti Canonis ratio, quæ consistit in ea solitudine, ac totali separatione à commercio sæcularium, quam priscis temporibus monaci profitebantur, vtpotè anachoreticam vitam tunc potiùs ducentes, cuius oppositum hodie ab introductione Mendi- 7 cantium, aliarumque modernarum Religionum citrà, de facto seruatur, dum in regularium magis quàm clericorum sæcularium Ecclesijs populi concursus habetur, atque in eis frequentius diuina ministrantur, ipsique regulares magis quàm clerici sæculares laicorum negotia pertractant.

Quæ autem dicuntur *per Abb. dicto cons. 59.* percutiunt materiam iurispatronatus in Ecclesia regulari pro clericis sæcularibus nō erigendi, nè sæculares iuris- 8 dictionaliter, atq; in ratione auctoritatiua ius haberent diuina celebrandi in Ecclesijs regularium, ità ordines confundendo, præsertim verò, vbi ageretur de altari maiori, ex deductis in materia *per Adden. ad Buratt. dec. 1.*; Secùs autem, vbi agitur de implendis oneribus missarū nō solemnium in alijs eiusdem Ecclesiæ altaribus; Vt circà annum 1657. pro absoluto habitū fuit per S. Congregationem de Propagāda Fide occasione erectionis quarūdē cappellaniarū annualium, quam 9 Cardinalis Cornelius in testamento demandauerat pro aliquibus missis quotidie celebrandis in cappella S. Theresiæ per ipsum fundata in Ecclesia B. Mariæ de Victoria ordinis dictæ S. Theresiæ, non obstante oppositione dictorum religiosorum, pro quibus ego scribens more Aduocati deducebam dictum *cons. Abbatis*, eiusq; fundamēta, quoniam dictū fuit, quod ille loquitur in dictis terminis; Quāuis in eo casu dictis PP. deindè S. Congregationi humiliter supplicātibus, gratiosè sumptum fuerit quoddam temperamentum, ex ratione eorum particularis Instituti.

Stantibus præsertim aliquibus declarationibus Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium *in una Neapolitana die vltima Febr. 1605. & in una Mediolanen. 4. Maij 1608.*, ac altera declara- 10 tione Sac. Congregationis Concilij *in una Romana 15. Ianuarij 1639.*, vt regulares teneantur præstare patientiam in eorum Ecclesijs, vt missæ relictæ possint celebrari per sacerdotes sæculares, cum aliqua tamen congrua, & honesta contributione pro expensis ceræ, vini, hostiarum, ac etiam vsus paramento- 7 rum.

Quatenùs verò dicti regulares, oblatione dictæ contributionis non contenti se opponerent, atque hæres non curaret suscipere onus illos cogendi; Tunc dixi, 11 quod liberum remaneret dicto hæredi onus prædictum adimplendi in alia sibi benè visa Ecclesia, ex iam dicta ratione, quod ipsum opus, seù sacrificium principaliter à testatore volitum, seu contemplatum dicitur; Atq; ita declarauit Sacr. Congregatio Episcoporum, & Regularium *in una Burgi S. Sepulchri 7. Octobris 1617.*, & *in una Balneoregien. 18. Martij 1622.*, dum facultatem dedit loci Ordinario transferendi onus in aliam Ecclesiam.

Fundabant (quantum relatum fuit) dicti regulares eorum prætensionem in quibusdam declarationibus Sacræ Con- 12 gregationis relatis *per Barbos. de Paroch. cap. 11. num. finali, & per Nicol. in suis flosculis*;

stulit; Verùm istæ percutiebant regularium exemptionem à subministratione paramentorum, ceræ, vini, & aliorum, quæ necessaria sunt pro missarum celebratione, vndè quando sæculares de his se prouident, corruit hoc fundamentum.

HORTANA

LEGATI

PRO

PP. CARMELITANIS TERRÆ CANEPINÆ.

Responsum pro veritate.

Facto legato de aliquibus bonis, quæ alicui censui, vel oneri affecta sint, cui incumbat, census, vel oneris solutio, an S. hæredi, vel legatario.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Vt onus censuum sit donatarij, non autem legatarij, & de ratione differentiæ.*

3 *Distinguitur etiam ad effectum legati, an onus sit proprium, vel occasionale.*

4 *Census consignatiuus est onus personale.*

5 *Illeque non tribuit dominium, vel ius reale in fundo.*

6 *Secùs dicendum in occasionali.*

7 *Istæ distinctiones attenduntur in dubio, secùs autem, vbi constat de voluntate.*

8 *Quomodò ista voluntas metienda sit, & ad quid suffragetur fauor piæ causæ.*

9 *Status hæreditatis, & qualitas operis in legato iniuncti attendi debet.*

10 *Quid operetur, quod legatum relictum sit titulo institutionis.*

11 *Vel si agatur de legato alicuius vniuersitatis bonorum.*

12 *De eodem, de quo num. 9. & quomodò quæstio decidenda sit.*

DISC. XXVI.

CVM testator, institutionis titulo reliquisset bona existentia in territorio Viterbiensi, ad effectum ex illis construendi Ecclesiam in Conuentu Carmelitanorum loci Canepinæ, ac etiã celebrandi quasdam missas, & anniuersaria, dictaque bona affecta essent quibusdam censibus consignatiuis, super eis impositis ad formam Bullæ Pij V.; Hinc orta est controuersia, an ad Conuentum legatarium spectare deberent bona libera, itaùt onus esset hæredis vniuersalis dictos census redimere, seu aliàs eorum onus in se assumere; Vel potiùs è conuerso legatarius illa obtinere deberet, sic onerata, & affecta; Cumque desuper ex parte dicti Conuentus pro veritate meum consilium expetitum fuerit.

1

Respondi, quod licèt, vbi agitur de legato pro legatario de plano respondendum videatur (quasi quod difficultas esset solùm in casu donationis inter viuos) auctoritate *Rotæ in Romana census 7. Februarij 1628. coràm Pirouano*, vt dicit *de Marin. resol. 12. lib. 1.*, vbi regiſtrat eamdem decisionem, quæ etiam est *impress. decis. 517. post Cenc.*, & *decis. 143. par. 5. rec.*, in qua donatario, secùs dicitur contrà, ità cõtrarium supponẽdo in legatario, cũ quo benignius proceditur, atq; fauorabilior interprætatio capienda est, potissimè, vbi agatur fauore causæ piæ.

2

Attamen verius videri dixi, vt inspiciendum sit, an ageretur de censibus impositis per eumdem testatorem, seu eius auctores, quorum ipse esset hæres, ac successor vniuersalis in vniuersum ius actiuum, & passiuum etiam personale; Vel è conuerso census per ipsum deberentur occasionaliter tanquàm à tertio possessore dictorum bonorum titulo singulari, adeoùt nulla concurreret propria, vel

3

eius

eius auctoris obligatio personalis, sed eatenùs teneretur, quatenùs esset possessor, & sic iure obligationis occasionalis, seu causatiuæ iuxtà casum, de quo agit *Amat. resol. 21.*

Primò enim casu, pro legatario respondendum esse censui per dispositionem text. *in l. si res obligata ff. de legat. 1.* vbi communiter Scribentes latè collecti *per Cenc. de cens. quæst. 79. ex num. 16.*, & per Scribentes apud eumdem, super impugnatione dictæ decisionis, etiam in 4 casu donationis, ex ea ratione, quod census consignatiuus in ordine ad ipsum impositorem, vel eius hæredem vniuersalem, verè dici non potest onus intrinsecum, & reale, vt sunt census reseruatiui, vel canones, seu liuelli, ac similes, sed potiùs continet onus, seu obligationem personalem, interueniente solùm fundo, vt satisfieret formæ præscriptæ per Constitutionem Pij V., seu ob intrinsecam naturã cõtractus, vt verius fortè videtur, quoniã ex veriori opinione in censuariũ non transit rei censuatæ dominium, minusque seruitus, vel aliud ius reale quæritur, 5 sed solùm quædam hypotheca magis specialis ex deductis *per Cenc. quæst. 1. num. 23. & quæst. 23. per tot.*, ac habetur pluries in sua materia *sub tit. de censibus*, ac etiam *in Romana, seu Tudertina collectæ sub tit. de Regalibus disc. 92.* occasione quæstionis, an creditor census teneatur, necnè ad collectas in loco fundi censiti, ac alibi.

Si verò dictum onus esset (vt suprà) occasionale, seu causatiuum tanquàm à tertio possessore titulo singulari bonorum, 6 & tunc dicebam, vt secùs respondendum esset, cum tunc non intret ratio text. *in d. l. si res obligata*, sed potiùs congruere videatur ratio, ob quam ad legatarium pertinet onus intrinsecum, seu reale, quale respectu tertij possessoris, etiam census consignatiui importare videntur, vt admittitur per Scribentes *apud Cenc. dicta quæst. 79. num. 58. & seq.*, vbi sic distinguendo respondetur *ad Gratian.*, & alios, qui partes hæredis contra legatarium tenent.

Vtroque tamen casu dixi, quod quæstio sit potiùs facti, & voluntatis quàm iuris, proindèque ex distinctio prædicta firmari non potest omninò certa, & 7 determinata regula generalis, sed solùm iuxtà cõiecturaliũ quęstionũ naturã, hęc distinctio attendenda est pro inducenda præsumptione in dubio, secùs autem, vbi diuersæ voluntatis inditia, vel coniecturæ accederent, quoniàm tunc istis omninò deferendum esset, vt de plano tanquàm absolutum admittitur per omnes hincindè de materia tractantes, quamuis inter se dissideant.

Super huiusmodi autem voluntate indaganda, pariter certa, & determinata regula tradi non potest, sed totum venit 8 decidendum prudentis Iudicis arbitrio, ex singulorum casuũ particularibus circumstãtijs regulando, adeoùt fauor causę piæ in hoc non importet priuilegium positiuũ, per quod semper ad eius fauorẽ respondẽdũ sit, vt generaliter ex motiuo pietatis frequẽtius Canonistę & Morales credere solẽt, sed sit circumstantia considerabilis ad faciliùs præsumendam disponentis voluntatem relinquendi necnè bona libera, ob benigniorem, ac latiorem interpretationem fauore piæ causæ faciendam, vt debeatur quod magis, non autem quod minus, præsertim verò quoties (vt in hac facti specie) legatum non est gratuitum, sed oneroſum, ac factum ad certum effectum, construendi scilicèt Ecclesiam, ac successiuè celebrandi in perpetuum missas, & anniuersaria.

Ideoque dixi, vt firmari deberet status hæreditatis detracto ære alieno, atq; ità inspici valor bonorum legatorum, & 9 qualitas oneris in eis existentis, necnon quantitas aliorum bonorum in hæreditate remanentium; Si enim onus super bonis legatis esset tale, vt eo etiam ad legatarium pertinente, adhùc bona sufficerent ad opus per testatorem demandatum, vndè potiùs Ecclesia legataria contenderet de maiori lucro, hæreditas verò, detractis dictis bonis, esset exigua, vel notabiliter præiudicata, si dictum onus illi incumberet, & tunc contrà legatarium potiùs respondendum esset; Spectata præsertim qualitate personæ hæredis, an esset de sanguine coniunctis, ac verisimiliter prædilectis, siuè an eidem adiecta essent alia onera, ad quæ hęreditas idonea non esset, vel ab eis absorpta remaneret, si istud quoque onus sibi incumberet; Et èconuerso, vbi ex dictis circumstantijs potiùs hęredi, quàm legatario

tario onus congruum esset; Et in summa, vt iuxtà singulorum casuum circumstantias, vnam, vel alteram voluntatem suadentes, decisio sequi deberet.

Vrgere videbatur contrà legatarium notabilis circumstantia, quod testator, non titulo legati, sed ex illo institutionis, reliquisset dicto Conuentui per quã-
10 dam speciem vniuersitatis omnia bona, quæ habebat in Ciuitate Viterbiensi; Licèt enim, dato hærede vniuersali, adhùc dispositio prædicta remaneat particularis, ac iure legati, itaùt titulus institutionis importare solùm dicatur facultatem capiendi propria auctoritate, quando legato adijcitur, cum de reliquo non concedatur pagano habere plura patrimonia, pluresque diuersos hæredes eo modo, quo conceditur militi, seu feudatario, vt frequenter tam *sub tit. de feud.*, quàm sub altero *de hæred. & hæredit. & de successionib.* aduertitur; Nihilominùs id satis attendẽdũ videbatur pro coniectura voluntatis testatoris, quod scilicèt ità quodammodò distinguere voluerit patrimonia iuxtà distinctionem locorum, in quibus ea sita sunt, atque illud vniuersum, quod existeret in dicta Ciuitate relinquere huic Conuentui.

Isto etenim casu, dicta onera de plano incumberent legatario tanquàm iura passiua dictæ vniuersitati bonorum incumbentia, ex ijs, quæ de debitis vnius patrimonij, seu negotij spectantibus ad illius successorem, absque contributione succedentis in altero patrimonio, haben-
11 tur deducta *apud Salgad. in labyrinth. par. 1. cap. 9. ex num. 48. & par. 2. cap. 12. ex num. 68., & per Rot. decis. 51. 63. & 64.* post *Merlin. de pignor., & apud Roias dec. 268. ex num. 16. repetit. decis. 368. par. 9. rec.*

Videbatur tamen, vt ista coniectura tunc attendenda esset, quando status bonorum esset talis, vt onere non obstante,
12 congrua essent operibus à testatore volitis, secùs autem è contrà, cum ista coniectura videatur efficacior, ac præponderans, præsertim si reliqua hæreditas esset idonea, & non ageretur de grauando filios, seu consũctos verisimiliter prędilectos; Ideoque concludebam, vt totum penderet ex facto, cuius potiùs quàm iuris est quæstio, ex eius qualitate decidenda; Et consequenter erroneum est, cum doctrinis generalibus, vel cum decisionibus in vno casu proditis, in omni casu procedere, cum exindè tot frequentia æquiuoca resultent.

ROMANA

PRÆTENSI LEGATI

DE GESSIS

PRO

FRANCISCA & ANNA DE GESSIS

CVM

FABRICA S. PETRI.

Casus disputatus coram Iudicibus Fabricæ, credo, concordatus.

Legatum incertum pro exoneratione conscientiæ, in confessarij, seu alterius arbitrium collatum, an per necessè sit integrè adimplendum, Vel sufficiat illud implementum, quod exequutor fecerit; Et an bona, ex quibus testator dixit tale legatum implendum esse, stent demonstratiuè, vel taxatiuè; Et aliqua de facultatibus Fabricæ circa legata pia exequenda.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Legatum non dicitur pium, si opera pietatis ad speciem deducta non sunt.*
3 *De facultatibus Fabricæ S. Petri.*
4 *Non attenditur declaratio contraria testamento.*
5 *Quando legatum non fit in specie, sed in ge-*

genere exonerationis conscientiæ.
6 *De dictione præsertim.*
7 *De quæstione an destinatio stet taxatiuè, vel demonstratiuè.*
8 *De eodem, eiusque effectu.*
9 *Residui verbum probat solutionem.*
10 *Nemo moriens præsumitur immemor æternæ salutis.*
11 *Declaratur, & quando mortui attestationi deferendum sit.*
12 *De fiduciario.*
13 *De adminiculis probantibus fiduciarij declarationem.*
14 *Quando dispositio collata in fiduciam religiosi non importet piam dispositionem &c.*

DISC. XXVII.

DOminicus Gessius, institutis hæredibus Francisco, & Annæ ex filio nepotibus, administratorem, & curatorem hæreditatis deputauit Petrum Paulum eius fratrem in Religione Seruorum, sibi attributa libera, & absoluta facultate, vendendi, alienandi, & permutandi omnia eius bona mobilia, & stabilia; Præsertim verò eidem iniunxit, vt venderet quasdã duas domos, earumquè pretium erogaret, vt pro exoneratione conscientiæ idẽ testator sibi communicauerat, ac aliàs totum committendo eiusdem conscientiæ, illum eximendo à quauis rationum redditione, quodquè de præmissis nihil Religioni, vel Monasterio acquireretur.

Sequuta morte testatoris, dictus Petrus Paulus, nec dictas domos, nequè alia stabilia alienare voluit, sed liberè administrando mobilia, & pecunias, ac nomina debitorum, aliaquè in hæreditate reperta, exegit etiam à dictis hæredibus factis adultis, & nuptis scuta 100., quæ declarauit necessaria esse pro quodam alio implemento non sequuto, nè stabilia distraherentur; Deindequè moriens declarauit fratris voluntatem in omnibus impletam fuisse; His autem ità sequutis, Procuratores Fabricæ prætendere cæperunt, quod dictæ duæ domus præcisè, ac in specie legatæ fuissent in opera pia incerta pro exoneratione conscientiæ, ideoquè ob incertitudinem operum, 2 ac neglectam exequutionem intrarent Fabricæ facultates pro applicatione sibi ipsi in vim Constitutionum Apostolicarum, atquè iuxtà talem prætensionem prodijt sententia Iudicis primæ instantiæ, à qua interposita appellatione, atq; deputato per Congregationem eiusdem Fabricæ alio Iudice.

Pro hęredibus scribens dicebam, quod quidquid sit, àn huiusmodi legatum dicendum esset pium, stante quod testator non explicauerat, vt in pia opera pretiũ prædictum erogandum esset, vndè propterea non esset pium, nequè caderet sub facultatibus Fabricæ, ex ijs quæ contrarijs respondendo latè probat *Marant. iunior respons. 32. par. 4.*; *Vbi* etiam tale dicendum esset, adhùc tamen dictę facultates non intrabant, stante illius iam sequuto implemento.

Fabrica enim, vtpotè loco Ordinariorum cumulatiuè subrogata, dicitur exequutrix piarum dispositionum, quas hæredes, vel alij, quibus testatores iniunxerunt, exequi neglexerunt, nè pia disponentium voluntas elusa remaneat, vt de hoc Tribunali, eiusquè facultatibus habetur *apud Rouit. in pragm. 1. de legatis pijs, Capyc. Latr. decis. 180. lib. 2.*, vbi plenè de eius introductione, & facultatibus, & *per Rot. apud Caualer. dec. 212.*, quæ in Curia circumfertur tãquam magistralis, & cum qua proceditur *decisione 122. par. 7. rec., & Ferrarien. transactionis coram Celso inter suas decis. 78.*, & in alijs, ideoquè ingerere se non potest iam exequutis, cum impletus esset finis, ob quem eius facultates introductæ sunt.

Scribentes pro Fabrica, non negabant huius assumpti veritatem, quod scilicèt, posita exequutione, seù implemento, non 4 possit Fabrica aliud prætendere; Verùm insistebant super facto non sequuti implementi, non obstantibus quibuscumquè exequutoris declarationibus, vtpotè conuictis ab eodem testamento, in quo præcisè demandatur alienatio duarum domorum, quarum pretium testator incommunicata opera pro exoneratione conscientiæ erogari voluit, inferendo vt ipsæ domus tanquàm species in legatum essent deductæ, ideoquè dicebant esse impossibile, vt testatoris voluntas impleta esset, dum domus extabant penès

hære-

hæredes non distractæ.

Verùm (cum sensu etiã veritatis) improbabilem, parùmquè fundatam dicebam huiusmodi prætensionem, quoniam stante præcedenti generica facultate dicto Religioso attributa vendẽdi, nè dùm domos prædictas, sed etiam alia bona quæcumquè tàm mobilia, quàm stabilia, enunciatis dictis duabus domibus cum dictione *præsertim*, hinc proindè substantia voluntatis non consistebat, àn conscientiæ exoneratio sequeretur cum pecunijs ex vna, vel alia re retrahendis, sed in ipso opere in vniuersum, quod scilicèt restitueretur, seù aliàs erogaretur id, quod exequutor, necessarium, vel congruum reputaret, pro assequendo dicto fine, seù effectu, qui vnicè, ac principaliter fuit in intentione testatoris, itaùt domus prædictæ non starent taxatiuè, nequè tãquam legatum in specie, sed solùm demonstratiuè, seù indicatiuè tanquàm de bonis, de quibus magis promptè talis voluntas impleri posset, dum illæ insinuatæ fuerant cum dictione *præsertim*, quæ non inducit necessariam, ac præcisam restrictionem, sed solùm exprimit casum minus dubitabilem, alios non excludendo *Gemin. cons.* 16. *n.* 4. & cæteri *apud Barbos. dict.* 277.

6

Si enim casus dedisset, quod prædictæ domus, ex incendio, vel terremotu, seù alio accidenti perijssent, tunc retento intellectu prætenso per dictos Scribentes, vlteriori implemento locus non esset, cuius contrarium ipsius dispositionis cõtextus, ac subiecta materia euidenter probabant, dum principaliter in intentione, vt supra, fuit ipsa conscientiæ exoneratio cum erogatione pecuniæ, et sic generis, quod nunquam perit, vndè propterea dato casu peremptionis bonorum destinatorum, dispositio ex alijs impleri debuisset *ad text. in l. quidam testamento ff. de legat.* 1. *Bart. in l. stipulantem* §. *sacram num.* 6 *ff. de verborum oblig. Mantic. de coniect. lib.* 9. *tit.* 3. *numer.* 20. & cæteri *apud Rouit. decis.* 57. *& apud Merlin. decis.* 456. *num.* 36. & alibi *hoc eodem titulo* aduertitur.

7

Quæstio enim est inter Scribentes super qualitate, seù natura dispositionis, àn scilicèt certa destinatio staret taxatiuè, vel demõstratiuè, quæ vna, vel altera qualitate posita; Quidquid *Roman.*, & pauci sequaces teneant, magis communiter receptum est, vt nulla data distinctione inter pias, & prophanas dispositiones, in casu taxatiuæ, peremptio rei destinatæ liberet, secus autem in casu demonstratiuæ, itaùt fauor piæ causæ in hac materia in eo tantùm sit operatiuus, vt facilius præsumere facit vnam, quàm alteram qualitatem, & sic in dubio, sed isto cessante, itaùt qualitas sit certa, nihil operatur.

8

His igitur ità constitutis; Cum in facto iustificaretur, quod in hæreditate remansisset notabilis quantitas argentorum, & pecuniarum, aliorumquè mobilium prædictorum, quæ domorum valorem excedebant, de quibus per dictum exequutorem, seù administratorem nulla dabatur ratio, ità cũ istis bonis voluntas disponentis impleta remanebat, stante eiusdem exequutoris geminata declaratione; Primò scilicèt, quando recepit scuta centum, quæ declarauit esse pro residuo, & complemento, quod probat solutionem reliquatus *ad text. in l. si ex pluribus*, vbi *glos. verb. reliquum ff. de solut. Caualer. decis.* 228. *num.* 2. *decis.* 94. *nu.* 20. *post Merlin. de pignor.*; Et secundò in articulo mortis, quandò præsumptio est pro veritate, cum nemo præsumendus sit immemor æternæ salutis, præsertim religiosus ex deductis *per Menoch. lib.* 5. *præsumpt.* 5. *num.* 3. *Surd. decis.* 103. *nu.* 4. *& 7.* apud quos, & alios ibidem habetur propositio quã in foro circa priuatas attestationes quotidianam habemus, quod mors habet vim iuramenti, eiquè æquipollet.

9

10

Et licèt Scribentes in contrarium super huiusmodi propositione impugnanda, nimium se diffunderent, allegando aliud axioma per ora pragmaticorum volitare solitum, quod non omnis præsumendus est S. Ioannes Baptista; Attamen vt sæpius præsertim *in Perusina erectionis Canonicatus sub tit. de fideicõmissis disc.* 182., & alibi deductum habetur, in hoc proposito procedendum est cum distinctione tradita *per Alphan. in l.* 1. *Cod. de edend. num.* 19. cum quo transit *Genua de scriptura priuata tit. de libris rationum num.* 65., quod scilicèt; Aut agitur de declaratione, seù attestatione facta per viuentem in statu valido, atquè ab imminentis mortis cogitatione alieno, cui

11

subsequens attestantis mors ex intervallo sequuta, absquè alia ratificatione, robur tribuat tanquã species iuramenti, et tunc dicebam, quod opponẽtes benè dicebãt, cum non interet dicta ratio de non præsumendo morientem immemorem æternæ salutis, dum declaratio, seù attestatio facta est procul à mortis cogitatione; Secùs autem, vbi constitutus in mortis articulo, videns per eius imminentiã, quod nõ posset amplius sibi notã veritatẽ pandere, eã declaret, quoniã tunc attẽta præsertim bona qualitate declarantis, absquè dubio maioris ponderis huiusmodi declaratio videtur, quam iurata attestatio facta per existentem in statu valido, & à mortis cogitatione alieno.

Fortiùs dum agebatur de declaratione facta per exequutorem, seù confidentiarium, cuius fides per testatorem pro-
12 bata fuerat ad notata *in l. Theopompus ff. de dot. præleg. & in l. si quis pro redemptione* §. 1. *Cod. de donat.*, vbi *Cin. Bald.* & cæteri, de quibus *apud Afflict. decis.* 371, *num* 6. cum alijs in materia *text. in dicta l. Theopompus* plenè deductis *in dicta Perusina erectionis Canonicatus sub tit. de fideicommissis disc.* 182., vbi ex professo actũ fuit, an, & quando exequutoris, vel confidentiarij declarationi standum sit; Potissimè verò ob plures circumstantias dictæ declarationis veritatem adminiculantes; Primò scilicèt quod non agebatur de declaratione facta ad propriam exonerationem, & à se eximendo à redditione rationum, ad quam per Ordinarium, vel alium superiorem pulsare-
13 tur, in quibus terminis intrare solet difficultas super fide huiusmodi declarationibus præstanda, & sic non agebatur de proprio interesse; Secũdò quia agebatur de sacerdote, & viro religioso; Tertiò quia de fratre germano testatoris, in quo præsumendũ nõ erat, quod fratris animã absquè proprio commodo grauatam relinquere voluerit; Et quartò demùm, quia dum constabat, quod ad eius manus peruenisset æquiualens, ac maior summa, (nàm alias sine delicto in præiudicium hæredum in diuersos vsus erogare non potuisset) in dubio capienda erat interpretatio potiùs pro licito, quàm pro illicito *ad text. in l. meritò ff. pro socio* cũ concord. *Felin. in cap. cum accessissent nu.* 11. *de Constit.*

Eoquè magis præmissis veritatem assistere credebam, quoniam nimium probabile videbatur, vt dispositio ità concepta contineret potiùs cautelam à dicto religioso professo excogitatam, vt sci-
14 licèt ità habere posset liberam administrationem, ac dispositionem huiusmodi bonorum absquè eo quod Religioni acquirerentur, vel à superioribus cogi posset ad redditionem rationũ iuxtà casum, de quo *in Neapolitana legati sub tit. de testamentis disc.* 56., adeoùt non videremur esse in casu, quo testator alicui patri spirituali, vel extraneo religioso reuerà commisisset, vt suam conscientiam exoneraret cum summis, ac bonis ab eo destinatis; Quia verò in hoc Tribunali non de facili trãseunt propositiones hæredibus proficuæ pro excusandis oneribus, idcircò, me etiam consulente, concordia controuersiæ finem dedit, vt frequentiùs contingit.

PISAVREN.

FIDEICOMMISSI

PRO

MARCO ANTONIO BORRO

CVM

MINERVA, & FELICE DE MONTE

Casus disputatus coram A. C., & resolutus pro Minerua, & Felice, postea concordatus.

De legati acceptatione, quando constare dicatur, necnè, ad effectum videndi, an bona legata, separata sint ab hæreditate, itaùt non cadant

sub

sub fideicommisso vniuersali in eo ordinato, vel è contra.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Vbi legatum non agnoscitur, seù alias sit caducum, remanet in hæreditate subiectum vinculis hæreditarijs.*
3 *Acceptatio legati præsumitur in actu lucratiuo data scientia.*
4 *Ex quibus scientia arguatur.*
5 *Declaratur conclusio, de qua num. 4., vt non procedat in legato oneroso.*
6 *Quando autem dicatur legatum oneroſum, vel lucratiuum.*
7 *Legatum non potest pro parte acceptari, & pro parte non.*
8 *Effectuatio in parte operatur effectuationem in totum.*
9 *Obseruantia est bona interpres.*
10 *Ex potestate desumitur voluntas, atquè actus referendus est ad titulum licitum potiùs, quàm illicitum.*
11 *In quæstionibus voluntatis omnia simul iuncta ponderanda sunt.*

DISC. XXVIII.

1 GIdobaldus de Monte, institutis hæredibus, cum quodam fideicommisso, Horatio, Vgoccione, Alexandro, & alijs eius filijs masculis, iure legati reliquit Fælici vxori, pro restitutione partis acceptæ dotis, duo prædia, vnum nuncupatum de *Scapezzano*; Et alterum de *Soria*, vnà cum accessionibus, & melioramentis; Cumquè mortuis omnibus dictis masculis, Minerua, & Felix filiæ Ioannis vnius ex dictis institutis, prætenderent ad earum fauorem apertum esse fideicommissum à dicto testatore ordinatum, immissionem proindè intentarunt aduersùs plures tertios bonorum possessores, præsertim verò contra Borrum possessorem dicti prædij nuncupati *Scapezzano*, quod emerat ab Honuphrio vno ex dictis hæredibus grauatis; Et assumpta desuper disputatione coram A.C., per istum ad fauorem actricium sententiatum fuit; Interposita verò appellatione, cum Signatura commisisset causam in Rota cum clausula translatiua, id (vt frequentèr contingit) causam dedit cõcordiæ, dum amplius de causa actũ non audiui.

In disputationibus autem habitis, tàm coram A.C., quàm in Signatura; Scribẽtes pro actricibus, quibus Iudex adhæsit, fundamentum constituebant in eo, quod non constaret de acceptatione, ob cuius defectum bona legata, vtpotè legatario non acquisita, remanere dicuntur in hæreditate per ius non decrescendi, et consequenter, quod veniunt sub fideicommisso iuxtà magis communem, de qua 2 in proximis terminis caduci habetur *in Romana prætensi fideicommissi hoc eodem tit. discur. 29.*; Quicquid in specialibus terminis legati repudiati, quoties institutio, & substitutio factæ sint in reliquis bonis, sentiant in contrarium *Fulgos. cons. 99. Cephal. cons. 231.* & alij relati *per Fusar. quæst. 652. in principio*.

Quo verò ad acceptationis præsumptionem, quam ego scribens pro reo cõuento dicebam resultare ex sola scientia, quoties agatur de actu lucratiuo, ac fauorabili ex deductis 3 *per Surd. decis. 111. num. 12. decis. 189. num. 15. post Zacch. de oblig. camer. decis. 356. par. 9. rec. Reggien. bonorũ 23. Ianuarij 1647. coram Corrado*, & in alijs, in quibus firmatur scientiam stare loco acceptationis, & habetur pluries *sub tit. de donation.*

Scientia verò non poterat controuerti; Tùm quia agebatur de vxore cum eodem testatore viuente, quæ ipsius moriẽtis voluntatis conscia præsumitur, vt in 4 allegata *decis. 356. par. 9.*; Tùm etiam quia iustificabatur ex facti circumstantijs.

Verùm respondebant, vt id procederet in actibus merè lucratiuis, secùs autem in habentibus admixtum onus, vt in præsenti, dum testator vxori reliquerat 5 hæc prædia, vtpotè comparata ex pecunia dotali per eum habita, atq; in eiusdẽ pecuniæ satisfactionem, cum tunc posset expedire non acceptare legatum, atquè magis dictam pecuniam, quàm bona habere, vt firmatur *decis. 27. par. 7. rec.*, & *in Meleuitana hæreditatis 17. Decembris 1649. coram Royas inter suas decis. 314.*, & *dicto tit. de donat.* pluries.

Adhùc tamen, contrarium mihi probabilius videbatur, quoniam ex pluribus dedicta acceptatione constabat; Primò nempè ex dicta probatione præsumptiua resultante à scientia, & vtilitate iuxtà superius allegatas auctoritates; Non obstante dicta limitatione, quoniam vt benè declaratur *in dicta Reggien. bonorum coram Corrado*, ac non semel habetur in dicta sua materia *sub tit. de donationibus*; Limitatio prædicta procedit, quando onus est tale, vt incertum sit, àn vtilitati præponderare valeat, illamquè etiam excedere, adeoùt concurrat possibilitas damnificationis donatarij, vel legatarij in bonis proprijs; Secùs autem, vbi dispositio, siuè inter viuos, siuè per vltimam voluntatẽ, quamuis habeat aliquod onus admixtum, attamen semper, ac certè remanet vtilis, quoniam cum illud sit inferius emolumento, hinc proindè in excessu certa remaneat causa lucratiua; Atquè in his vltimis terminis versabamur, quoniã legatũ nõ erat solùm de prædijs, eo modo quo cum pecunia dotali comparata fuerant, sed etiam cum omnibus accessionibus, & melioramẽtis, quæ erant satis notabilia, ideoquè vtilitas erat indubitata.

Secundò clariùs (in præmissæ præsumptiuæ probationis cõprobationem) quoniam legatum erat vocum, vnica oratione, atquè in eamdem causam factum de duobus prædijs, vno scilicèt controuerso, & altero nuncupato de *Soria*, de cuius acceptatione, ac possessione in legataria constabat, vndè propterea refutabat acceptatio in totum, ex regula, quod legatum non potest pro parte
7 acceptari, & pro parte non *ad text. in l. legatarius ff. de legat. 1. & l. neminem cum sequenti ff. de legat. 2.*; Et ex altera propositione, quod effectuatio in parte, operatur effectuationẽ in totum ex deductis
8 *per Adden. ad Greg. decis. 557. num. 7. cum seqq. Bonon. census 15. Iunij 1648. coram Corrado*, & habetur non semel *sub tit. de Beneficijs* in materia Regulę reuocatorię vnionum non effectuatarum.

Tertiò ex subsequuta obseruantia, dũ legataria donec vixit, dotem in pecunia
9 non petijt, minusquè eius filij, & hæredes petierunt, ex recepta propositione, quam in foro quotidianam habemus, vt obseruantia sit optima interpres, seù declaratio ambiguæ voluntatis.

Quartò demùm euidentiùs, quoniam absolutũ est de iure, vt legatum purum, quamuis à legatario non agnitum, trans-
10 mittatur ad hæredes; Licèt enim ista transmissio sit tanquam de agnoscendo, itaùt in ipso quoquè hærede agnitio necessaria sit; Nihilominus, cum potestas sit certa, voluntas quoquè in proposito certa videbatur, dum Honuphrius eiusdẽ legatarij filius, & hæres dictum prædium vendiderat tanquàm omninò liberum, & cum assertione, quod illud ad se pleno iure spectaret; Iste siquidem actus, illicitus, & criminosus fuisset, si ille, qui alienationem fecit, illum gessisset tanquam repræsentans solam personam hæredis patris fideicõmittentis; Eò cõuerso autem fuisset licitus, & validus, si fecisset tanquam repræsentans alteram personam hæredis eius matris, & legatariæ; Ideoquè ex regula metiẽdi voluntatem à potestate, & ex altera capiendi in dubio præsumptionem delicti exclusiuam, dicta alienatio referenda erat ad causam licitam ex titulo hæreditario matris ad cõmuniter notata *in l. Marcellus ff. ad Trebell.*, vt habetur sæpius *sub tit. de detract. & sub altero de fideicommissis*.

Quamuis autem contra singulas supradictas probationes in specie, plura perscribentes in contrarium deducerentur; Attamen, vltrà quod videbãtur æquino-
11 ca, & non omninò concludentia; Dicebam quod difficultatẽ cadere posset, quãdo de ipsis singulis, ac singulariter consideratis agendum esset, secùs autem ijs insimul, & vnitim attentis iuxtà vulgatam regulam in ambiguis, & coniecturalibus perpetuò attendendam, *vt singula quæ non prosunt, vnita iuuent*; Ideoquè credebam, vt iustitia huic parti assisteret; Vltrà ea, quæ aduersùs easdem actrices in eisdem disputationibus deducebãtur super huiusmodi fideicommissi insubsistentia, vel magna turbiditate in toto, vel in parte; Post hanc autem controuersiam sopitam per concordiã, actrices effectæ sunt meæ clientes *in Romana fideicommissi de monte sub tit. de fideicommissis disc. 42.*, vbi tamen de fideicõmisso diuerso.

RO-

ROMANA

PRÆTENSI FIDEICOMMISSI

PRO

PIORDIS

CVM

PETRO PAVLO DE ROSIS.

Casus disputatus in Rota, incertus est exitus.

Legatum, cuius caducitas ob contrauentionem prætendatur, àn ita dicatur esse in hæreditate testatoris, vt cadat sub fideicommisso vniuersali per ipsum ordinato; Et de differentia inter casum caducationis, & casum caducitatis.

SVMMARIVM.

1 *FActi series.*

2 *Legata effecta caduca, remanent in hæreditate, ideoquè cadunt sub fideicommisso vniuersali.*

3 *De differentia inter casum caducationis, & caducitatis.*

4 *An in casu contrauentionis non dato substituto, intret caducitas, necnè.*

5 & 6 *De differentia inter casum conditionis, & modi, seù priuationis, & non acquisitionis.*

7 *Pœna non declarata in vita, non declaratur post mortem.*

8 *De quæstione an contrauentio causet mortem ciuilem.*

9 *De alia differentia inter modum, & conditionem.*

10 *Quando contrauentio referri non possit dolo, vel delicto, ex qua resultet pœna.*

DISC. XXIX.

SImon Corona, institutis hæredibus pluribus filijs Anastasij fratris, tunc iam existentibus, cum fideicommisso reciproco, ac successiuo inter ipsos, eorumquè descendentes, quamdam domũ reliquit primo filio masculo eiusdẽ Anastasij nascituro, cum onere assumendi nomen ipsius testatoris, et quatenus dictus Anastasius alios filios non procrearet, illam reliquit Francisco vni ex dictis filijs iam existentibus, sub eodem onere, quod ipse nomen testatoris assumere, ac retinere teneretur, sub pœna caducitatis in casu contrauentionis ad fauorem Melchioris alterius filij Anastasij, cum eodẽ onere tenendi nomen, ac inhabitandi domum; Cum autem alijs filijs non procreatis, tàm Melchior, quàm Franciscus Religionem ingressi essent, facta prius donatione Anastasio patri, tàm dictæ hæreditatis pro eorum portionibus, quàm legati domus respectiuè, vndè propterea ex hoc titulo Anastasius dictam domum iure domini possedit, atquè Piordi eius creditores ex remedio interdicti saluiani obtinuissent ad eamdem domũ immitti; Hinc Petrus Paulus de Rosis, tanquàm possessor dicti fideicõmissi vniuersalis ex personis Sulpitiæ, & Annæ Mariæ testatoris descendẽtium (ad quarum fauorem Rota in satis agitata *Romana fideicommissi de Coronis*, in qua plures habentur decisiones *coram Cerro*, & coram alijs, de quibus in hac eadem causa *sub tit. de fideicommiss. disc.* 131., declarauerat dictum fideicommissum apertũ esse) prætendere cæpit, vt stante contrauentione prædictorum Frãciscí, & Melchioris in non retinendo nomen testatoris, nequè inhabitando domũ, factus esset casus caducitatis ad fauorem hæreditatis, proindequè illa caderet sub dicto fideicõmisso vniuersæ hæreditatis complexiuo; Et assumpta desuper disputatione *in Rota coram Taia*, Scribentes pro actore, procedendo cum terminis legati effecti caduci, vtpotè ab hereditate nunquàm auulsi, exindè inferebant ad rei legatæ compræhensionem sub eadem hæreditate, ac successiuè sub fideicommisso

in

in ipsa ordinato iuxtà *decis. Surdi* 269. cum alijs apud eum, & *per Fusar. quæst.* 652. *num.* 3. *ad finem*, ex quibus longas allegationes transcribebant.

Scribens ego pro Piordis reis cõuentis, dicebã quod etiam in casu caduci, nõ desunt negantes compræhensionem legati sub fideicommisso vniuersali ob deficientem testatoris voluntatem illud cõpræhendendi, dum expressè dictum fuit institutionem concipi *in alijs bonis*, ex quibus verbis receptum est, vt non vrgentibus contrarijs adminiculis prælegata nõ veniunt sub fideicommisso vniuersali, vt pluries in sua materia *sub tit. de fideicõmiss.*; Et in specie tenent collecti per eumdem *Fusar. dicta quæst.* 652. *num.* 1. & 2.; Verùm admisso etiam, vt iuxtà magis communem,& probabilem opinionem, vt tali casu bona legata vtporè ab hæreditate non auulsa, sed in ea per ius non decrescendi extantia eodem iure regulanda essent, quo reliqua bona hæreditaria; Adhùc tamen cessabat di-
3 ctæ conclusionis applicatio ad factum, quoniam admissa etiam contrauentione per actorem prætensa,eramus in casu caducitatis,qui emolumẽti acquisitionem, ac respectiuè priuationem supponit, non autem in casu caducationis, qui supponit non acquisitionem, & successiuè non abdicationem, seù separationem bonorum à suo corpore vniuersali hæreditario, ideoquè magna differentia est inter vnum casum,& alterum.

Casus enim caduci diuersus est ab illo caducitatis, quoniam in primo casu caduci, legatum nunquam nascitur, nequè res legatæ auelluntur ab hæreditate, in qua proindè iure continuationis perseuerare dicuntur bona tanquam per cessationem causæ productiuæ separationis,seù dismembrationis; In secundo autem,emolumentum iam quæsitum est legatario, atquè dominium ab hæreditate abdicatum est, ac translatum in legatarium,qui proindè in casu contrauentionis dicitur priuari per viam pœnæ, seù conditionis ad fauorem substituti particularis in legato, quatenus hic datus sit;
4 Vbi verò iste non adest (nisi testator aliter disposuerit) non videtur iure cautum vt reuertatur ipso iure ad hæredem (vt opus esset ad effectum, de quo erat quæstio); Sed vel præceptum resoluitur in consiliũ, Vel quod legatarius non adimplens astringi potest per Iudicem ad implementum præuijs monitionibus, quibus spretis ex Iudicis officio procedi etiã potest ad priuationem ex deductis *per Molin. de primogenitura lib.* 2. *cap.* 12. *nu.* 8. & *cap.* 14. *num.* 13. & *sequen. Altograd. cons.* 84. *num.* 41. & *sequen. lib.* 1.

Tunc enim non implementum oneris causat non acquisitionem, quando adiectum est per viam conditionis suspensiuæ à parte anteà, itaùt eius implementum præcedere debeat acquisitionem, cuius principio non implementum se opponat; Secùs autem vbi adiectum est per viam modi à parte posteà, cum tunc supponat præcedentẽ acquisi-
5 tionẽ,atq; non implementum,seù contrauentio dicatur causa priuationis iuxtà traditionem *Bart. in l. quibus diebus* §. *Tarmilius num.* 5. & *seqq. ff. de condit. & demonstr. Bald. in l. cum eorum Cod. de sentent. & interlocut. num.* 6.,quos cæteri sequuntur collecti *per Molin. dicto lib.* 12. *num.* 2. *cum sequen.*, & *cap.* 14. *numer.* 13. *cum sequen. Altograd. dicto cons.* 84. *numer.* 6. *lib.* 1. *Rouit. pragm.* 1. *de viat. numer.* 11. & 12. benè *Rota decis.* 39. *num.* 1. & *seqq. par.* 1. *diuersorum*, et de qua distinctione habetur etiam *sub titulo de testamen. discur.* 73., & *sub altero de matrim.*, quando scilicèt matrimonium contra præceptum testatoris contractum, sit causa non acquisitionis, vel priuationis,& *sub tit. de fideicommiss. disc.* 134.

In facti verò specie, planum videbatur, vt ageretur de modo, tàm respectu oneris habitandi domum, quod pernecesse præsupponit præcedentem acquisi-
6 tiononem, sine qua sequi non potest habitatio habens tractum futurum, & successiuum, vndè impossibile est,vt ea dici possit conditio à parte anteà, quàm etiã circa assumptionem nominis, quæ ex magis cõmuni,& recepta,non est facienda nisi post iam pacificè quęsitum,& obtentum emolumentum ex deductis per *Molin. dicto cap.* 12. *Rota dicta decis.* 39. *par.* 1. *diuers.* & 310. *num.* 5. *par.* 7.; Potissimùm quia implementũ non consistit in simplici assequutione, sed in retentione, & sic pariter est actus habens tractum futurum, & successiuum, cui congruere non possunt termini cõditionis à

parte

parte anteà sc opponentis principio acquisitionis.

Ista theorica ità constituta; Dicebam (etiam cum sensu veritatis) quod cum Anastasius, cuius personam, & iura rei conuēti tanquàm creditores repræsentabant, esset donatarius, tam primi legatarij, quàm etiam substituti, atque in vtroq; doceretur in facto de implemento, donec fuerunt in sæculo, hinc prorsus improbabile remanebat actoris prætēsio excitata post vtriusq; mortem, quoniàm cum ageretur de pœna privationis
7 præuijs monitionibus, & contrauentione declaranda per Iudicis sententiam, id sequi non poterat post mortem ad notata *per DD. in l. finali, Cod. de repud.* & alibi ex deductis *per Buratt. & adden. dec.* 617. *num.* 2. & 7. *dec.* 143. *num.* 18 *par.* 10. *rec.*, & habetur latiùs actum *sub tit. de fideicommissis in Parmen. fideicommissi de Scoffonis disc.* 148.

Quæstio enim, an contrauentio causet mortem ciuilem, atque aperiat locum fideicommisso, seu substitutioni non expectata sententia, vel Iudicis declaratione, procedit, vbi datus est substitutus,
8 itaùt dici valeat, vt implementum, vel respectiuè contrauentio consideretur potiùs tanquàm qualitas, seu conditio resolutiua, ex ijs, quæ *dicto tit. de fideicomm.* habētur *disc.* 7. & 148. & in alijs; Sed vbi cessat substitutus, itaùt iuxtà magis rigorosam sententiam, non resoluto præcepto in consilium (vt alij volunt) fiat locus officio Iudicis, ad cuius effectum eo perseuerante in contumacia, perneceſsè dare oportet processum contumacialem, & sententiam contrà viuentem.

Alterum item notabilem effectum ponderabam resultare ex dicta differentia inter conditionem, & modum, quoniàm primo casu non spectatur, an non
9 implemētum conditionis resultet ex dolo, & malitia, necnè, quoniàm sufficit, vt ea non sit impleta, seu sit defecta, cum in conditionibus attendatur nudum factum; Vbi autem agitur per viam pœnæ, tunc opus est, vt contrauentio sequuta sit ex certa scientia, adeoùt actus redoleat dolum, vel malitiam, à quibus quælibet causa excusat ex deductis *per Otthabon. dec.* 110. *num.* 21. & *seqq. decis.* 230. *num.* 7. & *sequen. par.* 7. *rec.* cum alijs *sub tit. de fideicommissis disc.* 154., vbi ità distinguendo habetur inter implementum cōsideratū tanquā conditionē, seu qualitatem, & alterum consideratum tanquàm delictum productiuum priuationis.

Dici autem absque dubio non poterat, vt ista contrauentio dici possit sequuta ex dolo, vel malitia, redolente delictum positiuum pœnæ productiuum; quo-
10 niam ad hunc effectum requirebatur scientia certa, & specifica ex deductis *per Buratt. dicta dec.* 167. *nu.* 1. & passim, & de qua in præsenti constabat; Atq; absonum fuisset dicere, vt ingressus in religionem, ac electio status perfectioris importaret delictum punibile, ideoque, Vel præceptum intelligendum esset, quatenùs fuisset in sæculo, ac iustam non haberet causam aliàs faciendi; Vel quod tale præceptum haberetur in isto casu factum tanquàm consilium; Vel quod saltim id præberet iustam causam, quæ excusaret à delicto, & pœna, dum præsertim non concurrebat substitutus, atque res non erat integra vt suprà; Incertum est autem qualis fuerit resolutio, sed puto quod, Vel iuxta præmissa ad fauorē huius partis, Vel quod dilata resolutione, actor destiterit ab vlteriori prosequutione, dū non audiui ampliùs actum de causa, nisi ea mutauerit defensores, vt frequenter contingere solet in Curia ob mutationem causæ Patroni, credebam tamen, vt iustitia huic parti assisteret.

RO-

ROMANA

LEGATI

DE AGGAZARIIS

PRO

CLERIA DE PAVLELLIS

CVM

FABRICA S. PETRI,

SEV EIVS CESSIONARIO.

Consilium pro veritate.

De eadem materia caducationis in legatis particularibus; Et an, & quando in eis intret vulgaris directa, vel anomala, necnè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De vulgari anomala, seu in fideicommisso.*
3 *An in ea intret differentia inter dispositiones vniuersales, & particulares.*
4 *Quod etiam in legatis intret vulgaris directa, vel anomala.*
5 *Declaratur, quando per vnam, vel aliam verborum speciem concepta.*
6 *De dictæ declarationis, vel distinctionis verborum impugnatione.*
7 *De materia transmissionis.*
8 *Quod causæ consistentes in articulis iuris, sint semper dubiæ, & incertæ, ideoque consuli debeant concordiæ.*

DISC. XXX.

1 IN casu mortis absq; prole Virginiæ filiæ, ac hæredis vniuersalis, Camilla testatrix legatum fecit Magdalenæ, Victoriæ, Iulio Cæsari, & Cosmo filijs Cleriæ sororis, vel neptis, scutorũ 1500. pro singulis, cum reciproc inter eos; Cum autem viuente testatrice, obijsset Cosmus, superstite Cleria iuniore filia; Hinc facto casu dicti legati, orta est quæstio, an per legatarij prædecessum, sequuta esset caducatio, vel potiùs locus esset vulgari anomalæ, à dicta caducatione præseruanti ad fauorem filiorum premorientis, qui dupliciter vocati erant; Primò scilicèt per testatricem; Et secundò tanquàm positi in conditione ex Statuto 142. *Vrbis*; Cumque dicta Cleria, ex Cosmo prædefuncto superstes, fauorabilem sententiam reportasset pro caducationis exclusione, ac legati assequutione, atque pendente appellatione, assumptus esset quidam concordiæ tractatus super aliqua dicti legati diminutione, hinc proindè ex parte eiusdem, seu verius eius, qui ipsam adhùc puellam vxorem ducere intẽdebat, pro veritate consultus fui, an expediret concordiam amplecti, proindèque aliquam diminutionem pati, vel potiùs litis aleam prosequi, vt totum obtineretur.

Quamuis autem Alij priùs desuper consulti, seu causæ defensores, essent in sensu, vt nihil dimittendum esset tanquàm in re clara, freti ijs, quæ plenè ex 2 dicta theorica *Bart. in l. quamdiù nu.* 10. *ff. de aequir. hæred.* firmantur *per Rotam decis.* 201. & 227. *par.* 8. *rec.*, quæ sunt repetitæ *apud Bich. dec.* 17. & 27. cum alijs, de quibus *dicto tit. de fideic. disc.* 107. & *seq.* in materia vulgaris anomalę caducationem impedientis, & ob quam secundus per corruptionem primi, atque per subingressionem in eius locum efficitur primus; Attamen diuersa fuit mea sententia, cum non ageretur de dispositione vniuersali, in qua facilius dicta theorica intrat, atque difficilius admittitur limitatio deducta ex altera theorica *Angeli in eadem l. quamdiù*, de qua pariter *dicto tit. de fideicom. disc.* 107.; Sed agebatur de le- 3 gato particulari, in quo aliqua maior dubitandi ratio cadere videtur ex ijs, quæ in ijs terminis legati particularis habentur *eodem tit. de fideic. disc.* 108., ac in decisione in eo casu edita.

Quamuis enim, ex magis communi opinione per Rotam recepta, etiam in legatis particularibus rectè intret substitutio vulgaris directa, vel etiam anomala ad textum 4 *in l. vt hæredibus, ff. de legat. 2. & l. si legata, Cod. de legat.* cum concordantibus, de quibus *in Bonon. legati vsus fructus* 5. *Decembris* 1650. *coram Bichio*

in-

inter suas decis. 445.; Attamen isto casu requiritur, vt verba sint directa ciuilia, secùs autem, vbi communia, vel obliqua, vt ex theorica *Bartol.* cæteris relatis firmatur in decisione edita in casu, de quo *dicto disc.* 108. *de fideic.*, vbi concordantes; Et consequenter in legatis particularibus aliqua maior dubitandi ratio cadere videtur, ob quam, stante illa, quàm quotidie experimur, ingeniorum varietate, vt quod vni videtur album, alteri æqualis doctrinæ, ac integritatis nigrum videatur, mea est consuetudo semper consulendi concordias, neque certum iudicium pro veritate dandi, quoties ad purum articulum iuris, siue ad coniecturas, quæstio reducatur.

6 Est benè verum, quod vt *eodem disc.* 108. aduertitur, ista distinctio, inter dispositionem vniuersalem, & particularem, & an hæc posterior, per vnã, vel per alteram verborum formulam concepta sit, pro meo sensu continet æquiuocum clarum, atque vnam de consuetis leguleicis frigiditatibus, quoniàm reuerà sensus *Bartoli*, & sequacium percutit primam, seu directam vulgarem, non autem hanc secundam, quam anomalam, seu in fideicommisso dicimus, ad diuersum effectum, vt scilicèt legatarius rei particularis, ità defecto hærede vniuersali, efficiatur hæres directus ex ibi deductis; Sed quia cõmunis schola id recepit, hinc difficile est in foro id suadere, cum huiusmodi ponderationes, vel distinctiones, referri soleant acumini Aduocatorum, ideoque vocantur ratiocinia.

Credebam quoque in hac facti specie, vt ad fauorem huius filiæ legatarij defuncti ante factum casum suæ vocationis, seu legati, assisteret alterum motiuum insinuatum *in Senogallien. disc.* 3.

7 super transmissione ex coniecturata verisimili voluntate testatricis, etiam vbi de stricto iure, ipsius filiæ vocatio propria in vim dictæ vulgaris anomalę non intraret, adeoùt, siue vno, siue altero modo, caducatio per hæredem prætensa non intraret, cum facilius admittatur transmissio, quàm vocatio ex pluries deductis in dicta sua materia *sub titulo de fideicom.* præsertim *disc.* 98.

Adhùc tamen concordiam consului, quoniàm, vbi ea honesta sit, adeoùt remissio non esset valdè notabilis, tunc ex motiuo superiùs insinuato, quod scilicèt

8 vbi causæ reducũtur ad coniecturas, puros; articulos iuris, ob dictam ingeniorum varietatem, semper sunt periculosæ, neque certum iudicium super earum euentu dari potest, vt quotidiè experimur; Siquidẽ vincũtur causæ, quarũ certa succumbentia in congressibus Aduocatorum timetur, eamdem verò succumbentiam patiendo in ijs, quas concluditur esse planas, siue eas vincendo ex motiuis, quæ omninò fallacia, & debilia reputantur, reiectis illis, quæ solida creduntur, iuxtà præsertim casum, de quo *in Mantuana sub tit. de feud. disc.* 10. & 11. & in alijs; Ideoque, vt præsertim aduertitur *in Banon. fideicommissi de Pepulis sub tit. de fideicommiss. disc.* 179., irrisione digni videntur illi, qui nullam fori notitiam, ac negotiorum experientiam habentes, antiquiorum dicta cum improbo labore solum transcribendo, obloquuntur de mala conscientia Aduocatorum defendentium causas iniustas, quoties istæ cõsistant *in articulo*, seu *in quæstione iuris*, vel *in materia coniecturali*, cum eorum propositiones verè procedant, quoties iniustitia pendeat ex facto inalterabili, vt *dicto disc.* 179. *de fideic.* aduertitur, ac etiam *sub tit. de iudic. in praxi & relatione Curiæ*; Et consequenter concordiæ semper sunt laudandę, & consulendæ,

ROMANA

LEGATI VSVSFRVCTVS

PRO

VRBANO MILLINO

CVM

PATRITIIS.

Casus disputatus coram A.C., seu Prælato deputato, sub incerto exitu.

Legatarius vsusfructus vniuersalis, an participare debeat de vsufructu rei particularis, alteri relicto, Et an dictus legatarius vniuersalis haberi debeat loco hæredis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De quæstione, an vsufructuarius sit hæres, vel legatarius.*
3 *De eodem, vt sit legatarius.*
4 *De coniecturis contrarijs remissiuè.*
5 *Et quomodò debeant attendi.*
6 *Vsufructuarius vniuersalis participat de vsufructu rei particularis legatæ.*
7 *Quomodò ista conclusio procedat, & quando limitetur.*
8 *De eodem, & quomodò in coniecturis procedendum sit.*

DISC. XXXI.

CVM CATHARINA Pinella, institutis hæredibus Astallis eius filijs, ex primo matrimonio susceptis, vsufructuarium vniuersalem reliquisset Vrbanum Millinum eius tertium virum, relicto etiam vsufructu quorumdam bonorum Patritijs, ex eo intuitu, quod eadem bona in eam obuenissent ab ista domo ex successione vnius filij, quem ex Patritio secundo viro susceperat; Hinc orta est controuersia, an Vrbanus vsufructuarius vniuersalis, participare deberet etiam de vsufructu dictarum rerum particularium; Et introducta causa coram A.C., seu Prælato per eum deputato; Scribentes pro Patritijs legatarijs particularibus, in eo principaliter insistebant, quod Vrbanus, potiùs hæres quàm legatarius censendus esset, ideoque ad legatorum præstationem obligatus, ità assumendo quæstionem, de qua apud *Merlin. dec. 505. aliàs 22. par. 6. rec. Alte.* 2 *grad. cons. 104. lib. 2. Capyc. Latr. consult. 112. Marcian. iun. disput. 99.* cum aliis, de quibus non semel *sub tit. de legit. & de tract.* ac etiam *sub altero de fideicommiss.*; An scilicèt institutus hæres in vsufructu, post cuius mortem alter ad hæreditatem vocatus sit, dicatur hæres pleno iure cum onere restituendi post mortem alteri, qui subsstitutus potiùs dicendus veniat; Vel èconuerso, hic censeatur hæres à principio, ille verò legatarius.

Verùm, vltrà quod, quando etiam titulo institutionis, vsusfructus vniuersalis relinquitur, adhùc magis communis, ac recepta opinio est, vt censeatur legatarius potiùs, non autem hæres, vt locis citatis aduertitur.

Dicebam difficultatem cessare ex facto, dum dictus vsusfructus, non titulo institutionis, sed titulo legati in testamento relictus legebatur; Ea etiam notabili circumstantia accedente, quod institutio concepta erat fauore filiorum, 3 quos purè ab initio mater instituere tenebatur, vndè propterea, Vel fauore testamenti, pro eo subsstinendo; Vel ità desumendo voluntatem à potestate, facilius intrabat dicta communis opinio, vt qui post mortem vocatus est, censeatur hæres ab initio, ità insinuato tempore mortis pro effectu vtilitatis fructuum de facto; Istaque circumstantia præponderare videbatur aliquibus leuibus coniecturis, 4 quas ex clausula *omni modo meliori*, siue ex præcepto conficiendi inuentarium, ac similibus deducebant Scribentes in contrarium, eas desumentes ex ijs, quæ plenè in materia pro huiusmodi coniecturis deducuntur *per Bellon. iun. de iur. accresc. cap. 7. qu. 16. ex n. 292. & seq.*, vbi omniũ latiùs agitur de hoc articulo; Potissimè verò, quia causæ Patronus in facto plures etiam coniecturas ex hac parte deducebat,

bat, circa quas ponderabam, vt opus non esset, quod alijs præponderarent, easque omninò suffocarent, sed sufficeret, vt eas conquassarent, seu ita debilitarent, vt aptæ non essent ad stabiliendam limitationem, qua non probata intentionem fundatam habere dicitur, ille qui habet pro se regulam, cuius hic est præcipuus effectus *Mantic. decis. 251. num. 4.* & sæpiùs.

Hoc posito, nisi per legatarium particularem doceatur, saltim de præsumpta, & coniecturali diuersa disponentis voluntate, tunc licèt articulus inter scribentes sit controuersus; Attamen, magis communis & recepta præsertim per Rotam & Curiam, videtur opinio *Bart.*, vt legatarius vsusfructus vniuersalis, concurrere debeat cum altero rei particularis ex plenè deductis *per Adden. ad dec. 636. par. 4. rec. tom. 3. num. 24. & sequen.*, & admittitur *decis. 579. num. 10. par. 5.*, quæ emanauit in specie inter hanc testatricem, ac dictos Patritios legatarios, & de qua conclusione habetur etiam actum in sua materia vsusfructus *sub tit. de seruitutibus disc. 55.*

Incertus autem est huius quæstionis exitus, dum post vnicam disputationem, non audiui amplius de causa tractatum, forsan (vt probabile est) concordia eam terminauit; Quoniàm verò ista dicitur quæstio facti potiùs quàm iuris; Hinc proindè ponderatis toto contextu testamenti, alijsque circumstantijs resultantibus à qualitate personarum, & à causa legandi per testatricem expressa, ac etiam ab ijs, quæ inter eamdem testatricem, ac legatarios in lite inter eos habita contigerant; Ego non leuem difficultatem habebam contrà vsufructuarium vniuersalem; Licèt enim in stricta iuris censura, conclusiones illi assisterent, atque singulæ coniecturæ pro legatarijs consideratæ essent leues; Nihilominùs, attenta tota massa negotij, ac substantia verisimilis voluntatis testatricis maior probabilitas assistere videbatur legatarijs; Potissimè, quia ista videtur subtilitas iuris, in sensu humano non facilè perceptibilis, quoniàm primo aspectu, quilibet non satis peritus Iurista, contrarium responderet.

Ideoque ponderabam, quod non multùm vrgentes coniecturæ necessariæ essent pro recessu ab ea communi opinione, quam circà dictam participationem supponere solemus pro regula, dū ista nō est regula certa, quæ resultet ex claris principijs iuris, sed solū prouenit ex illa opinione DD., quę maiores habeat sequaces, & consequenter, pro regulanda limitatione, magna constituenda videtur differentia, inter istum casum & alterum, in quo regula sit certa, quia nempè ex claris iuribus resultet, vt in proposito vocationis filiorum in conditione positorum, & similium regularum, quæ ex DD. opinionibus deriuant, habetur alibi sæpiùs, præsertim *sub tit. de fideicommissis.*

VELITERNA

LEGATI

PRO

ELEVTHERIO SCANNELLONO.

Responsum pro veritate.

Legatum, in quo alter substitutus sit sub conditione mortis vtriusque primi legatarij, an substituto debeatur, si conditio mortis naturalis in vno tantùm purificata sit, in altero verò contigerit mors ciuilis, seu ficta, putà transitus ad secunda vota.

Et aliqua in materia ademptionis, an scilicèt adempto onere, quod legato adiectum est, ità quoq; legatum ademptum censeatur, siue illud cesset, tanquàm ex cessante causa.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Secundæ nuptiæ positæ in conditione inducunt mortem ciuilem, & æquipollent morti naturali.*
3 *Portio hæreditaria hæredis contrauenientis, vel legatum, cuius caducitas incurratur, debetur cohæredi ex testamento, non autem venientibus ab intestato.*
4 *De alio casu controuersiæ.*
5 *An legatum factum tutori cesset, si cessat tutela.*
6 *De eodem, & quando causa legato adiecta, dicatur finalis.*

DISC. XXXII.

ANdreas, institutis hæredibus Magdalena matre, & Euphemia vxore, cui cõditionẽ viduitatis adiecit, reliquit quamdam vineam post mortẽ vtriusq; Eleutherio; Cumque post mortem testatoris, obijsset etiam Magdalena, quæ in testamento hæredem scripsit eamdem Euphemiã, quę postmodũ ad secũda vota conuolauit; Hinc pro parte Eleutherij pro veritate consultus fui, an factus esset casus legati ad eius fauorem; Et affirmatiuè respondi, non obstante, quod legatum conceptũ esset sub conditione mortis vtriusq; mulieris, quarum vna tantùm obierat, Altera verò adhùc superuiuebat, quoniàm istius respectu conditio purificata etiã erat, per secundas nuptias, quæ stante conditione per testatorem adiecta, inducere dicuntur mortem ciuilem, naturali æquipollentem, vt in specie firmat *Io. Andr. ad specul. in rubr. de secundis nupt.*, ex cuius originali traditione (quidquid dubitet *Roman. in l. si quis hæres, l. 2. nu. 2. ff. de acquir. hæred.*) communi calculo firmant *Bart., Bald., & Alberic. in auth quod locum, C. de 2. nupt. Iaf.* & cæteri *in l. 3. Cod. de instit. & substit. Ruin. cons.* 17. *num.* 18. *vol.* 2., *Decian. cons.* 1. *num.* 89. *lib.* 1.; Et hanc esse veram, & communem profitentur *Gomez var. resol. tom.* 2. *cap.* 11. *de qualitatibus contractuum num.* 34., *Craß. de success. §. legatum quæst.* 45. olim *Simõ de Pret. de interpret. vlt. vol. lib.* 1. *fol.* 14. *ex num.* 5., *Menoch. lib.* 4. *præsumpt.* 65. *num.* 10. *& præsumpt.* 185. *num.* 31. *Bellon. iun. de iur. accresc. cap.* 7. *quæst.* 18. *num.* 69. & alij cõmuniter, adeoùt non videatur in iudicando, vel consulendo de huiusmodi opinione amplius dubitandum; Nisi diuersa voluntatis inditia concurrerent, potissimè, quia in hac facti specie cessat illa dubitandi ratio, quæ in casu posito *per Io. Andr.* militare posset, vbi scilicèt supereſt hæres innocens, ac dilectus, penès quem donec purificetur conditio per veritatem, posset remanere legatum, ademptum legatariæ binubæ, seù aliàs contrauenienti, cum eadem contraueniens, seù delinquens hæreditariam qualitatem mediatè haberet vt suprà, ideoq; eramus in casu plane, quod scilicèt legatarius vtpotè coniunctus testatori esset magis dilectus quàm hæres.

Prætẽdebat quoq; idem Eleutherius, vtpotè proximior, atq; ab intestato successor, tàm testatoris, quã Magdalenæ, vt ob dictæ Euphemiæ contrauentionẽ, hæreditas quoquè sibi aperta esset, stante caducitate in casu dicti transitus per testatorem expressè ordinata; Verùm in hac parte contra ipsum respondendum esse censui, quoniam non datur intestata successio in casu testati, ideoquè portio, hæredis contrauenientis, non defertur successoribus ab intestato, sed accrescit alteri cohæredi testamentario, nè detur inconueniens, vt paganus decedat partim testatus, & partim intestatus, dum dicta defecta portio, vtpotè accreta portioni Magdalenæ cohæredis, ad istius hæreditatem pertinebat, & consequẽter ad eamdem Euphemiam, vtpotè repræsentantem personam omninò diuersam.

In proposito autem ademptionis; Pro veritate pariter interrogatus fui in vna *Interamnen.* pro parte Valentini Saluoli; Cum enim Nicolaus, & Pompilia fratres, vnicum commune testamentum ordinassent, in quo facta reciproca institutione ad fauorem superstitis, continebatur quoddam pium legatum celebrationis 5. m. missarum circitèr, aliorumquè piorum operum implẽdorum, quorum omnium, cura, & exequutio demandata fuit dicto Valentino, cui fecerunt legatum scutorum 50., atquè mortuo Nicolao, Pompilia superstes post aliquod temporis interual-

lum

lum morti proxima aliud ordinasset testamentum, in quo approbatis dictis pijs operibus in præcedenti demandatis, illorum curam, & exequutionem iniunxit hæredi scripto, hinc orta est dubitatio, àn stante ademptione oneris dicto Valẽtino iniuncti, censeretur etiam ademptũ legatum, cuius nulla mentio facta fuit.

Quoad medietatem; Respondi, casum videri planum pro legatario, cum iste assequi diceretur ex iudicio Nicolai primi testatoris iam defuncti, quod per hæredem reuocari non poterat, quamuis dici posset, vt legatum prædictum fuisset omninò correspectiuum ad curã, & exequutionem dictorũ piorum operum, dũ oneris ademptio non proueniebat ex iudicio eiusdem testatoris, nequè hæres poterat in præiudicium legatarij adimere onus, vt ità resultaret ademptio legati; Quoverò ad alterã medietatem; Dixi quod ista sit quæstio potiùs facti, quàm iuris, vtpotè pendens ab ea facti circumstantia, àn scilicèt onus fuisset causa finalis, ac præcisa legati, & sinè qua illud factum non esset iuxtà materiam *text. in l. Nesennius ff. de excusat. tutorum*, & *text. in l. alumnæ §. Seia ff. de adimen. legat.* ex deductis aliàs *hoc eodẽ tit. disc.* 22. super articulo, àn legatum factum tutori, cesset, seù ademptũ censeatur ob ademptam, seù aliàs cessatam tutelam.

In hac autem facti specie respondi, vt legatario probabilitas maior assisteret; Tùm quia difficultas cadit, quoties vtsupra, constet quod onus fuerit vnica, & finalis causa legandi; Secùs autem vbi plures causæ concurrant, ex deductis *per Gratian. discept.* 284. *num.* 39. *Surd. decis.* 38. *num.* 25. & 26., vbi plenè *Hodiern. in addit.* cum alijs, quæ in dicta materia cessationis legati facti tutori superius deducta habentur; Tùm etiam, quia hæc secunda testatrix in vltimo testamento, expresè professa est, priùs testamentum reuocare, seù reformare in expressis tantùm, in reliquis autem omnibus illud cõfirmare, & approbare, vndè propterea, ob rationem regulæ generalis resultantis ex limitatione in certis casibus expressa; Eo ipso quod istud legatum in primo testamento contentum, non legebatur expresè ademptum, locus erat confirmationi, vt cæteris allegatis habetur *apud eosdem Surd. & Adden. dicta decis.* 38.

ROMANA

LEGATI DE COLVMNA

PRO

STEPHANO COLVMNA DVCE BASSANELLÆ

CVM

ALIQVIBVS FAMILIARIBVS POMPEI COLVMNÆ PRINCIPIS GALLICANI.

Casus disputatus coram A.C., & resolutus pro Duce.

Legatum annuum, vel menstruum relictum familiaribus, vel alijs, àn intelligendum sit ad vitam tantũ, vel potiùs perpetuum, ac transmissibile ad hæredes.

Et si duobus, vel pluribus fiat menstruum legatum sub vnica summa, àn illa intelligatur pro omnibus collectiuè inter eos diuidenda, vel potiùs distributiuè, vt illa singulis relicta dicatur.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Annuum, vel menstruum legatum dicitur ad vitam.*
3 *Quando dicatur declaratio, vel noua dispositio pro numero testium.*
4 *De eodem.*
5 *Verbum in perpetuum est adaptabile vitæ hominis.*
6 *An legatum menstruum factum duobus, intelligatur vnitiuè, vel distributiuè.*

DISC. XXXIII.

POmpeus Columna filius olim Ducis Zagarolæ, (Princeps Gallicani nuncupatus) destitutus prole, alijsquè agnatis de proprio colonnello, qui in eius persona terminauit; Instituto hærede Stephano Columna Duce Bassanelli filio Principis Carbognani ex colonello, seù domo olim Dominorũ Ciuitatis Prænestinæ, descendente ab illo Sarra satis noto in vita *Bonifacij Octaui*; Pluribus eius familiaribus reliquit quasdam menstruas præstationes, maiores, vel minores, iuxtà ipsorum familiarium conditionem, & quæ erant proportionatæ illis prouisionibus, quas ipse viuens eis præstare solitus erat; Cumquè aliqui ex dictis legatarijs, sequuta morte testatoris, prætenderent, vt tale legatum esset perpetuum ad eorum hæredes etiam transmissibile, illi innixi fundamento, quod quidam Religiosus, qui fuerat testamenti scriptor, testaretur, quod testator dixisset, vt huiusmodi præstationes in perpetuum dari deberent.

Hinc introducta causa coram A. C.; Scribens pro dicto hærede (cum sensu etiam veritatis, qualem etiam Iudex agnouit, ità pronunciando) dicebam, vt parùm probabilis esset huiusmodi legatariorum prætensio, quoniam, vbi etiam, non de menstruo, sed de annuo legato ageretur, adhùc de iure illud, non perpetuum, sed ad solam vitam legatarij intelligendum est *ad text. in l. in singulos*, & *l. cum in annos ff. de annuis legatis l. in annalibus Cod. de legatis cum concord. per Mart de succeff. par. 4. quæst. 18. art. 12. num. 74. Anell. de Amat. conf. 34. de Marin. resol. 239. lib. 1. num. 8. Buratt. decis. 643. numer. 6.*; Multò magis, vbi agitur de legato menstruo, quod ad formam mercedis, vel subuentionis per Principes, & Magnates in vita familiaribus præstari solet loco alimentorũ, atq; in præmium famulatus, vel obsequij; In morte autem relinquitur quodam iure continuationis, nè ijdem familiares cogantur alieno seruitio se addicere, vel in misero statu viuere, iuxtà eam legandi speciem, de qua habetur *in Romana legati sub titulo de testamentis discur. 8.*, vbi agitur de materia *Senat. Consult. Liboniani*, Et quam consuetudinem satis attendendam esse dicebam ad clarius corroborandam dictam iuris dispositionem.

Neqxè alicuius momenti videbatur dicta attestatio; Quoniam cum ex allegatis iuribus, alijsquè facti circumstantijs clarè, ac indubitantèr legatum prædictum ad solam vitam legatariorum intelligendum esset, hinc resultabat, vt dicti testis depositio induceret potiùs quãdam nouam dispositionem diuersam ab ea, quæ in testamento legitur, et consequenter requiritur idem solemnis numerus testium, qui in vltimis voluntatibus est necessarius, vt ità distinguendo inter testes inductos super declaratione, seù interprætatione ambiguæ voluntatis, ac alios ad nouam voluntatem probandam cæteris allegatis habetur *apud Mantic. de coniect. lib. 5. tit. 15. numer. 9. Guttier. practicar. quæst. 180. Capyc. Latr. consult. 143. num. 36. & sequen. Rotatis Romana annuæ præstationis 4. Iulij 1662. coram Beuilaqua*, de cuius casu habetur actum *sub dicto tit. de testamentis disc. 48.*

Hoc autem motiuum, quod tanquam Aduocatus deducebam (reflectendo ad veritatem) non videbatur tutum, quoniam licèt regula ex supra allegatis iuribus talis esset; Nihilominùs ex ea resultare dicitur solùm probatio præsumptiua, quàm sicuti prohibitum non est per contrarias fortiores præsumptiones, vel adminicula destrui, ità prohibitum non videtur posse declarari per testes voluntatis testatoris conscios, præsertim verò per scriptorem testamenti, cui satis deferendum esse habetur sæpiùs *sub tit. de testamentis*, ac etiam *sub altero de fideicommissis*.

Adhùc tamen videbatur, vt dictæ attestationi deferendum non esset, Tùm ob aliquas exceptiones, quæ per causæ Patronum in facto deducebantur dicti attestantis fidem satis diminuentes; Tùm clariùs quia ipse nõ descendebat ad hanc speciem, àn scilicèt testator voluisset, vt legatum terminari non deberet cum vita, sed esset ad hæredes transmissibile, cũ solùm diceret, testatorem dixisse, vt dicta præstatio danda esset *in* perpetuum, quod per necessè non concludebat dicti

lega-

legatariorum prætensionem; Hoc enim verbum *in perpetuum* plures habet in-
5 iure significationes, atquè sæpius intelligitur iuxtà subiectã materiam pro perpetuitate vitæ hominis *Alciat. cons.* 203. iuxtà impress. Lugdunen. aliàs *cons.* 7. *lib.* 4. iuxtà illam Basileæ *nu.* 28. *cum sequen. Menoch. cons.* 451. *num.* 25. *Annell. de Amat. dicto cons.* 34. *num.* 31. *cum sequen. Marta de succes. dicta par.* 4. *quæst.* 18. *art.* 12. *num.* 73. *Capyc. Latr. consult.* 24. *num.* 4. *de Martin. dicta resol.* 239 *nu.* 11.; Quod etiam insinuabam edoceri per tyrones in principijs institutionum super definitione iustitiæ, quæ dicitur constans, & perpetua voluntas suum cuiquè tribuendi, cum illud verbum *perpetuò* interprætetur pro perpetuitate vitæ hominis; Vndè propterea dicebã, quod iuris interpretatio magis caderet super dicto attestantis, quàm super dispositione testatoris.

Cum autem inter dictos legatarios duo adessent fratres de eadem familia Columnensium existente in Insula Siciliæ, qui in eiusdem Principis testatoris obsequio, ac domo viuebant, eisquè in testamento relicta essent menstrua scuta 20., nõ exprimendo, àn singulis, vel vtriquè collectiuè; Hinc priusquã ad aliorũ legatariorum instantiam dicta lis in iudicio introduceretur, orta est extraiudicialis benenola controuersia super dicti legati interprætatione, atquè vtraquè parte profitente meæ declarationi acquiescere; Quamuis in stricta iuris censura, prò hærede respondendum esset, dũ vnicum videbatur legatum, vnica oratione conceptum; Attamen ex facti circumstantijs, cõtrarium dixi probabilius, põderatis nempè dilectione testatoris, & qualitate legatariorum, quos vtpotè de familia, atq; ob longum, ac assiduum, fatisq; diligens, & fidele obsequium, ac seruitium præstitum præsertim in satis longa infirmitate, omnes credebant longè pinguius prouideri debere per testatorem, legitimo successore propriæ domus destitutum, ac de pigni asse scutorum circiter 700. m. disponentem, ad fauorem vnius quidem de familia, sed nullo sanguinis gradu coniuncti; Ac etiam habita ratione eius, quod viuens ipse testator eidem præstare solitus erat, quodque dicta summa distributa omninò incongrua, & inuerisimilis esset; Cum enim istæ videantur quæstiones potiùs facti, quàm iuris, ex facti circumstantijs decidendæ; Hinc proindè ex his, vel similibus circumstantijs decidi debent; Declarauì tamen, vt legatarij renunciare deberent prætensioni per alios iam extraiudicialiter excitatæ, super huiusmodi legatorum perpetuitate, ac transmissione ad hæredes, sed solùm eo contenti essent ad cuiuslibet ipsorum respectiuè vitam, atquè huic determinationi vtraquè parte acquiescente, ità exequutum fuit.

ROMANA

LEGATI MISSARVM

PRO

DVCE BASSANELLÆ

CVM

PP. CONVENTVALIBVS SS. APOSTOLORVM.

Casus disputatus coram A. C., & resolutus pro PP., postea concordatus.

Legatum annuæ prestationis quod nõ est directum ad legatarium, sed iniunctum hæredi, vt præstaret alicui Ecclesiæ, àn intelligatur de primo hærede, itaùt eo defuncto cesset, vel potiùs sit perpetuum, ac præstandum ab alijs hæredibus mediatis.

Et àn legatum iniunctum hæredi, debeatur etiã à substituto; Et quid in hoc operetur fauor piæ causæ.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Legatum iniunctum hæredi, non egreditur primum.*
3 *An legatum ab instituto, debeatur à substituto.*
4 *De coniecturis id suadentibus.*
5 *Contrarium fuit resolutum, & de ratione.*
6 *De eòdem, de quo num.2. & 3.*
7 *Et quod regula cesset ex coniecturis.*
8 *Quales sint coniecturæ.*
9 *De alio casu controuersiæ, & an secundũ onus deroget primo, vel censeatur vtrumque iniunctum.*
10 *De eodem, vt onus iniunctum vni, non censeatur repetitum alteri &c.*

DISC. XXXIV.

1 DVX Zagarolæ Petrus Frãciscus Columna, domum habens è conspectu Basilicæ Sãctorum duodecim Apostolorum, cum ibi quotidiè missam audiendi consuetudinem haberet, soluere solebat eidem Ecclesiæ annuos scutos 60. pro celebratione vnius missæ quotidianæ; Moriens autem, in testamento iniunxit Pompeo eius filio, & hæredi, vt eamdem præstationem continuare deberet, cum facultate ab ea se liberandi, soluendo pro vna vice scuta 800. Religiosis ibi existentibus, ad eumdem effectum inuestienda, vt de facto sequutum fuit; Mortuo autem dicto primo hærede, orta est controuersia inter dictos Religiosos, & Ducem Stephanũ Columnam dicti Pompei hæredem super huiusmodi prestationis continuatione; Et introducta causa coram A C., quamuis hæredi liberè insinuarem difficultatem, nihilominùs ipso volẽte disputationis aleam tentare; Scribendo more Aduocati ad causæ oportunitatem deducebam ea, quæ ex *Berrett.* 2 *Menoch. Surd.*, & alijs deducuntur per Scribentes *apud Capyc. Latr. consult. 24. num. 1. cum sequen., & per eumdem consult. 23. num. 52. cum sequen.*, vbi in specialibus terminis legati pij relicti quibusdam Religiosis, vt scilicèt illud iniũctum primum hæredi, istum non egrediatur, nequè ad secundum transeat; Ad quod comprobandum cumulabam etiam ea, quæ habetur *apud Menoch. lib.* 3 4. *præsumpt. 108.* plenè deducta in quæstione, àn legatum relictum ab instituto, debeatur à substituto, vbi præsertim cõcurrit dictio, seù verbum *infrascriptus*, quod tamẽ in præsenti nõ concurrebat, cum tunc persona hæredis videatur ad oculum demonstrata ex deductis *apud Surd. dicto cons. 23. Capyc. Latr. vbi supra, Buratt. decis. 385. num. 5. & 387. num. 9.*

Atquè ad probandũ, quod talis fuisset testatoris voluntas, ponderabam aliquas coniecturas; Primò scilicèt primordialem qualitatem huius præstationis, 4 quã testator in vita dare dictis Religiosis pollicitus fuit, vndè ab initio in animo non habuit eam faciendi perpetuam; Secundò quia eiusdem præstationis continuationem demandauit hæredi in numero singulari, in istum, non autem in ipsam Ecclesiam, vel PP. verba dirigendo, idque denotare videbatur personalitatem; Tertiò ex discretiua resultante à quibusdam alijs dispositionibus perpetuitatem expressam habentibus, ideoquè vbi eam voluit, dixit, signũ quod quando non dixit, noluit, argumẽto *text. in l. vnic. §. fin autem ad deficientis Cod. de caduc. tollen.* cum ibi notatis, vt in specie obseruant Scribentes *apud Capyc. Latr. dicta consult. 24. nu. 3.*; Et quartò ob summam scutorum 800., cum qua testator voluit, vt hæres posset istud onus redimere; Cum enim ex decretis generalibus Sacr. Congregationis Concilij editis de anno 1625., quæ *de celebratione missarum* vulgò dicuntur, statutum esset, vt pecuniæ relictæ cum onere perpetuo missarum, (prohibito inuestimento in census), inuestiri non possint nisi in bona stabilia fructifera, vel loca montium, quorum vtraque species attento etiam eo tempore, ascendere non poterat ad annua scut. 40., hinc improbabile videbatur, quod testator intellexisset de perpetuitate eiusdẽ præstationis scutorum 60., ad quam constituendam, ad minus attenta illius temporis cõditione, assignare oportebat scuta 1300. & vltrà, vndè ex vulgari axiomate, de quo *apud Greg. & Adden. decis. 126.* & alios in foro quotidiano, vt ex pretij quantitate desumatur contrahentium, ac dispo-

nen-

mentium voluntas, quæ ità probata remanebat pro sola vita primi hæredis, ad quam dicta summa sufficiebat, eam inuestiendo in loca montium vacabilia sub eiusdem hæredis vitæ periculo, quorum fructus dictam præstationẽ adæquabant, etiam cum aliquo excessu.

His tamen non obstantibus, contrarium iudicatum fuit, atquè mihi pro succumbente scribenti, resolutio placuit, vt potè iuxtà votum antè disputationem parti insinuatum, ideoquè consului, vt negligendo appellationem, acquiesceret, seù eo meliori quo posset modo se concordaret, vt sequutum fuit mediãte assignatione tot locorum montium vinculatorum, quæ licèt ratione vinculi essent minoris valoris, atquè nõ constituerent dictam summam scutorum 800., nihilominùs per dictos PP. vlteriorem litem timentes, concorditèr acceptata fuerunt.

Quidquid enim in hac materia varient Scribẽtes occasione dictæ quæstionis, àn legatum iniunctum hæredi, debeatur solùm à primo, vel etiam ab vlterioribus, & de qua latè *apud Menoch. dicta præsumpt.* 108., *& Castill. dicto cap.* 32. *lib.* 8.; Vbi etiam constituenda esset regula secundo hæredi, vel substituto fauorabilis; Illa tamen inter alias limitationes, eam recipit deriuantem à priuilegio, seù fauore causæ piæ, ex deductis *per Tiraqu. de priuil. piæ causæ cap.* 36. *Mantic. de coniect. lib.* 8. *tit.* 2. *num.* 16. & 17., *Surd. de alim. tit.* 8. *priuil.* 15. *Menoch. dicta præsumpt.* 108. *nu.* 36. *Castill. dicto cap.* 32. *per tot. Rot. decis.* 140. *num.* 3. *par.* 2. *diuers.*

Et licèt, vbi habeatur cõtraria voluntas etiam præsumptiua, & coniecturalis, tunc nulla ratio habenda veniat de hoc priuilegio, quod operatiuum est circa defectus respicientes solemnitatem, seù aliàs à subtilitate iuris positiui proueniẽtes, non autem à voluntate, quam non supplet ex frequentèr deductis *sub tit. de testamentis*, & in his terminis *Rimin. iun. cons.* 236. *nu.* 76., vbi in puncto præstationis pro annua celebratione anniuersarij *Surd. cons.* 123. *num.* 17. *cum sequen. Capyc. Latr. dicta consult.* 23. *num.* 54. *& consult.* 24. *num.* 2.; Nihilominùs, vbi efficaces coniecturæ diuersæ voluntatis non habeantur, tunc inhærendum est regulæ pro pia causa facienti, vt huiusmodi dispositiones potiùs successiuæ, ac perpetuæ censendæ sint.

Coniecturæ autem, vt supra in contrarium ponderatæ, parui ponderis videbantur; *Illa* enim deducta ex eo quod in personam hæredis verba directa essent, rectè procederet, atquè operatiua esset, quando concurrerent verba personalitatem denotantia, quia scilicèt primo hæredi sub nomine proprio, ac appellatiuo onus iniunctũ esset, siuè quod eiusdem nominis præcedenter explicati repetitio in hac dispositione haberetur per verba repetitionem denotantia, in quibus terminis loquuntur allegati, & est præsertim casus, de quo *apud Capyc. Latr. dicta consult.* 23. *&* 24.; Secùs autem, vbi hæredi simpliciter, ac indeterminatè onus adiectum sit, quoniam tunc tale vocabulũ tanquàm genericũ, nedùm primo, sed cuicumquè vlteriori hæredi conuenire potest.

Altera coniectura deducta ex quantitate pecuniæ pro dictæ præstationis redemptione præstandæ, videbatur pariter nimiũ leuis, quoniam nõ constabat, quod testatori cognita essent dicta decreta de celebratione missarum, atq; probabilius erat, quod essent ignota, vndè iuste credere potuit cum dicta summa inuestienda in census dictam præstationem constitui posse, cum in hoc sæpè testatores decipi soleant iuxtà casum, de quò *in Camerinen. dotis Ecclesiæ* 22. *Iunij* 1650., *&* 9. *Maij* 1653. *coram Meltio*, quarum prima est *decis.* 62. *par.* 11. *rec.*, de quo alia occasione habetur actum *hoc eodem tit. disc.* 14.; Quinimò ista circumstantia videbatur potius retorquenda, dum testator sollicitus fuit de inuestimento, quod expressè precepit, nõ necessarium, si in animo nõ habuisset perpetuitatem, ideoq; remanebat solùm argumẽtum discretiuæ, quod non videbatur tantæ efficaciæ, vt dictæ regulæ præponderare posset, ac limitationem inducere, præsertim stante dicta alia contraria coniectura deducta ex demandato inuestimento.

Consimilem habui quæstionem pro eisdem PP. Conuentualibus dictæ Ecclesiæ SS. Apostolorũ cum Fabrica, in eiusdem Fabricæ Tribunali; Cum enim Orienta Argentea, instituto hærede Ca-

rolo Galante viro, huic iniunxisset, vt quoad vixisset, celebrari faceret à dictis PP. vnam missam quotidianam pro eius anima, eique morienti substituisset eosdem PP., adiecto onere ex fructibus bonorum hæreditariorum dotandi singulis annis tot pauperes puellas cum subsidio per eam dē testatricem præscripto; Hinc facto casu substitutionis, orta est dubitatio, àn dicti PP. ad vtrumquè onus implēdum tenerentur, missæ scilicèt quotidianæ, & maritaggij; Et quamuis ipsi cuperent magis primū, quàm secundum onus implere; Nihilominùs ego dicebam in oppositum videri maiorem probabilitatem assistere, quod scilicèt tenerentur ad secundum onus maritaggij vtpotè ipsis in casu substitutionis, expressè, ac nominatim iniunctum, quod proindè tāquam expressum nō admittebat glosas, & interpretationes ad vulgatum *text. in l. illè aut illæ ff. de legat. 3.*; Secùs autem quoad primum, quoniam licèt fauor piæ causæ operetur, vt legatum ab instituto relictū, à substituto repetitum censeatur; Attamen id procedit in dubio, secùs autem disponentis resistente voluntate, cui talis fauor semper cedit; Et hic erat casus, quoniam dictum onus celebrationis missæ quotidianæ, non solùm iniunctum erat primo hæredi per nomen appellatiuum, & cum verbis personalitatem denotantibus, sed etiam quia expressè dictum fuerat *quoad vixerit*; Et clarius ob immutationem oneris, dum substitutis dictum diuersum onus maritationis iniunxerat, quod non dederat hæredi, neque vires hæreditariæ erant tales, quod de vtroquè verisimiliter sentire potuisset; Ideoquè in concursu duarum dispositionum, quarum vna est expressa, & verbalis, & altera ambigua, quæ probabilius contrarium intellectum cessationis recipiat, tunc probabilius videtur, vt clara præualeat dubiæ; Nequè nouum est, vt onerum species ex mutatione personarum immutetur, cum de tempore, quo hæc disputabantur iam
10 præcessisset disputatio *in Romana restitutionis dotis coram Peutingerio, & Priolo*, de qua *sub tit. de fideicommissis disc. 109.*, vbi in puncto oneris celebrationis missarum iniuncti per vxorem viro hæredi scripto donec vixisset, vt cessaret in substituto, cui diuersum onus iniunctum fuit, quoniam in huiusmodi quæstionibus, cum non sint iuris, sed facti, ac voluntatis, ista principaliter attendenda est, atq; totum facit; Putò autem quod stante redditurum tenuitate, compositio cum Fabrica controuersiam terminauerit.

CATANIEN.

LEGATI

PRO

CLERICIS REGVLARIBVS MINORIBVS CATANIAE

CVM

MONASTERIO S. CLARAE NEAPOLIS

Casus disputatus coram Cardinali Protectore Clericorum, credo concordatus.

De contributo inter legatarios, et de legatorū diminutione, àn, & quando intret necnè, vbi hæreditas non sit omnibus legatis idonea.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Animus non trahitur ad ignorata.*
3 *Ademptio non est præsumenda.*
4 *Legatum ad vitam magis priuilegiatum.*
5 *Legatum subsidij vitalitij Monialis dicitur legatum dotis.*
6 *Legatum pro dote, vel alimentis non venit in contributum.*
7 & 8 *De materia contributi, & quod hæres consideretur tanquam legatarius.*

9 Quos

9 *Quomodo in ista contributi materia sit procedendum.*

DISC. XXXV.

CVM N. de Paternò, scripta hærede domo Clericorum Regularium Minorũ Ciuitatis Cataniæ, quam habere voluit quãdam summam in redditu pro eius congrua substentatione, quamplura fecisset legata pia, vires eius hæreditatis longè excedentia; Ortis proindè inter hæredem, ac legatarios controuersijs, atquè re delata ad Sac. Congregationem Concilij pro eorumdem legatorum moderatione, ea negotium remisit Cardinali dictæ Religionis Protectori, qui erat etiam vnus ex eiusdem Congregationis Cardinalibus; Istequè partibus auditis, ac omnibus maturè ponderatis, declarauit, vt ex redditibus hæreditarijs deberentur dictæ domui hæredi annuæ vncię 500., quamuis testator satis maiorẽ summã decreuisset, ex reliquis verò effectibus hæreditarijs, integrè, & sinè aliqua deductione, adimpleri voluit duo pia legata, vnum pro subsidio dotali pauperum puellarum, & alterũ pro vestitu, ac eleemosyna 30. pauperum, diminuendo proportionabiliter iuxtà vires hæreditarias cætera legata, eo excepto, quod testator fecerat de annuo redditu ad vitam, cuidam coniunctæ moniali professæ in Monasterio S. Claræ Neapolis; Cumquè post dictæ monialis mortem iam sequutam, comparuisset Monasterium petẽdo à dictis Clericis tanquàm hæredibus, omnes annualitates decursas, quæ summam notabilem importabant; Hinc coram eodẽ Cardinali, potiùs in forma extraiudiciali, quàm contentiosa, actum fuit de dictæ petitionis subsistentia, prætendentibus aliquibus eorumdem PP. defensoribus, vt istud legatum nullatenùs deberetur, vtpotè à dicto Cardinali omninò neglectũ, quasiquod ità per eum declaratum esset quodammodò ademptum, dum idem in repartitione facta profitebatur vidisse integrum testamentum, illudquè in omnibus eius partibus diligenter considerasse.

1

Requisitus autem pro parte eorumdẽ PP.; Dixi iniustam, parumquè probabilem esse huiusmodi prętensionem, quoniam dum in dicta repartitione nulla de dicta legataria mentio habebatur, nequè aliàs constabat, quod Cardinalis ad illam cogitasset, non poterat eius animus, seù voluntas trahi ad ignorata, & incogitata ex deductis *decis. 624. nu. 9. par. 4. rec.*, & passim; Ac etiam quia legatorum ademptio dicitur in iure odiosa, ideò nõ admittenda nisi in expressis, non autem per læuia argumenta extendenda ad non expressa, quæ tanquàm in casu omisso remanere dicuntur sub dispositione iuris *ad text. in l. 3. §. in duobus ff. de adimen. legatis* cum concordantibus plenè deductis *per Menoch. lib. 4. præsumpt. 167. Rota in Romana legat. scutorum 50. m. 11. Martij 1640. coram Dunozetto inter suas decis. 579.*

2

3

Clariùs verò ex verisimiliter cessante voluntate dicti Cardinalis, nequè in parte reducendi, multò minùs in totum adimendi hoc legatum, vtpotè vitalitium, breui tempore duraturum, atquè non habens tractum perpetuum, ac successiuum, vt alia legata habebant, stante etiam verisimili testatoris voluntate, vt istud legatum esset magis priuilegiatum, vtpotè factum personæ coniunctæ, & quod in monialibus, iuxtà communem consuetudinem, pro earum extraordinarijs indigentijs, quibus Monasterium prouidere non solet, sapere dicitur speciem alimentorum vel dotis, vt in specie huiusmodi vitalitiarum præstationum monialium, quod dicantur pars dotis, eiusquè speciem habeant, etiam ad effectum, vt intret subsidiarium remedium *auth. Res, quæ Cod. commun. de legat. Rot. apud Merlin. decis. 671.* aliàs *decis. 30. par. 7. rec.*, & non semel habetur in sua materia *sub tit. de dote*; Hoc autem posito, inter priuilegia dotis, & alimentorum illud numerari solet, vt legata in huiusmodi causis facta, regulariter, non constito de contraria voluntate, non veniant in contributo, potissimè accedente coniunctione legatarij in testatore, adeoùt concurrat præsumptio maioris dilectionis, quàm ergà alios, ex deductis *per Surd. de alimentis tit. 8. priuil. 30. Castill. 8. tom. controu. cap. 52.*, apud quos concordantes; Magno etiam adminiculo in idem deducto, ex eo, quod duo legata pro dotibus puellarum, ac pro vestitu, & eleemo-

4

5

6

mosyna 30. pauperum, quamuis essent perpetua, attamen Cardinalis noluit venire in contributo, sed declarauit integrè præstari debere, ideoquè multò minùs dicendum videbatur voluisse, nec quidem diminuere istud legatum vitalitium tantùm.

Neque mirum videbatur, quod in dicta repartitione de hoc legato nulla mẽtio habita erat, quamuis professus esset testamentum integrè vidisse, & considerasse, quoniam nemine comparente, cum ageretur de præstatione ad vitam tantũ, opinari potuit, quod legatum esset finitum per eiusdem monialis mortem.

Difficultas autem cadere poterat in eo, an dum eramus in casu omisso, atquè per dictum repartitorem non cogitato, legatum prædictum integrè implendum esset per dictos clericos tanquàm hæredes vniuersales, vel potiùs agi deberet
7 contrà alios legatarios ad contributum pro rata; Et in hoc, quamuis primo aspectu regula stare videretur contrà dictos PP., qui ob implicantiam, vt idem sit hæres & legatarius, ac sui ipsius debitor & creditor, totum iure hæreditario obtinere dicebantur, proindèque, quatenùs vires hæreditariæ suppeterent, ad legatorum præstationem obligati essent; Contrarium tamen (cum sensu etiam veritatis) probabilius dicebam, quod scilicèt, Vel ad nihil teneri deberẽt ex dictis 500. vncijs sibi assignatis tanquàm præcipuis; Vel quod ad summum obligati essent ad solum contributum pro rata, dum in dicta repartitione dictum fuerat, vt præfatæ domui Clericorum assignarentur annuæ vnciæ 500. sumendæ, ac retinendæ primo loco; De reliquis autem, alia legata iuxtà vires adimplerentur; Ideoquè ista portio tanquàm species legitimæ, seù legati particularis, ac priuilegiati, ex verisimili volun-
8 tate testatoris deducenda erat præcipua, vtpotè ab hæreditate separata, cum in hac materia cõtributi, quidquid Scribentes satis variauerint circà causas pias, vel prophanas, vel etiam inter æquè pias, super maiori, vel minori pietate, ac etiam inter legata speciei, & illa quantitatis, ex ijs, quæ cæteris allegatis habentur in materia, *Rolan.cons.25.num.3.& seqq.lib.4. Franch.decis.236. vbi adden. Rouit. decis. 87.Capyc.Latr.& adden. dec.12. Castill.*
tom.controu.cap.9.num.15.& 16. latè *Rub. de testam.ad pias causas cap. 66.* præsertim *ex num.141.Rot.dec.55. post Merlin. de pignor.num.10.& in alijs.*

In hoc autem proposito contributi inter legatarios, quando hæreditas omnibus legatis idonea non sit; Frequenter de hoc puncto agere occasio dedit, modò
9 pro æquali contributo, & modò pro eius exclusione respondendo, iuxtà Aduocatorum stylum ferè necessarium, cum in eorum electione positum non sit, vnam, vel alteram partem defendendam assumere.

Quamuis autem in hoc puncto, DD. cùm consuetis varietatibus, nimiùm se inuoluere videantur, distinguendo legata specierum ab illis quantitatis, ac etiam pia à prophanis, cum alijs distinctionibus, de quibus apud proximè allegatos; Verius tamen est, (vt etiam suprà insinuatur), vt ista tanquàm nuda quæstio voluntatis, certam regulam generalem cuicumquè casui applicabilem non recipiat, sed pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs decidenda sit, verisimilem testantis voluntatem indagãdo; Atq; piæ causæ fauorẽ; Siue inter plura pia legata, maiorem pietatem; Aut quoad prophana, sanguinis coniunctionem, vel maiorem affectionem; Siue desiderium conseruandi bona indiuisa per fideicommissum; Aut ipsorum bonorum indiuiduam qualitatem, similesq; circumstãtiæ rectè põderando in casu merè dubio, & quando voluntas omninò incerta sit, adeoùt ad regulas generales, vel præsumptiones à DD. ponderari solitas recurrere oporteat, cum tunc istæ circumstantiæ nimiùm prosint.

ROMANA

LEGATI

DE IVSTINIANIS

PRO

FAMILIA IVSTINIANA

CVM

SOCIETATE SS. DVODECIM APOSTOLORVM.

Casus decisus per Rotam pro familia.

Legatum annuum, vel menstruum relictum pro subuentione iuuenum de familia, qui certam ætatem habentes, studijs per determinatum tempus vacarēt; An sit perpetuum, & reiterabile cum tractu successiuo; Vel potiùs intelligendum veniat pro vnica vice ad fauorem eorum, qui primò admissi sint; Et de concursu plurium iuuenum eiusdem familiæ, quibusnam debita sit prælatio, & quomodò regulari debeat ætas à testatore præfinita.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quod dispositio intelligatur de primo actu.*
4 *Declaratur.*
5 *Legatum pro alimentis est pium.*
6 *Ità pariter illud pro studijs.*
7 *Quomodò eleemosynæ, & subsidia debeant distribui.*
8 *De circumstantijs facti suadentibus tractum successiuum.*
9 *De alio casu controuersiæ, & quomodò intelligenda sit dispositio super ætate.*
10 *Quomodo istæ quæstiones decidi debeant.*
11 *Vt attendi debeat finis à testatore volitus.*
12 *Proximior, vel magis habilis superueniens non excludit admissum.*
13 *In concursu plurium ad idem subsidium, quis debeat præferri.*

DISC. XXXVI.

1 SIluanus Iustinianus nobilis Ianuensis Vrbis incola, instituta hærede Societate duodecim Apostolorum, postquàm cessasset quoddam pingue menstruum legatum ad vitam Caroli famuli, dictam Societatem grauauit ad subministrandum menstrua scuta decem cuilibet ex duobus pauperibus adolescentibus de familia, qui existentes in tenera ætate decem, vel duodecim annorum, studijs vacare vellent in Vrbe vsque ad ætatem annorum 20.; Cumquè facto dicti legati casu, ad illud admitti petijsset Ioseph filius Stephani (qui iuxtà morem huius prudentis, ac industris nationis alibi quærentis eam fortunam, quam proprium cœlum non dedit, morabatur in Ciuitate Licensi), eiusdem Societatis Administratores, nullam habentes difficultatem super admissione dicti adolescentis, vtpotè habentis omnia requisita per testatorem descripta, prætensionem excitarunt, vt priusquàm hæc dispositio ad praxim deduceretur, declarari deberet, vt in isto, ac alio adolescente, qui compareret, legatum absquè alio tractu successiuo finem habere deberet; Huic autem prætensioni se opponente familia, atquè de concordi Partium consensu cōmissa per Protectorem Societatis causa in Rota pro huius puncti determinatione, ad fauorem familiæ pro legati
2 perpetuitate, ac tractu successiuo, binæ prodierunt resolutiones *sub diebus 23. Martij & 9. Decembris 1661. coram Albergato*, quibus Administratores acquieuerunt, ideoquè legatum suam habuit, ac habet durationem.

Resolutiones mihi pro familia scribenti (reflectēdo etiam ad solam veritatem), probabiles, benèque fundatæ visæ sunt; Quamuis enim regula sit deducta ex vul-
3 gari textu *in l. Boues, §. hoc sermone, ff. de verbor. signific.*, vt legatum aliquibus de-

fa-

familia, vel de certo genere relictum, in primo admissis expiret, neque vlteriorem durationem habeat, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Manticam de coniect. lib. 8. tit. 12. num. 19. Cancer. par. 3. cap. 20. de legat. num. 278. Surd. dec. 349. num. 19. & 23.*, apud quos concordantes; Attamen iuxtà generalem naturam omnium regularum, seu propositionum, quas in materia vltimarum voluntatum habemus, illa cessat, vbi expressè, vel etiam coniecturaliter, ac præsumptiuè constet de diuersa disponentis voluntate, vt legatum debeat esse reiterabile cum tractu
4 perpetuo & successiuo; Siue vbi ità suadeat subiecta materia, quæ eamdem reiterationem, seu tractum successiuum de sui natura exigat, adeoùt, iuxtà omnes alias quæstiones, præsertim vltimarum voluntatum, quæstio videatur potiùs facti, quàm iuris, certam ac determinatam non recipiens regulam cuicumque casui applicabilem, sed pro singulorum casuum qualitate, & circumstantijs decidenda veniat; Et consequenter erroneum est, decisiones, aut doctrinas vnum casum perçutientes, cuicumque alteri indefinitè applicare, benè tamen eas attendere oportet pro norma, vt facta circumstantiarum combinatione, cõgrua congruis applicentur, ad textum *in l. annua, & l. cum quidam, ff. de ann. legat.*, vbi communiter Scribentes, de quibus *Barbos. in l. diuortio, §. quod in anno, ff. solut. matrimon. Mynsing. lib. 4. præsumpt. 132. Cyriac. contro. 340. nu. 3. cum seqq. Castill. 8. tom. contro. cap. 42. num. 16. cum seqq.*

Applicando autem ad rem; In hac facti specie, pro limitatione, & sic pro reiteratione, ac perpetuitate legati, quoties casus eueniret, omninò probabilius respondendum videbatur; Primò nempe ratione pietatis causæ dupliciter concur-
5 rentis, dum agebatur de alimentis præstandis nobilibus pauperibus continentibus causam piam *Surd. de alim. tit. 8. priuil. 58.*, ac etiam ex causa studij, quæ etiam pia dicitur *Gratian. discept. 62.*
6 *num. 3.*, vbi concordantes; Atq; vtraq; est pietas satis benè ordinata, quoniàm vbi pauperibus est subueniendum, cum conjunctis potiùs quàm cum extraneis, seu cum ciuibus quàm cum exteris, ac nobilibus potiùs quàm cũ vilibus id est exercendum, & fortiùs vbi concurrit etiam causa respiciens bonum publicum, qualis
7 est illa studiorum, cũ potiùs in istã quàm in indignorum, & vagãtium alimoniam charitas applicãda sit, vt in proposito distributionis eleemosynarum, cæteris relatis benè habetur *apud Franch. dec. 190.*

Fortiùs id comprobabat ea circumstantia, quod testator motus non fuit ad ità disponendum ex aliqua particulari affectione personarum, sed ex sola generica affectione ergà familiam, ac rem litterariam, vndè quemadmodùm vtraque perpetuitatem continebat, ità disponto intelligenda erat.

Idem quoque suadebat qualitas hæredis instituti, seu dispositionis de vniuersa hæreditate, dum eam reliquit dictæ Societati, vt singulis annis in perpetuum iuxtà eius institutum redditus in pauperum præsertim infirmorum subuentiones
8 erogarentur, vndè quandò occasio præberet, vt adessent in Vrbe huiusmodi adolescentes pauperes, qui studijs vacare vellent, aliud testator ordinasse visus non est, nisi hæredi insinuare hunc benè ordinatũ modum distribuendi has eleemosynas, vt scilicèt potiùs illis de familia, studijs incumbere volentibus, quàm extraneis pro hac rata suæ hæreditatis fructus distribuerent.

Accedebat consuetudo familiæ, quæ, pro meo iudicio, etiam sola efficacissimũ præbebat huius volũtatis inditium, quoniàm ex dispositionibus Cardinalium Benedicti, & Vincentij de Iustinianis, idẽ cautum reperitur pro illis eiusdem familiæ adolescentibus, qui in Ciuitate Perusij, vel alijs publicis Vniuersitatibus studijs operam nauare vellent in perpetuũ, & quoties occasio daret; Atq; generaliter nimiùm laudabilis cõsuetudo viget in Ciuitate Ianuensi erigendi montes, seu alias faciendi dispositiones, per quas de fructibus singulis annis subueniatur pauperibus de familia, vt præsertim habetur de ista Iustinianorum, vndè propterea satis probabile erat, quod testator suorum maiorum, ac patriæ consuetudini se conformem reddere voluerit.

Sopita ista quæstione; Cum vnus ex filijs Fabiani Iustiniani filij Petri Vincentij, peteret admitti ad locum vacantem per completam ætatem 20. annorum
9 vnius ex eiusdem Petri Vincentij filijs pri-

primò loco vt suprà admissis, orta est difficultas coram eiusdem societatis Iudice super huius de nouo admittendi ætate, stante quod decimum annum solum inchoasset, an scilicèt menstruæ subuentiones initiari deberent post completum decimum annum, ex quo testator dictos pueros admitti voluit, vel sufficeret initiatio, & sic, an annus incœptus, habendus esset pro completo.

Super hoc autem multa hincindè deducta fuerunt iuxtà varias opiniones *DD.*, qui ponderare solent verborum formulas, *an scilicèt in genitiuo*, vel *in accusatiuo*, siue *in ablatiuo* annus positus esset; Alij verò ponderant dispositionis causam, an esset fauorabilis, vel odiosa, vt ferè omnes opiniones referendo, materiam discutit *Prat. obser. 27.* apud quem concordantes.

Erroneum autem mihi videbatur hũc punctum ex verborum formulis decidere, dum præsertim testator non præcisè
10 de decimo anno loquutus fuerat, sed alternatiuè de decimo, seu duodecimo, ibi, *due putti di dieci, ò dodici anni*; Ex isto enim loquendi modo clarè desumebatur, quod testator respexerit ad certum effectum, præscribendo scilicèt illam ætatem, quæ magis studijs scientiarum congrua esset, cum studia grammaticę etiã in quolibet paruo loco, atq; in propria domo sine dispendio fieri possint, ideoque, iuxtà communem experientiam subsidium necessarium est pro se substentando in locis publicarum Vniuersitatum extrà patriam; Vndè propterea si reperiretur puer ingeniosus, qui etiam in ætate nouem annorum habilis esset ad scientiarum studia, nil prohibere dicebam, vt etiam in hac ætate admittendus esset, cum naturæ beneficium non deberet esse præiudiciale; Et è contrà si adolescens, qui tardè studijs operam dedit, istis incœptis, ob superuenientem ætatem 20. annorum, ea complere non posset, vtique irrationale videretur, atq; iudaismi speciem contineret contrà verisimilem testatoris voluntatem, vt impediendus esset studia complere ob subsidij deficientiam.

Hinc proindè totũ discretè intelligẽdũ est pro facti qualitate, & circũstantijs ponderandis cum prudenti Iudicis arbitrio, principaliter spectato fine, seu effectu per testatorem volito, non autem cortice, & figura verborum ex benè firmatis *apud Dunozett. dec. 427. repetit. de-*
11 *cis. 93. par. 7. rec.*, vbi dispositio per testatorem, vt extincta propria domo, per exequutores eligeretur iuuenis, familiam fictè assumpturus, qui vxorem duceret, ac procrearet filios, quibus mediantibus eadem familia conseruari, & propagari posset, benè deciditur, quod valida fuerit electio viri maturi in ætate annorum 50. & vltrà vxorati, qui plures filios iam procreauerat, quoniam ita pinguius impletur finis per testatorem volitus, atq; obtinetur effectus principaliter attendendus, vt sæpiùs habetur deductum *sub tit. de fideicommissis*, præsertim *in Roman. fideicommissi de Baldassinis eodem tit. de fideicommiss. disc. 45.* & aduertitur alibi *hoc eodem tit.* & in proposito ætatis puerorum *eodem tit. de fideicommiss. in Bonon. fideicommissi de Amorinis disc. 30.*

Postquàm verò dictus puer, ex præmissis admissus fuit, atq; per plures menses subsidium obtinuerat, comparuit alter adolescens de eadem familia, constitutus in ætate 16. vel 17. annorum, prætendens, quod dictus locus vt suprà va-
12 catus, sibi potiùs decernendus esset, dum alter admissus in intempestiua, & tenera ætate expectare poterat; Verùm scribendo pro admisso dicebam, quod ista prætensio fuisset iusta, quandò comparitio fuisset re integra, adeoùr ambo æqualiter agendo venirent ad locum vacantem; Secùs autem, vbi res non sit integra, itaùt agatur de expellendo iam admissum, cum tunc maior proximitas, seu altera præponderans qualitas non habeatur in consideratione, nisi contraria disponentis voluntas accedat ex ijs, quæ cæteris deductis habentur *decis. 206 par. 3. rec. in Bonon. fideicommissi de Barberijs 5 Decembr. 1650. coram Corrado post Consal. ad Peregr. decis. 34. repetit. decis. 95. par. 11. recent.*, & in alijs, de quibus frequentèr *sub tit. de fideicommissis*; Idcoquè sibi imputet ille, qui meliorem habet qualitatem, cur debito tempore, ac reintegra non comparuerit; Atque responsio (reflectendo etiam ad veritatem) fuisset solida, nisi obstaret circumstantia, quod vacatio sequuta erat antè completam ætatem 20. annorum prioris possessoris, qui vt nepotis admissionem abs-

con-

contradictione obtineret, ità per aliquos menses iuri suo cesserat; Ità enim ille, qui postmodum venit, dicere poterat non comparuisse priùs, quia sciebat locum plenum; Atquè id tam Iudici, quàm etiam mihi non leuem inferebat difficultatem, quam substulit concordia, dum alter ex dictis primis admissis per aliquos menses pariter suo iuri cessit, vt ità vterquè contendens haberet intentum.

Ponderabam tamen, in ordine ad præponderantiam resultantem à prouectiori ætate, vt in isto concursu, principaliter haberi deberet in consideratione habilitas illius, qui in prouectiori ætate constitutus erat, an scilicèt in eo modico spatio, quod supererat ad complendam ætatem à testatore præfinitam, assequi 13 posset doctoratum, seù finem, ad quem huiusmodi subsidia ordinari solent, ne aliàs illius præstatio inutilis esset, ac præter verisimilem intentionem disponentis; Ideoquè firmum remanet, vt ista materia non ex formulis verborum decidenda sit, sed principaliter inspecto fine, seu effectu per testatorem volito, & considerato, & quisnam esset magis habilis ad profectum, seu ad assequendum finem à testatore volitum.

fauorem cumulandis pro certa summa constituenda, affecta sint bona testatoris in præiudicium aliorum legatariorum, vel fideicommissariorum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quid requiratur ad efformandum iudicium in causis.*
3 *Referuntur agentes de quæstione, an pro fructibus legatorum affecta sint bona testatoris, & quod debeant distingui casus.*
4 *Sunt affecta pro legato annuæ præstationis.*
5 *Legata annua sunt soluenda ex fructibus.*
6 *Declaratur, ad quem effectum procedat ista conclusio.*
7 *Quod pro annuis præstationibus non solutis debeatur interesse.*
8 *De eadem declaratione, de qua num. 6. circa fructus census, aliaque annua onera.*
9 *Pro legato quantitatis affecta sunt bona, quamuis dicatur, vt soluatur ex fructibus, & de ratione.*
10 *De dote extrahenda in vim auth.* Res quæ, *ex fideicommisso, an ex fructibus.*
11 *Si legatum est certæ rei, vel quantitatis, cuius fructus debeant cumulari fauore legatarij, pro fructibus non sunt affecta bona testatoris.*
12 *Quomodò ista materia regulanda, & decidenda sit.*
13 *De alio casu controuersiæ super eodem puncto.*

SPOLETANA
PRÆDII
PRO
MONASTERIO S. LVCIÆ TREBII
CVM
CANONICIS S. ÆMILIANI.

Casus disputatus coram Prælato Iudice commissario super alijs punctis, resolutus pro Canonicis.

An pro fructibus legati ad legatarij

DISC. XXXVII.

1 NIcolaus Venturinus, scripto hærede Raynaldo nepote et fratre, inter alia legata, reliquit Monasterio Sancti Bartholomæi Trebij, adhuc formiter non erecto scuta 3000. in tot censibus, sub ea lege, vt per quattuor annos eorum fructus reponi deberent in arca depositorum, ad effectum cumulandi aliam summam scutorum 1000.; Et quatenùs dicti Mo-

Monasterij formalis erectio non sequeretur, mandauit, vt, tàm ex dictis scutis 3000., quam ex fructibus vtsupra cumulatis, erigi deberent quatuor Canonicatus in Ecclesia Collegiata Sancti Emiliani eiusdem loci, aliaquè fecit legata, præsertim duabus neptibus monialibus in Monasterio S. Luciæ; Cumquè per Sac. Congregationem denegata dicta clausura, seù formali erectione Monasterij, erecti essent Canonicatus, neglectus autem esset dictus cumulùs fructuum, quos hæres exegit, & consumpsit; Hinc per Canonicos motum fuit iudicium coram Ordinario pro suppletione dictorum scutorum mille ex fructibus cumulandorum super quedã prædio hæreditario per hæredem ipsis monialibus assignato in causam earum legati, atquè sententiam fauorabilem reportarunt; Commissaquè cautela appellationis Prælato per Papam cum clausula *appellatione remota*, eadem sententia confirmata fuit.

Super dictarum sententiarum iustitia, vel iniustitia maturum iudicium efformari non potuit, quoniam in secunda
2 instantia post discussam causam cum alijs defensoribus, in limine expeditionis, quãdo Iudex determinatus erat, atquè causa semimortua dici poterat, semel scripsi, absquè alia disputatione in contradictorio, vel communicatione iurium alterius Partis, sine quibus non de facili notitia haberi potest motiuorum, cum quibus Iudex processerit, ad effectum inspiciendi, an benè, vel malè, quoniam (vt pluries insinuatur) frequenter accidit, vt iudices moueãtur ex motiuis non deductis à Partibus, ipsisquè ignotis.

Retenta verò dicta pura facti serie, quodquè alia alteratiua circumstantia non concurreret, mihi videbatur, quod improbabilis esset dictorum Canonicorũ prætensio super bonis hæreditarijs testatoris in præiudicium alterius legatarij, vel fideicommissarij ab eodem testatore suum ius metientis, cum in hac rata cõtrouersa proueniente ex fructibus censuum à testatore legatorum, non istius, sed hæredis debitum dicendum esset, ideoquè testatoris bona non essent affecta in præiudicium aliorum legatariorũ, seù fideicommissariorum, benè tamen in præiudicium ipsius hæredis, ac habẽtium causam ab eo, et cõsequenter quod sententiæ essent iniustæ.

In ista etenim quæstione, pluries, ac pluries à me disputata; Quamuis aliqua opinionum diuersitas dignosci videatur inter modernos, cum antiquis ea prè
3 ignota videatur, vt patet ex deductis *apud Surd. decis.* 28., & ibi *Hodiern. in addit. Grat. discept.* 294. *num.* 22. *cum seqq.* & alios cumulatos *per Prat. obseruat.* 32. *num.* 21., ac etiam licèt incidenter *apud Rot. decis.* 260. *num.* 13. *cum seqq. par.* 11. *rec.*, procedendum videtur, vt in omnibus ferè quæstionibus forensibus aduertitur, cum distinctione casuum.

Primus igitur casus est, vbi agatur de legato annuæ præstationis, et tunc pro annualitatibus decursis, & non solutis, legatarius, actionem habet contra bo-
4 na hæreditaria, atquè dicitur defuncti creditor, quoniam substantia legati consistit in ipsis annuis præstationibus, quæ ità sortis vicem habent, ex regula, vt quot sunt anni, tot censeantur legata.

Et quamuis huiusmodi annualitates, per hæredem, vel vsufructuarium solui debeant singulis annis ex fructibus, non autem ex sorte principali, quæ pro eis
5 consumi, vel alienari non debet, ideoquè dicitur debitum hæredis, non autem testatoris ex deductis *apud Franch. decis.* 374. *num.* 12. *Rot. apud Dunozettum decis.* 846. *Prat. dicta obseru.* 32. *num.* 21., & habetur in sua materia *sub tit de fideicom.*, & sub altero *de legit. & dotract. præsertim disc.* 25., occasione agendi, an, & quæ detractiones, facto casu restitutionis, hæredi grauato competant pro debitis, & legatis solutis.

Attamen id rectè procedit inter ipsũ hæredem grauatum, & eius necessarium successorem iure fideicommissi, ad dictũ
6 effectum competentię detractionum, siuè inter vsufructuarium, & proprietarium, ad effectum inspiciendi, cui nam huiusmodi legatorum onus incumbat; Secùs autem quoad ipsum legatarium, cui hæredis negligentia, vel mala administratio in erogando fructus in alios vsus, præiudicare non debet, dum substantia legati isto casu consistit in ipsis annualitatibus, quæ (vt dictum est) habent vicem sortis in singulis annis ex dicta propositione, vt quot sunt anni, tot sint legata.

Adeo vt *in illis partibus, in quibus data mora pro debito in forte principali*, datur cursus vsurarum, seù interusuriorũ absquè iustificatione requisitorum, quæ
7 recensẽt *Castrens. in l. 3. ff. de eo quod certo loc.*, quæ habentur pro notorijs, vt præsertim receptum est in Regno Neapolitano, eiusquè laicalibus Tribunalibus, ex ijs, quæ pluries habentur in sua materia *sub tit. de vsuris*; Quamuis ibidem recepta quoquè sit opinio, quæ damnat anathocysmum, & sic vsuras vsurarum, seù interesse alterius interesse; Attamen admittitur interesse huiusmodi annuarum prædationum, quoniam ad instar eorũ, quæ habentur in fructibus censuum, dicuntur potiùs debitum sortis stantis de per se, ex plenè deductis *apud Rouit. decis.* 9. cum alijs de quibus in dicta sua materia *sub tit. de vsur.*

Hinc proindè stant benè simul, vt huiusmodi annualitates solui debeant per hæredem ex fructibus, et tamen, vt pro eis affecta sint bona hæreditaria in sorte principali tanquam pro debito defuncti, quamuis fideicommissario, vel alteri ius habenti in hæreditate, actio competat contra ipsum hæredem grauatũ ad rein-
3 tegrationem, seù adid, quod interest, vt frequens, & quotidianum habemus in proposito fructuum censuum, seù canonum, & liuellorum, ac similium annualiũ onerum, quibus fideicommissaria hæreditas affecta est, ex deductis *dicto tit. de fideicomm.*, ac in altero *de legitim. & detract.*, ac etiam ad hoc propositum habetur *sub tit. de feud.* ad materiam bullæ Baronum *dis.* 74.

Alter casus est, vbi legatum in substantia sit de certa summa in sorte principali, quam tamen testator etiam per viam præcepti, non autem consilij mandet hæ-
9 redi, vt absquè distractione bonorum in sorte, soluere debeat ex fructibus; Et tunc pariter, idem quod supra, fauore legatarij dicendum venit, quoniam substantia legati consistit in ipsa summa, quæ relicta est, fructus autem destinati sunt pro modo soluendi, qui hæredi præscriptus est potiùs demonstratiuè, quàm taxatiuè.

Ad instar eorum, quæ habentur deducta *sub tit. de dot. discur. generali* 145. ad
10 materiam *Auth. Res quæ Cod. communi de legat.*, & in pluribus discursibus particularibus ad eamdẽ materiam in proposito dotium constituendarum puellis descendentibus, quãdo fideicommittentis præceptum accedit, vt ex fructibus id faciendum sit, non autem ex sorte, quoniam tale præceptum obligabit quidem hæredem, vel possessorem fideicommissi, vt aliàs faciendo teneatur fideicommissum reintegrare, sed non obligabit ipsas puellas, quibus dos debita est, quandò commodè cũ fructibus prouideri non potest, cum similibus, nisi adsit præcisa taxatio.

Tertius demùm est casus, vbi substantia legati directa est ad certam quantitatem in sorte principali, siuè ad certa bona limitatè; Idem verò testator pro
11 pinguiori legatarij prouisione iniungat hæredi, vel alteri cumulum, seù multiplicum fructuũ, vt ex eis aliqua maior quantitas cõstituatur iuxtà casum, de quo habetur actum *in Romana legati de Frangipanis sub tit. de fideicommiss. disc.* 187., vbi recensentur decisiones in eo casu æditæ, aliæquè concordantes; Siuè quod testator relinquat certam quantitatem in sorte, obliget verò hæredem, vt eius solutione pendente vsuras soluere debeat cum præsupposito, vt tale præceptum validum, & obligatorium sit iuxtà distinctionem, de qua *sub tit. de vsur. præsertim disc.* 32.; Et tunc omninò verius est, vt hærede negligente soluere, vel cumulare fructus, istorum debitum sit ipsius hæredis, non autem defuncti, et consequenter istius bona affecta esse non debeant in præiudicium aliorum legatariorum, vel fideicommissariorum, seù aliàs in bonis hæreditarijs ius habentium, vt *per Surd. dicta decis.* 28. (quidquid *Adden.* in contrarium motiuent), cum ratio motiuandi verè, & propriè percutiat alterum casum præcedentem, atquè in istorum casuum mixtura, seù confusione consistit æquiuocum; Potissimè verò vbi solutio fructuũ nominatim directa sit in hæredem, vt aduertitur *per eumdem Surd. decis.* 193. *num.* 2. *cum seqq. Capyc. Latr. consult.* 24. *num.* 9., & dixit etiam *Rot. in Viterbien. legati* 24. *Iunij* 1664. *coram Taia edita in casu*, de quo *hoc eodem tit. disc.* 49., vbi pariter de ista conclusione.

Et quando Auctores desuper non haberemus, ità clarè ad sensũ probaret ipsa ratio naturalis, & communis vsus, quoniam cum testatoris hæredibus, alijsquè

suc-

ROMANA

LEGATI NEGOTII

PRO

IACOBO HYEOT

CVM

FRANCISCO MOREAV.

Casus disputatas in Rota vbi pendet.

An facto legato negotij expeditionum Datariæ, quod testator exercebat, illud factum censeatur cum iuribus etiam passiuis, adeoùt legatarius teneatur ad debita, ad quę defunctus ex causa eiusdem negotij tenebatur; Et quid de creditis ex causa negotiorum iam expletorum à defuncto assequendis, & de quibus creditis legatum intelligatur.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Non sunt disputandæ quæstiones super accidentibus, vbi incerta est substantia.*

3 *An pecunia domi reperta veniat sub legato mobilium domus.*

4 *Legatis creditis vna cum legato alicuius vniuersitatis, intelligitur de illis dictæ vniuersitatis.*

5 *Si testator exigit aliqua credita, ista non cadunt sub legato generali.*

6 *Quid si credita sint exacta à procuratore insscio testatore.*

7 *Legata vniuersitate, veniunt debita, & iura passiua, vt in hæreditate.*

8 *Idem in grege, vel ratione bancaria, aut alia vniuersitate subalterna.*

9 *In specie de legato negotiorum Datariæ.*

10 *An hæres grauatus faciat sua lucra negotij hæreditarij.*

11 *Recensetur doctrina* Bartol. *an legata apotheca, quid veniat.*

successoribus demandentur huiusmodi cumuli, & multiplica ad fauorē alicuius personæ, vel operis, ità per negligentiam hæredis, vel alterius, cui onus iniunctum est, nimium facilis esset, hæreditatum, ac fideicommissorum euersio, ac omnimoda supplantatio contra disponentium volūtatem; Ideoquè pariter ista quæstio nō
12 est iuris, sed facti, ac voluntatis, et consequenter ex ipsius facti qualitate, & circūstantijs decidenda, an scilicèt substantia legati consistat in integra summa, quam à legatario testator assequi voluit, fructus autem, ex quibus summa legata in toto, vel in parte soluenda esset, starēt solùm demonstratiuè iuxtà secundū casum supra exemplificatum, vel potiùs starent taxatiuè iuxtà tertium casum, atquè istorum casuum confusione, non reflectēdo ad eorum distinctionem, ac diuersam rationem, consistere solent æquiuoca.

Vndè propterea *in Romana legati* inter Paulum Troualuscium, successorem in fideicommisso, & PP. SS. Apostolorum; Cum testatrix Conuentui reliquisset quā-
13 dam summam in sorte principali inuestiendam, vt ex fructibus singulis annis missæ celebrarentur, iniungendo hæredi, vt pendente solutione, ac inuestimento respectiuè, deberet soluere fructus in quadā summa, quæ verisimiliter, attenta conditione temporum, ex inuestimento obtineri potuisset, atquè tàm hærede, quàm legatario negligentibus, conflata dictorum fructuum summa, ista peteretur à Paulo fideicommissario ex bonis fideicommissarijs; Introducta causa coram A.C., atquè me pro Paulo scribente, pro eo prodijt resolutio, et quidē iustè; Idemquè in plerisquè alijs causis practicatum fuit, quoniam videtur vera, & germana distinctio.

In casu autem principali huius causæ *Spoletan.* post hæc scripta comperij, quod motiuum fuit non ius Monialium, quæ iam satisfactæ erant, quodquè hæres, siuè esset debitor, siuè ex errore, agnouerat etiam se istorum fructuum debitorem.

12 *De distinctione, an pro hærede, vel pro legatario sit facienda interpretatio.*

13 *Legata apotheca, an veniat auiamentum.*

14 *Quomodo ista quæstio decidi debeat, & de applicatione ad casum.*

DISC. XXXVIII.

1 IN testamento quod, iuxtà seriem, de qua *sub tit. de testam. disc.* 34., condidit adolescens Adrianus filius familias, qui per aliquos dies præcedentes institutus fuerat hæres per Ioannem patruum negotiorum Datariæ sollicitatorem, vulgò expeditorem; Francisco legauit mobilia domus, ac omnia credita correspondentium ratione dicti negotij, & ipsummet negotium, vltra quamdam aliam summam pecuniariam; Quare inter ipsum, ac Iacobum patrem & hæredem, priusquã excitaretur altera quæstio inualiditatis testamenti ratione patriæ potestatis, de qua *dicto disc.* 34., orta est controuersia super interpretatione primæ partis legati mobilium domus, an complecteretur pecuniã numeratã, ac etiã alterius partis legati dicti negotij, & creditorum, seù nominum debitorum, àn scilicèt, & quæ nomina debitorum ad legatarium spectare deberent, et an ipse teneretur soluere prim. testatoris debita, eiusdem negotij occasione contracta, consistentia in restitutione pecuniarum, quas correspondentes transmiserant, vt frequenter cõtingit, pro expeditionibus, quæ postea effectum sortitæ non sint, siuè, quæ obtentæ, tantam impensam non exegerint; Introductaquè causa coram A.C., prodijt sententia Iacobo hæredi fauorabilis, vt sub prima parte, pecunia numerata non contineretur, quodquè sub altera continerentur solùm credita pertinentia ad negotium existentia tempore mortis secundi testatoris, non autem exacta, quodquè idem legatarius teneretur ad debita prędicta; Deuoluta verò per appellationẽ causa *in Rota coram Priolo*, eaquè proposita *sub die 26. Februarij 1668.*, nulla capta fuit resolutio, ex ea ratione, quod
2 cum iam introducta esset, ac penderet super omnimoda inualiditate testamenti, tanquam conditi à filio familias, hinc proindè dictæ causæ exitum expectare debere prudenter existimatum fuit, quoniam inanis labor est agere de interpretatione accidentium, quoties ipsa substantia incerta sit.

In huiusmodi ergo disputationibus in vtroque Tribunali habitis, quatuor fuerunt puncti; Primò nempè super comprehensione pecuniæ numeratæ domi repertæ, sub legato mobilium domus; Secundò super legato creditorum correspondentium, àn scilicèt venirent credita ab eisdem assequenda ex diuersa causa, & aliàs quàm pro negotijs Datariæ; Tertiò circa credita huius negotij, àn venirent ea, quæ post mortem primi testatoris, per vltimum exacta fuerant; Et quarò demùm, quid de debitis eidem negotio annexis vt supra.

Super primo deducta fuerunt eadem, quæ in ista quæstione habentur *hoc eod. tit. disc.* 5. *& seqq.*, atquè facti circumstantiæ dictam comprehensionem vere
3 excludere videbantur; Quamuis etenim Scribentes pro legatario, penè transcribendo deducta *in Catacen. legati coram Cerro impressa decis.* 269. *par.* 11. *rec.*, totam vim pro consueto stylo pragmatico in ea constituerent; Attamen scribens ego pro hærede, ad euitandam huius decisionis applicationem, dabam eadem responsiones, de quibus *dicto discur.* 5., considerando illius casus circumstantias particulares, ex quibus, ad casum præsentis controuersiæ qui nimiũ diuersas, imò oppositas circumstantias habebat, non bene arguere licebat.

Facti verò potiùs, quàm iuris erat alter punctus comprehensionis nominum debitorum, seù creditorum ex diuersis
4 causis assequendorum, cum legati contextus in verbis probare videretur, vt huiusmodi credita explicata essent tanquam species generis quoquè legati, per expressionem eius, quod tacitè inerat.

Dabam in hoc exemplũ feudatarij, vel clerici habentis beneficia ecclesiastica, quod si relinquat alicui feudũ, & credita à vassallis exigenda; Siuè, (quatenùs fieri possit, vt contingit in merè sæcularibus cappellanijs, piorum legatorum speciem redolentibus) relinqueret beneficium, & omnia credita, à colonis, vel ministris assequenda, vt intelligendum veniat de

cre-

creditis ratione feudi, vel beneficij, non autem ex diuersis causis à feudo, vel beneficio extraneis, in quibus testator considerabatur duplex, ac omninò diuersus homo, vt pluries *hoc eodem titulo*, ac *sub altero de Feudis*, & altero *de beneficijs*, ac alibi aduertitur.

Quoueró ad tertium punctum, distinguebam; Aut enim agebatur de nominibus exactis per ipsum met secundum testatorem, adeoùt ipsi rectè innotesceret, quod illa non essent amplius talia, vtporè extincta, et tunc casus videbatur planus pro non comprehensione, absquè necessitate assumendi quæstionem alibi *hoc eodem titulo* insinuatam, an per exactionem nominis legati à testatore factã, intret legati ademptio, quoniam ea procedit, quando agitur de legato certorum nominum; Secùs autem, vbi de illo generis, quoniam cum istud essentiã, ac perfectionem recipiat à tẽpore mortis, capere non potest nisi illas species, quæ sub genere legato essent.

Aut verò agitur de illis nominibus, & creditis, quæ de iure essent iam tempore mortis extincta, id autem non innotesceret testatori, qui ea reputaret adhùc vigentia, quia nempè debitores ea soluissent alicui procuratori, vel negotiorum gestori, qui pecuniam nomine principalis retineret; Et tunc pro non comprehensione, ponderabam ea, quæ habentur *in Lucana legati disc.4.*, vbi in specie an legatum nominum debitorum comprehendat pecunias extantes penès negotiorum gestorem, à debitoribus, alijsquè effectibus iam exactas; Verùm reflectendo ad veritatem, in hac facti specie contrarium credebam probabilius; Tùm quia testator opinabatur, vt ista credita essent exigenda; Tùm etiam quia legatum restrictum non erat ad solos debitores, sed etiam ad correspondales, sub quorum vocabulo, ex negotij, vel subiectæ materiæ natura, venire videtur etiam huiusmodi procuratores, seù negotiorum gestores, qui curam habent exigendi expensas expeditionum à principalibus, vel ab ijs, qui eas committunt.

Maior igitur, ac penè tota quæstio erat super debitis, de quibus in quarto puncto; Et in hoc (etiam in sensu veritatis) dicebam, vt contra legatarium reponderi deberet, (proùt à Iudice primæ
7 instantię responsum fuit) iuxtà generales terminos textus *in l.1.& 4.& tot.tit.de hæreditate, vel action. vendit.*, & in sua materia *sub titulo de hæred.*, ac etiam *sub altero de empt. & vendit.*, quod scilicèt cum legatum sit ipsum genus, seù ipsa vniuersitas, hinc proindè sub ista veniunt omnia eius membra, & iura, tàm actiua, quàm passiua, quæ diuidi non possunt, iuxtà practicum naturale exemplũ, quod non potest diuidi caro ab ossibus, sed (vt vulgò dici solet), illa cum istis capienda est.

Atquè in genere magis subalterno, puta, grege, peculio, dote, mensa nummularia, seù bancaria ratione, ac similibus, quæ vniuersitatem constituant, habemus
8 expressè cautum in iure, vt vniuersitate legata, non possit legatum diuidi, atque in parte vtili acceptari, in altera verò onerosa sperni, per textus expressos *in l. grege autem legato, & l. Mæuio* § 1 *ff.de legat.2.*, *& l.cum taberna ff.de pignor.* cum ibi notatis.

Et per quæ iura, in indiuiduo negotij Datariæ ità firmatur *apud Caualer. decis.* 277.*n.*1.; Et in proximis terminis legati,
9 vel donationis rationis bancariæ *apud Peniam dec.*397.*& apud Grat.discept.*256.*n.*7.*cum seqq.* vbi concordantes; Atq; in idem confert regula *secundum naturam &c.* ponderata *apud Coccin.decis.*409., vbi de drogheria, seù taberna negotiatoria, quodquè illius debeat esse onus, cuius est commodum, & è contra, iuxtà ea, quæ in
10 hoc proposito *dictæ decisionis Coccini* habentur *sub tit. de fideicom.disc.*191., ac etiam *sub tit.de hæred.disc.*7., super puncto, an hæres grauatus restituere teneatur lucra negotiationis hęreditariæ continuatæ.

Scribentes pro legatario, magnã vim cõstituebant in theorica *Bartol. in l.cum pater* §.*mensæ ff.de legat.*2, cum quo pertranseunt ibidem *Florian.de Sanctopetro, Imol., Castrens.*, & alij, vbi in specie de le-
11 gato apothecæ, vt ad istã legatũ restringatur, & nõ capiat ea, quæ extra eam sint; Verùm aduertebam, vt id clarũ contineret æquiuocũ, quoniam potiùs ista theorica, in hac facti specie ad euidentiam retorquebatur contra legatarium, pro legati restrictione, nõ autem ampliatione; Dicit enim *Bartolus*, quod si legatur alicui

cui apotheca pannorum, censetur solùm legata apotheca materialis sine pannis, quæ demonstratiuè enunciata censentur; Vel si dicatur legari apothecam pannorum, cum omnibus, quæ ibi sunt, censentur quidem legatæ merces ibi existentes, non autem credita & debità, ac auuiamentum, nisi legatum conceptum esset de genere, ideſt de ipso negotio, seù mercãtia; Ista igitur doctrina *Bartoli*, tota tendit ad restringendum, non autem ad ampliandum legatum; Ac vlterius versabamur in vltima eiusdẽ doctrinæ parte, seù declaratione, quod agebatur de legato generis omnium complexiuo.

Ponderabam quoquè aliàs pluries insinuatam veram, ac receptam distinctionem, super larga, vel stricta legati inter-
12 prætatione, regulanda ex maiori dilectione, quæ ratione sanguinis, ac maioris coniunctionis vigeat potiùs pro hærede, vel pro legatario respectiuè, cum verè ista non sit quæstio iuris, sed facti, ac voluntatis, decidenda ex singulorum casuũ circumstantijs particularibus, verisimilem voluntatẽ suadentibus, iuxtà ea quæ in terminis legati librarię facti per libra-
13 riũ eius famulo, vel iuueni, an compræhendat non solum libros, sed etiam auuiamentum, aliaquè annexa, & dependentia, habentur *apud Carill. decis. vltima* 303., cum similibus; Ideoquè manifesta est ineptia pragmaticorum, qui pro consueto stylo, cum regulis generalibus, siuè cum decisionibus, ac doctrinis percutiẽtibus casus diuersos, huiusmodi quæstiones tractant, ac decidunt.

Applicando autem ad rem, cum ageretur de testamento, quod, vbi
14 etiam, non obstante obstaculo patriæ potestatis, ratione clericatus sustineri posset, adhùc vtpotè ab imprudenti adolescente, aliquam suspicionem redolebat, vt aduertitur *dicto discur.* 34. *de testam.*, cumquè hæres esset pater, qui sine dubio est prædilectus, legatarius autem esset remotus transuersalis, pinguissimè prouisus, non solum de hoc legato negotij, sed de alijs mobiliũ domus, & notabilis quãtitatis scutorum 4.m., adeoùt fortè plus importaret legatum, quàm reliqua hæreditas, detractis alijs oneribus; Hinc proindè, de plano intrabat consequentia, vt in dubio, fauore hæredis contra legatarium, facienda esset interprætatio.

ANCONITANA

LEGATI

INTER

DOROTHEAM PASSARAM,

ET

IO. BAPTISTAM BERTOLDVM.

Responsum pro veritate.

De legato relicto vxori, vt sit domina, & vsufructuaria, àn importet alimenta, vel formalem vsumfructum; Et quatenus vsumfructum importet, quæ cautio per eam præstanda sit; Et an de illo participare debeat hæres vniuersalis; Siuè an capiat legitimam ipsi hæredi debitam,

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Legatum vsusfructus generalis non capit legitimam filiorum.*
3 *Legatum vsusfructus factum vxori vna cum filio est huic commune.*
4 *Quod debeat in his attendi substantia voluntatis.*
5 *Et quod testatores non soleant cogitare ad iuris subtilitates.*
6 *Declaratur conclusio, de qua num. 2., & quando onus vsusfructus resecandũ sit à legitima.*
7 *De eadem materia oneris super legitima.*
8 *Quando digressiones sint potiùs commendabiles.*
9 *De cautione mutiana, quando præstanda sit.*
10 *Quod ista cautio possit remitti.*
11 *Altera cautio de vtendo, & fruendo in mobilibus non potest remitti, sed declaratur.*
12 *Quandoque legatum vsusfructus importat proprietatem.*

DISC.

DISC. XXXIX.

CVM testator, instituto hærede Io. Baptista filio, Dorotheam vxorem (quatenus vitam viduilẽ seruaret, & non aliàs), hæredem vsufructuariam, ac dominam, & patronam absolutam in omnibus bonis reliquisset, cum expressa declaratione, vt legatum ad sola alimenta restrictionem pati non deberet, sed factum censeretur de vero, ac formali vsufructu vna cum dicto Ioanne Baptista filio, & hærede, illam expressè liberando ab onere cuiuscumquè cautionis etiam mutianæ, seù aliàs, quæ de iure communi, vel statutario præstanda esset; Hinc sequuta eiusdẽ testatoris morte, inter matrem & filium, de tribus dubitari contigit; Primò an istud legatum vsusfructus vniuersalis caperet legitimam ipsi filio debitam in bonis testatoris; Secundò an de eodem vsufructu, siuè esset de vniuersa hæreditate, siuè de besse, participare deberet idem hæres vniuersalis; Et tertiò an eadem legataria præstare deberet vtramquè cautionem, non obstante dispositione testatoris eam ab hoc onere liberantis; Quarè desuper (incertum est ex cuius parte), pro veritate consultus fui.

Ad primum, & secundum respondi, quod vbi huiusmodi quæsita, distinctè, ac in abstracto, iuxtà generales propositiones, vel doctrinas, consideranda venirent, tunc in vtroque, pro filio, & hærede respondendum veniret; Ad primum scilicèt, vt hoc legatum vsusfructus non caperet legitimam, quoniam eam præcipuam tanquam æs alienum pleno iure in proprietate, & vsufructu, filius in instanti mortis parentis, per quamdam resecationem, quæ per legem fiat à reliqua hæreditate, detrahit; Ideoquè legatum intelligitur in reliquo besse, quod remanet ad liberam ipsius testatoris dispositionẽ, vt cæteris relatis firmatur *apud Merlin. de legit. lib. 3. tit. 2. quæst.* 13., ac *per Rotam decis. 579. num. 1. par. 5. rec.*, & *decis. 290. num. 12. par. 10.* & in alijs, ac insinuatur in sua materia vsusfructus *sub titulo de seruit.*

Proùt, iuxtà opinionem, quam Rota sequitur, de qua *decis. 241. par. 5. rec.*, in 3 *Fauentina vsusfructus 20. Iunij 1664. coram Verospio*, & *in Firmana vsusfructus 5. Iulij 1666. coram Albergato*, & in alijs, de quibus *sub dicto tit. de seruit. ad materiam vsusfructus disc. 50.*, edito in casu, de quo *in dicta Firmana*; Quando legatario vsusfructus adiunctus est etiam hæres cum verbo, seù dictione *cum*, vel simili, quia nempè dictum sit relinqui vsumfructum vxori vna cum filio, tunc vtriquè ille relictus censetur, ex ibi deductis; Et consequentèr, attentis huiusmodi generalitatibus, ità resultare videtur, vt dicta mulier vsumfructum ex solo bonorum triente, & sic in tertia parte habere deberet, dum filius tertiam partem præcipuã detraheret pro legitima, reliquus autem bessis, ità esset communis æqualiter dividendus.

Verùm procedendo cum cõsueta mea geniali, ac pro meo sensu, omninò vera, & germana propositione, vt in huiusmodi vltimarum voluntatum quæstionibus, 4 regulæ, & propositiones generales, congruæ quidem sint, ac necessariæ, pro benè regulando arbitriũ legaliter, non autem in solo sensu, seù lumine naturali, nõ tamen, vt cum eis iudaico more, & generaliter in solo sensu litterali in omni casu pariformiter procedendum sit, sed vt attendi, ac indagari debeat ex facti qualitate, totoquè dispositionis contextu, substantia verisimilis voluntatis; Ista videbatur esse, vt vxoris, ac respectiuè matris, & filij, æqualis esse deberet conditio in fruitione omnium bonorum, per quãdam speciem communionis vitæ, non reflectendo ad has subtilitates legales, ad 5 quas frequentius testatores, qui præsertim non sint peritissimi iuristæ, quamuis doctoratus gradu in legibus decorati, seù earum superficialem notitiam habentes, cogitare, ac aduertere non solent, vndè propterea sæpè contingit, quod Legistæ cum huiusmodi legulecis rigoribus, non interpretantur, nequè exequuntur, sed destruunt testantium voluntatem, faciendo de directò oppositum.

Et quamuis, quoad primum punctum resecationis legitimæ, id non proueniat à sola testantis voluntate, sed à defectu 6 potestatis, adeoùt nequè volens, possit pater relinquere filio legitimam hac seruitute grauatam; Attamen id rectè procedit,

cedit, quãdo pater solam legitimam filio de iure debitam relinqueret, cum tunc filius impugnare possit paternum iudicium, atquè ex illo legis, legitimam liberam detrahere, tanquam æs alienum, et consequenter intrat reiectio oneris, vel seruituris ex defectu potestatis, cum nil vrgeat, quod ipsum filium obliget ad habendum ratum factum patris, quem non agnoscit in auctorem, vt aduertitur in sua materia fusiùs *sub tit. de legit. & detract.*, ac etiam *sub tit. de dote* occasione pactorum, & grauaminum in dote succedente loco legitimæ, seù aliàs ex necessitate debita; Secùs autem vbi filius est hæres vniuersalis, vndè propterea ex patris liberalitate reliquũ bessem obtinet, quoniam, vbi expressa accedat dispositio, vt integer vsusfructus alterius esse deberet, cum certa, & præcisa testatoris voluntate, tunc nõ videtur, vt filio licitum reddatur impugnare illud iudicium, ex quo tàm magnum lucrũ reportat, ac spernere possit factũ sui auctoris, dum valor proprietatis reliqui bessis, absquè dubio in magno excessu maior est, quàm sit ille vsusfructus soliùs trientis; ideoquè rectè intrant ea, quæ ad vulgarem regulam textus *in l. cum à matre* C. *de rei vendic.* habentur pluries *sub tit. de fideicommiss.*, super potestate testatoris grauandi hæredem etiam in eius bonis propijs, ac etiam *sub tit. de legitima*, & *detractionibus* in proposito grauaminis legitimæ, etiam in totum, & in proprietate, cum ea cautela, quam *Soccini* dicimus, vel æquipollenti; Et aduertitur etiã *sub tit. de dote*, quod si dotator, cui facultas non tribuitur onera adijcere doti congruæ debitæ ex necessitate legis, vel hominis, maiorem dotem statuat, adeoùt illud augmentum, quod ex liberalitate prębetur, plus valeat, quã importet onus, tunc non videtur, quæ lex, vel quæ ratio id prohibeat, iuxtà practicum exemplũ locorum montium, vel pecuniarum habentium aliquod vinculũ, quod de pretio, seù valore minuit ex deductis *sub tit. de Regal. disc.* 30. *& seqq.*, *& sub tit. de camb. disc.* 2., ac etiam pluries *sub tit. de credit.* (vbi est propria sedes pecuniæ vinculatæ) quoniam si (e. g.), quis est debitor in mille, quæ liberè so[l]vere tenetur, admittendus non est ad præstandum decem loca montiũ vinculata, quæ in valore intrinseco importent quidẽ eamdem summam, sed ratione vinculi importent minus; At si debitor, vt creditori morem gereret, illi det, seù leget viginti, vel triginta loca montium animo compensandi cum debito, eaquè, æstimata etiam cum vinculo, longè excedant valorem debiti, vtiquè creditor conquæri non poterit, nequè vinculi resecationem petere, si dispositionem vult acceptare, quoniam in ijs, quæ expressè per legem reprobata non sunt, adeoùt pro non scriptis habeantur, non possunt stare simul, acceptare alicuius iudicium, atque ex eo lucrum reportare, illudquè eodem tempore impugnare, quoties illud sit certũ, cum id aduersetur, nedum iuri positiuo, sed etiam illi naturæ, quoniam esset foouere ingratitudinem.

Illa verò reiectio oneris, de qua in proposito legitimæ, vel dotis eius loco succedentis, habetur in dictis suis respectiuè materijs *de legitim. & de detract.*, *& de dote*, quando ea cautela, quæ dicitur *Soccini*, vel alia æquipollens, siuè specialis mentio non accedat, prouenire magis dicitur ex præsũpta ipsius dispo[n]ẽtis voluntate, quoties ista sit ambigua, cũ potè tali casu interpretationẽ recipiat à potestate, siuè à dispositione legis, cui in dubio præsumptio est, vt se cõformem reddere voluerit; Secùs autem vbi ista sit certa, adeoùt resecatio oneris importare dicatur spretũ positiuum, qui ingratitudinis vitiũ redoleat; Et consequentèr, pro meo iudicio, contemptibiles videntur, ac irrisione dignæ illæ leguleicę propositiones, vel doctrinæ, quas in hac materia habe-
7 mus insinuatæ *dicto tit. de legitim. & detract.* præsertim *in Lucana disc.* 18. super præcisa formalitate verborum, & cautelarum, quasi quod (vt alibi etiã per modum loquendi dicitur) essent verba continentia formam sacramenti, quod sine illis non perficiatur, dum substantia voluntatis potiùs attendi debet, quam huiusmodi verbales formalitates.

Verùm in hac facti specie, discurrebãtur hæc ad superabundantiam, atquè pro ea digressione, quæ non semper vitiosa est, vtpotè quandoq; necessaria, vel oportuna pro casuũ distinctione, ex qua resultare solet æquiuocorũ delucidatio, quoniã ob æqualẽ cõmunicationem, ob quã
8 ità filius, etiam vsumfructum in semisso

obti-

obtinebat, resultabat, vt legitima pleno iure, tàm in proprietate, quàm vsufructu assequeretur.

Ad tertium respondi, quod de iure duplex cautio per istam mulierem vsufructuariam præstanda erat; Primò scilicèt mutiana, dum legatum conceptum erat sub conditione viduitatis, ità & taliter, quod in casu contrauentionis totum perceptum restituendum esset, iuxtà distinctionem inter conditionem, & modum, de qua *dicto tit. de seruit.* ad materiam vsusfructus *disc.* 49. & 51.; Et altera generalis de vtendo, & fruendo arbitrio boni viri, quæ à quocumquè vsufructuario præstari debet ex deductis *eodem tit. de seruit.* ad dictam materiam *disc.* 48. & 51. *& seq.*

De potestate autem testatoris remittendi primam cautionem, dixi quod nullatenus dubitandum videbatur, dum ipse poterat dictam conditionem viduitatis
10 non adijcere, seù eamdem viduitatem adijcere per viam modi, et consequenter si habet potestatem destruendi substantiam, non videtur quid prohibeat illam destruendi accidentia, quodquè onus restitutionis in casu contrauentionis, ità verificaretur in eo quod de bonis legatarij supereresset.

Quouerò ad alteram cautionem generalem; Quamuis DD. magis communiter firment in testatore defectum potestatis eam remittendi, vbi præsertim agatur de
11 mobilibus, ac alijs consumptioni, vel dissipationi subiectis, ex relatis *per Castill. de vsufruct. cap.* 15. *& per Rotam decis.* 185. *num. fin. par.* 10. *rec.*, ac insinuatur pluries in dicta sua materia *sub tit. de seruitut.*; Attamen aduertebam, quod adhùc discretè id intelligendum est pro facti qualitate, ex qua prudens Iudicis arbitrium regulari debet, an scilicèt vrgeat, necnè ratio, cui ista conclusio innixa est, ne remittatur dolus de futuro, seù detur delinquendi occasio, quod publico fauori, atquè bonis moribus naturalibus aduersatur; Ideoquè meritò lex huiusmodi dispositiones interprætatur, vt intelligendæ solum veniant pro remissione implementi rigorosi, vel scrupolosi, & non aliàs; Ad instar eorum quæ habemus de liberatione relicta tutori, vel administratori à redditione rationum, siuè à confectione inuentarij cum similibus,

Secùs autẽ vbi testatoris volũtas certa, & enixa sit (*vt in* hac facti specie esse videbatur ob nimiã verborũ amplitudinẽ), atq; facti qualitas sit talis, vt ei non congruat dicta ratio remissionis futuri doli, vel inuitationis ad delinquendũ, quæ tutoribus, & curatoribus, alijsq; administratoribus congruit; Tunc etenim iudaismẽ species videtur, dictam conclusionem ità generalitèr, ac in verbis attendere, quoniam si poterat testator omnia ea bona mobilia, vel dissipationi subiecta, liberè, ac pleno iure, etiam in proprietate legatario vsusfructus relinquere, hinc non videtur, quæ legalis, vel humana ratio prohibeat relinquere in solo vsufructu cum remissione dicti oneris ex certo legali, & naturali principio, vt qui potest facere plus, possit etiam facere minus.

Ac etiam quia receptum in iure habemus, vt illud legatũ, quod in verbis cãtat de solo vsufructu, proprietatem quoq; ex coniecturis, vel circumstantijs incompa-
12 tibilibus importet, atquè *in* vsumfructũ causalem magis, quàm formalem resoluatur, ex deductis in dicta sua materia *sub tit. de seruit.*; Igitur totum pendet à voluntate, cuius substantia attendenda est, reiectis huiusmodi pragmaticorũ iudaismis, ac formalitatibus; Attendendo benè regulas, & conclusiones iuris, pro cõgrua eiusdem voluntatis interprætatione, quãdo ambigua sit, non autem pro eius destructione, quando sit clara.

Non fuit autem opus agere de quæstione, an hoc legatum iuxtà consuetudi-
13 nem *Bulgari* resolueretur in alimenta, & de qua *dicto tit. de seruit. disc* 50. *& seq.*, quoniam voluntas erat expressa, nimiũq; in verbis declarata, vt verum vsumfructũ importaret.

BONONIEN.

DOTIS, ET LEGATI

PRO

COMITISSA CAMILLA CAETANA DE DOZIIS

CVM

MARIA ISABELLA DOZIA.

Casus decisus per Rotam pro Camilla.

De interpretatione legati quantitatis monetæ per testatorem expressæ in testamento, extrà eius patriam condito, quia nempè dixerit de tot scutis, de quibus intelligendum sit, an scilicèt de illis propriæ patriæ, vel de illis loci testamenti; Et quatenus plures scutorum species in eodem loco currerent, de qua specie legatum intelligendum sit.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Legatum factum à debitore non compensatur cum debito voluntario dotis.*
4 *De legato habitationis, vel facultatis habitandi, & in quo differant.*
5 *Partus in dubio præsumitur vitalis.*
6 *Vt legatum debeatur de moneta patriæ testatoris, non autem loci testamenti.*
7 *Contrarium.*
8 *Quod sit quæstio voluntatis.*
9 *De eodem, & quando quæstio intret.*
10 *In quo differant forenses à scholasticis.*
11 *De varijs scutorum speciebus in Vrbe, & in Ciuitate Bononiæ.*
12 *An in legatis debeatur, quod plus, vel quod minus.*
13 *De alio simili casu controuersiæ.*
14 *De voto Auctoris, ac resolutione.*
15 *Eadem res non potest diuerso iure censeri.*
16 *Quomodo ista quæstio decidi debeat, & num. 20.*
17 *Scriptor, vel consultor testamenti est eius interpres.*
18 *De legato dotium filiabus, in qua moneta sit interpretandum.*
19 *De diuersa interpretatione vnius ex pluribus legatis, quàm aliorum.*
20 *De eodem de quo num. 16.*
21 *Declaratur axioma, de quo num. 15.*

DISC. XL.

1 COmes Ioseph Maria Dozius nobilis Bononien., qui vxorem duxerat Camillam Caetanã nobilem Romanam, infirmatus in Vrbe, vel propè eam intra districtum, in testamento ibi condito, instituta hærede Maria Isabella Dozia filia, inter cætera legata reliquit vxori scuta 10.m.; Cumquè eiusdem vxoris venter prægnans de proximo esset, ex quo ad octo menses post mortem, altera fœmina posthuma procreata fuit, quæ ad breue tempus obijt, ac etiam testator eidem vxori legatum habitationis in propria domo existente in Ciuitate Bononiæ reliquisset; Hinc propterea, inter ipsam, ac dictam Mariam Isabellam filiam, & hæredem, seù verius Hipolytam testatoris matrem dictæ pupillæ auiam, & tutricem, plures exortę fuerunt controuersiæ; Primò scilicèt super restitutione dotis, an istius solutio probaretur; Secundò an dictum legatum conferetur factum animo compensandi cum dicto credito dotali, & lucro; Tertiò super dicto legato habitationis; Quartò super successione matri delata in portione, seù legitima debita dictæ posthumæ, quæ insuccessibilis prætendebatur sub prætextu, quod nata octauo menſe, non esset vitalis; Et quintò super qualitate monetæ dicti legati scutorum 10.m., an scilicèt intelligendum esset de scutis Romanis, vel de illis Bononiæ, cũ isti minus, quàm illi importarent.

Causaq; ex compromisso delata *ad Rotam coram Emerix*, penè in omnibus re-
2 solutiones fauore Camillæ prodierunt *sub diebus 23. Ianuarij, & 14. Iunij 1669.*, ad quarum resolutionum normam, emanata sententia arbitramentali, ea confir-

mata

mata fuit in alia instantia, in qua non scripsi, cum procederetur cum eisdem fundamentis iam firmatis, ideoquè necessaria non reputabatur opera plurium Aduocatorum, cum inani sumpto, dum sufficiebat illa Aduocati ordinarij, qui ab initio, pro stylo, onus habuerat causæ.

Primus punctus erat nudi facti; In secundo processum fuit cum recepta cõclusione, seù regula, de qua alibi *hoc eodem tit. præsertim disc. 15.*, vt cessantibus diuersæ voluntatis coniecturis, legatum à viro vxori factum, compensandum non veniat cum debito dotis, vel lucri tanquam debito voluntario potiùs, quàm necessario iuxtà receptam distinctionem.

Super tertio deducta fuerunt eadem, quæ in hac materia habentur *sub tit. de seruit. disc. 66.*, vbi in specie de consimili legato facto per virum vxori, ac de distinctione inter legatum habitationis, & legatum facultatis habitandi; Et in quarto super successione dictę posthumę, modica fuit disputatio, ob non iustificatum factum præsuppositum, quod partus non esset vitalis, cuius contrarium in dubio præsumitur, vt in causæ decisionibus, cæteris relatis, firmatur.

Quatenùs igitur pertinet ad vltimum punctum, super interpretatione dicti legati scutorum 10.m., de qua scilicèt specie scutorum intelligendum esset, an de Romanis, & sic de loco conditi testamenti, vbi testator accidentaliter morabatur, vel potiùs de illis Ciuitatis Bononiæ, quæ erat testatoris patria originaria, & domiciliaria, resolutiones prodierunt fauore legatariæ, vt intelligendum veniret de Romanis maioris valoris, seu importantiæ.

In disputationibus autem desuper habitis; Scribentes pro hærede prætendente soluere legatum in moneta Bononiæ minoris valoris, dicebant quod sibi assisteret regula per textum expressum *in l. nummis 73 ff. de legat. 3.* ibi *ex regione vndè fuerit*, ibique firmant *Cyn., Bartol.*, & alij, de quibus *Corn. conf. 244. lib. 2.*, vbi loquendo de legato facto per testatorem Perusinum in testamento condito in Ciuitate Anconæ de tot florenis, vt intelligendum veniat de moneta Perusina, non autem de Anconitana, & sequuntur *Menoch. lib. 4. præsumpt. 106. nu. 4. Mantic. de coniect. lib. 6 tit. 8. n. 13. Grat. discept. 565. num. 18. Surd. decis. 227. num. 2.* & alij apud eos.

Econuerso autem Scribentes pro hac parte (quibus Rota adhæsit), præcipuum fundamentum constituebant in eo nimiùm probabili, imò claro facti motiuo, redolente speciem expressæ probationis, cui dicta simplex iuris præsumptio cedere debet, quoniàm quando testator loqui voluit de moneta Bononiæ, id expressit, illam explicando cum ibi vsitata specie librarum, in quibus communis vsus, seu commercium tam in actibus inter viuos, quàm per vltimam voluntatem habetur, vndè propterea hæc discretiua claram præseferre videbatur huius voluntatis probationem.

Et his annectebantur etiam ea, quæ habentur *apud Soccin conf. 247. num. 4. & seq. lib. 2. Surd. decis. 227. num. 4.* cum alijs *apud Menoch.* & alios vbi suprà, præsertim *Gratian. dicta discept. 565.* vbi hunc pũctum examinat, (& à quo totum transcribi solet), cum alijs in causæ decisionibus super alijs coniecturis, & circumstantijs, illis præsertim vsus loquendi Notarij, & quod testator diù versatus fuerit in loco, in quo testamentum conditum fuit cum similibus.

Scribens ego pro eadem Camilla legataria, atq; deducendo quoq; eadem fundamenta; Addebam vlteriùs, quod inanis labor videretur in huiusmodi generalitatibus immorari, quoniàm cum ista sit quæstio voluntatis, & consequenter facti potiùs, quàm iuris, hinc proindè (vt frequenter aduertitur), erroneum pro meo iudicio est, ex huiusmodi generalitatibus iudicium efformare, cum potiùs illud inquirendum sit ex circumstantijs facti, quæ substantiam voluntatis suadeant.

Hoc autem prænotato; Aduertebam, quod quæstio cessabat in radice ex facto, quoniàm tunc illa caderet, quando in vtroque loco esset verificabile idem monetæ vocabulum, vndè propterea intraret dicta quæstio, an vocabulum, quo testator vsus est, potiùs referendum esset ad monetam propriæ patriæ, vel ad illam loci testamenti, quia nempè in vtroquè loco idem scutorum, vel ducatorum vocabulum esset vsitatum; Eo modo, quo

in casu, de quo agit *Corn. d. cons.* 244. nam idem florenorum vocabulum vtrique loco commune erat, cum aliqua tamen valoris differentia.

Id autem in hac facti specie in facto cessabat, ideoquè pro meo iudicio, iste inanis labor erat, dum semper erroneum est assumere disputationes iuris, vbi quæstio decidi potest cum facto, quod potissimùm, ac principaliter in forensibus cõ-
10 trouersijs decidendis attendendum venit; Siquidem (vt alibi pluries aduertitur) in hoc differunt scholastici, seu academici à forensibus, quod illi, pro ingenijs exercendis, disputant quæstiones iuris in abstracto, isti autem agunt de causis in concreto, pro ipsarum qualitate, ac particularibus circumstantijs decidendis.

In Vrbe etenim, alijsque adiacentibus locis, istud scutorum vocabulum, duplicem habet significationem; Vnam
11 scilicèt scutorum monetæ, qui constituuntur ex decem nummis argenteis, qui *iulij*, seu *pauli* vulgò nuncupantur, atque ad differentiam scutorum auri vulgò dicuntur scuti monetæ; Et alteram scutorum auri, qui subdistinguuntur in tres species recensitas *sub tit. de Regal.* ad materiam monetarum, ac etiam *sub tit. de pensionib.* & *sub tit. de credit.*, quod scilicèt; Alij sunt scuti aurei, qui dicuntur stamparum modernarum; Alij verò scuti aurei stamparum veterum, siuè vt vulgò dicitur, qui non sint stamparum currentium, ac antiquitùs dicebantur stricti, ad differentiam aliorum maioris valoris, qui antiquitùs erant magis in vsu, qui scuti, seu ducati largi, vel solis dicebantur.

In Ciuitate autem Bononiæ, moneta argentea, seu alterius inferioris materiæ, explicari non solet cum hoc vocabulo scutorum, sed cum dicto alio librarum, quod continet monetam imaginariam, siuè cum vocabulo ducatorum, aut ducatonorum; Vocabulum autem scutorum in vsu solùm est respectu scutorum auri, qui pariter sunt diuersarum specierum, maioris, vel respectiuè minoris valoris, vt in specie de hac Ciuitate Bononiæ habetur *per Rotam decis.* 398. *par.* 9. *rec. repetit.* inter illas *Bichij decis.* 298., & aduertitur in proposito Ciuitatis Mediolani, aliorumque Locorum Lombard[illegible] *in dicto tit. de pensionib.*

Igitur, quando etiam admittenda esset opinio, vt attendi deberet locus patriæ testatoris, dum iste adhibuit vocabulum scutorum, quod non est verificabile nisi in scutis auri, ità magis expediret legatariæ, etiamsi admittenda esset
12 regula, de qua plenè cæteris relatis *apud Surd. decis.* 298. & insinuatur alibi *hoc eod. tit.* & sub altero *de dote*, vt facto legato de scutis, vel ducatis, qui diuersi in regione sint, diuersumquè valorem habeant, illud intelligendum veniat de illis minoris valoris, quodq; censeatur legatũ, quod minus fauore hæredis, nisi fauor causæ piæ, vel dotis, aut præsumpta testatoris voluntas deducta ex qualitate, ac maiori dilectione legatarij, vel alijs circumstãtijs diuersimodè suadeãt; Quoniàm quomodocumquè diceretur, plus importabat inferior scutus aureus Bononiensis, quàm scutus monetæ Romanæ, in quo legatum petebatur, atquè reuerà aliæ facti circumstantiæ istam veritatem clarè conuincere videbantur, ideoque ad factum, non autem ad ius, in huiusmodi quæstionibus est recurrendum.

In hoc autem proposito; Cum Plumbini Princeps Nicolaus Ludouisius, ad mortem infirmatus in Calaritana Ciui-
13 tate, vbi duplex diuersum munus exercebat, Proregis, & Ducis generalis Classis maritimæ illius Regni Sardiniæ, testamentum condidisset (pro loci stylo) hispanico idiomate, in quo quamplura legata quantitatiua fecit, explicata cum termino, seu vocabulo scutorum, nonnulla scilicèt pia Ecclesijs, & Monasterijs dictæ Ciuitatis; Alterum scutorum 100. m. pro dote filiæ fœminæ primogenitæ, cum expressione, quod dicta summa relinquebatur tanquàm congrua, & consueta filiarum primogenitarum eorum, qui sunt Hispaniarũ Primi vulgò *Grandi*; Aliud scutorum 10. m. distribuendum inter eius familiares, iuxtà Principum & Magnatum stylum; Et alterum scutorum 10. m. pro vna vice, & annuorum scutorum 4000. in perpetuum, pro perfectione, conseruatione, & ornamento conspicui templi Sãcti Ignatij in Collegio Romano, cõstructi ex legato Cardinalis germani fratris; Dictaque pia legata facta illis Ecclesijs, & Monasterijs illicò adimpleta fuissent in scutis monetæ eiusdem regionis, qui constituuntur ex valore il-

illarum monetarum hiſpanicarum, quæ vulgò dicuntur *pezze da otto*, conſtituentes octo partes cum dimidia ex decem, ex quibus conſtituitur ſcutus monetæ Romanæ; Hinc proindè, reſpectu dictorum aliorum legatorum pro veritate conſultus fui, an in eadem ſpecie monetæ illa intelligenda eſſent, vel potiùs in ſcutis monetæ Romanæ maioris valoris vt ſuprà.

Reſpondi, vt pro tribus primis legatis, quæ facta fuerunt Eccleſijs dicti loci, ac familiaribus, & filiæ, iſtud vocabulum
14 ſcutorum attendendendum eſſet iuxtà monetam, ſeu valorem loci teſtamenti; Alterum verò factum dictæ Eccleſiæ Vrbis intelligēdum eſſet de moneta Romana, Atq; ità reſpectiuè in eodē Tribunali A.C. per diuerſos tamen Locumtenentes diuerſimodè iudicatum fuit, vt illud ſcilicèt familiarium deberetur ad rationem ſcutorum Sardiniæ, illud verò Eccleſiæ ad rationem monetæ Romanæ (quamuis ex prudentialibus motiuis in dictis cauſis iudicialiter agitatis, ego non ſcripſerim), ſed exitus fuit iuxtà votum iam datum; De alijs etenim duobus legatis agere non oportuit, quoniàm primum illicò poſt mortem pacificè in ea moneta impletum fuit; Et alterius legati adimpiendi defuit occaſio, dum dicta filia primogenita, vitam ſpiritualem Oblatarum in Monaſterio Turris Speculorum, piè elegit.

Reſponſum autem, ſeu votum deſuper à me datum, tunc pleriſquè viſum eſt exorbitans, atq; contradictorium, contrà vulgare axioma, ſuper quo plura colligit *Barboſ. axiom. 74. nu. 4.* vt ſcilicèt vna
15 & eadem res, vel diſpoſitio diuerſo iure cenſeri non poſſit, quodquè propterea, iſtud ſcutorum vocabulum, quod teſtator adhibuit, vel de vna, vel de altera ſpecie intelligendum eſſet, non autem de vtraque, cum id incompatibile videatur.

His tamen non obſtantibus, in prædictam deueni ſententiam, motus, non quidem ex generalitatibus, de quibus ſuprà in altero caſu, cum quibus procedi ſo-
16 let, ſed cum regula, pro meo ſenſu ſolidiſſima, atque principaliter attendenda, quod cum iſta ſit quæſtio voluntatis, iſtius ſubſtantia veriſimilis indaganda eſt, ex facti circumſtantijs, non autem ex generalitatibus, vel doctrinis, ac deciſionibus, quæ diuerſos caſus, vel terminos percutiant, cum iſte videatur error nimiùm clarus.

Quo enim ad duo legata, Eccleſiarum ſcilicèt & piorum locorum Ciuitatis, in qua teſtator obijt, ac diſtributionis faciendæ in familia, quæ tota, vel in longè maiori parte ibi erat, ideoquè ex veriſimili teſtatoris voluntate, atque pro eius honorificentia ibidem facienda; Cum, tam ordinatio legati, quàm affectatio ibidem ſequi deberent, vel deſtinatę eſſent, idcircò omnes regulæ aſſiſtebāt, vt de illa moneta intelligēda venirent, ex deductis *per Surd. & add. dec. 227.*, & cōmuniter; Et clariùs ob ſubſequutam obſeruantiam in primo legato exequuto per Conſiliarios, ac aſſiſtentes, qui teſtamentum reſpectiuè conſcripſerant, vel conſuluerant, dum vt alibi *hoc eodem tit.*
17 aduertitur, ac etiam ſub altero *de teſtam., & de fideicom.* iſti dicuntur optimi interpretes ambiguæ voluntatis defuncti.

Alterum verò legatum dotis, pariter, imò clariùs eodem modo interprætandum videbatur, ob cauſam eidem adiectam, quod ſcilicèt ea ſumma legabatur, tanquàm ſolita dari filiabus eorum, qui ſunt Primi, ſeu Magnates Hiſpaniarum; Addendo etiam dictæ conſuetæ ſummæ ſcutorum cētum mille, alia viginti mille, ideoquè cum ſupponeretur, vt in Hiſpa-
18 nijs dicta ſumma conſueta conflaretur ex dictis petijs argenteis Hiſpanicis, ità credebam, quod in hoc nimiùm clara eſſet teſtatoris voluntas, ſe conformandi cum dicta conſuetudine, dum declarauit aliud facere additamentum ex particulari motiuo beneuolentiæ, ac etiam veriſimiliter, vt ità fieri poſſet ſuppletio ſcutorum centum mille monetæ Romanæ, quatenùs in Vrbe (vt probabilius eſt teſtatorem opinaſſe) ea nuberet.

Verùm quoad vltimum legatum fa-
ctum dictæ Eccleſiæ in Vrbe, diuerſa vigebat ratio, quoniàm cum iſtud legatum habere deberet, ex intentione teſtatoris ita pluries explicata, *implementum ſuc-*
19 *ceſſiuum*, & perpetuum quolibet anno ex redditibus bonorum, quæ in Vrbe, & Statu Eccleſiaſtico exiſtebant, hinc proindè quando loquutus eſt de ſcutis, probabile eſt, vt intelligere voluerit, iuxtà communem

nem vſum loci implementi, ſeu faciendæ ſolutionis in moneta eiuſdem loci certa, & inuariabili; Non cogitauerit autem ad petias argenteas hiſpanicas, dum earum frequens, ac manualis vſus in Vrbe non habetur, neque ſub ſcutorum nomine vnquam veniunt, vel reputantur, cum diuerſum habeant vocabulum prædictum *di pezze da otto*; Ideoque iſte mihi videbatur modus interprætandi dicta legata diuerſimodè pro diuerſa eorum natura, ſeu qualitate, procedendo, vt dictum eſt, cum dicta propoſitione indagandi veriſimilem teſtatoris voluntatem, eiuſque ſubſtantiam attendendi, non autem immorandi in formulis verborum, ſiue in dictis generalitatibus, quæ, vt dictum eſt, luriſtarum ineptiæ, ſeu frigiditates mihi videntur.

Nequè præmiſſis obſtare aduertebam dictam repugnantiam, vt vna, & eadem res diuerſo iure cenſeretur, ſiue quod vnum, & idem vocabulum diuerſas habeat ſignificationes, quoniàm id obſtaret, quando ageretur de vnico, eodemquè legato; Secùs autem, vbi de pluribus diuerſis, quæ diuerſam rationem habeant, quoniàm quot ſunt legata, tot ſunt diſpoſitiones; Cumquè iuxtà ſuprà inſinuatam *dec.* 298 *Surd.*, & alibi *hoc eodem tit.* habeamus, vt facto legato rei, quæ duplicem habeat ſignificationem, ac importare poſſit, magis & minus, regulariter legatum importet minus, ſed fauore cauſæ piæ, vel dotis, aut ratione prædilectionis importet plus; Hinc proindè rectè dari poſſunt in eodem teſtamento diuerſa legata, quæ pro legatariorum qualitate hanc diuerſam recipiant interprætationem, quamuis eadem ſint verba, ſeu vocabula, cum iſtorum interpræratio fieri debeat iuxtà ſubiectam materiam, ſingula ſingulis cõgruè referendo, iuxtà dictum exemplum plurium legatorum piorum, & prophanorum, quæ in eodem teſtamento contineantur, cum ſimilibus.

I A N V E N.

L E G A T I

P R O

STEPHANO LOMELLINO.

Reſponſum pro veritate.

De materia interprætationis legati, & quomodò iſta facienda ſit, quando verba ſint ambigua, & apta recipere plures diuerſos intellectus, & ſignificationes.

S V M M A R I V M.

1 *Facti ſeries.*
2 *De dote congrua per patrem debita.*
3 *Legatarius ſpeciei præfertur creditoribus, vel filijs pro legitima.*
4 *De quæſtione contributi inter legatarios.*
5 *Gerundium an importet conditionem, vbi reſoluatur.*
6 *Quomodò legata interprætari debeant, & de circumſtantijs, ex quibus fiat interprætatio.*

D I S C. XLI.

1 IO. Franciſcus Lomellinus tres habens filias, quarum vna in Monaſterio profeſſionem iam emiſerat, factis aliquibus pijs, ac prophanis legatis, atque relicta dictæ filiæ moniali quadam annua viralitia præſtatione, alijs duabus innuptis ſtatuit dotem ſcutorum 20. m., quatenùs in ſæculo nuberent, vbi verò Monaſterium ingrederentur, reliquit dotem Monaſterio dari ſolitam, ac etiam pinguem vitalitiam ſubuentionem, eaſdemquè filias innuptas hæredes vniuerſales inſtituit, quibus Stephanum fratrem, vel eius prædefuncti, filios, & deſcendentes ſubſtituit, tam in caſu monachagij, quàm etiam matrimonij carnalis, quatenùs abſquè filijs decederent

antè

antè completam ætatem annorum 25.

Per capitulum autem separatum post legata, & priusquam ad institutionem hæredis deueniret, facta narratiua, quod domus habitationis cum annexis vtpotè proueniens à paterna hæreditate, adhùc indiuisa esset cum dicto Stephano fratre, idcircò, eam, & quædam alia bona pariter indiuisa ab eadem hæreditate prouenientia illi reliquit, sub ea tamen lege, vt legatum respecta domus, effectum sortiri non deberet, nisi postquam dictæ filiæ, quatenùs superuiuerent, vno vel altero modo collocatæ essent ibi, *dopo che le Signore figlie d'esso testatore, viuendo, haueranno preso stato, cioè si saranno maritate, ò monachate*; Quarè sequuta morte testatoris, dictis filiabus in statu inupto cõtinuantibus, super duobus inter ipsas, ac dictum Stephanum dubitari contigit; Primò nempè, an dicto legato locus esset, ex eo quod impleta non esset conditio earum collocationis ipso testatore viuente; Et secundò, àn idem Stephanus in dicto legato, ac bonis in eo contentis præferri deberet eisdem filiabus in dote, quã iuxtà paternum iudicium assequi debebãt, quatenus carnale matrimonium eligerent, atquè super vtroquè pro veritate consultus fui.

Quatenus pertinet ad secundum quæsitum, dixi quod certum I. C. responsum, seù iudicium desuper dari non poterat, dum quæstio non erat iuris, sed facti, vtpotè pendens à duplici facti circumstãtia; 2 Primo nempè, an, & quæ esset pro qualitate personarum, & more regionis, vel familiæ, dos congrua iuxtà illam cõgruitatis taxam, de qua *sub tit. de dote* pluries præsertim *discur. generali* 144., adeoùt ad eam pater à lege cogeretur; Tunc etenim cum redoleat speciem æris alieni, sine dubio istud vincit legata, in quibus legatarius fouet causam merè lucratiuam, & voluntariam; Ac etiam an in hæreditate alia essent bona, ex quibus ista dos præstari posset, quoniam vbi etiã speciem æris alieni redoleat, adhùc in- 3 trat conclusio, de qua pluries *sub tit. de legit. & detract.*, quod legatarius speciei in re legata prę fertur filio in legitima, ac etiam creditoribus chirographarijs, vbi alia suppetant bona, ex quibus consuli valeat.

Quatenùs verò dicta summa pro dicta dote constituta excederet congruam ex legis necessitate debitam, adeoùt excessus redoleret voluntarium, & gratuitum legatum; Tunc tanquam inter æquè legatarios, si hæreditas omnibus idonea non esset, intraret quæstio contributi, et an istud locum habeat inter legatariũ quantitatis, & legatarium speciei, & de qua quæstione habetur in alijs *hoc eodem tit.*; Illa verò in hac facti specie non intrabat ob claram, & expressam dispositionem testatoris, vt istud legatum factũ fratri, contributioni non subiaceret etiã cum legatis pijs, cum indubitatum sit, vt ista contributi materia tota sit voluntatis, quæ etiam tacita, & coniecturalis in proposito sufficit; Eaq; in præsenti adesse videbatur, vbi etiam nõ fuisset expressa, dum constabat de substantia voluntatis testatoris, vt ista maiorum bona antiqua, in domo, & familia conseruarentur, istudquè est magnum huiusmodi voluntatis argumentum. 4

Quoueró ad alterum punctum, in quo in transmissa notula supponebatur, quod maior quæstio, seù difficultas resideret; In aliquibus Respõsis datis pro parte dictarum filiarum ad hunc effectum transmissis, cum magno generalium propositionum, seù grammaticalium regularum apparatu, nimium insistebatur in eo ver- 5 bo *viuendo*, quod in gerundio conceptũ erat, an scilicet illius resolutio importaret, necnè conditionẽ suspensiuam, iuxtà ea, quæ in hoc proposito resolutionis gerundij, an importet modum, vel conditionem, habentur *hoc tit., & sub tit. de testam., & de hæredit.* super qualitate viduitatis legato adiecta, cum similibus.

Ac etiam, an idem verbum, potiùs ad testatorem, quàm ad ipsas filias referendum esset, quatenùs scilicèt ipso testatore viuente filiæ collocarentur, ac statum sumerent, ità curando probare cum regula, vt verborum relatio ad proximè præcedẽtia fieri debeat, quodq; hæc relatio magis congrua esset, dum verbum testatoris magis proximum erat, cum similibus generalitatibus, seù leguleicis frigiditatibus; Hisquè positis, inferebatur ad consequentiam caducationis legati, ob nõ purificatam conditionem.

His tamen non obstantibus, Respondi, vt, pro meo iudicio, punctus esset omninò planus fauore legatarij, adeoùt indignus

dignus videretur hac disputatione, seù
6 I. C. responso, cum dispositio esset nimis clara, adeoùt rectè intraret frequenter insinuata regula textus *in l. ille, aut ille ff. de leg. 3.*

Neglectis etenim præfatis generalitatibus, quas in huiusmodi vltimarum voluntarum quæstionibus, vtpotè facti, ac voluntatis potiùs, quàm iuris, meras ineptias perpetuò reputare consueui; Atquè attendendo substantiam dispositionis, seù voluntatis; Ista nimium clara erat, quod cum prudentissimus testator (qui qualificatum munus Procuratoris Reipublicę habebat), prole masculina careret, prudenter eius dispositionem ordinando, filias fœminas dote prouidit in certa quãtitate, ex mobilibus, alijsquè effectibus ab eo acquisitis, reliquum de eisdem bonis in pia, & prophana legata, pro anima, amicis, & familiaribus distribuit, domum verò paternam, aliaquè antiqua, & maiorum bona stabilia, quæ in familia, & agnatione notabili tempore fuerant, in eadem agnatione relinquere voluit, vt ibi conseruarentur, dum non se restrinxit ad personam Io. Stephani fratris, sed eo præmoriente vocauit eius descendentes, disponendo vt hoc legatum subiacere non deberet contributo, quatenùs vires hæreditariæ non essent alijs legatis idoneæ; Verùm quia incongruum erat, vt eædem filię, donec statum assumerent, à paterna domo egredi cogerentur, atq; alibi viuere vna cum vxore, & matre respectiuè, (quam vsufructuariam quoq; reliquit); Hinc proindè, eadem prudentia retenta, disposuit, vt legatum domus tantùm, discretè ab alijs bonis paternis eidẽ fratri relictis, non deberet sortiri effectum, nisi postquam dictæ filiæ iam collocatæ essent cum vno, vel altero matrimonio, ob cuius casum in domo viri, vel Monasterio respectiuè viuere deberent, adijciendo etiam dictũ verbum *viuendo* ex eo quod per earum mortem idem resultaret effectus; Ponderando potissimè quod ista cõditio desumpta ex dicto verbo *viuendo*, ac altera assumptionis status adiecta non erat substantiæ legati, sed potiùs exequutioni, & tanquàm per speciem dilationis, dictam probabilem causam, seù rationem habentis, dum in verbis dicebatur, quod istud legatum respectu domus non sortiretur effectum, nisi post dictam status assumptionem vno, vel altero modo, ideoquè testator clarè præsupposuit, vt testamentum, ac respectiuè legatũ perfectionem iam ab eius morte reciperet, vndè propterea mereretur exequutionem, seù effectum, quem ità in parte suspendere voluit; Ergò ad nimiam euidentiam constare dicebam, vt omninò incongruus, ac ineptus esset dictus intellectus, sed potiùs oppositus, vt testator pręsupponeret, quod de tẽpore mortis filiæ nõ essent prouisæ, adeoùt intraret dicta ratio congruentiæ, & honestatis, vt in paterna domo cum matre interim viuerent; Istequè est modus interprætandi legata, & vltimas voluntates, indagando scilicèt substantiam verisimilis voluntatis, non autem immorãdo in huiusmodi verborum formalitatibus, ac generalitatibus, quæ vt dictum est, potiùs ineptiæ, ac frigiditates dici merentur.

CAMERINEN.

LEGATORVM

PRO

MARIOTTIS

CVM

LEGATARIIS, vel PROCVRATORE FABRICÆ S. PETRI.

Casus disputatus in Tribunali Fabricæ, credo sopitus per concordiam.

An legata tractum successiuum habentia, relicta ab instituto, censeantur reperita à substituto; Siuè an censeantur iniuncta primis tantùm, non autem vlterioribus hæredibus.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Vt legata etiam pia relicta à primo hærede non debeantur a secundo.*
3 *De restrictione oneris ad primum per verba personalia.*
4 *Item per discretiuum modum loquendi.*
5 *In ijs, quæ sunt voluntatis, fauor piæ causæ non operatur.*
6 *Quid agere soleant Aduocati, quando timent de causis.*
7 *Et quid isto casu agere debeant.*
8 *Quod fauore piæ causæ relicta ab instituto, debeantur à substituto.*
9 *Declaratur conclusio, de qua num. 5., & quod fauor piæ causæ operetur etiam in ijs, quæ sunt voluntatis.*
10 *Cuius sit fauor maior, an piæ causæ vel liberorum &c.*
11 *Recensentur coniecturæ, seù circumstantiæ probantes tractum successiuum etiam cum secundo, & vlteriori hærede.*
12 *Quando fortiùs intret quæstio, de qua num. 2. & 8.*
13 *Quomodo quæstio decidi debeat.*

DISC. XLII.

CVM testator prole carens, relicta vxore vsufructuaria, hæredem instituisset nepotem ex fratre, cum fideicommisso successiuo, antequam verò ad institutionem deueniret, aliqua fecisset pia legata, annuum, ac successiuum tractum habentia, quæ tamen in verbis iniuncta videbantur inferius describendis hæredibus per illa verba *mandat vt infrascripti eius hæredes quolibet anno soluant &c.*; Hinc proindè, defunctis, tàm vxore, quàm primo hærede instituto, prætensionem excitarunt substituti, vt huiusmodi legata, seù onera, tanquam personalia, iam terminassent, ideoq; per aliquos annos ea non adimplendo, iuxtà ordinarias Fabricæ Sancti Petri facultates alibi *hoc eodem tit.* insinuatas, in eius Tribunali per legatarios, vel (iuxtà stylum) per eiusdem Fabricæ Procuratores pulsati fuerunt, atquè causæ Patrono firmiter credente dictam personalitatem, cum requisitus essem ad scribendum pro eadem opinione substinenda, more Aduocati, causæ inseruientis.

Deducebam in primis regulam generalem deductam ex vna opinione, de qua apud infra allegandos, vt legata relicta
2 ab instituto, nō censeantur relicta à substituto; Atquè in terminis specialibus annui legati pij, pro anniuersarijs, alijsquè similibus operibus pijs, vt quoties directa sunt ad primum hæredem, non afficiant secundum, deducebam ea, quæ habentur *apud Riminald. iun. cons.* 236. *num.* 76 *Surd. cons.* 123. *num.* 17. *cum seqq. Capyc. Latr. consult.* 23. *num.* 54. *& consult.* 24. *num.* 2.

Restrictionem autem ad primos hæredes deducebā dupliciter; Primò nempè ex illo verbo *infrascripti*, quod est
3 personale, ac ad oculum demonstratiuum personarum, quibus directum est, vt in eisdem specialibus terminis aduertitur *apud Surd. cons.* 123. *num.* 16. & 17. *Capyc. Latr. dicta consult.* 23. *num.* 53. & 54. & *consult.* 24. *nu.* 1. *cum seqq.*, et generaliter *Rota apud Buratt. decis.* 355. *nu.* 5. & 387. *num.* 9 & frequenter in alijs.

Et secundò ob discretiuam, quod scilicèt quando de vlterioribus hæredibus testator loqui voluit, id expressit, vt fe-
4 cerat in prohibitione alienationis bonorum, dum expressè locutus est de institutis, & substitutis, ideoquè intrat vulgare argumentum discretiuę, quod vbi voluit, dixit &c. cōmuniter deductum ex textu *in l. vnic. §. fin autem Cod. de caduc. tollend.* vt in eisdem specialibus terminis aduertitur *per Capyc. Latr.*, siuè Scribēres apud eum *dicta consult.* 24. *num.* 3.

Nequè obstare dicebam, quod ageretur de legatis pijs, quoniam ex veriori, magisquè recepta sententia pluries deduc-
5 ta *hoc eodem tit.*, frequentiùs autem *sub altero de testam.*, fauor piæ causæ, nimiū operatiuus est circa solemnitates, eaquè remouenda obstacula, quæ pendeant à iure positiuo, non autem circa voluntatem, cuius defectus dicitur iuris naturæ, quod magis afficere debet causam piam, quàm prophanam, ex pluries insinuata, ratione, quod Ecclesia, vel pia causa, ad maiorem veritatis naturalis cultum tenetur, dum eam tantùm actiuè, ac passiuè attendit, atquè sæcularibus in hoc exemplum præbere debet, siuè esse exemplar.

Curando præmissa omnia, & alia (præter stylum) exornare cum alijs regulis, ac propositionibus generalibus, atquè super earum singulis, cum consueto
6 inepto, ac superfluo pragmaticorum labore, magnum facere auctoritatum, siuè allegationum cumulum, vt ità ignaro vulgo scriptura docta, benèquè elaborata, ac fundata videretur, vt frequentiùs sequi solet in illis causis, de quibus ipsi Scribentes magis timent; Ideoq; in classicis, ac iudicioſis Aduocatis, de scripturis breuibus magis timẽdum est, quoniam tunc signum est, quod habent motiua solida, & stringentia; Nisi quandoq; necessitas respondendi obiectis, vel elucidandi æquiuoca (cum quibus procedi dignoscatur), ad aliquam prolixitatem cogat, cum aliàs prolixitas paupertatem iudicij denotet.

Quamuis autem hæc deducerem more Aduocati conducti ad causæ opportunitatem; Pro consueto tamen stylo (Dei
7 gratia benignè assistente, nunquam violato), Partibus, vel alteri pro eis requirenti, liberè insinuaui meas difficultates, meumquè diuersum sensum, ideoquè cõsului, vt honesta concordia procurari deberet, vt credo sequutum esse.

Ad id mouebar in primis, quoniam in superius insinuata questione disputata *per Bart.* & alios *in l. 3. §. fin. ff. de alim. & cibar. legat.*, an scilicèt legata repeti-
8 bilia, tractumquè successiuum habentia, relicta ab instituto, repetita censeantur à substituto; Quoties agatur de legatis pijs, probabilior, magisquè cõmunis opinio videtur affirmatiua, vt patet ex relatis *per Surdum de alimen. tit. 8. priuil. 15. Menoch. lib. 4. præsumpt. 108. numer. 37. Castill.* (quem solum pro notitia aliorum allegare sufficit) *8. tom. contr. cap. 32. per tot. Rot. decis. 140. num. 3. par. 2. diuers.*

Vt enim pluries in alijs *hoc eodem tit.* aduertitur, præsertim occasione agendi de quæstione, an certa designatio fauore piæ causæ, semper importet demonstratiuam necnè; Quamuis vera sit superius insinuata propositio, vt in ijs,
9 quæ sunt voluntatis, nullus piæ causæ fauor dignoscatur; Attamen id procedit, vbi voluntas sit certa, adeoùt esset dare, vt pia causa aliquid assequeret. præter, vel contra intentionem disponentis; Secùs autem vbi agatur de ambigua voluntate, quæ interpretationem exigat, ideoquè sit quæstio, àn lata, magisquè benigna, vel è conuerso stricta, & rigorosa interpretatio facienda sit, quoniam in hoc operatiùus est piæ causæ fauor, vt lata, benignaquè interpretatio fieri debeat, iuxtà generalem propositionem, quam habemus, vbi legatarius sit magis coniunctus, seù verisimiliter magis dilectus, quàm hæres, qualis reputatur pia causa in concursu præsertim hæredis extranei, vt in hac facti specie.

Quæstio etenim, maioris, vel minoris dilectionis, cadit in concursu piæ causæ, cum filijs, & descendentibus, istoquè casu nostri (pro consueta frigiditate) nimiùm certant, ac scinduntur; *Alijs* sim-
10 pliciter, ac indiscretè tenentibus partes piæ causæ; *Alijs* è conuerso indefinitè tenentibus partes liberorum; *Alijs* verò distinguentibus, inter legitimam, & reliquam hæreditatem, vt in prima parte, pro liberis, in altera verò pro pia causa respondendum sit; Et alijs demùm, probabiliùs, magisquè iudiciosè opinantibus, vt in ista quæstione, vtpotè facti, ac voluntatis, erroneum sit, certã, ac generalem statuere regulam cuicumquè casui applicabilem, cum potiùs, iuxtà huiusmodi quæstionum generalem naturam, decisio pendeat ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs, ex quibus, etiam in transuersalibus, vel extraneis hæredibus, non implicat dari posse verisimilem maiorem dilectionem ergà hæredem, quàm ergà piam causam legatariam, et è contrà respectu liberorum; Benè tamen piæ causæ, aduersùs eos, qui non sint de liberis, pro maiori dilectione assistit regula, quæ licèt inducat præsumptionem iuris tantùm, elidibilem per contrariam probationem, etiam præsumptiuam, & coniecturalem; Attamen eam facit operationem, vt pro ipsa in dubio sit iudicandum, vbi contrariæ probationes, vel coniecturæ non vrgeant; Istequè est effectus dictæ quæstionis in abstracto disputatæ, non autem, vt idem generaliter in omni casu dicendum sit.

Vltrà hanc generalitatem, quod scilicèt concursus esset inter piam causam, & hæredes extraneos; Accedebant quoquè pleræquè specialitates, quæ pro meo sensu in hoc proposito principaliter, magisquè spectandæ sunt; Primò nempè, verbum

bum *in perpetuum* pluries repetitum; 11 Secundò subiecta materia, seù qualitas piorum operum, quæ tractum perpetuũ, ac successiuum probabilitèr suadebat; Tertiò vires hæreditatis, dum ità benè vtriquè consultum remanebat, (idq; nimiùm in hoc proposito attendendum venit); Quartò inuerisimilitudo, vt plus grauare voluerit vxorem, & nepotem cognitos, ac dilectos, quàm alios successores nascituros, ac ignotos, magisquè remotos; Quintò quia loquutus est de heredibus in numero plurali, cum tamen vbi de stricto iure in verborum formalitate immorandum esset, vnicus esset hæres, nepos scilicèt, dum ex veriori sententia, institutio vxoris hæredis vsufructuariæ, importat solum legatũ iuxtà plenè firmata *apud Merlin. decis.* 505. aliàs *decis.* 22. *par.* 6. *rec.*, & pluries *sub tit. de legit. & detract.*, ac etiam *sub altero de hæred.*, & *sub altero de fideic.*; Et sextò, quoniam ex alijs testamenti partibus cõstabat, quod etiam substitutos, ac vlteriores mediatos hæredes, sub isto hæredum vocabulo expresserat, dum idem genericum vocabulum in eius lata significatione, ipsis quoquè conuenit; Ideoquè ex his omnibus, probabilius esse credebã, vt hæc legata perpetuũ successiuum tractum habere deberent.

Maior enim dubitatio circa dictam quæstionem, an legata relicta ab instituto, repetita censeantur à substituto, cadere videtur, quando ad primò institutum, 12 per nomen proprium, ac appellatiuum dispositio directa sit, vt alibi *hoc eodem tit.* super ista quæstione aduertitur præsertim *disc.* 34.; Et nihilominùs etiam isto casu, id producit simplicẽ iuris præsumptionem in dubio attendendã, quando alia in contrarium nõ vrgeant (quod tamen nimium rarum est.)

Ideoquè omninò verius esse dicendũ est, vt in ista quęstione, eodem modo, quo generaliter in alijs vltimarum voluntatum, erroneum sit, in generalitatibus 13 principaliter immorari, quoniam decisio in singulis casibus, ex eorũ particularibus qualitate, & circumstãtijs inquiri debet, attendendo principaliter substantiam verisimilis voluntatis potiùs, quàm immorando in verborũ formulis, & grammaticalibus significationibus, siuè in regulis, & doctrinis generalibus; Idquè pluries, ac semper inculcare oportunum, imò necessarium videtur, cum in hoc nimium inualuisse videatur modernorum pragmaticorum abusus in contrariũ, pro meo sensu, perpetuò damnandus; Id etenim producit in ista facultate tot æquiuoca, & confusiones in dies maiores, non distinguendo casuum, vel circumstantiarum diuersitatem, diuersamq; rationem, & à qua distinctione pendet cõgrua applicatio, seù decisio, cum in hoc tota versetur Iudicantis, vel Consulentis peritia; Doctrinarum etenim, & allegationũ consarcinatio, etiã ineptis copiam temporis, & librorum, ac patientiæ habentibus, nimium hodie est facilis, sed punctus est in benè distinguendo triticum à palea, quod non omnibus conceditur.

ROMANA

LEGATI, seù ONERIS

PRO

ARCHICONFRATERNITATE SANCTISSIMÆ TRINITATIS PEREGRINORVM

CVM

BARTHOLOMÆO CEDRONO.

Responsum pro veritate.

An cõditiones, vel onera legato adiecta, quæ sint adeo præiudicialia, vt non expediat legatario acceptare vitient legatum, vel potiùs vitiata remaneant, ac pro non scriptis habeantur, ideoq; legatum adhùc debeatur.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Voluntas testatoris non potest diuidi, atque pro parte acceptari, & pro parte non.*
3 *Quod in vltimis voluntatibus conditiones à iure reprobatæ vitiantur, secus in contractibus.*
4 *Munus Procuratoris, & Ministri confidentiarij est quandocumque reuocabile.*
5 *De captatoria, vel dispositione, quæ cum ea similitudinem habeat.*
6 *Vbi voluntas est certa, illa debet naturaliter per Ecclesiam, vel piam causã seruari.*
7 *De differentia, vbi conditio ab initio inest legato, vel quando illi puro adijcitur ex intervallo.*
8 *Grauiter infirmi plura dicunt ad suggestionem præter intentionem.*
9 *De verisimili voluntate testatoris, quod si cogitasset ad oneris præiudicium non adiecisset, ac etiam legasset, & dantur similia.*
10 *Ademptio est odiosa, & strictè capienda.*
11 *Exitus causæ.*

DISC. XLIII.

IN testamento legauit Antonius Confraternitati, cui erat adscriptus, loca 20. montium, adiecto solùm onere modici numeri missarum singulis annis; In codicillis autem, ad biduum, ac penè in mortis articulo conditis, aliud addidit onus, vt Confraternitas teneretur Bartholomæo nepoti conferre munus exactoris in capite eius redditum, cum mercede, seù salario dari solito; Sin minus in eiusdem Bartholomæi facultate esset, aliam Ecclesiam, vel pium locum in dicto legato nominare; Cumquè ex prudentialibus, & æconomicis motiuis, dictæ Cõfraternitatis nimium qualificatæ Administratores iudicarent non expedire huiusmodi onus adimplere; Tùm quia munus erat magnæ confidentiæ; Tùm etiam ob huiusmodi malam introductionem, vt ità captari possent Confraternitatis officia, seù munera; Hinc propterea plures desuper consuluit Aduocatos, quid expediret, et an respuendo dictum onus, legatum assequi posset.

Alter Aduocatus credebat, vt legatum diuidi non posset, sed vel esset in totum acceptandum cum sua causa, vel in totum repudiandum; An autem expediret vnum, vel alterum eligere, id non pendebat ex puncto iuris, sed ex alijs prudentialibus, & æconomicis motiuis, de quibus ad ipsos Administratores, non, autem ad Iurisconsultos inquirere pertinebat.

Mouebatur autem dictus Respõdens, ex generali, nimiumquè vulgato axiomate, de quo *in S. disponat auth. de nupt.*, vt testantium præcepta pro lege seruanda sint, ac etiam ex altero axiomate, quod vnus & idem actus non potest pro parte approbari, & pro parte reprobari, vt in specie conditionum, quæ in legatis, alijsquè vltimis voluntatibus adijciuntur, habemus integros titulos; *De condit. institution.*; *De condit. adiectis &c.*; *Et de instit. & substitut.*; Eodemquè triplici *tit. de legat. 1. 2. & 3.*

Et quamuis ipse admitteret verum iuris principium, de quo particulariter, ac plenè actum habetur *sub tit. de testamen. disc. 73.* deductum ex text. *in l. 3. ff. de condit. & demostr. l. 1. ff. de condit. instit.* vbi *Bart.* & alij communiter *l. reprehendendo Cod. de instit. & substit.* cum concordantibus, de quibus *dicto discur. 73.*, quod in vltimis voluntatibus, conditiones impossibiles, vel turpes non vitiant, sed vitiantur, eisquè pro non scriptis habitis, legatum validum est, ac debetur, cũ in hoc differant vltimæ voluntates à contractibus, vt in istis indiuiduum voluntatis rigorosè attendatur, magisquè strictè procedatur, in illis autem ex præsumpta mente testatoris fiat magis benigna interpretatio, vt *eodem disc. 73. de testament.*; Nihilominùs eius difficultas erat in applicatione, quod scilicèt ista conditio non videretur impossibilis, nequè turpis, vel inhonesta, seu aliàs de iure reprobata, cum ageretur de munere inferiori, & mecanico proportionato personæ, et cũ iam per locum retineretur exactor tanquam necessarius, neque alteraretur solitum salarium, et consequenter id aliud non contineret

nisi

nisi simplicem gratificationem assumendi in eodem munere, magis vnam, quàm alteram personam.

Diuersa fuit mea sententia, vt scilicet, potius intraret dicta iuris regula, pro cõditionis, seu oneris vitiatione, quodquè ista conditio inhonesta esset, ac de iure improba, ideoquè vitianda, ac habenda pro non scripta, eaquè non obstante, legatum debitum esset.

Mouebar; Tum ex circumstãtijs facti, ex quibus in omnium sensu ista reputabatur mala, & pernicioſa introductio, ideoquè potiùs expediebat legatum repudiare; Tum etiam quia, cum munus huiusmodi procuratoris, & exactoris, reputetur summę fiduciæ, illud de sui natura debet esse liberum, & quandocumquè reuocabile, adeoùt nequè contractus expressus, atquè de sui natura obligatorius ad id obliget, iuxtà vnam opinionẽ, quam sequuta est *Rota in Romana æconomiæ*, de qua habetur actum *libr. 7. tit. de tutor. & administr. disc.* 20., vbi concordantes; Igitur multò minus dicebam vt obligatoria esse non debeat vltima voluntas, in qua iuxtà supra insinuatam distinctionem, longè magis benignè proceditur.

Et fortiùs quia, cum hic minister, seù officialis, magnum peculium administrare debeat, ità posset societatem notabiliter damnificare, eiusquè exigendas pecunias consumere, aliisquè vsibus erogare, vndè propterea dicebam quod ista dici posset dispositio captatoria, de qua *sub tit. de testam. disc.* 42.; Vel quod quamdam similitudinem cum ea contineret, et cõsequenter vt dicenda esset conditio à iure improbata.

Quamuis autem crederem, quod de stricta iuris censura hæc aliquam probabilitatem haberent, atquè in iudicio subsistentabilia essent; Attamen, vbi constaret certitudinaliter, quod talis esset præcisa, & determinata voluntas testatoris, quia nempè aliàs legatum non fecisset; Tali casu in eamdem sententiam ego quoquè deuenissem, vt legatum, vel acceptãdum esset cum tali onere, vel respuendũ, cum in eo semper fuerim sensu pluries insinuato, vt Ecclesia, vel pia causa, debeat magis attendere solam veritatem naturalem, atquè nolle ex quibusdã subtilitatibus iuris positiui, captare aliena inuito domino; Solumquè vt alibi *hoc eod. tit.* aduertitur, piæ causæ fauor operatur circa benignam interpretationem voluntatis, quando hæc ambigua sit.

Verùm fauore legatarij pro reiectione oneris magis me monebant contrariæ facti circumstantiæ, ex quibus probabiliter testatoris voluntas esset potiùs in oppositum, dum onus, vel conditio adiecta non erat in ipsa met prima dis- 7
positione, adeoùt dicenda veniret conditio natiua, atquè ab ipsa ordinatione insita, redolens indiuiduum voluntatis, dũ legatum in sua ordinatione facta in testamento condito in statu magis valido, & quando melior erat intellectus operatio, erat purum, illudquè suam probabilem habebat causam magnæ affectionis, quam idem testator habebat erga adeo pium opus, in quo ipse longo temporis interuallo, tanquam vnus ex cõfratribus, cum nimia charitate, ac frequentia se exercuerat; Codicilli autem iniri erant penè in articulo mortis, ipsoquè Bartholomæo præsente, quo casu præsumitur, vt ad eiusdem sugestionem id factum esset 8
ex deductis *apud Capyc. Latr. consult. 93. num.* 40.; Quoniam vt pluries aduertitur in dicta sua materia *sub tit. de testam.*, grauiter infirmi, ac morti proximi, ex vi morbi, ac mortis cogitatione turbati, vel oppressi, non benè discurrentes quid agant, vel dicant, omnibus respondent affirmatiuè.

Et nihilominùs, vbi etiam admittendus non esset hic intellectus, qui aliquã redolere videtur speciem delicti, ac turpitudinis, sed dicendum esset, vt ista conditio, ex sincera testatoris voluntate proueniret; Adhùc tamen, probabilius dicendum esse credebam, vt ità disponeret, eò quia crederet, quod conditio 9
congruè impleri posset, nequè exindè superius insinuata inconuenientia resultarent, quodquè si ad id aduertisset, verisimiliter eam non adiecisset, vel remisisset; Ad instar eorum quæ habemus ad materiam textus *in l. si vnquam Cod. de reuocand. donat.* super resolutione donationis ob superuenientiam filiorum; Siuè (magis proximè) quæ habemus de omnimoda irritatione testamẽti ex causa præteritionis ignoranter factæ etiam respectu legatorum, adeoùt non intret dispositio *Authentic. ex causa Cod. de liber.*

liber. præterit., vt in dicta sua materia *de testamen.* aduertitur, quoniam, tàm in vno, quàm in altero, vel in alio simili casu, intrat consideratio, àn ex facti circumstantijs, verisimilis testantis voluntas desumi valeat, vt hoc non obstante, adhùc legatum, vel aliam dispositionem fecisset.

Ponderando quoquè in idem ea, quæ pluries *hoc eodem titul.* insinuantur circa odibilitatem ademptionis non præsumendæ, ac difficilius inducendæ, et sic
10 quod magna differentia sit inter casum, in quo ista esset vnica dispositio, cui ab initio huiusmodi conditio inesset, tanquam natiua, & in ipsa sui origine insita, cum tunc probabiliter dubitari posset, vt istius conditionis implementum fuisset primarium in intentione testatoris, atquè dispositionis causa finalis, vel saltem principaliter impulsiua; Et casum controuersiæ, in quo constabat, quod dispositio in sui origine erat pura, & principaliter ordinata erga pium opus, non solum ex legis generali præsumptione, sed ex dictis particularibus facti circumstantijs id nimium probabiliter suadentibus; Onus autem ex interuallo adiectum erat cum dictis circumstantijs aliquam suspicionem, seù malam faciem redolentibus, illudquè ademptionem ità importabat; Atquè cum his considerationibus, & particularibus facti circumstantijs, indagando substantiam verisimilis voluntatis testatoris, huiusmodi quæstiones decidendæ veniunt, potiùs quàm cũ regulis, ac propositionibus generalibus.

Quia verò legatarius præuidens difficultates adierat Congregationem Fabricæ Sancti Petri, eamdemquè in casu non implementi nominauerat, libenterquè nominatio acceptata fuerat, nisi societas, intra certum terminum, legatum
11 cum sua causa acceptaret; Quamuis probabiliter sperari potuisset, præsertim à Congregatione Generali, iustitiæ complementum proùt de iure, omni eiusdem Fabricæ vtilitate, vel interesse postposito; Attamen ex prudentialibus motiuis, ego quoquè in eam deueni sententiam, vt non deducendo ad praxim dictam conditionem, cum aliquo honesto concordiæ temperamento eiusdem conditionis remissio à præfato interessato obtineretur, atq; ità credo sequutum esse, cum amplius de controuersia actum non audierim.

MARSICANA

LEGATI

PRO

THOMASETTIS

CVM

PP. SCHOLARVM PIARVM.

Casus disputatus coram Arbitris, postea concordatus.

Demandata per testatorem erectione alicuius Monasterij in domo eius habitationis, àn ipsa domus legata censeatur, & quomodo, quatenus nõ ibi, sed alibi Monasterium fundaretur; Et quid si domus, pleno iure non spectaret ad testatorem, àn hæres teneatur eam redimere, vel soluere æstimationem legatario.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De vsuris legatorum remissiuè.*
3 *Testator legare potest rem hæredis, sin aliàs de ea disponere, & quãdo secus.*
4 *An legata re aliena, debeatur æstimatio remissiuè.*
5 *De axiomate quod actore non probante, reus absoluitur, & de alijs similibus.*
6 *Legatum factum cum certo præsuppositio, seu cum certo fine, non debetur isto*

ipso cessante.

7 *Si mandetur erigi Conuentum in prædio, non per hoc ipsum prædium totum legatum censetur.*

8 *Si quis mandet ex eius bonis erigi Monasterium, istud censetur hæres institutus.*

9 *Institutio hæredis fit per quæcumq; verba vniuersitati adiecta.*

10 *Legato reddito, censentur legata tot bona illum fructantia.*

11 *De conclusione de quanum.8., & quando secus dicendum sit.*

12 *De materia fructuum rei legatæ, & de differentia inter legatum speciei, & quantitatis &c.*

DISC. XLIV.

IVxta seriem de qua in hac eadem causa *sub tit. de vsur. disc.*29., legatum factum per N. Thomassettum scutorum 10. m. pro erectione Conuentus Religiosorum in patria, plures produxit cõtrouersias; Primam nempè inter istos PP. Scholarum Piarũ, & Siluestrinos, cui potiùs illud cõgrueret, & de hoc habetur *sub tit. de Regular. in Miscellan. Ecclesiastic. disc.*34.; Et secundò post Victoriam à dictis PP. Scholarum Piarum reportatam, cũ hæredibus testatoris super legati implemento, quod plures habebat inspectiones, seù punctos, quorum aliqui consistebant in nudo facto; Duo autem potissimùm consistebant in iure; Primò scilicèt, an pro dicto legato quantitatis deberentur vsuræ illius medij temporis, in quo implementum dilatum fuit; Et secundò cum testator mãdasset, vt Conuentus erigeretur in domibus eius habitationis, quarum aliqua pars tãtùm erat ad eius liberam dispositionem, altera verò pars tanquam emphyteotica pacti, & prouidentiæ, transierat ad eosdem hæredes tanquam agnatos iure proprio; An ipsi tenerentur, ob qualitatem hæreditariam, totam domũ præstare, vel eius æstimationem, nec non restituere pensiones seù fructus medij temporis; Cumquè istæ differentiæ compromissæ essent in duos Prælatos Partium beneuolos, post aliquas disputationes coram eis habitas, honesta concordia ipsas terminauit.

De primo puncto cõcernente fructus, seù vsuras dicti legati quantitatis, habetur actum *dicto disc.* 29. *de vsur.*, tanquam in propria sede, idquè priusquam quam istæ disputationes habitæ essent, occasione scribendi pro veritate, siuè occasione molestiarum Tribunalis Fabricæ S. Petri. 2

Quatenus igitur pertinet ad alterũ pũctũ legati domorũ; Dicebam ego scribens pro hæredibus (etiam in sensu veritatis) quod quãdo ageretur de noua fundatione, quam Religio actrix, ad normam desiderij, seù voluntatis testatoris facere vellet in his domibus; Tũc pro illa earũdem domorum parte, quæ necessaria, imò iudicis arbitrio congrua, seù oportuna esset, tenerentur id pati, non obstante iure proprio, quod in vim inuestituræ emphyteoticæ in maiori parte habebant, ex recepta conclusione, de qua pluries *sub tit. de fideicom.*, ac etiam sub altero *de testam.*, & sub altero *de legitima, & detractionibus*, & forsan alibi hoc eodẽ titulo quoque insinuata, quod testator legare potest bona propria hæredis, seù aliàs de eis disponere, saltem ad mensuram, seù proportionem virium suæ hæreditatis, eiusquè emolumenti; Quodquè ex magis communi, & recepta opinione, regula *textus in l. cum à matre C. de rei vendicat. & l. vendicantem ff. de euict.*, vt hæres ratum habere teneatur factum auctoris, illudquè præcisè, ac in forma specifica adimplere, procedat etiam in bonis proprijs, vel ex propria persona sibi competentibus; Quoties tamen non obstet ipsa qualitas bonorũ, quę nõ sint in cõmercio absquè certa solemnitate, vndè propterea etiam hæredi licentia tribuatur impugnandi factum auctoris, vt præsertim contingit in feudis, vel illis bonis, quæ sint de Regalibus; Vel quod expressa hominis prohibitio siuè etiam prohibitio implicita per legem subintellecta, ratione dilectionis, & desiderij testatoris, aut conspicuæ qualitatis ipsorum bonorum, huius regulæ limitationem non inducat, vndè propterea intret altera quæstio, an debeatur æstimatio iuxtà insinuata *hoc eod. tit. in Ianuen. disc.*1. 3 4

Difficultas verò intrabat, quod ijdem Religiosi contemnentes in hac parte votum testatoris, pro maiori oportunitate (cum auctoritate tamen superiorum), aliũ ele-

elegerant locum fundationis Cõuentus, vndè propterea ista domus petebatur ad lucrum, seù legati impinguationem, pro bursali emolumento in redditu, quatenus eam retinere vellent, vel in pretio in casu venditionis; Atquè in hoc, licèt pro diligentijs tunc habitis, per Scriben. tes hincinde, casus non dedisset inuenire DD. qui ad hos præcisos terminos descendant; Attamen ego dicebam, quod
5 magis fundata videretur intentio hæredum, quibus tanquam reis conuentis sufficit vincere per non ius actoris iuxtà vulgarem regulam textus *in l. actor Cod. de probat.*, de qua *apud Mantic. decis.* 241. *Gregor. & Add. dec.* 228. & passim; Eamq; habere locum quoque in beneficialibus, alijsquè iuribus ecclesiasticis, vel spiritualibus, habetur pluries *sub tit. de benef.*; Siuè quod intraret vulgare, & quotidianum dicterium *Io. Andr. in addit ad speculator.*, de quo pluries *sub tit. de fideic.*, nempè *fideicommissum de te non loquitur*; Aut dicterium *Baldi*, vt id quod instrumentum, vel testamentum nõ cantat, nequè ego cantabo, cum similibus.

Substantia etenim legati per viam dispositiuã, residebat in præstatione scutorum 10. m.; Domus autem stabat solùm demonstratiuè, seù præsuppositiuè, pro loco constructionis, quatenùs ista ibi
6 sequeretur; Et consequenter, dicebam quod intrabat altera vera, & recepta propositio iuris, vt quælibet dispositio facta cum certo præsupposito, subsistat quatenus istud quoquè subsisteret; Siuè quod facta pro certo fine, eatenus locum habeat, quatenùs iste impleatur; Et sic quod hæredes ità præstare deberent patientiam, atquè se opponere non possent voluntati, seù desiderio testatoris, quatenùs Religiosi prædicti, erectionem in hoc loco facere vellent, idquè pro sola parte ad id necessaria, vel oportuna, non autem quod isto fine non adimpleto, ipsę domus censerentur legatæ ad emolumẽtum bursale.

Ad quod probandum ponderabam, quod vbi ista Religio primo loco vocata, nollet, vel non posset hanc fundationem facere, testator subsidiariè vocauerat illam Capuccinorum, istisquè fundare volentibus, stante eorum institituto viuendi extrà mœnia seù habitatum, testator alium locum destinauerat in quadam
7 eius tenuta, seù magno prædio, quod vtiquè dici non poterat, vt totum veniret sub legato, sed solum, id importaret, vt hæredes, quamuis solo iure hæreditario idem prædium possidentes, in eo dictam fundationem pati tenerentur, atquè tantam assignare terreni partem, quanta necessaria, vel oportuna esset pro Conuẽtu, ac proportionatis hortis, & officinis; Ità à pari.

Scribentes in contrarium pro actoribus, totum fundamentum constituebant in doctrina *Baldi, & Imolæ in l. 1. ff. de*
8 *testam.*, illam, pragmaticorum more nimiùm magnificando tanquam specialẽ; Verùm aduertebam quod hæc doctrina extranea videbatur à casu controuersiæ; Dicunt enim prędicti DD. (& benè) quod si testator, nullo scripto hærede, mandet, vt de eius bonis erigatur Monasterium, tũc istud dicitur institutus hæres, quodquè ità per hunc modum loquendi, implicita institutio vniuersalis facta dicitur; Id autem nil commune habet cum casu, cum id proueniat ex diuersa ratione alibi *hoc eodem tit.*, & sub altero *de hæred.*, & *de testamen.* insinuata, quod
9 per ius nouũ, sublatis superstitiosis subtilitatibus iuris antiqui, hæredis institutio fieri potest per quæcumque verba, quæ bonorum vniuersitati adiecta sint, quamuis obliqua, ac etiamsi iure legati.

Deducebant quoq; doctrinam *Rom. cons.* 63. *num.* 3. *lib.* 2., quæ pariter extranea erat, dum continet conclusionem ali-
10 bi *hoc eodem tit.* insinuatam præsertim *disc.* 21., vt facto legato alicuius annui redditus, legata censeantur tot bona, quæ reddant illum fructum ad materiam textus *in l. si quis argentum Cod. de donat.*, sed pariter id extraneum erat à casu controuersiæ.

Concipiebam ego aliquam probabilẽ dubitandi rationem (per Scribentes tamen in contrarium non deductam) quod cum pro fundatione alicuius Conuentus necessaria sint ædificia, quoties ista iam-
11 habeantur, minor sumptus requiratur pro eiusdem ædificij reductione ad vsũ Religiosorum; Et consequenter, quod ideo testator sufficientem crediderit dictam summam scutorum 10. m., quia prouisum ità credebat cum hoc ædificio materiali, sine quo maiorem summã probabiliter reliquisset, quodquè ità im-

pli-

plicitè, seù præsuppositiuè, istæ domus venirent sub legato, eiusquè pars essent, istaquè consideratio aliquam mihi inferebat difficultatem; Pro ea tamen euitanda (quatenus excitaretur), considerabam, quod vbi, neque ista Religio, neque altera Capuccinorum per ipsum testatorem vocata, hanc fundationem facerent, tunc idē testator vocabat eam Religionem, quam Communitas loci eligeret, & quæ iam elegit illam Siluestrinorum, vt aduertitur *dicto tit. de Regular.*; Istoquè casu, nullam de loco, vel domibus mentionem fecit, sed solùm dictam summam scutorum 10. m. præstari voluit, vndè propterea desumebam argumētum, quod mentio domorum non fuit causa summæ minoris, quodquè aliàs summa maior relicta fuisset, sed potiùs quod stante huius Religionis instituto, circa pauperū puerorum instructionem, pium testatoris desiderium esset, vt hoc opus ab eo exoptatum in patria, impleretur in loco, in quo, ob eius habitationem in vita, aliquā habebat affectionem, ideoquè adesset dictum implicitum legatum patientię, quatenus finis ab eo desideratus impleretur, & non alias.

Hinc de consequenti resultabat decisio alterius puncti fructuum, quoniam si
12 domus non veniebat sub legato, vtique vanum erat prætendere fructus sine sorte, ac accidentia sine substantia; Si verò è conuerso domus sub legato veniebat, cum tunc ageretur de legato speciei præsertim fauore Ecclesiæ, vel piæ causæ, cuius fauore dominium ipso iure, ac recta via in eam transit, admittebā quod fructus sibi deberentur, vt distinguendo inter legatum speciei, & legatum quantitatis in hac materia fructuum, vel vsurarū legati aduertitur *dicto tit. de vsur. eodem disc.* 29. & in alijs ibidem.

EVGVBINA

LEGATI

AD PETITIONEM

HAEREDVM LÆLII DE FONTIBVS.

Responsum pro veritate.

An legatum factum de fructibus aliquorum bonorum, sit perpetuum, ac transmissibile ad hæredes, vel potiùs personale, vndè terminetur cum vita legatarij.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Bona possunt esse vnius, & fructus possunt esse alterius etiam in perpetuum.*
3 *Quod legatum fructuum sit idem, ac illud vsusfructus, & num. 6.*
4 *De dictione* vltrà *quid importet.*
5 *Discretiuus modus loquendi probat diuersam voluntatem.*
6 *De eadem conclusione de qua num. 3.*
7 *De verbis personalitatem denotantibus.*
8 *Quando procedat conclusio, de qua num. 2.*
9 *Quomodo Aduocati debeant se gerere in Consilijs, quæ ab eis petuntur &c.*

DISC. XLV.

1 TIberius de Fontibus, in notabili asse ex eius virtute parto, hæredes instituit plures ex fratre nepotes, quorum primogenito (qui Lælius appellabatur) legauit fructus aliquorum locorū montium, ratione adiecta, vt melius eius decorem substinere posset; Quare sequuto dicti Lælij obitu, inter eius hæredes, ac illos Tiberij, orta est controuersia, an istud legatū, cum vita legatarij cessasset, vel potiùs ad eius hæredes transmissum esset, suamquè durationem haberet; Atquè desuper ex parte dictorum hęredum

Lælij pro veritate consultus, Respondi præcisè, vt sequitur.

Pro transmissione plura faciunt; Primò, quod non implicat, vt alicui soli rei fructus perpetuò, ac transmissibiliter acquirantur, eiusdem rei dominio penès
2 alterum existente, adeoùt detur dominium fructuum, contradistinctum à dominio ipsius rei, seu causæ productiuæ, ex deductis *apud Grat. discept. 839. nu. 21. & 22. Ann. alleg. 104.* & firmauit *Rota in Tiburtina castrorum 1. Octobris 1662., 13. Iunij 1663., 9. Iunij 1664., & 9. Februarij 1665. coram Beuilaqua*, in quibus agitur solùm de difficultate resultante à dispositione textus *in l. antiquitas, C. de vsufr.*, an scilicèt hoc dominium esse possit perpetuum, vel solùm ad primos, aut aliquos hæredes limitatum ob inconueniens, nè proprietas perpetuò inutilis remaneat, & de quo casu agitur *sub tit. de feud. disc. 62.*; Ideoquè quidquid sit de ista difficultate, certum videtur, vt non exindè quod dispositio de solis fructibus loquatur, ità de sui natura terminetur cum vita, dum simul stare possunt, vt sit de solis fructibus, & tamen sit transmissibilis.

Et quamuis in plerisque iuribus inferiùs allegandis, expressè disponatur, vt idem importet legatum fructuum, ac illud vsusfructus, de cuius natura est, vt
3 cum vita terminetur; Nihilominùs dicta iura procedunt, vbi de annuis fructibus dispositio concepta sit, adeoùt, ex illa annuali distributione potiùs, quàm ex natura dispositionis fructuum, hic effectus resultet.

Secundò, quia testator dixit facere hoc prælegatum, vltrà portionem hæreditariam eidem Lælio relictam; Dictio
4 autem *vltrà* importat repetitionem qualitatum præcedentium, vt ex *Decio*, & alijs plenè habetur collectum *per Barbos. dict. 428. num. 3*, eiusq; naturæ est omnia æqualiter determinare, vt ex *Bero. cons. 204. nu. 44. lib. 1. Surd. dec. 285. num. 12. in princip.*, vndè cum hereditaria portio sit absq; dubio perpetua, & transmissibilis, talis etiam videtur hæc alia dispositio, eodem iure per dictam dictionem regulanda.

Tertiò fortiter, ex discreto modo loquendi, quo testator vsus est, quoniam, vbi voluit legatum terminari cum vita legatarij, id expressit, vt liquet ex lega-
5 to annuorum scutorum 12. relicto Hippolytæ sorori ibi, *mentre la detta viuerà, e che seguita la sua morte, cessi il pagamento*; Igitur quando voluit, vt legatum esset temporale cum vita terminandum, id expressit, signum clarum quod diuersimodè voluit, vbi non dixit *ad text. in l. vnic. §. fin autem, C. de caducit. tollend.*, & est axioma quotidianum.

E conuerso plura in contrarium vrgent; Primò nempè illud verbum *annualmente*, fructuum legato adiectum, per quod legatum fructuum ab illo vsusfru-
6 ctus non differre litteraliter disponitur *in l. si quis ità 23. ff. de vsufruct. & l. cum ità 41. ff. de vsufruct. legat.*, quarum verba registrantur *per Castill. de vsufruct. cap. 29. num. 5.*; Atquè liquet ex omnibus tractantibus quæstionem, an legatum fructuum importet idem, quod vsusfructus, & de qua post magistralem traditionem *Bart. in l fundi Trebatiani ff. de vsufruct. legat.* habetur *apud Menoch. lib. 4. præsumpt. 136. Mantic. de coniect. lib. 9. tit. 5. Castill. dicto cap. 29.* & alios apud eos, quoniam dicta quæstio percutit effectum, vt legatum fructuum sit minus, quàm illud vsusfructus, non autem vt sit maius, ac transmissibile.

Secundò nimiùm vrgere videntur illa verba, *acciò possa mantenere meglio il suo decoro*, quæ videntur personalia, atque
7 respiciunt solam personam dicti legatarij, vt denotat illud verbum *suo*, *Seraphin. decis. 1337. num. 4. Barbos. dict. 397. num. 3.*

Tertiò subiecta materia, seu qualitas bonorum, quorum fructus legati sunt; Non agitur enim de castro, vel alia re
8 conspicua, cuius interest habere dominium sine fructibus ad alium pertinentibus iuxtà casum, de quo *in dicta Tiburtina castrorum sub tit. de feud. disc. 62.* cum ibi allegatis; Sed de locis montium, quorum proprietas absquè fructu omninò inutilis, ac fatua est; Si enim testatoris voluntas fuisset facere legatum perpetuum, ac transmissibile, probabiliter reliquisset ipsamet loca montium, non autem solos fructus; Multò magis adiuncto illo verbo *annualmente*, quod vsumfructum potiùs importare videtur; Ac etiam, stante dicta ratione restricta ad personam Lælij legatarij.

Ex

Ex his autem videtur, vt hæc secunda pars videatur probabilior, sed quoniam non desunt difficultates, quæ liti ansam præbere possunt, vt suprà, atquè agitur de modica re, pro qua non conuenit inter coniunctos litem haberi; Hinc proindè videtur casus aliqua honesta concordia dignus; Atquè ità credo, quod sequutum sit.

ROMANA

REDDITIONIS RATIONVM

PRO

COMITISSA MARIA CATANEA COSTA

CVM

PHILIPPO & OCTAVIO FILIIS.

Casus disputatus coram A.C., seu Prælato deputato, credo, sopitus per concordiam.

De legato facto per socerum nurui vsus gemmarum & iocalium, an cesset per dissolutionem matrimonij sequutam per mortem viri, adeoùt congruat, necnè eidem legatariæ in statu viduitatis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Legatum factum tutori, vel administratori, an cesset ob cessatam tutelam, vel administrationem.*
3 *An & quæ vestes, & iocalia censeantur donata sponsæ, necnè.*
4 *Quod in casu non adessent doctrinæ speciales, & quid tali casu agendum sit.*
5 *Sub nomine mortis venit quandoque mors ciuilis per contrauentionem.*
6 *Per transitum ad secunda vota non amittitur legatum, nisi dicatur.*
7 *An vsus gemmarum, & iocalium congruere possit mulieri viduæ.*
8 *Quando intret officium iudicis pro suppletione voluntatis testatoris in omissis.*
9 *Quod ea, quæ enunciantur, vel præsupponuntur, non importent legatum.*
10 *De regula, quod verba præsuppositiua non inducant dispositionem.*

DISC. XLVI.

1 INito matrimonio inter Benedictum & Mariam iuxtà seriem, de qua *sub tit. de dote disc. 57.*; Octauius pater, ad formam suæ promissionis, etiam sumptuosè spõsã, prouidit de gemmis, & vestibus, aliisquè sponsæ iocalibus, & ornamentis; Postmodùm autem in testamento ordinato iuxtà seriem, de qua *sub tit. de seruitut. disc. 58.* disposuit, vt huiusmodi gemmæ, ac alia vt suprà, per ipsum de proprio data nurui, post istius mortem, per quam destinatus vsus cessaret, deberent vendi, pretiumquè inuestiri iuxtà formam ab eo præscriptam ad commodum fideicommissi, vel primogenituræ; Commissa dictæ Mariæ administratione nepotum, ac domus, eidemq; legando fructus quarumdam domorum in Ciuitate Ianuæ, & de qua administratione habetur *sub tit. de tutor. & administrat. disc. 14.*; Cum autem inter matrem & filios, vel eorum alterum, essent ortæ controuersiæ super redditione rationum dictæ administrationis, vltrà plures alios punctos circà partitas dati & accepti, in facto potiùs, quàm in iure consistentes, de duobus præsertim coram Prælato Iudice deputato actum fuit; Primò nempè circà dictum legatum fructuum domorum, an esset correspectiuum ad dictam administrationem, ac substentationem familiæ sibi commissæ, vel potiùs ab hoc independenter cẽseretur factum ipsi Mariæ priuato nomine, ac ad proprium commodum; Et quate-

nùs esset iuxtà hanc secundam partem, an ab eo cecidisset ob contrauentionem præcepti testatoris cohabitandi in Ciuitate Albiganensi iuxtà seriem, de qua *apud Royas decis.*204. Et secundò circa dictam dispositionem gemmarum, & iocalium, an scilicèt ea censeretur facta cum præsuppositio durationis matrimonij, in cuius causam à testatore data fuerunt, adeoùt illo dissoluto per mortem viri, vndè propterea huiusmodi bona incongrua essent viduæ, factus esset casus præcepti testatoris, super eorum venditione, ac inuestimento pretij.

Super primo legato, cuius interpretatio pariter nudi facti videbatur, ex verbis, & contextu testamenti, quoad ea, quę iuris sunt, deducebantur hinc indè eadem, quæ ad materiam textus *in l. Nesennius ff. de negot. gest.* habentur *hoc eodem tit. disc.* 22. ac etiam *sub tit. de seruitut.* ad materiam vsusfructus *disc.* 50. & 52., an scilicèt, & quando legatum factum tutori, vel educatori, seu administratori hæredis, vel alterius, censeatur correspectiuum ad tutelam, vel administrationem seu educationem, adeoùt ea cessata, cessare debeat, ex ibi deductis, ex quibus patet, quod quæstio pariter est potiùs facti, quàm iuris, ex facti qualitate decidenda, ideoquè certam, ac generalem regulam non recipit, vt in omnibus alijs voluntatis quæstionibus contingit.

Quatenùs verò pertinet ad alterum legatum gemmarum, & iocalium; Nõ intrabat quæstio, de qua cæteris relatis habetur præsertim plenè actum *in Pisauren. iocalium coràm Arguelles impress. post Paitell. decis.* 20. & 21., & quarum posterior est etiam repetita *decis.* 340. *par.* 10. *rec.*, an scilicèt, & quando vestes, ac gemmæ, & iocalia sponsæ transmissa, censeantur donata, necnè, & de qua quæstione habetur *sub tit. de dote in supplemento*, vbi de recepta distinctione, de qua in mox allegatis *decis. post Paitell.* inter vsualia, & pretiosa festiua, quoties in vna, vel altera specie diuersæ voluntatis probationes, vel argumenta non habeantur; Quoniam planum erat, ac extrà controuersiam inter partes, vt ea donata non censerentur, sed tanquàm tradita ad solum vsum, ac ornatum, remanerent in dominio, & hæreditate Octauij; Ideoquè solus punctus erat super interpretatione legati, seu dispositionis vt suprà super eis factæ in testamento.

In his autem terminis præcisis, pro illis diligentijs, quę in huiusmodi disputationibus per Scribentes hinc indè adhibitæ fuerunt, casus non dedit inuenire doctrinas, quę ad eos descendant, istumq; punctum decidant; Quare discurrendo, (vt tali casu facere oportet) cum generalitatibus, ac ratiocinijs; Dicebam ego scribens pro Maria, quod cum testator in verbis præsuppositis vsum ad vitam dictæ mulieris, disponendo venditionem, post mortem, ità de plano intrare videretur sæpiùs enunciata regula deducta ex vulgari textu *in l. ille, aut ille ff. de leg* 3. quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta.

Et quamuis, vt aduertitur *hoc eodem tit. disc.* 32. & alibi, in huiusmodi legatis, quæ fiùt mulieribus, quãdoq; verbũ *mortis* verificetur etiã in morte ficta, vel ciuili, adeòut non semper naturalis requiratur; Attamen id procedit, quando ista sequatur ob caducitatem, quæ frequenter in mulieribus verificatur, ob transitum ad secunda vota, quoties dispositio facta sit sub conditione, seu qualitate viduitatis, vel alia similis contrauentio accedat, quoniam verbum mortis in isto etiam casu verificatur ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Menoch. lib.* 4. *præsumpt.* 65 *num.* 10. & *præsumpt.* 185. *nu.* 31. *Cruss. §. legatum quæst.* 45. *Bellon. iun. de iur. accrescend. cap.* 7. *quæst.* 18. *num.* 69. cum alijs *dicto disc.* 32.

Attamen secùs est, vbi ex parte mulieris legatariæ nulla contrauentio accedat, quoniam tunc mutatio status per mortem viri, vt potè ex eius parte non culposa, hunc effectum causare non debet, dum verius est, vt etiam ipsemet transitus ad secunda vota hunc effectum non producat, neque cessare faciat legatum, etiam à viro, vel socero factum, nisi constet de diuersa voluntate illud faciendi sub conditione viduitatis, ac permanentiæ in eo statu, & non aliàs, vt *ex Bart., Aretin., Natt., Mantic.* & alijs plenè firmatur *per Rot. decis.* 95. *num.* 4. & 5. *par.* 12. *recen.* & pluries in alijs, & præsertim *in Firmana vsufructus*, de qua *sub tit. de seruitut. disc.* 50.

Ideoquè non videbatur subesse congrua ratio, ob quam istud legatum factum

ctum ad vitam, ista durante, cessare deberet, quoniam licèt vsus huiusmodi bonorum incongruus esset viduæ, attamen dicebam (atq; Iudex admittebat), vt incongruitas, imò & turpitudo percutteret quidem vsum, ad illum ornatum parentem, qui mulieribus nuptis congruus est, nullibi autem prohibitus videretur ille modestus & occultus vsus, qui, dum vidua est in domo cum solis ancillis, ad animi exhilarationem habeatur, siue etiam subtùs vestes viduiles, vt in plerisquè viduis, citrà scandalum, praxis docet quasi quod viduitatis quoddam solatium id esse videatur.

Quamuis autem præmissa deducerem more Aduocati scribentis ad causæ, & clientis oportunitatem; Reflectendo tamen ad veritatem, mihi cõtrarium probabilius videbatur (vt ingenuè pro stylo causæ Patrono, seu agentibus pro eadem muliere insinuabam) ideoq; consulebam, vt actoribus alijs parùm iustis prætensionibus cedentibus, ipsa huic cedere deberet saltim ex quodam æquitatis, vel cõgruentiæ motiuo fundato in regula, *vt quod vni non nocet, & alteri prodest &c.*, dum reuerà ista prudens matrona, neque dictum occultum vsum ad aliquod solatium, vel oblectamentum habebat; Et cõsequenter videbatur species iniquitatis, seu æmulationis cõtrà proprios filios retinere donec viueret in arca inutiliter huiusmodi bona, impediendo notabilem vtilitatem, quæ eius vita durante reportari potuisset ex fructifero inuestimento, ad normam præcepti testatoris, ex eorumdem bonorum pretio faciendo, vndè propterea tanquam in casu omisso, verisimiliter tamen in mente testatoris habito, aduertebam, vt prohibitum non videretur Iudici eius officium desuper interponere, ità testatoris voluntatem supplendo, iuxtà eam suppletionem, de qua habetur præsertim actum *subtit. de fideic. disc.* 115. & alibi.

Et clariùs, quoniam benè ponderata ista dispositione testamentaria, ea reuerà non continebat in hac parte legatum, vel dispositionem aliquam fauore dictæ mulieris (adeout admirationem conciperem, quod scribentes in contrarium id non aduerterent), quoniam dictæ nurus vsus, enunciatus potiùs fuit præsuppositiuè, non vt ei aliquod nouum legatũ fieret, seù liberalitas cũ ea exerceretur, aut nouũ, ac maius ius, quã habebat ei tribueretur, sed cum testator in apoca, vel instrumento dotali promisisset subministrare sponsę gemmas, aliaquè ornamenta, vndè propterea ob illud secũdariũ ius, quod ipsi mulieri durãte matrimonio pro eius vsu, ac ornatu competebat, idem testator non potuisset, ipsa muliere inuita, huiusmodi bona reassumere, ac distrahere, neque in testamento id præcipere; Hinc proindè huius prohibitionis conscius, ità præsupponendo id, ad quod tenebatur, enunciatiuè seu præsuppositiuè posuit in conditione vitam nurus, quoniam cum homines facilè credant, vel supponant id quod sperant, idcircò non cogitauit ad tristem euentum dissolutionis matrimonij per mortem eius filij, sed potiùs per mortem nurus, & nè alàs, ista sequuta, ipse filius, ac vir respectiuè, de cuius prudentia dubitabat, ista bona dissiparet, ideoquè ità disposuit, ac prouidit.

Et consequenter *ista dispositio, non fuit principaliter ordinata ad fauorem* nurus, adeoùt legatum contineret (vt malè, pro meo iudicio supponebatur), sed *principaliter ordinata fuit ad fauorem* hæredis, pro dicto inuestimento pretij; Vsus autem mulieris enunciatus fuit præsuppositiuè, tanquã cõnaturalis, ac necessarius, qui ab eo prohiberi nõ poterat; Ideoq; intrare videbatur receptũ axioma, seù propositio, quod qui præsupponit non disponit, neque verba præsuppositiua dispositionem inducunt *Clementin. 1. de præben.*, cum concordan. *apud Gregor. decis.* 208 *nu.* 2. *vbi add.*, benè *Rouit. super pragm. 1. de titul. abus. n.* 83. *& seq.*, *Rot. decis.* 62. *post collect. Bonden.* & læpiùs; Atq; ità credo, quod cum honesto concordi temperamento super alijs, controuersia finem habuerit.

NAR-

NARNIEN.

BONORVM

PRO

CAROLO ALBERTO

CVM

ANTHEA SORORE.

Casus disputatus coram A.C., in hac parte resolutus pro Carolo.

An liberatio generalis à redditione rationum, & à quacumq; alia actione, per vxorem legata viro, qui eiusdem vxoris bona extrà dotalia administrauit, importet etiam liberationem à debito restitutionis dotis.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De modo decidendi has quæstiones super interpretatione legati.*
3 *An prohibitio detractionis dotium capiat dotem ab ipso testatore debitam, & num. 8.*
4 *Inquirenda est substantia voluntatis, & non immorandum in verbis.*
5 *De distinctione inter testatorem litteratum, & illitteratum.*
6 *Vir non est debitor, neque administrator dotis consistentis in quantitate constante matrimonio.*
7 *Liberatio legata à debitis cum expressione causæ, ab illa restrictionem recipit.*
8 *De eadem conclusione, de qua num. 3.*
9 *De coniecturis, vel circumstantijs voluntatem testatoris suadentibus.*
10 *Quod in coniecturalibus, verisimile, vel inuerisimile principaliter attendi debeat.*

DISC. XLVII.

1 VTriusq; parentis testamenta, inter istos fratrem, & sororem, multas produxerunt lites coram A.C. disputatas, variéq; decisas, præsertim verò istam super interpretatione legati liberationis, quam vxor viro fecerat, an scilicet debitum restitutionis dotis comprehenderetur, atque pro non comprehensione iudicatum fuit ad fauorem Caroli; Cum etenim, contracto inter Albertum, & Magdalenam matrimonio, cum dote in quantitate scutorum 3000., in partis solutionem, quidam census assignati fuerunt, matrimonio autem constante, ad fauorem Magdalenæ aperta esset illa intestata successio, in qua prodierunt adeò celebres decisiones *Narnien. bonorum coram Merlino*, quarum mentio pluries habetur *sub tit. de success. ab intestato*, vtpotè circumferri solitæ tanquam magistrales super vtraque copularia subiectione personarum & bonorum stanto fœminarum exclusiuo, ac etiam ad eumdem effectum super dotationis qualitate; Vndè propterea magnas expensas pro huiusmodi lite substinenda Albertum virum facere oportuit; Deindèque post victoriam aliqua bona ex huiusmodi successione obuenta distracta sunt pro dictarum expensarum reintegratione, seù pro dissoluendis debitis ex eadem causa contractis; Hinc proindè mulier prædecedens viro, institutis filijs masculis, cum perpetuo successiuo fideicommisso, priùs in linea masculina, deindèque fœminina, & demùm fauore cuiùsdam generis transuersalium, viro (quem vsufructuarium quoquè reliquit) amplissimum fecit legatum liberationis à quacumquè redditione rationum ex causa administrationis eius bonorum, ac etiam de omni & toto eo, cuius ipse esset debitor, tam ratione fructuum perceptorum, quàm ex causa alienationis quorumcumque bonorum & effectuum, assignata ratione, vt quidquid exindè perceptum fuisset, vel ipsi testatrici à viro manualiter datum, vel de eius voluntate, ac mandato pro litibus, alijsquè occurrentijs expensum esset,

Cumquè

Cumquè posteà vir decedens, pariter aliquas fecisset dispositiones Antheæ filiæ fœminæ nimiùm fauorabiles, quæ liti causam dederunt; Hinc proindè Carolus, qui, ob aliorum masculorum naturalem, vel ciuilem præmorientiam, erat vnicus matris hæres, petebat à paterna hæreditate priùs detrahi dictum debitū dotale ad fauorem hæreditatis maternæ, soror autem excipiebat de dicto legato liberationis à quocumquè debito, sub quo istud quoque creditum comprehensum esse prætendebatur, sed meritò prętensio reiecta fuit.

In disputationibus autem desuper habitis, cum nullus caderet iuris articulus in abstracto, tanquam in quæstione voluntatis, idcircò omnia, quæ hincindè deducebantur, iuxtà ferè generalem naturam controuersiarum sub ista materia cadentium, percutiebant interprætationem verborum legati, ac pondus præsumptionum, & coniecturarū pro testantis voluntate desumenda; Scribentes etenim pro sorore prætendente inclusionem huius debiti sub legato liberationis, principale fundamentum constituebant in amplitudine verborum vniuersalium, atquè in generalibus regulis, vel axiomatibus iuris, super eorumdem verborum operatione, quodquè verbū vniuersale, *omnes*, omnia complectatur, quodq; qui totum dicit nihil excludit; Ponderando etiam ea, quæ habentur firmata in aliquibus decisionibus æditis *in Romana fideicommissi de Alberinis sub tit. de legitim. & detract. disc.* 31., in proxima quæstione, an scilicèt prohibitis per fideicommittentem hæredibus grauatis quibuscumq; detractionibus etiam ex causa dotium, ità prohibita censeretur etiam detractio debiti ex causa dotis matris ipsorum hæredum, ipsiusquè testatoris vxoris, ex ibi deductis, cum similibus generalitatibus, super quibus, pro stylo ad satisfaciendum vulgo, atquè vt distingueretur, quod esset scriptura iuris, consuetum superfluum allegationum cumulum faciebant.

Scribens ego pro Carolo dictam comprehensionem negante (etiā cum sensu veritatis per Iudicē quoq; agnitæ), dicebā, quod huius partis iura probabiliora essēt, ex adeo frequēter insinuata verissima, imò necessaria propositione, in huiusmodi quæstionibus decidendis principaliter, ac perpetuò attēdenda, vt immorādum non sit in verborum formulis, vel grammaticalibus significationibus, sed inquiri debeat substantia voluntatis ex factis potiùs, quàm ex verbis; Potissimè verò attēta aliàs pariter sæpiùs insinuata distinctione inter testatorem litteratum, qui per se ipsum, seriò, ac studiosè in statu valetudinis testamētum composuerit; Et mulierem, vel illiteratum, seù etiam litteratum, qui ab infirma valetudine impeditus per Notarij, vel alterius organum eius voluntatem explicauerit, vt primo casu aliqua verborum ratio haberi debeat, in altero autem dicta substantia voluntatis ex factis potiùs, quàm ex verbis desumi debeat, nimiumquè clarus error sit, ac ineptia, totam vim constituere in nuda verborum formalitate, seù grammaticali significatione, cum reuerà sint verba Notarij, vel alterius, non autem testantis, atq; versabamur in secunda parte distinctionis, in testamento scilicèt mulieris.

Voluntatis autem substantiam nimiū clarè desumi dicebam; Tum ex causa per ipsam testatricem assignata principaliter respiciēte administrationem eius bonorum, eorumquè distractionem ipso viuente, quando, ac de ipso tempore testamenti, præsupponi, vel prætendi poterat ipse vir debitor pro debito consequutiuo, ab ipsa administratione resultante; Id autem nullatenus dicto debito dotali congruere poterat, quoniam cum dos consisteret in quātitate, hinc sequebatur, vt constante matrimonio, in ea non caderet administratio, quæ non datur in re propria, neque verificari poterat terminus debiti, vel debitoris, cum debitum restitutionis nascatur, facto illius casu per mortem, vel diuortium, aut alium in iure statutum, quamuis cum retrotractione ad suum initium, pro anterioritatis, vel potioritatis prærogatiua.

Vndè propterea dicebam intrare regulam, seù conclusionem generalem, vt facto legato liberationis, seù aliàs facta quietantia de debitis, cum certæ causæ expressione, ad istam fiat restrictio, nisi aliàs dispositionis tenor ostendat ex deductis *decis.* 80. *num.* 6. *& 7. post Merlin. de*

de pignor., & *apud Carill. decis.* 151. *nu.* 1. & in alijs.

Ac etiam retorquebam ea, quæ habentur deducta *dicto disc.* 31. *de legitim.* & 8 *detract.* super non compræhensione debiti dotalis propriæ vxoris sub prohibitione detractionis dotium, vtpotè intelligẽda de illa detractione, quæ cum tractu successiuo in bonis fideicommissi pro dotibus constituendis, vel restituendis proueniat ex dispositione iuris *in auth. Res quæ Cod. commun. de legat.*, ex ibi ponderatis,

Comprobari quoque dicebam nimiũ clarè hanc voluntatem ex pluribus facti circumstãtijs, quæ (vt dictum est) potissimùm, 9 ac principaliter in huiusmodi quæstionibus voluntatis attendi debent; Primò nempè ob summam valdè notabilem attenta loci, & personarum qualitate, vndè propterea omninò verisimile est, quod id ad speciem deductum fuisset; Secundò ob magnam inuerisimilitudinem resultantem ex numero filiorum, quos tunc testatrix habebat, et clarius ex eius desiderio summo studio explicato perpetuæ conseruationis bonorum cum fideicommisso perpetuo, & successiuo in vtraque eius linea masculina, & fœminina, deindequè in altero genere vt supra vocato; Hoc .n. posito, omninò improbabile videbatur, vt viro liberè, & cũ facultate transmittendi etiã ad extraneos summã, quæ notabiliẽ assis hæreditarij partẽ constituebat, remittere voluerit; Ideoquè deducebam vulgarem propositionem, quam pariter ad satisfaciendum superius enunciato inæpto stylo cum su- 10 perfluis inutilibus allegationibus exornabam, quod .s. verisimile imaginẽ habet veritatis, inuerisimile autem illam falsitatis; Quodquè (vt pluries aduertitur in omni ferè materia præsertim *sub tit. de fideicom.*, vbi frequentiùs de quæstionibus coniecturatæ volũtatis agitur, ac etiã *sub tit. de dote* ad materiam dotis confes. satæ, & alibi) istud verisimilitudinis, vel inuerisimilitudinis argumentum, in materijs coniecturalibus dicitur omnium maximum, ac principaliter à iudicantibus præ oculis habendum in alijs coniecturis, & argumentis metiendis; Istequè est modus, cum quo huiusmodi quæstiones decidendæ sunt, non autem cum solitis frigiditatibus generalium propositionum, siuè grammaticalis significationis verborum, vt frequentiùs per legu leicum vulgus fieri, praxis docet.

ROMANA

LEGATI DE CARAFFIS

PRO

PRINCIPE BELVEDERII

Responsum pro veritate.

An per alienationem voluntariam rei legatæ, resultet legati ademptio, vel diminutio, si pretium vnico contextù in alia bona erogetur, vel potiùs intret istorum bonorum subrogatio.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An debitor census possit istum extinguere cum hærede absquè consensu legatarij.*
3 *An, & quando per alienationem rei legatæ, censeatur ademptum legatum.*
4 *De eodem, vt intret ademptio per alienationem voluntariam.*
5 *Secùs autem per necessariam.*
6 *Declaratur.*
7 *De circumstantijs facti, ob quas vno, vel altero modo sit respondendum.*
8 *Quid vbi pretium rei distractæ in aliam rem est erogatum.*
9 *Quando potiùs pro hærede, quam pro legatario sit respondendum, & è contrà.*

10 *Ex-*

11, & 12 *Expenduntur plura iura de hoc agentia.*
Quomodo ista quæstio decidenda sit.
De isto legato remissiuè.

DISC. XLVIII.

PRæsuppositа facti serie, de qua in hac eadem causa *sub tit. de fideicom. disc.* 52.; Cum testator mandasset præsertim, vt ex locis montium, alijsquè effectibus in testamento designatis, emi deberet palatium pro habitatione Cardinalium,& Prælatorum de familia; Deindequè post ordinatam schedulam testamentariam,quam iuxtà seriem enunciatam *sub tit. de testamen. discur.* 1. in scrinio reposuit (quamuis non nisi in articulo mortis ad formam testamenti redactam), vendiderit 70. loca montium pro pretio scutorum 7500.,cum quibus, ac alijs 4500. in pecunia numerata admixtis,censum in sorte principali scutorum 12.m. emit à Collegio Romano Societatis Iesu; Hinc dicto Collegio post testatoris mortem dictum censum redimere volente, per eius Administratores, & Consultores, excitata fuit difficultas, an redemptio, seù extinctio fieri posset cum Principe Beluederij testatoris ex fratre pronepote, hærede vniuersali,non consentiente,vel non citato Prælato possessore legati, vel non curando inuestiri dictam partem pretij prouenientis à locis montium ad fauorem dicti legati,sub quò hanc ratam venire credebatur;Quare desuper, tàm ex parte dicti Principis hęredis, quàm etiam eiusdē Collegij,Cōcorditer pro veritate consultus.

In Responso desuper edito,duas efformabam inspectiones; Primò scilicèt,an Collegium, faciendo extinctionem simpliciter cum hærede, liberationem obtineret,quamuis legatarius contra ipsum hæredem actionem haberet pro restitutione, seù reintegratione dictæ summæ; Et secundò, àn hæc actio competeret, necnè.

Quatenùs pertinet ad primum;Respōdi,quod planum videretur,vt Collegium
2 rectè censum extinguere posset cum hærede vniuersali, quoniam in instrumento impositionis, nulla fiebat mētio quod pecunia numerata iuxtà formam Pianæ constitutionis coram Notario, & testibus,proueniret ex alienatione dictorum locorum montium;Et consequenter nulla cadebat dubitandi ratio, cui solùm locus esse posset, quando ipse census legatus fuisset in specie,vel quod idem legatum in genere, ità conceptum esset, vt censum quoque compræhenderet; Vndè propterea, quamuis ad scripturæ ornatum, plura deducerentur super quæstione,de qua *sub tit. de censibus disc.*23., an scilicèt,& quando debitor census,extinctionem facere possit cum hærede grauato, vel potiùs teneatur esse sollicitus de inuestimēto fauore legati, vel fideicommissi; Attamen erat potiùs superflua euagatio, cum nequè ista quæstio intraret,adeoùt ineptam crederem difficultatis excitationem.

Quoueró ad alteram inspectionem, inter hæredem,et legatarium; Adhùc dicebam, quod nequè videretur intrare
3 quæstio, an,& quando per alienationem rei legatæ, resultet legati ademptio,cum ea verè,& propriè cadere videatur,quādo post iam conditum testamentum, vel aliam vltimam voluntatem, in qua legatum contineatur, rei alienationem testator faciat;Id autē in præsenti non intrabat, quoniam licèt ex indulto Cardinalium, sola schedula testamentaria propria manu scripta sufficiat sine testibus, vel alia solēnitate; Attamen id procedit, quando ità testator disponere voluerit, eam schedulam reducendo ad actum testandi; Secùs autem, vbi constet (vt in præsenti)quod esset solum præparatoria futuri testamēti,quod per relationem ad eamdem schedulam ordinatum fuit in Cōclaui in articulo mortis iuxtà seriem, de qua *sub tit.de testamen. dicto disc.* 1.

Cæterùm,vbi etiam versaremur in casu quæstionis; Adhùc dicebam,quod regula assistit hæredi contra legatarium,
4 vt per voluntariam alienationem rei legatæ causetur ademptio quoad ipsam rem alienatam *ad text. in l. rem legatam ff. de adim. legat. l.legatum* §. *pater ff. eodem*,vbi *Bart.* & cæteri cum concordantibus *per Alex. conf.* 169. *lib.*6. *Gabr. conf.* 103. *lib.*1. *ex num.* 5. *Mantic. de coniect. lib.*12. *tit.*6 *numer.* 2. & 3. *Menoch. l.*4.

præsumpt. 167. *ex nu.* 6. *Cancer. lib.* 3. *var. cap.* 20. *de legatis ex num.* 259. cum alijs *per Rot. in Reggien. bonorum* 23 *Ianuarij* 1647. *coram Corrado* §. *finali*, vbi firmatur id procedere, etiamsi agatur de legato facto fauore piæ causæ.

Ratio autem dubitandi in eo consistere videbatur, quod alienatio fuerat ex causa correspectiua, eiusquè pretium extabat, vtilitèr conuersum in alterius speciei acquisitionem, ideoquè ista acquisitio tanquàm subrogata loco rei legatæ ad legatarium spectaret *per text. in l. fideicõmissa* 11. §. *si rem in fine vers. paulatim ff. de legat.* 3., vbi disponitur, quod si ex pecunia exacta nominis legati, testator rem comparauerit, illa venit sub legato; Et clariùs per *tex. in l. pater* 23. *ff. de adim. legatis*, vbi habetur, quod si pater relinquat filiæ 300., quæ habebat inuestita in quædam officia, si his alienatis, cum eorũ pretio, ac alijs pecunijs prædium emat, videtur, vt pro dicta rata, prædium ad legatarium pertineat; Et in *l. filiæ* 28. §. *intra ff. de cond. & demonstr.*, vbi quod sub legato ancillæ, venit illa, quæ ex pretio alterius venditæ, acquisita est.

Per ista verò, ac alia iura, vt legatario debeatur pretiũ extans rei legatæ, & distractæ, seù alia res ex tali pretio cõparata, generaliter firmãt *Ioũnes de Platea, & Iaſ. in* §. *si rem Instit. de legatis Bald. in l.* 3. *nu.* 12 *Cod. de legatis Roman. cons.* 229. *n.* 3., & alij *apud Menoch. dicta præsumpt.* 167. *nu.* 39., plenè *Gratian. discept.* 251. *ex n.* 5., *Modern. de Luca ad Franch. decis.* 283. *num.* 3.; Et magis specialiter probat *Bart. cons.* 29. *lib.* 1., vbi quod facto legato domus pro construenda Ecclesia, si testator illam vendat, atq; ex pretio aliam emat, ista cadit sub legato; Et *Alex. cons.* 157. *lib.* 7., vbi de legato locorũ montiũ Florentiæ, vt capiat pretiũ, quod ex eisdẽ alienatis in banco per testatorẽ depositũ erat; Idemquè firmat *Menoch. cons.* 254., vbi de prædijs legatario debitis, quæ acquisita essent per testatorem ex pretio quorumdã redditu ũlegatorũ cum locis montiũ fraternizãtiũ; Sequũtur *Honded. cons.* 61. *lib.* 1., vbi de censibus, vel alijs bonis quæsitis ex pretio census legati, & *Cyriac. controu.* 118., vbi de terris acquisitis ex pretio aliarum terrarum legatarum, atq; cũ hac opinione procedit *Gratian. dicta discept.* 251. *num.* 11. *& per tot.*,

licèt ipse omnia desumendo ex elaborato, & confusissimo *Simon. de Pretis*, multum sè inuoluat in tot casuum distinctione.

His tamen non obstantibus, in hac facti specie, contrarium probabilius videri dicebam, quoniã, vt obseruant *Bart. in dict. l. si rem*, & cæteri de quibus bene *Gabr. dicto cons.* 103. *lib.* 1. *num.* 13., ac habetur *in dicta Reggien. bonorũ* 23. *Ianuarij* 1647. *corã Corrado* §. *finali*, suprad. 6 dicta iura procedunt, ac intelligenda veniunt in casu alienationis necessariæ, quæ in nominibus debitorum contingit ob solutionem à debitore factam, quam creditor recusare non potest, ità pariter in extinctione censuum, ac in extractione locorum montium, ac etiam quandoque in ipsismet bonis stabilibus, quæ ab inuito emuntur, vel ex iure retractus, vel pro publico ornatu, vt habemus in Vrbe ex Constitutione Gregorij XIII., vel ex dispositione *text. in l. si quis sepulchrum ff. de Relig. & sumpt. funer.* cum similibus; Secùs autem vbi de alienatione merè voluntaria.

Clariùs autem in hac facti specie, ex ea circumstantia, per quam omnium dictorũ contrariorum applicatio de facili 7 euitabilis videbatur, quod ista scilicet loca montiũ distracta, ad speciem deducta non erant sub legato, vel in quantitate, vel in qualitate, quia nempè testator dixisset relinquere tot, vel talia loca mõtium postmodùm distracta, dum solùm mandauit, emi palatium ex locis montiũ, tanquàm ex effectibus, à quibus magis promptè pecunia numerata haberi poterat, quodquè illa loca, quæ supererent post factam dictã emptionem, cederent commodo Prælatorum, & Cardinalium pro subuentione; Ideoquè legatum erat potiùs generis quàm speciei, et consequenter intelligendum erat de illis locis mõtium, quæ reperirẽtur in hæreditate de tempore mortis, quãdo etiam maiora esse poterant, quàm essent de tempore conscriptæ schedulæ testamentariæ, ob alias intermedias acquisitiones, vndè propterea, non eramus in casu dictorum iurium, & auctoritatum, cum testator nõ respexisset illud tempus præsens, quo casu fortè obstare poterat *text. in l. scribit* 36. §. *item scribit ff. de auro, & argento legat.*; Ponderata etiam qualitate testatoris

toris viri accuratiſſimi, & qui in eo intermedio tẽpore inter ſcripturã ſchedulæ, & ingreſſum Conclauis iuxtà contingentias, plura addiderat, vel reſpectiuè diminuerat, vndè ſi habuiſſet animum ſubrogandi ad commodum legatarij iſtũ cenſum per plures menſes antè dictum ingreſſum acquiſitum, ſatis veriſimile eſt, vt id adnotaſſet.

Alij per hæredem deſuper conſulti, magnum, ac penè torum fundamentum conſtituebant in eo, quod cenſus acquiſitus non eſſet ex ſolo pretio dictorum locorum montium, ſed cum mixtura alterius notabilis ſummæ, dum iuxtà præ-
8 miſſam facti ſeriem, cenſus erat ſcutorũ 12. m., pretium autem prædictum importabat 7500. ponderando in id *text. in dicta l. pater.* 23. *ff. de adim. legat.*; Verũ obſeruabam, vt iſtud fundamentum de per ſe, ac ſolum conſideratum, eſſet nullius, vel ſatis modicæ releuantiæ, quodquè potiùs iſte textus retorqueretur, dũ (vt ſuprà dictum eſt) in eo caſu prædiũ emptum maioris valoris erat, quàm 300., quæ filiæ relicta erant, & ſic ſumma legata commixta erat cum alia pecunia teſtatoris, vt obſeruat *gloſ. ibid.* verbo *parauit*; Admittebam tamen quod iſta circumſtãtia coadiuuaret alias, ſuperiùs cõſideratas, atq; faceret aliquid plus, ſed præcipuæ, ac fortiores eſſent ſupradictæ, quod ſcilicèt ageretur de alienatione voluntaria, quodquè legatum non contineret in ſpecie quantitatem, vel qualitatem locorum montium vt ſupra.

In idem quoque ſuffragante alia circumſtantia maioris dilectionis præſumendæ in hærede, quàm in legatario, ob maiorem ſanguinis coniunctionẽ iuxtà
9 receptam diſtinctionẽ, de qua *in Romana legati* 14. *Martij* 1644. *corã Carillo inter ſuas deciſ* 303. *Romana executionis laudi* 14. *Iunij* 1647. *corã Arguelles dec.* 77. *p.* 10. *rec.* & in alijs, quod ſcilicèt vbi agitur de larga, vel ſtricta interprætatione legati ambigui, attendi debeat maior, vel reſpectiuè minor dilectio hæredis, & legatarij; Si enim legatarius eſt magis coniunctus, ſeù aliàs veriſimiliter magis dilectus, quàm hæres, tunc benigna ac lata pro eo ſit interprætatio, ſecùs autem è contrà.

Neque obſtare dicebam contraria, ſiquidem *text. in dicta l. fideicommiſſa* §. *ſi rem ff. de legat.* 3. duplici reſponſione tollì videbatur; Primò quia ibi conſtare
10 videbatur de perſeuerantia voluntatis teſtatoris, vt duraret legatum, quod non erat aliàs verificabile, niſi in pretio depoſitato, vel in alia re ex illo comparata; In præſenti autem licèt conſtaret de perſeuerantia voluntatis teſtatoris, attamen illa non remanebat inutilis, & ſinè effectu, vtpotè verificabilis in alijs ſuperexiſtentibus locis montium in notabili quãtitate, itaùt eorum pretium ſufficeret ad emptionẽ palatij, ac exuberarent alia ferè centum pro ſubſidio; Ratio autem textus prædicti conſiſtit in eo, quod voluntas teſtatoris aliàs fatua nõ remaneat, vt ex *Cuman.* rectè probat *Gabr. dict. conſ.* 103. *num.* 13.

Et ſecundò quod ibi ageretur de legato nominis debitoris, cuius exactio ſequi potuit ex cauſa neceſſaria, quam teſtator euitare non poterat, vndè deponendo pecuniam, vel illam inueſtiendo, declarare videtur eius perſeuerantem voluntatem ad commodum legatarij, cui ſufficit ſola poſſibilitas cauſæ neceſſariæ pro euitanda ademptione ex plenè deductis *per Cyriac. dicta controu.* 118. *num.* 7. & 8. & *num.* 11. *cum ſequen.*

Magis ſtringere videbatur *text. in l. pater ff. de adim. legat.*; Verùm vt obſeruant *Bart. ibidem Alex. dicto conſ.* 169. *lib.* 6. & *Gabr. dicto conſ.* 103. *num.* 13. (qui ſatis benè loquitur) ille agit de legato quantitatis; Et licèt *Gratian. dicto cap.* 251. *num.* 11. dicat veriorem eſſe ſenten-
11 tiam volentium, vt indiſtinctè procedat, ſiuè agatur de legato quantitatis, ſiuè ſpeciei, attamen hæc opinio videbatur potiùs indigeſta, & non benè fundata, dum contrarium ſentiunt *Bart. Alex.* & cæteri, de quibus benè *Gabr.* loco citato.

Textus autem *in l. filiæ* 28. §. *Titia ff. de cond. & demonſtr.*, in qua fundari videtur dicta opinio *Gratian.*, ex eo quod ille loquatur de legato ſpeciei, non obſtat, quoniam in eo caſu teſtator ſecun-
12 dæ ancillæ emptæ ex pretio alterius legatæ, ac poſtmodùm venditæ, appoſuit idem nomen Agathæ, quod illa habebat, ex quo deſumi videbatur ſufficiens argumentum voluntatis ſubrogandi; Cum enim iſta ſit quæſtio magis facti, ac voluntatis, quàm iuris, hinc dictæ voluntatis

coniecturæ, tàm pro ademptione, quàm pro subrogatione, principaliter attendi debent, ac prævalere generalibus regulis, & distinctionibus iuris, vt aduertunt idem *Gabr. dicto cons. 103. Honded. cons. 92. lib. 2. Cancer. lib. 3. var. cap. 20. de legatis num. 273. & sequen.*

Ideoquè cum ista sit quæstio facti, ac voluntatis, certam vniformem, seù generalem determinationem recipere non potest, sed decidenda venit iuxtà sin-
13 gulorum casuum particulares circumstantias, vnam, vel alteram voluntatem verisimiliter suadentes; Istaque voluntas in hac facti specie ex eius circumstantijs insimùl ponderatis, hæredi magis assistere videbatur; Atquè iuxtà præmissa impositus fuit finis dubitationi, quoniam Consiliarijs Collegij debitoris, his acquiescentibus, iuxtà consuetam formam Constitutionis Pij V., cum decreto Iudicis de deponendo, nisi hæres oblatam sortem statuta die reciperet, extinctio sequuta fuit absquè eo quod aliud in contrarium ex parte Prælati possessoris legati motiuaretur, dum idem Prælatus peritus I. C., his visis, ac ponderatis in eamdem deuenit sententiam.

De isto autem legato facto Cardinalibus, & Prælatis de familia, quomodo veniat intelligendum, an cumulatiuè, &
14 per simultaneum concursum omnibus, vel vni tantùm prælatiuè, et cum quo ordine, habetur actum *dicto disc. 52. de fideicommiss.*

VITERBIEN.

LEGATI

PRO

OCTAVIA PARMA DE COLLEMODIIS.

CVM

COMMENDATARIO CIVITATIS VETVLÆ RELIGIONIS HIEROSOLYMITANÆ.

Casus decisus per Rotam pro vtroque parte respectiuè.

De legato contento in priori testamento, an censeatur diminutum per secundam dispositionem, quæ expressam contineat diminutionem, deindè tamen emendatam. Et àn talis emendatio per apostillam, seù additionem, facta censeatur de ordine, & voluntate testatoris; Vel quatenus ea non adsit, àn posterior diminutio, ratione subiectæ materiæ, errori potius tribuenda sit.

Legatarius annuæ præstationis negligens eam exigere ab hærede grauato, àn petere possit annualitates decursas à successore, vel actionem habeat ad bona testatoris.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *An pro annuis præstationibus per hæredem non solutis legatario competat actio ad bona defuncti.*
4 *Creditor defuncti pro censibus, vel annuis præstationibus habet actionem contra fideicommissarium.*
5 *Quid de fructibus dotis debitæ ex remedio* Auth. res quæ.

6 De

6 *De eisdem conclusionibus, & quando cessent.*
7 *An pro terminis decursis pensionis detur actio contra successorem.*
8 *An puella quæ prius dotanda est, ob negligentiam excludatur.*
9 *Apostilla præsumitur apposita de ordine testatoris.*
10 *De suppletione casus omissi.*
11 *Testamentum reuocatum seruit pro declaratione.*
12 *Mutatio non præsumitur ex actus vicinitate.*
13 *De alijs adminiculis.*

DISC. IL.

1 TErentius de Collemodijs Policastren. Diœcesis, incola loci Centum cellarum, aliàs Ciuitatis Verulæ, in testamento condito de mense Decembris 1661., reliquit vxori pro eius substentatione ad vitam menstrua scuta decem soluēda singulis mensibus, vltrà habitationem, ac certam quantitatem frumenti, & vini singulis annis; Deindè verò in quadam schedula futuræ donationis faciendæ Sacræ Religioni Hierosolymitanæ pro erectione commendæ in dicto loco, (et quam schedulam Rota sufficiētem declarauit ad validam dispositionem iuxtà seriem, de qua *in Viterbien. testamenti sub tit. de testam. disc.* 16.) mandauit, vt eidem vxori per commendatarium, vltrà vsum vnius domus pro habitatione, ac annuam præstationem sex rubrorum frumenti, præstari deberent annua scuta decem, vt ex his se ipsam, ac famulam substentare posset; Cum autem schedula esset duplicata, eo quia earum vna transmissa fuit ad Religionē, & altera conformis remansit penès testatorem, hinc in secunda, manu eiusdem scriptoris, cancellato illo verbo, *anno*, per apostillam adiectum fuit verbum *mensis*, & cum explicatione quod essent scuta 120. singulis annis.

Sequuto igitur obitu testatoris postquàm effectum sortita est dispositio in dicta Schedula contenta iuxtà enarrata *sub dicto tit. de testamentis discur.* 16. viuente eo, quem testator voluit esse primum commendatarium, nulla inter istū, & dictam Octauiam adfuit controuersia; Dicto autem primo commendatario defuncto, cum Octauia à successore peteret, nedùm annualitates currentes, sed etiam aliquas decursas à prædecessore non solutas, Reus conuentus prætendere cæpit, vltrà absolutoriam à decursis vt neque in futurū teneri deberet, nisi ad annua scuta decem vltrà frumentū iuxtà formam dictæ schedulæ Melitam transmissæ, atq; desuper contra Octauiam indefensam ab A. C. reportauit fauorabilem sententiam, in gradu appellationis per duas instantias à Prælatis Iudicibus commissarijs reuocatam, quibus sententijs Religione, seù commendatario non 2 acquiescente, ideoquè commissa causa *in Rota coram Taia*, datoquè dubio, an, & in qua summa dictum legatum deberetur, suspensa inspectione super annualitatibus decursis, illoquè proposito *sub die* 28. *Martij* 1664. pro Octauia legataria responsum fuit, legatum scilicèt deberi *in menstruis scutis decem*, seù annuis scutis 120. iuxtà formam schedulæ accommodatæ; Et concessa noua audientia, atquè repropositā causa *sub die* 23. *Iunij eiusdem anni*, quoad præstationes in futurum, perstitum fuit in decisis; Verùm in hac disputatione commendatarius obtinuit declarari, vt non teneretur ad annualitates decursas, quas eadem legataria neglexerat à prædecessore exigere.

Hinc agentes pro Religione, seù commendatario acquiescebant, volentes ex tempore moti iudicij, seù possessionis commendæ post mortem primi, soluere dictas annualitates ad rationem scut. 120.; Nolebat autem acquiescere Octauia quoad annualitates decursas pro tempore primi commendatarij, ex cuius hæreditate vtpotè minus idonea, desperatum opus erat aliquid recuperare; Verùm ego qui pro eadem scripseram, tàm coram Prælatis secundæ, & tertiæ instantiæ, quàm etiam in Rota, consului, vt acquiesceret, eius negligentiæ tribuēdo dictarum annualitatum decursarum ammissionem, cum inspecta veritate, quemadmodum iustæ erant resolutiones ad eius fauorem captæ prò tempore futuro, ità iust. quoquè videbatur altera capta contrà eam prò dictis annualitatibus decursis.

Qua-

Quatenùs enim ad istas decursas pertinet; Quidquid more Aduocatorum, scribendo ad causę oportunitatem pro actrice deducerem, ex auctoritate *Costa de portat. quæst.60.num.4.cum seqq.*, vbi nominatim reprobando *Surdum dec.28.*, contrarium probare conatur, vt pro annuis legatis affecta sint bona testatoris, adeant pro annualitatibus decursis in vita hæredis grauati, vel alterius prædecessoris, detur actio ad ipsa bona contra 3 successorem, super quo etiam dubitare ostendit *Cyriac.contr.18.nu.23.*; Attamen reflectendo ad veritatem, ista mihi videbatur in contrarium; Tùm attentis auctoritatibus, de quibus *apud Surd. dicta dec.28. Gratian.discept.294.nu.8. & 22. Merlin.de pignor.lib.3.quæst.14.nu.160. & seqq. Capyc.Latr.consult.24.num.4.cum seqq. Prat.obser.32.nu.21.* cum aliis in huius causæ decisione deductis, quod etiam priùs sentijt *Rot.decis.260.par.11.*; Tùm etiam attenta viua ratione, quæ apud me satis vrgere videbatur, quod scilicèt testator legando hanc menstruam præstationem in causam alimentorum, non cogitauerit afficere ipsa bona, sed eorum fructus eisdem singulis mensibus, vel anni temporibus percipiendos, vt habetur etiam deductum suprà *in Spoletana legati discurs.37.*

Et quamuis in creditoribus annuarum præstationum fideicommissariæ hereditatis, putà ex causa censuum, vel ca- 4 nonum, seu liuellorum &c., creditori non exigẽti ab hærede grauato, vel fideicommissario prædecessore, detur actio ad ipsa bona, etiã contrà successorẽ ex persona propria venientem; Quinimò fortius 5 etiam pro fructibus dotis constituendæ vel restituendæ ex bonis fideicommissarijs in vim *auth.res quæ*, idem magis cõmuniter receptum videatur, cum eo tamen temperamento, vt ad fortis distractionem exindè procedi non possit, ex deductis *sub tit. de dote disc. 51. & 145. & sub tit.de feud.* ad materiam Bullæ Baronum *disc.78. & 79.* & alibi.

Attamen non est eadem ratio; Ibi enim obligatio prouenit, vel à contractu, vel à dispositione legis, afficiens ipsum defunctum, eiusquè hæreditatem, ac bona ipso etiam inuito; In legatis autem totum 6 prouenit à voluntate disponentis, quæ probabilius ità interprætanda est; Quinimò ex ibidem deductis, ac etiam *sub tit. de fideicom.*, quoties magna negligentia concurrat, fortiùs verò collusio, neque id competit; Atquè de collusione nimiùm dubitari poterat, in hac facti specie ex eius circumstantijs, ex quibus etiam in casibus præmissis magna subest ratio dubitandi, multò magis in præsenti, cũ nullatenùs probabile sit, quod testator voluerit vt legatario negligente, vel colludente cum hærede grauato talis fieret annualitatum massa, quæ totam hæreditatem supplantare posset.

Et in fortioribus terminis pensionis ecclesiasticæ Apostolica auctoritate reseruatæ super beneficio, in qua receptum 7 est, vt etiam pro decursis tempore prædecessoris, agi possit contrà successorem, licèt ex voluntate Papæ ipsum beneficium, seù eius fructus affecti sint, adhùc tamen id procedit, quatenùs ex parte pensionarij doceatur de diligentijs contrà titularem ex deductis *apud Greg. decis.507. Buratt. & add.decis.448.* & in sua materia *sub tit.de pension.*; Multò magis in his terminis.

Atquè conferre obseruabam firmata *in Romana bonorum, seu vsusfructus 23. Iunij 1653. coram Zarata*, quod si testator mandasset præstari aliquibus puellis, iuxtà ordinem ab eo præscriptum singu- 8 lis annis, vel temporibus subsidia dotalia, atquè puella, cui priùs debebatur, neglexerit vrgere possessorem, atq; permiserit, vt ille exigeret eos fructus, ex quibus suum subsidium iuxtà præscripta tempora præstandum erat, actionem habere non debeat ad fructus futuros in præiudicium aliarum puellarum, quibus futura subsidia debentur, vt aduertitur etiam in sua materia *sub tit.de dote*, cum similibus; Ideoquè consului Octauiæ, vt acquiesceret proùt fecit, quoniam facti circumstantiæ erant tales, quod illam inexcusabilem reddebant.

Quoueròad alium punctum futurarum annualitatum; Iustas credidi resolutiones, quales etiam agnouerunt ipsimet cõmendæ defensores, qui paritèr acquie- 9 scẽtiam consuluerũt; Tùm quia in schedula reseruata penès testatorem error expressè accommodatus fuit per apostillam, quę vbi est ex eadem manu, seù charactere eius, qui eam conscripsit, habet

præ-

præsumptionem pro se, vt de ordine testatoris facta sit, donèc probetur contrarium ex deductis *apud Coccin. decis.* 477. *decis.* 413. *par.* 4. *rec. tom.* 1., *dec.* 544. *n.* 23. *eadem par.* 4. *tom.* 3., *in Vrbinaten. prædij* 13. *Maij* 1658. *coram Beuilaqua* impress. *decis.* 340 *par.* 12. *rec.*, ac habetur *in Romana fideicommissi de Victorijs sub tit. de fideicommissis disc.* 23.

Tùm clariùs quia, vbi etiam dicta apostilla erroris correctiua non adesset, adhùc idem dicendum esse videbatur ex coniecturis, alijsquè circumstantijs eum-
10 dem errorem conuincentibus, ex quibus rectè dici poterat, vt minus scriptũ esset quã dictũ, seù volitum, ità vt intraret ea legis suppletio, de qua plenè actum habetur præsertim *in Tudertina fideicommissi sub tit. de fideic. disc.* 115., vbi habentur auctoritates, quæ in hac eadem disputatione cumulabantur, ideòquè fortiùs admitti debebant ad adminiculandam dictam apostillam, seù correctionem, omnemquè suspicionem abolendam.

Primum etenim adminiculum resultabat ex priori testamento, in quo eadem adamussim summa relinquebatur, dùm-
11 ex frequenter deductis *sub dicto tit. de fideic.*, testamentum etiam nullum, vel reuocatum deseruit pro declaratione secundæ dispositionis, vt *ex Mantic. de coniectur. lib.* 3. *tit. vlt. nu.* 2. *Castill. lib.* 5. *contr. cap.* 108. *num.* 18. *cum seqq.* & alijs firmatur in huius causæ decisionibus præsertim prima.

Alterum præcedentis corroboratiuum deducebatur ex vicinitate actuum, dùm inter testamentum, & schedulam, inter-
12 cedebat solum spatium vnius mensis, per quod breue interuallum, regula est, vt non præsumatur mutatio voluntatis, sed potiùs error, vt cæteris *alleg. Mantic. de coniect. lib.* 12. *tit.* 1. *num.* 4., & habetur sæpiùs deductum in præcedentibus super casu conuersio mutationis de facili præsumendæ ob longum interuallum.

Tertium fortissimum & conuincens erat illud cessantis causæ odij, seù diminutionis amoris, *cui dicta diminutio re-*
13 ferri posset, cum potiùs schedula probaret augmentum prioris amoris in testamento expressi.

Quartũ fortissimũ, & magis cõuincens erat illud deductum ex qualitate legatariæ, & causa legandi, ex quibus insimul iunctis resultabat huius veritatis probatio manifesta; Agebatur enim de vxore satis inueni & formosa, sed pauperrima quam indotatam penè octuagenarius testator ex filiorũ desiderio duxerat, multumquè diligebat, vndè cupiens, quod commodè cum vna famula in statu viduitatis, & castitatis se substentare posset, proùt ipsius testatoris decentiæ conueniebat idcircò omninò incongrua erat ad hunc finem assequendum dicta summa annuorum scutorum decem, sed benè congrua & proportionata erat eadem summa menstrua.

Et his accedebat obseruantia illius, qui testatoris fiduciarius, declaratus fuerat primus commendatarius, & cuius declarationibus vtpotè de eius voluntate satis conscij deferendum esse idem testator mandauerat; Ac etiam quod ipsamet Religio in concordia, de qua *sub dicto tit. de testam.* obtinuit Apostolicam confirmationem, atq; mentionem habuit huius oneris tanquam menstrui, vndè propterea casus videbatur omninò planus, cum in contrarium aliud non deduceretur nisi dicta schedula Melitam transmissa, de qua verè nulla ratio habenda erat; Tùm quia constabat de errore, quem testator correxit in ea scriptura, quam corrigere poterat, non in altera, quam non habebat; Tùm etiam quia decisio Rotæ ad fauorẽ eiusdem Religionis firmauerat, vt dispositio prædicta attendenda esset potiùs tanquam testamentum, ob actum coram testibus gestum à Terentio in actu moriendi quàm vti contractus irreuocabilis; Ideò dum ex qua actus initus erat super hac schedula correcta eadem Religio successionẽ obtinuit, ità proindè omnis dubitandi ratio cessare videbatur.

FLO.

FLORENTINA LEGATI INTER COLLEGIVM, ET DOMVM NOVITIATVS SOC. IESV FLORENTIÆ.

Responsum pro veritate.

De ademptione legati ordinata sub certa conditione, an ad eius effectum, requiratur implementum in toto, atq; in forma specifica; Vel potiùs sufficiat in parte, vel per æquipollens.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Implementum formæ in parte non sufficit.*
3 *Non potest idem esse hæres, & legatarius.*
4 *Ademptio strictè intelligenda est.*
5 *Quando sit conditio voluntaria, vel mixta, seù quando præcisa, necnè.*
6 *Quando forma, vel conditio impleatur per æquipollens.*
7 & 8 & 9 *In idem, & dantur similia.*
10 *Quomodò ista quæstio decidi debeat.*
11 *Quando dicatur legatum collatum in voluntatem, vel in arbitrium.*

DISC. L.

1 IVxtà seriem super dispositione Benedicti Biffoli, quæ habetur in hac eadem controuersia *sub tit. de vsuris disc.* 31; Cum dictus testator reliquisset arbitrio P. Generalis Societatis Iesu, an Domui Probationis, per Collegium hæredem institutum, præstanda essent scuta 10. m., iure legati relicta, quatenùs exigerentur quędam nomina debitorum relicta eidem Domui Probationis recuperanda in Ciuitate Neapolis in summa scutorum 59. m., atquè ex illis recuperata essent scuta 36. m., residuum verò remaneret omninò inexigibile; Hinc orta est difficultas, an stante quod implementum conditionis sequutum erat in parte, intraret ademptio, seù facultas vt suprà cõcessa adimendi, Atq; rationem dubitandi mouebat propositio, vt de conditionis
2 natura sit inducendi formam perfectè adimplendam, vndè propterea implementum imperfectum, seù in parte non sufficit ex deductis *per Tiraq. de retract. conuent. §. 2. glos. vnic. num. 3. Paris. de resignat. lib. 1. quæst. 3. num. 15. cum seq. Surd. decis. 202. num. 8. Buratt. decis. 437. num. 4.* apud quos concordantes.

Potissimè dùm agebatur de translatione legati de vno in alterum, ideoquè intrant termini ademptionis; Et fortiùs, dùm penès Collegium vnicum hæredem
3 irreuocabilem, legatum esse non poterat, ob incompatibilem concursum actionis & passionis in eodem subiecto ad text. *in l. in fideicommissariam §. finali ff. ad trebell. l. legatum §. 1. & l. planè §. si duobus, & l. quidam totum ff. de legat. 1.* cum concordan.; Ademptio autem vtpotè odiosa strictè intelligenda est, atq; in dubio pro
4 eius exclusione respondendum *l. 3. §. in duobus ff. de adimen. legatis, Menoch. lib. 4. præsumpt. 167. num. 1. Greg. dec. 236. num. 1. Buratt. decis. 168. num. 4. & 5. Romana legati scutorum 50. m. coram Dunozetti* inter suas *decis. 579.*; Istaque erant fundamenta, quæ deducebantur per scribentes pro Domo Probationis coram eodem P. Generali ad ostendendum, quod ipse non posset dictam facultatem exercere, adimendo dictæ Domui hoc legatum, & applicando Collegio; Super his ex parte dicti Generalis pro veritate consultus.

Contrarium (præmissis non obstantibus) respondi probabilius videri, quoniã
5 inspecto tenore dispositionis, tàm in verbis, quàm in substantia voluntatis, constabat quod nõ versabamur in conditione voluntaria, quæ strictius adimplenda est formaliter, ac specificè, vt sonant verba, quamuis ruditèr concepta ex congestis *per Surd. dicta decis. 202. nu. 6.*, sed in cõditione casuali, vel mixta, quę adiect erat, nõ pro aliqua forma, vel solẽnitate, seù obedientia, quam testator ità præstari voluerit per eum, qui emolumẽtum percepturus esset, sed ad certum effectum,

fectum, vt scilicèt ab exactione facienda dictorum nominum debitorum, Domus Probationis remaneret sufficienter, & congruè prouisa pro substinendo eo maiori numero nouitiorū, qui arbitrio Generalis congruus videretur.

Vbi autem conditio, vel alia dispositio respicit certum effectum, seu finem, tunc iste principaliter spectatur, non curato rigore formalitatis verborum, minusquè attentis iuris subtilitatibus super
6 specifico, ac pleno implemento conditionis adiecta pro solemnitate, vel forma ad communiter notata *in l. scripturas C. qui potiores in pign. Mantic. de tacit. lib. 1. tit. 43. num. 10. Burat. decis. 910. num. 3. Rot. apud Dunozett. decis. 417.* repetit. *decis. 93. par. 7. rec.*, vbi de præcepto iuncto exequutoribus finita propria descendentia, eligendi iuuenem solutum assumere debentem familiam, ad hoc vt nubat, atq; ità familiam propagare possit, quoniam dicitur, & benè, pinguius impletum fuisse dictum præceptū per electionem viri quinquagenarij, & vltrà iam vxorati, qui plures filios masculos habebat, atquè haberur pluries deductum *sub tit. de fideicommissis* præsertim *disc. 45.*

Et in proximis terminis id clarè probari dicebam *per text. in l. Lucius Titius §. à te peto ff. de legat. secundo*, vbi disponitur, quod si testator mandauerit præstari decem pro eius corpore condendo,
7 pro quo minor summa sufficeret, reliquū non debeatur, sed penès hæredem remaneat, quoniam spectanda non est summa, sed finis seù effectus à testatore volitus.

Ex istius autem textus dispositione resultat traditio *Butrigar. & Baldi in l. si quis ad declinandam Cod. de Episcopis, & Clericis*, quam refert, & laudat *Genuens. in practicabil. Eccles. quæst. 526.*, quod si testator assignet mille distribuenda in
8 pios vsus pro malè ablatis, atquè appareat, quod ea non ascendant ad tantam summam, tunc id quod supereſt, cedit ad commodum hæredis, quoniam sufficit impleri effectum à testatore volitū, pro quò implendo è conuerso, si constaret maiorem summam necessariam esse, illa præstanda esset, cum summa videatur stare potiùs demonstratiuè.

Atquè ad idem conferunt deducta *in Neapolitana seù Ianuen. sub tit. de testamentis disc. 56.*, vbi de præcepto deponendi quamdam summam ad dispositionem confessarij, seu aliquorū religiosorum pro eodem effectu exonerationis
9 conscientiæ, vt impletum dicatur cum illa minori summa, quam dicti exequtores mandassent.

Hinc proindè concludebam, vt ista esset quæstio potiùs facti, quàm iuris; ideoquè resolutio penderet ab eo, àn cū summa iam exacta, Domus Probationis remaneret necnè sufficiēter prouisa, itaut
10 impletus esset finis, seù effectus per testatorem volitus; Et consequēter dixi quod determinato nō pendebat à Respōso I.C. in abstracto, sed ab examine dictæ circumstantiæ, quæ alteri melius esse nota non poterat, quàm ipsimet Generali tanquam conscio status suæ Religionis in illa Prouincia, seu Regione, & qualis nouitiorum numerus congruus, ac adaptatus esset, vt ità regularet eius arbitrium; Dixi tamen quod istud non erat liberū, & absolutum, sed tanquàm illud boni viri à prædicta ratione regulandum erat, cum testator id non remisisset per verba denotantia liberam voluntatem, sed per verbum *videbitur*, quod arbitrium, ità
11 regulandum potiùs denotat, vt ità distinguendo in terminis legati habetur de materia *apud Caualer. decis. 374. nu. 2.*; Potissimè quia dispositio directa nō erat ad certam personam nomine appellatiuo, sed sub nomine officij, & sic tanquàm ad superiorem, vndè clariùs resultabat, vt non posset in hoc declarare pro libito voluntatis, sed eo modo quo arbitrium regulandum est à Iudice, & Superiore, iustitiam administrante.

FVLGINATEN.

LEGATI

PRO

HÆREDIBVS IOANNIS ANTONII

CVM

IOANNA.

Responsum pro veritate.

An, & quando legatum cesset, per prouisionem à testatore factam post testamentum ad fauorem legatarij, siuè per implementum in vita, illius operis, pro quo legatum factum sit.

SVMMARIVM.

1 *FACTI series.*
2 *De quæstione, an per implementum in vita cesset legatum.*
3 *De distinctione, vt cesset si est expressa eadem causa.*
4 *Sed quid si implementum in vita factum sit cum minori impensa, an debeatur residuum.*
5 *Debetur legatum, si habet causam diuersam ab ea, in quam factum est implementum.*
6 *Dos data intuitu renunciationis reportatæ à dotata, non dicitur data per dotantem, sed de bonis propriis dotatæ.*
7 *Declaratur quando id procedat.*
8 *Vt attendi debeat propositio immorandi in substantia voluntatis, non autem in formalitate verborum.*
9 *De circumstantijs, vel argumentis, ex quibus legatum habeat certam causam, quamuis non adiectam.*
10 *De eodem, de quo num. 8., vt inquiri debeat substantia voluntatis, nõ autem cortex verborum, & quomodo huiusmodi quæstiones decidi debeant.*

DISC. LI.

IO. Antonius, institutis hæredibus filijs masculis, atquè prouisis filiabus de dote, Ioannæ nepti ex fratre prædefuncto, amore Dei, ac ob beneuolẽtiam, relinquere professus est, victum, vestitũ, & habitationem in eius domo, vsque quò carnaliter, vel spiritualiter nuberet; Per capitulum verò separatum, eidem legauit scuta 400. inuestienda in bonis stabilibus, quorum fructus spectare deberent ad hæredes, vsquequò innupta domi remaneret, atquè victum, & vestitum reciperet; Ipsa verò Monasterium ingrediente, possent dicta bona liberè in dotem dari, sed si carnaliter nuberet, dari non possent, nisi cum pacto reuersiuo ad hæredes in casu obitus sine filijs; Cum autem idem testator, ad plures annos superuiuens, eamdem Ioannam maritauerit cum competenti dote in summa excedente dictum legatum, reportata ab eadem cõsueta renuncia successionibus paternis, & maternis, & cuiusdam patrui; Hinc proindè sequuta morte testatoris, dicta Ioanna, eiusquè vir, legatum prædictum prætendebant, vndè desuper ex parte hæredum pro veritate consultus, ad effectum deliberandi quid expediret.

1

Attento sensu litterali testamenti, attentisquè iuris regulis, seù DD. traditionibus generalibus, pro legataria prime aspectu respondendum videbatur, quoniam in ista quæstione, an ea, quæ data
2 sunt per testatorem in vita legatario, censeantur data in adimplementum legati, adeoùt istud peti non possit, vel potiùs debeatur vtrumquè (quod adeo acriter disputatum fuit *in Romana legati scutorum* 50. *m. coram Dunozetto inter suas decis.* 560. & 579., & *coram Cerro decis* 41. & 309. *par.* 9. *rec.* & in alijs, editis in ea causa, in qua Rota variauit, adeoùt ob difficultatem oportuerit, quod per concordiam finem reciperet.)

Illa videtur distinctio, quod, Aut legatum expressam habet causam, quæ
3 postmodùm in vita impleta sit, et tunc illud cesset, vtpotè præuentiuè satisfactũ ad textum *in l. filia legaterum Cod. de legatis,*

gatis, & l. Lucius Titius 1. ff. de legat. 2., vbi communiter DD. de quibus generaliter Rota d. decis. 41. & 309. par. 9. rec., & prius decis. 499. par. 2., & apud Gregor. decis. 236., & aduertitur in alijs, hoc eodem tit.; Et in specie legati pro dote Paschal. de patr. potest. par. 2. cap. 6. nu. 35. cum seqq. Millin. decis. 249. numer. 1. add. ad Gregor. dicta decis. 236. num. 15. cum alijs collectis per Boss. de matrim. cap. 11. num. 551., et habetur sub tit. de dote disc. generali 154. & in alijs.

Remanente solum quæstione, de qua apud Fab. de Ann. cons. 91. de Marin. resol. 93. lib. 1. Andreol. contr. 140. Boss. vbi supra num. 552. Gregor. & add. dicta decis. 236., & de qua habetur alibi hoc eodem titulo, ac dicto disc. 154. de dote, an debeatur illud plus, quod in legato continetur, quatenùs implementum in vita cum minori summa factum esset, de quo in præsenti agere non oportebat, cum potiùs supponeretur data maior summa. 4

Aut nulla causa expressa est, et tunc aliqua maior intrat dubitatio, sed si est expressa, illaquè diuersa sit ab altera, in cuius causam implementũ in vita sequutum sit, tunc ad legatum non refertur, ideoquè vtrumq; debetur ex ijs quæ cæteris relatis habentur decis. 207. & 233. par. 3. rec., & dicta decis. 499. par. 2., quæ est eadem apud Dunozet. sen. decis. 20., & supponitur tanquam absolutum in decisionibus editis in dicta Romana legati scutorum 50. m., in quarum casu quæstio erat, vbi legatũ, ac respectiuè implementum in vita non continerent identitatẽ, vel respectiuè diuersitatem causæ, adeoùt versaremur in ambiguo. 5

Applicando autem istam theoricam ad factum, pro legataria actrice potiùs respondendum videbatur, quoniam legatum principalem causam expressam habebat pro amore Dei, ac etiam pro benevolentia, & non dicebatur pro dote, in cuius causam solùm dabatur facultas erogandi bona, in quæ summa legata inuestienda erat, ideoquè versari videbamur in secunda parte distinctionis.

Clariùs verò, quoniam idem testator dotando in vita reportauerat à puella dotata renunciationem bonis paternis, & maternis, & quibuscumq; iuribus sibi competentibus super bonis alterius patrui defuncti, vndè propterea intrat frequens, ac recepta conclusio, de qua apud Dunozett. decis. 267., quæ in Curia circumferrur tanquam magistralis, sæpiùs canonizata præsertim coram eodem decis. 528. in Romana pecunia 15. Iunij 1665. coram Albergato, & in alijs, ac insinuatur pluries in sua materia sub tit. de dote, dicto disc. 154. & in alijs, occasione agendi de articulo, an, & quando dos sit aduentitia siuè profectitia, seù recipiat onera, & grauamina, quod scilicèt ea dos, quæ datur puellæ renuncianti successionibus, alijsquè eius iuribus, ad fauorem dotantis, vel alterius eius intuitu, & contemplatione, nõ dicitur constitui per ipsum dotãtem de bonis suis, sed de bonis proprijs ipsius puellæ dotatæ, tanquam pretium iurium renunciatorum, siuè sint in re, siuè sint in spe; Et consequenter neque intrare videbatur quæstio, dum ea procedit, quando vtrumque factum sit ab eodem testatore de eius bonis, quod in præsenti dici non poterat, dum dotatio in vita sequuta erat de eiusdẽ puellæ dotatæ bonis proprijs, ideoquè legatum remanebat in suo esse, atquè cessabat quæstio in radice. 6

Quando istud vltimum motiuum haberet facti subsistentiam, quod scilicèt bona, & iura, in re, vel in spe eidem puellæ cõpetentia, atq; patruo dotanti renunciata, istud pretium seù recompensam mererentur, adeoùt dicta conclusio intraret, tunc pro legatario probabilius responderi debuisset; Verùm supponebatur, quod id nullum haberet facti fomentum, quodquè ista renunciatio esset penè de vento, adiecta instrumento dorali pro quodam stylo, seù formula Notarij; Potissimè quia eius contextus verbalis probabat, quod de illa sollicitus nõ fuisset ipse patruus dotator, adeoùt renunciatio dicenda veniret correspectiua renunciationi, quæ aliàs sequuta non esset, (in quibus terminis verè, & propriè dicta conclusio intrat) sed legebatur spõte facta cum assertione eiusdem puellæ, quod fieret ex motiuo gratitudinis erga patruum eius prouisorem, vnde propterea id in nulla consideratione habendũ venit, quoniam vt aduertitur in dicta sua materia sub tit. de dote, dicta conclusio non fundatur in sola formalitate verbali renunciationis, sed in substãtia veri- 7

tatis, seù rationis, vt id, quod datur pro dote, probabiliter, seù præsumptiuè dici valeat pretium adæquatum iuribus renunciatis, vndè propterea intraret correspectiuitas, Secùs autem, vbi ea fiat pro stylo, & vsu communi, siuè ad quamdam exuberãtem cautelam, in effectu autem dicta ratio non verificetur, et hic supponebatur casus; Quare isto aliàs nimium efficaci motiuo cessante, decisio pendebat à dicta quæstione, seù dictæ iuris theoricæ applicatione, et àn potiùs in vna, quàm in altera distinctionis parte versaremur.

In hoc autem (præmissis non obstantibus), pro hæredibus omninò responderi debere censui, procedendo cum adeò frequentèr insinuata propositione, quæ Iudicantium, & Consulentium, in huiusmodi quæstionibus ambiguæ voluntatis,
8 primaria, ac perpetua magistra esse debet, vt scilicèt immorandum non sit in formalitatibus verborum, siuè in regulis, & propositionibus generalibus iuris, sed indagari debet substantia veritatis, seù voluntatis disponentis.

Ista verò attenta, atq; ponderato, non quidem per partes, grãmaticali more, sed toto contextu dispositionis, ad nimiã euidẽtiã patere videbatur, vt hæc dispositio alium finem non haberet, nisi illum collocandi hanc puellam, eiusquè honestati
9 consulendi, cum vno, vel altero matrimonio, quatenus illam superuiuentem collocare oportuisset, istaquè prouisione pendente, prouisa remaneret de victu, & vestitu, ac habitatione in domo propria testatoris; Et in summa, vt hæredes erga eam agerent id, quod ipse viuens agebat, vel acturus esset, si viueret.

Idquè euidenter probari obseruabam ex discretiuo modo tento super facultate assignandi in dotem bona ex legato acquirenda, quoniam si matrimonium esset spirituale, prò quo dare oportebat dotẽ liberam, & quæ nullum pactum reuersiuum admittit ex deductis in materia dotis monialium *sub tit. de dote disc.* 167., hanc libertatẽ expressit; E' conuerso autem, adiecit pactũ reuersiuum, quod per dotantes ex liberalitate adijci solet, & quasi pro cõmuni vsu est cõnaturale etiã in pijs subsidijs dotalibus pro matrimonio carnali in casu obitus sine filijs, quoniam iustum, & congruũ est, vt potiùs ad ipsius dotantis hæredes, quàm ad hæredes extraneos mulieris tanquam ex cessante causa dandi, bona reuertantur; Igitur clara remanebat voluntas relinquẽdi hoc legatum, in solam, ac præcisam causam dotationis, quamuis in eius ordinatione non exprimeretur causa pro dote, dum per subsequentem ordinationem, nimium clarè dicta expressio facta est.

Ponderando etiam in idem aliquam prouisionem, vt fructus bonorum emendorum, collocatione pendente, esse deberent hæredum; Ac etiam fortiter, quod ipsismet proprijs testatoris filiabus aliud relinquere noluit nisi congruam dotem, vndè propterea, si innuptæ decederent nihil eis relinquere voluit; Ideoque prorsus improbabile videbatur, vt nepti ex fratre absquè dubio minus dilectæ, postquam eam in vita congruè prouiderat grauando proprios filios masculos, quos fauore filiarum grauare noluit, ad superfluam ditationem, vel exuberantiam relinquere voluisset hanc summam; Adeoùt si casus dedisset, vt testator hanc puellam in vita non dotasset, eaquè innupta decessisset, omninò verius legatum tanquam conditionale fuisset caducatũ, quamuis attento rigore formalitatis verborum, seù leguleicis propositionibus, & subtilitatibus, contrarium dicendum videretur, eo quia dos posita non esset pro cõditione explicita, quoniã non formalitas verborum, sed substantia voluntatis attendenda est, ex ea congrua pluries inculcata ratione, quod verba frequentius potiùs vnã, quàm alterã habent formulã
10 ex stylo, vel imperitia Notarij, vel alterius scriptoris testamenti sine dubio non percipientis effectus, qui ex vna, vel altera loquendi formula resultant, ideoquè indagare oportet ipsius disponentis voluntatem, potiùs ex facto, eiusquè circumstantijs, ac tota massa dispositionis, quàm ex huiusmodi formalitatibus, & grammaticalibus significationibus verborum; Vndè meritò, citrà superfluitatis vitium, semper repetenda est damnatio moderni abusus insistendi in verbis, vel in regulis, ac doctrinis generalibus pro decidendis huiusmodi quæstionibus, quoniam in effectu non sunt iuris, sed facti, & voluntatis, ideoquè pro facti qualitate decidendæ veniunt.

Ex-

Expressio autem dictæ diuersæ causæ beneuolentiæ,& pro amore Dei,non immutabat substantiam dictæ veritatis, sed continebat quamdam expressionē, quod testator proprios habens filios, nullamquè habens obligationem,quia nulla bona parentum puellę in manibus habebat, adhùc tamen ex charitate,de illius prouisione sollicitus fuit, istamquè rationem dicta expressio habebat.

ROMANA CONTRIBVTIONIS PRO SOCIETATE SS. STIGMATVM CVM HORATIO DE ABBATIBVS.

Discursus in congressu pro veritate.

An legatarius quotæ,seù alicuius vniuersitatis bonorum, teneatur concurrere cum hærede in solutione æris alieni, aliorumquè onerum hæreditariorum, ac etiam legatorum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De distinctione inter legatum quotæ hæreditatis, & quotæ bonorum.*
3 *Legatarius particularis non tenetur contribuere ad onera hæreditaria.*
4 *De alia distinctione inter legatum quotæ, & illud alicuius generis bonorum.*
5 *In quo consistat differentia inter legatū quotæ hæreditatis, & quotæ bonorum.*
6 *De Voto Auctoris, & quod hæredis institutio fieri potest per quæcumque verba etiam per viam legati adiecti vniuersitati bonorum.*
7 *Genus aliquorum bonorum reputatur tāquam species particularis.*
8 *De contributione ad debita inter hæredem allodialem, & feudalem.*
9 *Feudum est vniuersitas, sed declaratur.*
10 *De vniuersitate bonorum allodialium, quæ reputetur tanquam res particularis.*
11 *An codicillis hæreditas detur, vel adimatur.*
12 *Quomodo ista materia regulari debeat.*
13 *Qualis sit casus controuersiæ.*
14 *In dubio pro causa pia.*
15 *Ademptio est odiosa, & in dubio contrà eam.*
16 *In dubio, an pro hærede, vel pro legatario.*
17 *Deferendum est scriptori testamenti, seù aliàs informato.*
18 *De falcidiæ detractione remissiuè.*
19 *Quomodo Ecclesia, vel pia causa debeat se gerere.*

DISC. LII.

1 MArcellus de Abbatibus causarum Patronus (parto ex parsimonia, & industria notabili asse, eius statum, ac omnium opinionem excedēte), in testamento, factis aliquibus legatis particularibus, inter quæ vnum continebatur de duabus tabulis pictis ad fauorem Horatij germani fratris, hæredem scripsit Societatem SS. Stigmatum Sancti Francisci, cui ipse adscriptus erat, cum onere erigendi ex fructibus, vel redditibus tot cappellanias pro celebratione missarum in eiusdem Societatis Ecclesia; Postmodùm verò, quodam nobili viro eius amico suadente, vt dictum eius fratrem melius tractare deberet,in codicillis propè mortem ordinatis, medietatem omnium bonorum ei legauit; Cumquè sequuta morte, Horatius legatarius prætensionem excitasset, quod

sibi

sibi integra omnium bonorum medietas debita esset, nulla facta onerum, seù legatorum deductione, adeoùt illorum implementum incumberet hæredi ex reliquo semisse; E' conuerso autem aliqui Societatis zelantes officiales aliam prætensionem excitassent super detractione falcidiæ; Hinc proindè, ex parte eiusdē Societatis conuocatus fuit plurium Aduocatorum congressus, vt pro commendabili Curiæ stylo, eiusdem prætensionis respectiuè inquireretur veritas, cui ipsa, piâ, nimiumq; exemplaris Societas, absq; lite acquiescceret.

In hoc autem congressu, Aliqui iuniores, quibus pro stylo priùs discurrere incumbebat; Quatenùs pertinet ad primum punctum super prætensione Horatij legatarij, pro ipso concludebant, procedendo cum communi distinctione, de
2 qua, antiquioribus collectis habetur præsertim *apud Spin. in specul. testam. glos. 8. in principio tit. de legatis*, & *apud Castill. de vsufruct. cap. 59. numer. 12. & sequent.*, inter legatarium quotæ hæreditatis, & legatarium quotæ bonorum, vt primo casu intret contributum inter hæredem, & legatarium, atquè per vtrumquè onera impleri debeant, cùm tunc legatarius dicatur etiam participare de vniuerso iure, tàm actiuo, quàm passiuo; Secùs autem in altero casu, in quo ratio huius vniuersitatis iurium non intret, ideoquè dicatur legatarius particularis, qui non concurrit cum hærede in
3 supportatione onerū, nisi quatenùs hæreditas, quæ cum beneficio inuentarij adita sit, non esset omnibus idonea, vt apud allegatos, atquè posita dispositione particulari, videtur principium certum.

Alij verò in contraria erant sententia, procedendo cum altera distinctione benè tradita *per Marcian. iun. disput. 82.*, vbi concordantes, quod scilicèt etiam in legatario partis bonorum, non autem
4 hæreditatis; Aliud est agere de legato alicuius vniuersitatis, vel generis bonorum, putà de omnibus mobilibus, ac nominibus debitorū, siuè de omnibus bonis tàm mobilibus, quā stabilibus in aliqua Ciuitate, vel Prouincia existentibus, aut ad aliquam negotiationem, vel rationem pertinentibus; Aliud verò de legato quotæ bonorum in vniuersum; Vt scilicet in primo casu dicatur legatum particulare, ideoquè non intret contributio; Secùs autem in altero, in quo vniuersitas iuris actiui, ac passiui relicta censetur, cum
5 tunc nulla dignoscatur differentia inter legatariū quotæ hæreditatis, & legatarij quotæ bonorum, nisi illa, quæ ex quadam iuris subtilitate ponderari solet circa actiones directas actiuas, vel passiuas, earumquè fauorabile, vel odiosum exercitium, vt benè ponderatur *apud Marcian. dicta disput. 82.*

Mihi placuit hæc posterior sententia, cui (post alios discurrendo) dicebam maiorem videri assistere probabilitatem,
6 non solùm ex præmissis considerationibus, sed etiam ex alijs, de quibus inter quibus auditis, etiam alij diuersam tenentes in eamdem deuenerunt.

Dicebam igitur, quod hæc vltima distinctio probabilior videretur; Licèt enim antiquum ius Digestorum circà titulum hæreditarium nimiùm insistat subtilitate, seu formalitate verborum; Attamen ista subtilitas de iure nouo Codicis rationabilius sublata est, quoniam vbicumq; dispositio vniuersitatem contineat, tunc hæreditariam qualitatem importat, non curando, an per verba hæredis institutionem denotantia, vel per alia, quæ denotent legatum, dispositio concepta sit, spectando potiùs substantiam dispositionis, super ipsa vniuersitate, quæ omnium actiuorum, ac passiuorum iurium complexiua sit, qualiacumq; sint bona & iura, & vbicumque sint posita, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Capyc. Latr. decis. 5. num. 17. & 18. & consult. 10. num. 14.*, vbi in specie de verbis legatum denotantibus, cum alijs plenè collectis *per add. ad decis. 25. num. 16. & seqq. par. 3. rec., Buratt. decis. 847. num. 1. & seqq.*, & *sub tit. de testamen.*, ac sub altero *de hæred.* 9

E conuerso autem, vbi legatum est de certo genere bonorū, tunc quamuis istud vniuersitatem contineat, attamen dicitur vniuersitas subalterna, quæ comparatiuè ad alteram maiorem constitutam
7 ex vniuerso iure hæreditario, constituere dicitur rem particularem, quamuis sub eodem genere veniant omnia iura actiua & passiua eidem generi annexa, quoniam hæc, discretè ab vniuersitate omnium iurium importantium repræsentationem personæ defuncti, particularia dicuntur.

Ad

Ad quod, vltrà præmissa, ponderabam ea, quę cæteris relatis habentur plenè deducta *apud Capyc. Latr. dicta consult. 9. & 10.* & insinuatur in sua materia *sub tit. de feud.*, circà contributionem onerum hæreditariorum, tam ratione æris alieni, & expensarum funeris, quàm ratione legatorum, aliorumque onerum, inter hæredem in allodialibus, ac alterum in feudalibus, quoniam vtraque hæreditas veram vniuersitatem continet, atque defunctum æquè repræsentat; Verùm id procedit in eo, qui est hæres, vel successor in vniuerso patrimonio respectiuè, secùs autem, vbi agatur de successione alicuius iuris particularis, quamuis istud, etiam genus, vel vniuersitatem importet, quoniam discretè, seu comparatiuè dicitur res particularis.

8

Vt putà, feudum dicitur vniuersitas, cadente solùm quæstione, an sit vniuersitas iuris tantùm, vel facti tantùm, vel vtriusq; ex plenè deductis *per Amichangel. quæst. feudal. 3. Capyc. Latr. dicta consult. 9. & 10.*, & insinuatur in dicta sua materia *sub tit. de feud.*; Sed si possessor plurium feudorum, vnum eorum alicui relinquat, iste dicendus veniet legatarius particularis, non obligatus ad contributum, quoniam comparatiuè ad vniuersitatem patrimonij feudalis, dicendus venit legatarius particularis, dùm vniuersalis successio in vtroque iure actiuo & passiuo explicatur, secùs autem, vbi agatur de illo iure vniuerso, quod est particulariter annexum ipsi generi subalterno.

9

Quod etiam in patrimonio allodiali rectè exemplificari potest, quia nempè alicui fiat legatum de ratione bancaria, seù taberna, vel alio negotio, aut etiam de grege, siuè de vniuersitate bonorum alicuius Ciuitatis, vel prouinciæ, quoniam ista in se dicitur vniuersitas iurium actiuorum, & passiuorum spectantium ad ipsam rationem, seù tabernam iuxtà ea, quæ habentur *in Romana legati de Hyeot d. 38.* & in celebri decisione *in Romana de Ceulis corã Pœnia* inter suas *dec. 397.*, & *apud Gratian. discept. 256. num. 7. cum seqq.*, vbi de donatione, vel dispositione rationis bancariæ, ac enunciatur *sub tit. de donat. disc 45.*, occasione agendi quando dicatur donatio vniuersalis, vel particularis; Verũ cõparatiuè ad vniuersitatem omnium bonorum, & iurium dicitur res particularis, eo modo, quo aliquod genus, reputatur tanquam species comparatiuè ad aliud genus generalissimum, secùs autem, vbi de isto sit dispositio, & hic erat casus; Ideoquè formalitas verborum attendenda non videtur, sed potiùs substãtia veritatis, quod s. vterq; tanquam successor vniuersalis ad eamdem vniuersitatem per quotas æquè vocatus esset.

10

Et quamuis in hac facti specie, obstare videretur iuris regula, de qua in sua materia *sub tit. de testam.*, quod hæreditas directè codicillis dari, vel adimi non potest, ideòquè ista codicillaris dispositio ius hæreditarium directum importare non posset; Nihilominùs aduertebam, vt id ad rem obstare non deberet ex duplici fundamento; Primò nempè, quia agebatur cum causa pia, cuius respectu non attenduntur huiusmodi iuris ciuilis subtilitates, ac distinctiones, vt pluries in dicta sua materia *sub tit. de testam.*; Et secũdò, quod Aliud est de hoc agere, ad effectum exercitij iurium directorum, atquè pro ijs, quæ sunt ordinis; Aliud verò, ad effectum regulandi voluntatem testatoris, & qualis istius substantia sit, necnè.

11

Prætereà (laudando istas generalitates, quarum inspectio, seù notitia nedùm congrua, sed etiam necessaria est pro specialitate regulanda), insistebam in mea consueta propositione, de qua adeò frequenter *hoc eodem titulo*, ac in alijs *de testam. & de fideicom.*, & in omni ferè alia materia; Quod scilicèt in his quæstionibus agitur de interprætando defuncti voluntatem, quæ totum facit, ac regulat, atquè iuris generales propositiones cessare facit, ex ijs, quæ in his specialibus terminis contributi inter duplicem hæredem feudalem, & allodialem habentur *sub tit. de feud. disc. 21. & seqq.* ac etiam *hoc eodem tit.* in proposito contributi inter legatarios, quãdo hęreditas omnibus legatis idonea non est; Ideoq; omnes dicũtur inspectiones facti, nõ autẽ iuris, ex ipsius facti specifica qualitate, ac singulorum casuum indiuiduis circumstantijs decidendæ, principaliter attendendo eiusdem voluntatis substantiam, non autem verborum formalitates, seu grammaticales significationes, vel iuris apices, ac regulas generales.

12

Ap-

Applicando autem ad rem (ſtante præmiſſa facti ſerie) euidens videbatur ſubſtantia voluntatis teſtatoris faciendi
13 eius fratrem in omnibus æqualem Societati, quam hæredem ſcripſerat, adeoùt eſſet vtriuſq; conditio æqualis in eo, quod detractis oneribus, & aliquibus legatis, in hæreditate ſupereſſet.

Et nihilominùs aduertebam, vt ſufficeret ex præmiſſis id reddi dubium, vt in dubio interpretatio ità fauore hæredis contrà legatarium facienda eſſet ex tri-
14 bus regulis, ſeu propoſitionibus, quarum quælibet ſufficeret, multò magis omnibus ſimul iunctis, atq; in idem tendentibus; Primò nempè ob fauorem pię cauſæ, pro qua in dubio facienda eſt interpretatio, vt legatum cenſeatur quod magis, vt pluries alibi *hoc eod. tit.* aduertitur.

Secundò, quod cum iſtud legatum importaret ademptionem medietatis bonorum, quæ generaliter Societati in teſtamento relicta fuerant, atquè ademptio in
15 iure odioſa reputetur; Hinc proindè, cõtrà eam, ſeu pro eius reſtrictione, ac minori operatione, quo magis fieri poteſt, interpretatio facienda eſt.

Et tertiò, quoniam, vt alibi *hoc eodem tit.* aduertitur, in ea quæſtione, cuius fauore potiùs legati interpretatio facienda ſit, an ſcilicèt lata fauore legatarij, vel ſtricta fauore hæredis; Vera & recepta
16 diſtinctio eſt, vt in dubio, quando de voluntate teſtatoris expreſsè, vel coniecturaliter nõ conſtet, attendi debeat major dilectio, an ſit reſpectiuè ergà hæredem, vel ergà legatariũ; Ideoq; cũ in hac facti ſpecie abſque dubio, etiam ex regulis generalibus, maior cenſenda eſſet dilectio ergà hæredem; Tùm ob pietatem cauſæ, quæ iuxtà receptã diſtinctionem, exceptis liberis circà legitimã, magis dilecta præſumitur, potiſſimè vbi pro celebratione miſſarum, ac ſuffragio animæ ipſius teſtatoris; Tùm etiam ob expreſsè declaratam maiorem dilectionem in teſtamento, hinc proindè videbamur eſſe in caſu plano.

Clariùs verò, ob atteſtationem illius nobilis viri, qui teſtatoris amicus, illi ſuaſerat, vt cum fratre magis beneuolè ſe
17 gereret, dùm tales narrabat circumſtantias, quod penè inuitus ad id teſtator inductus eſſet; Vt.n. vt pluries habetur *ſub tit. de fideic. & ſub altero de teſtam.*, nimiùm deferendum eſt huiuſmodi aſſertionibus eorum, qui teſtamenti, vel alterius vltimæ voluntatis ſcriptores, vel conſultores fuerunt, aut aliàs informati.

Quouerò ad alium punctum detractionis falcidiæ, quamuis Alij diſcurrentes concluderent pro affirmatiua, ex ijs, quæ in ſpecie habentur deducta *ſub tit. de*
18 *legitim. & detraction. diſc.* 34., vbi quod ea, quæ remanent penès Eccleſiam hæredem cum onere celebrationis miſſarum, ſunt detrahenda, & non dicuntur penès hæredem remanere; Attamen ex eiſdem fundamentis, de quibus *dicto diſc.* 34., ego fui in contraria ſententia, quodque vbi etiàm de ſtricto iuris rigore contrarium dicendum eſſet, adhùc tamen ob iuſtam æquitatem, quam Eccleſia, & pia cauſa ſeruare tenetur, ac etiàm ex conueniẽ-
19 tia, ſeu prudentiæ motiuo, ad allicien-dum fideles ad piè diſponendum, huiuſmodi rigores iuris ciuilis adhiberi non debent; Potiſſimè quià ipſa Eccleſia, ſeu pia cauſa iuri poſitiuo ſe non agnoſcit ſubiectam, ſed attendit naturalem veritatem, ideoquè intrare debet regula, *quod quiſque iuris &c.*, vt pluries aduertitur *ſub tit. de teſtament.*; Controuerſia verò adhuc pendet indeciſa.

SPOLETANA

SVCCESSIONIS

PRO

IACOBO TORTO

CVM

ALEXANDRO DE ALBERTIS ET VINCENTIO DE TORTIS.

Caſus diſputatus coram A.C., ſeu Prælato deputato, incertus eſt exitus.

An & quando per ſecundum legatum con-

contentum in codicillis, censeatur ademptum, seu diminutum alterum legatum in testamento factum eidem personæ.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
An per secundum legatum censeatur ademptum primum, vel potiùs debeatur vtrumque.
2 *Quod sit quæstio voluntatis, & quomodò decidenda sit.*
4 *Ponderantur plures coniecturæ pro ademptione affirmatiua, vel negatiua.*
5 *De eodem &c.*
6 *De alio casu controuersiæ, & quando per secundum legatum specierum comprehensarum sub genere priùs legato, istud censeatur ademptum, vel reformatum.*

DISC. LIII.

1 PRopertius de Anticis, scriptis hæredibus Cinthia, & Iulia sororibus, Iacobũ autẽ & Vincentiũ nepotes ex Iulia altera sorore prædefuncta instituendo in vnica portione æquali sororibus viuentibus, ità seruando ordinem intestatæ successionis; Alexandro dictæ Cinthiæ filio legauit prædium, sub onere assumendi cognomen & insignia; Cum autem casus dedisset mortem prædictarum Cinthię, & Iulię, idcircò in codicillis hæreditatẽ reliquit pro medietate dicto Alexandro, & pro altera medietate præfatis Iacobo & Vincẽtio; Quare inter istos, plures sortę sũt cõtrouersię, inter quas fuit ista, an. s. Alexander præcipuum obtinere deberet dictum legatum in testamento sibi relictum; Habitaque vnica disputatione coram A.C. seu Prælato Iudice deputato, non audiui amplius actum de causa; Vel quia concordata fuerit; Vel quia defensores mutauerit, neque vidi iura alterius partis, ideoque iudicium pro veritate desuper efformari non potuit.

In hac igitur disputatione; Scribens pro Iacobo, more Aduocati ad causæ oportunitatem, admittebam, quod stante diuersitate scripturarũ, ac rerum, adeoùt 2 subiectæ materiæ duplicatio non resisteret, regula assisteret duplicationi, ac resisteret ademptioni, seu transfusioni prioris legati in secundum, ad communiter notata *per DD. in l. quinquaginta ff. de probat. & in l. Lucius 1. ff. de legat. 2. & l. si pluribus §. 1. ff. de legat. 2.*, & alibi ex plenè ac elaboratè deductis *per Fab. de Ann. cons. 91. per tot.*, vbi omnes opiniones recensentur *Menoch. lib. 4. præsumpt. 167. & 173. Mantic. de coniectur. lib. 12. tit. 2. & tit. 4. & Rota decis. 41. num. 53. & sequen.* & plenius *decis. 309. num. 50. cum sequen. par. 9. rec.*

Dicebam tamen, quod ista, proùt ferè omnes aliæ vltimarum voluntatum quæstiones, hodiè non videtur amplius iuris, 3 sed sunt solùm facti & applicationis; Cõtrouersia enim inter DD. est in omninò ambiguis, & quando particulares coniecturæ, vel facti circumstantiæ diuersam dispontentis voluntatem non ostendant, secùs autem ista accedente, cui omnes iurium dispositiones, ac DD. traditiones cedunt, itaùt dicatur more coniecturalium materia repolita in Iudicis arbitrio potissimùm regulando ex facti circumstantijs, in quarum defectum recurrendum est ad regulas, seu præsumptiones iuris, nimiùm etiam deseruientes in concursu coniecturarum, & adminiculorum hinc indè, itaùt incerta sit præponderantia, quæ in ambiguo danda est illi, cui iuris regulæ assistunt, vt habetur apud allegatos, ac omnes de materia tractantes.

Plures autẽ cõiecturę põderabãtur pro mutatione volũtatis dicti testatoris super legati ademptione, Primò scilicèt ex magno temporis interstitio annorum circiter 15. inter testamentum & codicillos, 4 per quod facilùs mutatio voluntatis præsumitur, quàm incontinenti *Mantic. de coniectur. dicto lib. 12. tit. 1. num. 23. in fine, & tit. 4. num. 10.*; Verùm ista est nimis vaga & generalis; Secundò ex mutatione status rerum ob prædecessum sororum, aliorumq; nepotũ; Et ista etiã videbatur leuis, quoniàm si viuentibus adhùc sororibus proximioribus, ac prædilectis, testator hoc legatum nepoti ex sorore iam honorata relinquere voluit, non videtur vrgere congrua ratio ademptionis; Tertiò more Aduocati arguebam ab incompatibilitate, quoniàm si Alexander per codicillarem dispositionem effectus erat

hæres, vel saltim fideicommissarius vniuersalis in eius quota, non poterat esse legatarius particularis in toto prædio, cum actio,& passio non dentur in eodem subiecto,neque legatum à seipso præstari possit; Allegãdo ad id(more Cõsulentium pro ornatu scripturæ)quamplura iura,& auctoritates super huiusmodi notoria, & indubitata propositione; Verũ istud quoque motiuum nullius põderis,ac omninò fallax erat,quoniã implicãtia procederet, vbi institutus esset hęres insolidũ,itaùt à seipso legatũ recipere deberet, secùs autẽ,dũ habebat cohæredem;Quartò deducebam regulam, vt peralienationem, vel dispositionem omnium bonorum cẽseatur ademptum legatum particulare sub genere compræhensum ex deductis *per Menoch.dicta præsumpt.167.nu.19.*; Adhùc tamen id leue videbatur, cum dispositio vniuersitatis bonorum in codicillis contenta, rectè compatibilis esset cum hoc legato,eodem modo, quo in testamento ità compatibiliter de reliquis bonis hæreditarijs ad fauorem institutorum dispositum erat; Quintò ex motiuo æqualitatis seruandæ,potissimè,quia pinguius (sequendo opinionem *Accursij*) dispositum erat ad fauorem legatarij,quàm si ab intestato succedissent, cum tunc attẽdi potiùs debuisset magis recepta opinio *Azzonis*; Connectendo cum ista coniectura ponderationem, quod secunda prouisio est pinguior,vndè facilius intrat limitatio regulæ desumptæ ex textu *in d. l.quinquaginta*, quę propriè intrat,quãdò aliàs excluſa duplicatione vna ex duabus dispositionibus remaneret fatua, & inanis,vt benè de materia, seu intellectu dicti textus habetur *per Rot.dicta decis.41. num.53 & sequen.,& decis.309.num.26. cum seqq.par.9.rec.*; Verũ neq; ista coniectura stringebat,quoniàm sicuti in testamento, firmo remanente legato, testator in reliquo asse,ordinem intestatæ successionis ad fauorem legitimorum hæredum seruare voluit, ità immutatis personis, idem fecit in codicillis, absque alia eiusdem ordinis alteratione,nisi quod sequutus est magis opinionem *Accursij* quàm *Azzonis*,vndè hæc secunda dispositio videtur regulanda à præcedenti testamentaria, per quam, legitimorum ab intestato succedentium vocatio, facta est compatibiliter cum dicto legato.

Quarè illa videbatur vnica coniectura alicuius momenti, quæ resultabat ex dispositione partis dicti prædij ad fauorem Agnetis neptis ex Tullia altera soror defuncta in solo vsufructu, cum tamen presſa dispositione, vt ea defuncta consolidaretur cum proprietate ad fauorem dicti Alexandri,Iacobi, & Vincentij hæredum, vndè clara videbatur deduci voluntas,quod prædium,non sub legato,sed sub vniuersa hæreditate veniret, atque stante ista efficaci coniectura considerabiles dicebam etiàm alias superiùs recensitas insimùl ponderandas in iſtius coroborationem, quamuis singulariter essent leues,ex consueta regula, *vt singula, quæ non prosunt &c.*

Licèt enim satis me torqueret contraria coniectura desumpta ex contemplatione agnationis, dùm testator dicto prælegato adiecit onus assumptionis cognominis & familiæ pro perpetua eius conseruatione; Nihilominùs dicta altera coniectura videbatur magis specialis; Accedẽtibus etiàm tot alijs generalibus, illis præsertim notabilis distantiæ temporis,ac mutationis personarum, ac etiã quià si testator eamdem intentionem à tempore codicillorum habuisset, verisimiliter idem onus repetijsset in magis pingui dispositione facta ad fauorem eiusdem Alexandri, ac etiam verisimiliter idẽ ordinasset cũ alijs nepotibus; Verùm hæc omnia ponderabam per discussum absq; mei iudicij efformatione, dicta altera parte non audita, defuit occasio maturioris examinis veritatis.

In eadem materia, vnicam pariter disputationem habui coram A. C. cum incerto exitu *in vna Rauennaten.legati pro* Achille Mattarello cum Lucretia Lupitella; Nicolaus enim Mattarellus scripto hærede Achille,in eodem testamẽto reliquit ad vitam pro habitatione Lucretiæ vxori appartamentum superius suæ domus vna cum granario, columbario, alijsquè mansiunculis vulgò *camerini*; In codicillis autem postmodùm confectis, reliquit Antonio Mattarello vnam aulam in dicto appartamento superiori, reliquum verò dicti appartamẽti, vna cum coquina,& dictis mansiunculis vulgò *camerini*, reliquit dictæ vxori ad vsumfructum,seu habitationem; Vndè propterea orta est controuersia, an dictæ legatariæ de-

deberentur etiam granarium, & columbarium, de quibus in testamento, vel potius sola codicillaris dispositio attendenda esset vtpotè prioris ademptiua, seu reformatiua.

Pro herede autē scribens, dicebā, quod cum ageretur de legato, vel ratione causæ, vel ratione materiæ non admittente duplicationem, certa videbatur conclusio, vt per legatum magis diminutum in codicillis factum super eadem re, censeretur ademptum illud plus, quod in priori testamento ad fauorem eiusdem legatarij continebatur iuxtā textum expressum *in l. libertis ff. de alim. & cibar. legatis*, vbi cum testator tribus libertis decem menstruos pro alimentis reliquisset, si postea in codicillis, omnibus libertis septē menstruos relinquat, priùs legatū moderatum videtur, ibique *glos. verb. relicta fit*, plenius deducit iura concordantia, cum quibus pertranseunt *Bart., Ias.* & cæteri *in l. non ad ea §. vltimo ff. de condit. & demonstr. l. cū centum ff. de adim. legat. & in l. quinquaginta ff. de probat.* ac alibi; Atque eiusdē textus dispositio in proposito etiā contrà Ecclesiam, seù piam causam ponderatur *in Romana prætensi legati coram Ghisterio decis. 10. par. 10. rec.*, vbi cum testator priùs se declarasset relinquere Ecclesiæ scuta mille auri, deindè verò reliquisset scuta mille monetæ, nedùm excluditur duplicatio ob vnicitatem causæ, sed firmatur, vt hęc secunda dispositio attendenda sit; (Licèt ista decisio verè non percutiat calum, cum præcipuum illius fundamentum consistat in eo, quod prior dispositio contenta solùm esset in lapide, quem super eius sepulchro testator viuens apposuerat, ideòque dicenda non esset perfecta, vtpotè indicans potiùs velleitatem, ac futuram voluntatem).

Eo magis, quià in secundo legato testator enumerauit aliam officinā in primo non contentā, nempè coquinā, ex qua posteriori denominatione videtur ad istā se restringere voluisse iuxtā tex. *in l. Seiæ ff. de fundo instructo*, in cuius casu, testator reliquerat Seiæ fundos instructos cum suis villicis & reliquis colonorum, sub quo legato veniebant omnia, quæ pro patrisfamilias quotidiano vsu in fundo erant, & tamen si in codicillis eidem relinquat eosdem fūdos cum supellectili, pecude, villicis, cum reliquis colonorū, & apotheca, deciditur quod nō debetur amplius, quā in codicillis contē ū est, eo quia per hāc secundā dispositionē cum enumeratione specierum, censetur à prima recessum; & quem textum expēdit *Cyriac. lib. 1. obser. cap. 27.*; Quoties enim posterius legatum continet qualemqualē diuersitatē à primo, tūc istud censetur in illud transfusum ad text. *in l. cum centum ff. de adim. legatis, & l. cum non ad ea ff. de condit. & demonstr. Bellon. iun. cons. 15. num. 16.*

Ponderabam etiam pro præmissorum corroboratione aliquam distātiam temporis inter testamentum & codicillos, ex qua facilius mutatio voluntatis præsumitur *Mantic. de coniectur. lib. 12. tit. 4. num. 10.*, *ac alibi eod. tractat.*; Necnon satis considerabilis videbatur causa minuendi, ex eo quod legataria per plures dies virum languentem dereliquisset, & de quo cōstabat, quod ipse cōquæstus esset, quæ causa etiam ex sola iuris dispositione reputatur sufficiens ad inducendam præsumptam ademptionem ex deductis *per Mantic. de coniectur. lib. 12. tit. 2. num. 18. in fine*; Concurrente etiam expressa alteratione prioris legati; Tùm in diminutione, dùm eiusdem appartamenti duas aulas Antonio in codicillis reliquit; Tùm etiam quia super residuo dictę vxori relicto, adiecit in codicillis quoddam pœnale præceptum, quod in testamento non continebatur.

Difficultas tamen mea (reflectendo ad veritatem) erat in facto, an scilicet dicta duo membra controuersa, granarium, & columbarium, ità connecterent cum dicto superiori appartamento, vt sub eius generica expressione aliàs venirent, itaùt particularis mentio esset potiùs expressio eius, quod tacitè inerat, vel è contrà, cum in primo casu stante illo verbo generico *residui* importante vniuersitatem totius appartamenti, satis dubitari posset de applicatione theoricæ desumptę ex dictis iuribus, in quorum casu certa erat diminutio inter vnam, & alteram speciem; Defuit autem occasio id maturius examinandi.

ROMANA PECVNIARIA, SEV LEGATI DE BENEDELLIS PRO HÆREDIBVS ANTONII BENEDELLI CVM MARINO NATO.

Discursus pro veritate.

Reuocato primo testamento per secundum, an reuocata censeantur omnia legata in primo contenta; Vel potiùs aliqua adhùc debeantur.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Reuocatio prioris testamenti per posterius procedit etiam in pijs dispositionibus.*
4 *Sed possunt deberi legata prioris testamenti.*
5 *Cessante causa ademptionis, cessat ademptio.*
6 *Quando legatum censeatur impletum in vita.*
7 *Quod per secundum testamentum reuocetur primum.*
8 *Fortiùs in legatis, quàm in institutione.*
9 *Ampliatur.*
10 *Quando id limitetur.*
11 *De confirmatione tacita ex coniecturis.*
12 *Quando dicta confirmatio cesset.*
13 *Legata præuentiuè adimpleta in vita, non debentur.*
14 *An legatum liberationis à debito censeatur ademptum ob illius exactionem.*
15 *An dispositio valeat, si adest falsa causa.*
16 *De eodem.*
17 *Quando verba enunciatiuè prolata à testatore attendantur.*

DISC. LIV.

1 ANtonius Benedellus, in primo testamento condito de anno 1641., inter quamplura legata, vnum fecit Marino Nato eius amanuensi, seu adiutori, supellectilium domus, ac liberationis à debito scutorum 1500. ex causa mutui; Morti autem proximus de mẽse Decembris 1642., præuia dicti testamenti, omniumque aliarum dispositionum reuocatione, aliud condidit testamentum, in quo declarauit se in dicto penultimo testamento quamplura legata diuersis personis feciſſe, quæ ex eo, quod viuẽs adimpleuerat, non renouabat, sed reuocabat, atque ad tres vel quatuor dies, ordinatis interim quibusdam codicillis, obijt, vndè cõperto, quod dictus Marinus erat hæreditatis debitor in scutis 1630., illiũ hæredes pulsarũt coram A.C., à quo sententiam cõdemnatoriam obtinuerũt, sed introducta causa appellationis *in Rota coram Arguelles sub die* 11. *Martij* 1650.
2 prodijt resolutio super dictæ sententiæ infirmatione ex capite iniustitiæ pro rata scutorum 1500. stante liberatione in priori testamento vt suprà relicta, non attenta eiusdem testamenti, ac legatorum in eo contentorum reuocatione per posterius; Licèt enim regula sit, vt ex posteriore testamento, præcedens, omniaq; in eo contenta ex sola iuris dispositione quamuis expressa reuocatio non accederet, corruant, ad text. *in* §. *sed & si quis priore instit. quib. mod. testam. infirmentur* cũ satis notis cõcordãtibus, multò magis
3 accedẽte reuocatione expressa, quod magis communiter receptum est procedere etiã in legatis, & dispositionibus ad pias causas, reiecta sententia volentium, vt in istis specifica & indiuidua mentio requisita sit ex deductis *per Rouit. decis.* 56. *& cons.* 93. *lib.* 1.

Nihilominùs id procedit, nisi appareat, quod diuersa fuerit testatoris voluntas, quæ etiam coniecturalis, confirmat legata in priori testamento reuocato contenta, ad text. *in l. licèt Imperator*
4

ff. de legat. 1. leg. cum proponebatur ff. de leg. 2. Cephal. conf. 73. nu. 22. Menoch. conf. 176. num. 3. Afflict. decis. 44. num. 14. cum alijs in decisione desuper extensa *per Albergatum* in locum *Arguelles* interim defuncti suffectum, & sub cuius nomine decisio edita est.

Voluntas autem prædicta desumebatur ex ratione in posteriore testamento adiecta, circa non renouationem, sed reuocationem legatorum, quia scilicèt per ipsum viuentem impleta, & satisfacta erant, vndè propterea proceditur cum dilemmatè, quod Aut testator intellexit impleuisse istud legatum tanquam liberationis operantis ipso iure, atq; non exigentis aliud implementum positiuũ, & tunc plana est voluntas; Aut id non intellexit, et tunc tanquam ex cessante dicta ratione ponderata tanquam causa finali reuocandi, illud non venit sub dicta reuocatione, ex regula, vt cessante
5 ademptionis causa, cessare quoq; debeat ademptio ad *text. in l. finali ff. de hæred. instit. glos. in §. sed & si quis verb. expressum instit. quib. mod. testam. infirmentur* cum concordantibus *apud Menoch. conf. 857. nu. 9. Rouit. conf. 55. num. 4. lib. 2.*

Inclinatur autem in priorem partem dilemmatis, quod scilicèt intellexisset dictum legatum, ità impletum, seù satisfactũ esse, ponderata particulari affectione testatoris ergà legatarium, vndè propte-
6 reà verisimile est, quod quemadmodùm reliqua omnia legata facta alijs minùs dilectis viuens impleuit, ità istud sic impletum esse intellexerit; Constituendo etiam fundamentum in aliquibus testibus deponentibus pluries audiuisse à testatore, quod Marino donauerat scuta 1500., quæ est eadem summa dicto legato correspondens, cui verbum donare adhùc congruit; Tùm quia legatum est donatio à defuncto relicta, ab hærede præstanda; Tùm etiam quia adimplendo in vita, magis donasse, quàm legasse censetur, vt liquet ex dicta decisione.

In hoc statu hæredes, ad effectum deliberandi, àn cedere, vel prosequi deberent, seù ad concordiam deuenire, me tunc circa susceptæ professionis initia, vtpotè minùs occupatum, atquè in maiori studiorum feruore constitutum (vt Curiæ cõsuetudo est) requisierunt, vt pro veritate indagarem, an fundamenta decisionis prædictæ subsisterent, nec è, stante præsertim, quod in contrarium iudicatum fuerat per Prælatum magnæ existimationis, tàm quoad doctrinã, quã quoad integritatem; Petendo etiam, vt videretur, nedum super dicti legati liberatione, de quo solùm agit decisio, sed etiam super altero legato mobilium domus, in quo legatarius erat actor.

Pro hęredibus cõtra legatariũ in omnibus respõdendũ censui, innixus principaliter dictæ regulæ, quod per posterius
7 testamentum censetur priùs reuocatum cum omnibus in eo contentis, quamuis nulla mentio fieret ex superius allegatis cum alijs *per Surd. conf. 350. n. 9. & 414. n. 22. Gratian. discept. 605. n. 11. cum sequen.*; Quinimò facilior est reuocatio legatorũ, quàm institutionis hæredis, adeoùt stare simul possint, vt institutio per posteriorem dispositionem vtpotè minus solemnem, vel aliàs defectiuam non remaneat reuocata, & tamen reuocata sint le-
8 gata, vt *post Bart. Bald.* & alios *Surd. conf. 320. n. 11.*, cum alijs *apud Rot. in Reggien. bonorum 23. Ianuarij 1647. coram Corrado §. & demùm*, vbi quod etiam ex actu nullo, minùsq; solemni probatur ademptio.

Dictaquè regula procedit, quamuis testator in posteriori testamento vnum ex legatis in priori contentis expressè reuocauerit, alijs sub silentio inuolutis,
9 non enim exindè resultat argumentum à contrario sensu super confirmatione eorum, quæ reuocata non sunt, quoniam illa si non reuocantur ex facto hominis, dicuntur reuocata ex facto legis *Castrens. in l. hæredes palàm §. si quid ff. de testam. Mantic. de coniect. lib. 12. tit. 1. numer. 36. Surd. dicto conf. 350. num. 9. Gratian. dicta discept. 605. nu. 11 & sequen.*, vndè propterea quoties non vrgeant coniecturæ, vel adminicula suadentia diuersam testantis voluntatem, quæ totum facit, atq; per legatarium probanda est, fundata remanet hæredis intentio.

Ista autẽ vera theorica ità constituta, totus punctus erat, àn constaret necnè de dicta contraria voluntate limitationis
10 productiua, de qua in præsenti dicebam non constare, quoniam *Cephal. conf. 73 & Menoch. cõs. 176.* cũ quibus proceditur in decisione, & quibus obseruabã addi posse *eumdem Cephal. conf. 74. Nattam* in eodẽ

casu

casu cõsulentem *cons.483.& seq.& cons.* 527.eumdẽq; *Menoch.cons.*857.loquũtur in casu,quo testator expresse declarasset nolle in totum priùs testamentum reuocare, sed tãtùm in aliquibus partibus reformare,& in reliquis confirmare, tunc enim quia satis in iure dubitari potest de potestate ità disponendi, cum paganus decedere non possit cum duobus testamentis, idcircò ad hoc obiectum remouendum,voluntas testatoris super cõfirmatione,ac subsistentia contentorum in priori testamento, in hoc operatiua remanet, vt ea,quæ reuocata esse noluit, censeantur implicitè de nouo disposita in posteriore, ex quo validitatem obtineant, & sic iure confirmantis potiùs quã confirmati,adeoùt priùs testamentũ, in partibus non reuocatis, habeatur tanquàm pars,seù codicillus vltimi, vt probatur *per eosdem, & per Surd. cons.* 230. plenè *Altograd.cons.*78.& 79.*lib.*1.

In præsenti autem nulla accedebat expressa voluntas approbatiua contentorũ in priori testamento, idcircò dicebam, quod non versaremur in casu dictarum auctoritatum, quæ propterea directè ad rem facere non videbantur.

Et quamuis superius allegata *glos.in* § *sed & si quis verb. expressè instit. quib. mod. testam. infirmentur*, cui innititur *Menoch.dicto cons.*176.*nu.*3.& *cons.*857. *sub num.*9. firmet, vt etiam ex tacita, & coniecturata voluntate, dicta confirmatio resultare possit; Nihilominùs adhùc
11 obseruabam,vt nimiũ de hoc fundamẽto dubitari posset; Tùm quia *dicta glos.*,ità simpliciter intellecta,minùs vera videtur propter exemplum ab eadem adductum, in quo se restringit ad falsitatem causæ, vt obseruat *Cyriac.controu.*168.*num.*45., vbi in specie illam refellit, firmando antecedenter *num.*40.& *sequen.*, vt ad tollendam legalem reuocationem primi ex secundo resultantem, requiratur voluntas expressa, (super cuius tamen assumpti veritate nihil firmandum censui); Tùm etiam quia tàm *glos.*, quàm *Menoch.* loquuntur,vbi agatur de reuocatione tacita à sola legis dispositione resultante ob prẽsumptam testatoris voluntatem,quoniam tunc voluntas præsumpta cum alia præsumptione tolli potest,*vt benè idem Menoch.dicto cons.*176.*sub numer.*3.*vers. quocirca,& cons.*857.*sub num.*9., ideoquè posita dictarum auctoritatum veritate, cessabat earum applicatio ad casum.

Prætereà posito etiam,quod tacita, & coniecturalis voluntas in proposito sufficeret; Adhùc tamen nõ assistebat factum,
12 ex cuius circumstantijs contrarium potiùs euidentèr probari videbatur, quoniam per eosdem testes à legatario inductos probabatur,quod testator illo intermedio tempore inter primum, & secundum testamentum,præfato legatario donauerat diuersis vicibus scuta 3. m., & vltrà,vndè propterea rectè verificabatur causa, seù ratio implementi per ipsum expressa; Quinimò stante hac facti circumstantia dicebam, quod etiamsi priùs testamentum reuocatum non esset, omniaquè præmissa cessarent,adhùc non improbabilitèr prætendi posset, vt dicta legata vtpotè per ipsum testatorem vi-
13 tem præuentiuè impleta ampliùs non deberentur ex deductis *per Magon.decis. Lucen.*28. *Franch.decis.*422. *Greg.& addenden.decis.*236.,*& in Romana legati scuto. rum* 50. *m.* 11. *Maij* 1640. *coram Dunozetto inter suas decis.*579.*& in eadem* 17. *Iunij* 1641. *&* 1.*Iunij* 1644. *corã Cerro*, quæ duæ posteriores sunt impressæ *decis.* 41.*&* 309.*p.*9.*rec.*; Quidquid enim esset de veritate dicti assumpti super tacita ademptione resultante ab implemento, quod ex alijs titulis per testatorem factũ esset in vita, super quo *Rota in allegatis decisionibus* variauit, ac reuera certa,& determinata regula tradi non potest,cũ sit quæstio voluntatis, & facti, ex iftius particularibus circumstantijs in singulis casibus diuersimodè decidenda, nihilominùs in præsenti deducebatur tanquam per argumentum à fortiori,& de hoc habetur particulariter actum supra *disc.* 51.

Accedebat etiã considerabilis circumstantia, quod illud debitum, cuius liberatio in primo testamẽto relicta fuerat,
14 præsupponebatur de tempore secundi in maiori parte exactum,itaùt dicta sententia condemnatoria esset pro debito contracto ex alia causa, vndè intrare poterat inspectio, an per subsequutam exactionem censeretur ademptum legatum liberationis, quamuis primum testamẽtum non esset reuocatum ex deductis *per Mantic.de coniect. lib.*12. *tit.*2. *numer.* 19. *Gratian.discept.*251. cum alijs supra *disc.*48.

Mo-

Motiuum autem falsæ causæ adiectæ in reuocatione legatorum, seù istius causæ cessatio in controuersis legatis, neque videbatur considerabile, quoniam ea, quę in huiusmodi terminis dicūtur per DD., procedunt vbi testator ignorat, quod causa allegata esset falsa, tunc enim ratione erroris excluditur voluntas; Secùs autem, vbi ipse benè sciat, an ea sit vera necnè; Puta quia agatur de re consistente in facto proprio, vt in præsenti; Tunc enim dispositio valet non obstante causæ falsitate ad *text. in l. demonstratio* §. 1. *ff. de condit. & demonstr.* cum concordantibus *per Mantic. de coniect. lib. 6. tit. 14. post nu. 15 Capyc. Latr. consult. 85. num. finali.*

Item considerabam, vt tunc ea, quæ dicuntur de falsa causa adimendi, locum habeant, quando agitur de ademptione legatorum contentorum in testamento valido, & non reuocato, adeoùt principalis inspectio cōsistat in ipsa ademptione, qua cessante, legatum subsisteret, ac deberetur iure suo tanquàm contentum in testamento, seù alia dispositione valida, adeoùt consideretur cessatio ademptionis tanquàm remotio obstaculi, seù impedimenti in ea re, quæ aliàs non impedita, marte suo procederet; Vbi verò testamentum, seù alia principalis dispositio non subsistit, vndè propterea, etiamsi nulla legatorum ademptio, vel alia mentio fieret, illa corrueret, tunc intrare nō videntur argumenta super superflua expressione eorum, quæ iam de iure inerant, sed legatario habenti contrà se regulam, incumbit onus probandi diuersam voluntatem, ob quam à dicta regula recedatur; Nequè occasione istius disputationis, inspectis auctoritatibus in dicta decisione allegatis, ac alijs, quæ per Scribentes pro legatario deducebantur, cōperiebam quod adesset auctoritas, quæ istos terminos percutiat.

Hinc ponderabam, quod non benè in eadē decisione ponderarētur testes ad id inducti, licèt singulares, ac aliàs in persona, & dicto defectiui, vtpotè solùm deseruientes pro declaranda testatoris ambigua voluntate, quoniam posita cessatione omnium legatorum, quæ in testamento reuocato continentur, adeoùt eorum aliqua substinere oporteat tanquàm nouam voluntatem, quæ robur, ac efficaciam recipiat à secundo testamento, in quo virtualiter, ac implicitè id contineri diceretur, quoties id per testes faciendū est, cum agatur de probando nouam voluntatem, requiritur numerus solemnis iuxtà receptam distinctionem, de qua sæpius *sub tit. de testamentis*; Ac etiam, quia in verbis incidenter, & enunciatiuè prolatis per testatorem, fieri non potest solidum fundamentum, nisi prolata sint in ipso actu ordinandi vltimum testamentum validum, seù post illud ordinatum; Secùs autem si anteà, cum tunc proferri potuerint cum præsuppositō, quod effectum sortiri deberet primum testamentum, vt *apud Capyc. Latr. consult. 143. num. 46. & sequen. de Marin. resol. quotid. 95. numer. 23. Buratt. decis. 616. num. 10.*

Quid autem sequutum sit, incertum remanet, cum ampliùs de controuersia actum non audierim; Puto autem, quod concordia eam terminauerit, seù quod per alios defensores tractata sit.

AVENIONEN.

LEGATI

PRO

DOMO CHARITATIS, seù ELEEMOSYNA GENERALI AVENIONEN.

CVM

IOANNE BAPTISTA.

Responsum pro veritate.

An, & quando per alienationem rei legatæ ab ipso testatore, post testamentum factam, resultet legati ademptio, necnè.

SVM-

SVMMARIVM.

1 Facti series.
2 Quomodo ista quæstio decidenda sit.
3 Vnde resultet decisionum diuersitas.
4 De modo iudicandi, vel consulendi remissiuè.
5 De eodem de quo num. 2.
6 Traditur regula, seù theorica generalis cum distinctione casuum.
7 Illa cessat ex diuersa voluntate.
8 De circumstantijs probantibus ademptionem.
9 De eodem, & an legatum fructuum sit idem quod vsusfructus, & minus.
10 Quod dari possit perpetua alienatio fructuum sine alienatione ipsius rei.
11 Qualitas testatoris est nimium consideranda, an sit literatus, vel illiteratus.
12 De modo interpretandi legatum magis fauore hæredis, quàm legatarij, & è contrà.

DISC. LV.

1 MElchior de Bus, instituta hærede Domo charitatis, vel eleemosynæ generalis Ciuitatis Auenionen., legauit Io. Baptistæ ex fratre vterino nepoti, fructus, ac redditus cuiusdam prædij, sub ea lege, vt eis frui non posset vsque quò ad ætatem 30. annorum peruenerit, aut matrimonium contraxerit, sed interim digi fructus per dictum hæredem, eiusquè administratores, erogari deberent in emptionem tot bonorum, vel capitalium ad commodum dicti Ioannis Baptistæ, quo defuncto, prædium ad hæredem reuerti, seù spectare deberet, remanentibus solùm ad commodum legatarij dictis inuestimentis factis ex fructibus.

Post testamentum per annum cum dimidio ante obitum, testator voluntariè illud vendidit, maiori parte pretij recepta in pecunia numerata, habita fide de residuali parte, cũ dilatione ad biennium; Hinc propterea pro veritate consultus fui, an, & quale ius dicto legatario competeret, vel potiùs dictum legatum per rei alienationem ademptum esset.

Respondi idem quod in hoc eodem articulo *disc. præcedenti*, ac generaliter ferè in omni hac legatorum, aliarumquè vltimarum voluntatum materia habetur, quod quidquid nostri cum regulis generalibus, desumptis ex aliquibus iuribus, vel maiorum traditionibus, earumdemquè regularum limitationibus, & sublimitationibus, seù declarationibus, se inuoluant; Veriùs est, vt certa & determinata regula generalis cuicumquè casui applicabilis desuper tradi non possit, quoniam cum sit quæstio voluntatis, à qua totum pendet, eique omnes iuris regulæ cedunt, hinc de consequenti est facti, & applicationis potiùs quàm iuris, eiusquè in singulis casibus diuersimodè pendet decisio ex eorum qualitate, & circumstantijs, ex quibus in casibus, qui similes, ac penè identifici videantur, in vno album, in altero autem nigrum respondere congruat; Id autem ignarum vulgus non de facili percipit, arq; de varietate decisionum in eodem articulo, quinimò etiã in eadem causa, scandalizatur, sed malè, ex rationibus de quibus *sub tit. de iudic.* in relatione, seù praxi Curiæ occasione agẽdi de Rotæ Auditorio, sub cuius Rubrica generaliter agitur de Iudicibus, ac de modo iudicandi; Ac etiam sub Rubrica de Aduocatis, & Procuratoribus, vbi de modo scribendi. vel consulendi, & an liceat scribere, vel causas tueri etiam contra propriam opinionem.

Et cõsequentèr (vt sæpiùs aduertitur) mera ineptia est, *in iftis* vel similibus quæstionibus, cum solito improbo Iuristarum labore, doctrinarum, ac decisionum magnum cumulum facere, atque ità chartas inutiliter implendo, materiam potiùs inuoluere, quoniam oportuna quidem, imò necessaria est notitia theoricæ generalis iuris, & quæ nam ex magis communi, & probabili sententia, sit regula, vel quæ sint limitationes, ad effectum, vt ità, ponderatis facti circumstantijs, congruè applicari possint actiua passiuis, sinè quomodo colluctantibus, hinc indè coniecturis, & argumentis diuersæ voluntatis, quæ ità omninò obscura, & ambigua remaneat, per solos iuris tramites iudicandum sit, (quod tamen nimiùm rarum est); De reliquo enim, totum cõsistit in facto, sinè in applicatione

ne congrua, ideoquè magis iudiciũ adæquatum, quàm ingenium, vel dictus improbus labor desiderari, videtur.

Deducendo autem in hoc Responso (forsan pleniori stylo, vt quandoquè etiam præter genium, vel rectum scribendi ordinem in huiusmodi Responsis extrà Curiam ad satisfaciendum regionũ moribus facere oportet) easdem auctoritates, quæ habentur deductæ *disc. præcedenti*, easdemque responsiones ibidem contentas ad leges, quæ desuper pugnare videntur; Constituebam regulam, seù theoricam generalem, cum vera, & recepta distinctione, quod; Aut agitur de merè voluntaria alienatione, et tunc regulariter ademptio exindè resultet, siuè pretium extet in specie, vel in æquipollenti, siuè non; Aut verò agitur de alienatione necessaria, quæ contingat etiam in bonis stabilibus per retractum legalem, vel conuentionalem iuxtà illas *retractus species*, de quibus in sua materia *sub tit. de seruit.*; Vel in ea resolutione, quæ resultet à iure offerendi, de quo *sub tit. de empt. & vendit.*; Vel à iure redimendi, quod debitori competat, de quo *sub tit. de credito*; Aut in censibus, vel locis montium cum extinctione, ac in nominibus debitorum cum solutione &c.; Et tunc Aut pretium non extat, nec in specie, nec in æquipollenti, sed verè consumptum est ab eodem testatore, et pariter intrat regula pro ademptione; Aut extat præcisè, vel æquipollenter, quia nempè inuestitum sit in alia bona, seù in alios effectus, qui remaneant in hæreditate, et tunc secùs, quodque probabilius intret subrogatio; Nisi in omnibus huiusmodi distinctionis partibus respectiuè, diuersæ voluntatis coniecturæ, & argumenta vrgeant, in quorum põdere, vel efficacia, omnes forenses quæstiones versari solent, vt conciliando, seù declarãdo iura, & auctoritates, insinuatur *disc. præcedenti*.

6

7

Ista theorica ita constituta; Quatenùs pertinet ad applicationem; Respondi quod probabiliores viderentur partes hæredis pro ademptione; Primò quia agebatur de alienatione merè voluntaria, pretio pro maiori parte consumpto, seù ità commixto, vt illud in specie, vel in æquipollenti distingui non posset, residuum autem remanebat interminis puri crediti quantitatis accidentaliter ob fidem de eo habitam, vndè propterea intrare non poterat illud argumentum voluntatis subrogandi, quod ponderatur *disc. præcedenti*, quoties alienatio principaliter ordinetur ad aliud immediatum inuestimentum, quod pinguius, seù magis oportunum reputetur, cum tunc videatur potiùs species permutationis, quæ in substantia nõ importat eam alienationem, quæ bona in patrimonio annihilet.

8

Et secundò clariùs, quoniam legatum non erat de ipsa specie pleno iure, & in proprietate, sed solùm de vsufructu, seù fructibus quod regulariter importat idẽ ex deductis *in Eugubina hoc eodem titulo disc. 45.*, cuius quæstio nequè intrabat, dum in verbis exprimebatur; Quinimò minus importare videtur legatum fructus, quàm vsusfructus, quoniam istud importare dicitur ius, ideoquè cadit sub prohibita alienatione, quod in illo fructuum non procedit vtpotè redolens solam commoditatem, seù nudum factum ex ijs, quæ habentur pluries *sub tit. de feud.* præsertim *disc. 61.*, ac etiam *sub tit. de alienat. & contract.* & alibi.

9

Et quamuis non implicet, vt etiam fructus tanquam distincti ab ipsa re, perpetuò ad aliquem pertinere possint, etiã transmissibiliter, ex ijs, quæ habentur *sub dicto tit. de feud. disc. 62.*, ac etiam insinuantur *in dicta Eugubina disc. 45.*, Attamen id regulariter non præsumitur, vt in proximè allegato *disc. 62.* aduertitur; Ac etiam quia in hac facti specie non disputabatur de hoc principaliter, sed solùm id insinuabatur incidenter pro regulanda voluntate disponentis, dictaquè diuersa quæstione decidenda, cum ità in hæreditate nõ remaneret aliquid ex rei legatæ pretio, in quo istud legatũ fructuũ esset verificabile.

10

Ponderabam quoquè in idem eam circumstantiam, quod testator esset iuris peritus, benè conscius de ista iuris regula, vt per voluntariam alienationem, potissimè non ordinatã ad immediatum inuestimentum, resultaret ademptio; Cumq; habuisset oportunũ tempus prouidendi, ità magis dictæ voluntatis præsumptio à lege inducta resultare videtur, iuxtà ponderationem, de qua habetur præsertim *sub tit. de fideicom.* inter te-

11

statorem litteratum, ac iurisperitum, & idiotam, cum diuersimodè vnius, ac alterius voluntas interprætanda veniat; Atquè pleræquè aliæ quoquè videbantur accedere facti circumstantiæ in idem tendentes; Quibus addebam iuris generalitatem, vt in dubio stricta interpretatio contra legatarium, larga verò, seù fauorabilis pro hærede facienda sit quoties sit verisimiliter prædilectus hæres, vt in præsenti, dum concursus erat inter causam piam,& transuersalem; Quamuis ista generalitas sola,& de per se absquè alijs facti adminiculis, vel argumentis, pro meo sensu, modicæ, ac penè nullius ponderis esset, benè tamen considerabilis ad facti circumstantias muniendas, siuè, vt ex eis, huiusmodi generalitates, vel iuris regulæ faciliùs intrarent,ac admittendæ essent; Istequè videtur germanus modus,quo mediante, huiusmodi quæstiones decidendæ sunt.

præsumptiones, & argumenta.

3 *De distinctione an testibus singularibus, vel non solemnibus probationibus in materia legatorum, & vltimarum voluntatum deferatur, & num.8.*

4 *Inducta ob maiorem amorem ad commodum, non debent operari ademptionem.*

5 *Contrà ademptionem capienda est interpretatio.*

6 *Ea non præsumitur, & de facti circumstantijs eam excludentibus.*

7 *Affectio testatoris ergà legatarium attenditur pro legati interpretatione.*

8 *De eadem conclusione, de qua num.3.*

9 *Scriptor, vel consultor testamenti est bonus interpres.*

10 *Obseruantia nimiùm attenditur in interpretatione legatorum.*

11 *Declaratur quomodò, & quando id procedat.*

12 *De dispositione inter liberos.*

13 *Testi mediatori, seu deponenti de facti proprio non interessato nimiùm defertur.*

LVCANA

ADEMPTIONIS LEGATI.

Responsum pro veritate, suppressis nominibus.

De interpretatione ademptionis factæ in codicillis,de legato facto in testamento, et quomodò talis ademptio intelligenda sit, vbi constet, quod affectio ergà legatarium non sit diminuta, sed potiùs dispositio ademptiua maiorem arguat affectionem.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *In claris, & expressis non intrant*

DISC. LVI.

1 TEstator, instituto hærede vnico filio, duabus filiabus iam nuptis, iure legati reliquit annua scuta auri 50. pro qualibet ad vitam; Dictoque filio absq; prole masculina deficiente, eisdem filiabus reliquit scuta mille auri pro qualibet,declaratione adiecta, vt tali casu, dictum aliud annuum legatum vitalitium cessare deberet.

In codicillis autem, post sex annorum spatium conditis, facta magna expressione amoris,quo easdem filias prosequebatur,eisdem reliquit scuta 400. pro qualibet, soluenda statim eius obitu sequuto; Et demùm in aliis codicillis sequenti die ordinatis,deficiẽte linea masculina prædicti eius filij,singulis dictis filiabus reliquit scuta 10.m.,in quibus comprehensa esse voluit scuta mille in testamento in eodem casu relicta, reuocando dictum legatum annuum scutorum 50. perindè, ac si factum non esset, cum verbis reuocatorijs nimis amplis.

Sequuta morte testatoris, tam per tutores, vel curatores dicti hæredis minoris,

ris, quàm per ipſummet factum maiorem, dictum annuum legatum ſcutorum 50., ſpatio annorum circiter 12. perſolutum fuit; Poſtmodum verò, cum continuationem recuſaret, ex fundamento dictæ reuocationis in vltimis codicillis contentę; Hinc proindè, ſuppreſſis nominibus, neque exprimendo partem, à qua conſilium expeteretur, deſuper pro veritate conſultus fui.

Reſpondi, quod pro hærede nimiùm vrgere videbantur verba codicillorum, quæ clarè, ac litteraliter reuocationem indefinitè continent, vndè propterea intraret vulgaris regula textus *in l. ille, aut ille §. cum in verbis ff. de leg.* 3., quod
2 vbi verba ſunt clara, locus non eſt gloſis, argumentis, & interpretationibus ex deductis *deciſ.* 44 *par.* 11 *rec. num.* 14. & paſſim.

Et quamuis in facti notula ſupponeretur, quod teſtatoris vxor, ac reſpectiuè contendentium mater, per cuius organum præfatos vltimos codicillos Notarius extẽdit, atteſtaretur, quod huiuſmodi reuocatio ordinata eſſet in ſolũ caſum deficientiæ lineæ maſculinæ, per quam locus fieret dicto pingui legato ſcutorum 10.m., atque huic atteſtationi accederet quoque adminiculum ſubſequutæ obſeruantiæ.

Nihilominùs, poſito quod teſtatoris voluntas circà dictam reuocationem, in verbis eſſet expreſſa, & litteralis, dicebam quod præmiſſa nil prodeſſent, ob veram,
3 ac receptam iuris theoricam, quod; Aut agitur de interpretando dubiam voluntatem, quæ in verbis licèt ambiguis contineri poteſt, & tunc admittantur etiam teſtes ſingulares de voluntate defuncti informati, aliaque adminicula & coniecturæ; Aut verò agitur de voluntate clara, quam per extrinſecas probationes deſtruere oporteat, ità diuerſam voluntatem deducendo, & tunc requiratur eadem ſolemnis probatio, quæ in vltimis voluntatibus ex integro probandis de iure requiritur, vt ità diſtinguendo firmant (cęteris relatis) *Mantic. de coniectur. lib. 5. tit. 15. num. 9. Guttier. practic. quæſt.* 180. *Cepyc. Latr. conſult.* 143. *num.* 36. & *ſeqq. Gabr. conſ.* 112. *lib.* 2. *Hodiern. contr.* 11. *num.* 83. & *ſeq. Rota coram Carillo dec.* 128. *num.* 24. & *ſeqq. deciſ.* 61. *num.* 4. *par.* 10. *rec. in Romana annuæ præſtationis* 4. *Iulij* 1663. *coram Beuilaqua* impreſſ. poſt *Zuff. de legitimat. proceſſ. deciſ.* 102. & habetur pluries *ſub tit. de teſtam.*

Potiſſimè quia eadem reuocandi voluntas in verbis expreſsè probata, adminiculum quoque recipere videtur ex notabili augumento prioris legati facti in decuplo, ac etiam ex alio legato ſcutorum 400. ſtatim poſt mortem ſingulis dictis filiabus facto in codicillis die præcedenti conditis, quaſi quod ità teſtator, cum hac ſumma, per vnicam præuentiuam ſolutionem, dictum annuum vitalitium incertum legatum pinguius impiere voluerit.

His tamen non obſtantibus, pro legatarijs probabilius reſpondendum eſſe cenſui, quoniàm, tam verba priorum codicillorum, quàm notabile augumentum in poſterioribus contentum, oſtendebãt, quod teſtatoris affectio erga filias legatarias, potiùs creuiſſet; Hoc autẽ poſito, nullatenùs præſumenda eſt ademptio legati certi, ob euentualem incertam alte-
4 rius legati ſpem à teſtatore potiùs abhorritam, atque veriſimiliter non ſperatam, cum aliàs amoris augumentum, emolumẽti diminutionem cauſaret, contrà omnia ſcripti, ac naturalis iuris principia.

Ceſſante autem probabili cauſa ademptionis, pro iſtius excluſione ſemper ſtat præſumptio, ideoquè capiendus eſt om-
5 nis poſſibilis intellectus pro illa euitanda *l. 3. §. in duobus ff. de adim. legat. Alex. conſ.* 169. *num.* 3. *lib.* 5. & cæteri *apud Menoch conſ.* 243. *num.* 5. & 6. & *lib.* 4. *præſumpt.* 167. *num.* 1. *Gregor. deciſ.* 236. *num.* 11. *Rota in Romana legati ſcutorum* 50. *m.* 11. *Martij* 1640. *coram Dunozetto* inter ſuas *deciſ.* 579. *num.* 1. & *ſeqq.* & in alijs.

De poſſibili autem, quinimò vero, ac germano dictorum verborum intellectu, circà dictam reuocationem, acceſſoriè ſolum, & conſequutiuè ad caſum ſubſtitu-
6 tionis, ob quem pinguiori legato ſcutorum 10.m. locus fieret, euidenter conſtare dicebam ex tenore primi teſtamenti, in quo diſpoſitum eſt, vt dictum legatum annuum ceſſare ſolùm deberet in dicto caſu, ideoquè cum voluntatis mutatio non præſumatur, ſed potiùs continuatio ex deductis *per Menoch.* & alios vbi ſuprà, idcircò ſecunda diſpoſitio à præcedenti interpretationem recipere debet,

proindèque, vt dixi, reuocatio, eodem themate retento ad præfatum casum referenda esset, ne daretur absurdum, vt inducta ad augumentum, operentur diminutionem, quodquè crescente testatoris amore erga legatarium, istius conditio deterior efficiatur, atq; certum emolumẽtum diminuatur, ob incertam spem non contingibilem.

Affectio enim testatoris erga legatarium, nimiùm est considerabilis pro fauorabili, ac benigna legati interpretatione, vt *apud Carill. decis. 303. num. 5.*, & 7 aduertitur plures *hoc eodem titul.*; Maximè ob dictam rationem, quod euentus, in cuius casu dictum pinguius legatum ordinatum fuit, erat nimium tristis, atquè testatori odibilis, ab eo verisimiliter non speratus, sed potiùs abhorritus.

Et nihilominùs, ex præmissis dicebam negari non posse, quod huiusmodi volũtas esset ambigua, ac interpretationis capax, vt propterea, iuxtà veram, ac receptam distinctionem, in ratione dubitandi superiùs traditam, testibus etiam singularibus, alijsquè coniecturis, ac adminiculis deferendum sit ex allegatis; Et in specie *in dicta Romana annuæ præstationis 4. Iulij 1663. corã Beuilaqua post Zuff. decis. 102.*, in qua nimiùm defertur attestationi, etiam extraiudiciali, vnius, per cuius organum testatoris voluntas Notario communicata fuit, vt patet ex dicta decisione, de cuius casu agitur *sub tit. de testamen. disc. 46.*; Multò magis in hac facti specie, in qua agebatur de vxore, quam satis verisimile est de viri voluntate informatam esse, eaquè erat etiam cõmunis mater, quàm inuerisimile est, vt contra proprium filium id attestari vellet; Attenta præsertim modica summa, pro qua omninò improbabile videri dixi, vt matrona nimiùm qualificata, in propriæ animæ perniciem, atquè contra stimulum materni amoris, minùs veram attestationem facere vellet.

Quodquè testamenti, seù alteriùs vltimæ volũtatis scriptor, dictator, cõsultor, 9 explorator, vel relator, sit optimus eiusdem volũtatis interpres, firmãt *Pedrocch. consil. 2. num. 89. & seqq.*, *Rouit. pragm. 2. de Notar. num. 20. Mantic. de coniect. lib. 3 tit. 1. num. 33. Simon. de Præt. de interpret. vltim. volunt. lib. 1. dub. 1. solut. 8.*, & habetur *sub tit. de fideicomm. disc. 115.* & in alijs, ac etiam *sub tit. de testamen.* & alibi.

Nimium quoquè conferre dicebam, vehemens adminiculum subsequutæ obseruantiæ longęuæ spatio annorum 12, quæ in omnibus ambiguis est optima in- 10 terpres, ac interpretationum Regina ad *textum in d. l. si de interpretatione ff. de legib.* cum ibi notatis; Et vltrà generalia nota, in specialibus terminis interpretandi legati veritatem, ac substantiã ob subsequutum eius implementum, quãuis notabile obiectum *Sen. Conf. Libo. niani* obstaret, firmatur *in Romana legati 28. Iunij 1658. §. fin. coram Celso inter suas decis. 271. ad textum in l. non dubium Cod. de testam.*, vbi *Castr. num. 2. & 3.*, et habetur *sub tit. de testam. disc. 8.*

Licèt enim istud motiuum obseruantiæ non esset considerabile in ordine ad deducendam illam obseruantiam obliga- 11 toriam, quam tanquam per speciem nouæ obligationis ponderant *Bart. in dicta l. non dubium n. fin.* & cæteri, & *apud Gio. uagn. conf. 7. numer. 8. lib. 2. Magon. decis. Florent. 58. num. 33.* & alij, cum id originariè gestum esset per tutores, vel curatores, qui non potuerunt præiudicare pupillo, vel minori, qui factus maior, sequendo errorem suorum administratorum, præter voluntatem id agere potuit; Attamen dixi, id esse nimium considerabile, in ordine ad desumendum adminiculum voluntatis testatoris, cuius verisimiliter conscij præsumuntur tutores, vel curatores, quibus vnici filij educationem, atquè ingentis assis administrationem commisit, nam etiam *in dicta Romana legati coram Celso*, confirmata etiam *coram Priolo*, & *Verospio*, de qua *dicta disc. 8. de testam.*, solutio consimilis annuæ, seù menstruæ vitalitiæ præstationis per solum spatium aliquorum mensium facta fuerat, non per ipsum hæredem, sed per eius absentis matrem procuratricẽ, et tamen id satis habitum fuit in consideratione; Ideoquè omnia prędicta insimul, ac vnitim combinata, cum regula in ambiguis, & coniecturalibus perpetuò, ac principaliter attendenda, vt singula, quæ non prosunt, vnita iuuent, casus pro meo iudicio ad fauorem legatariarum videbatur planus.

Omnisquè difficultas cessare videbatur, quoniam non agebatur de dispositione

tione ad fauorem extraneorum, in qua requiratur probatio solemnis, sed inter liberos, inter quos sufficit probatio naturalis per duos testes, vel alias species probationis, ad communiter notata *in l. hac consultissima, S. ex imperfecto Cod. de testam.* cum concordantibus *sub tit. de testam. disc. 26., 27., & 75.*; Et consequenter, vbi etiam non ageretur de faciendo interpretationem voluntatis dubiæ, sed etiam de probatione voluntatis omninò nouæ, ac dispositiuæ, adhùc dicta attestatio, iuncta cum prælatis adminiculis sufficeret, quoniã testis non interessatus, & qualificatus, qui deponat de facto proprio, iunctis adminiculis est sufficiens ad perfectam probationem *Rot. apud Merlin. decis. 604. nu. 11. Buratt. & add. decis. 111. num. 9. decis. 483. nu. 3. & decis. 775. num. 5. cum seqq.*

Quamuis autem, suppressis nominibus, desuper consultus fuerim, puto tamen quod casus esset super eo testamento, de quo habetur actum *sub tit. de legit. & detract. disc. 10.*; Incertum est autem quid sequutum sit, sed credo quod hæres his acquieuerit.

PERVSINA

CADVCITATIS

PRO

MONASTERIO S. BENEDICTI.

Responsum pro veritate.

An, & quando legatarius, ob non implementum conditionum, & onerum adiectorum legato, illius caducitatem, seù priuationem incurrat; Vel potiùs ad moræ purgationem admittendus veniat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De decisionibus agentibus de caducitate.*
3 *Etiamsi caducitatis pœna non sit adiecta, an subintelligatur.*
4 *De purgatione moræ.*
5 *De distinctione inter dispositionem modalem, & conditionalem.*
6 *De diuersis speciebus contrauentionis &c.*

DISC. LVII.

CVM testator, scripto hærede Monasterio S. Benedicti Cõgregationis Cassinensis, aliquorum prædiorum legatum alteri fecisset, sub lege, & conditione præstandi singulis annis eidem Monasterio certã frumenti & vini quantitatem; Legatarius autem, qui in primis annis adimpleuerat, per aliquos subsequentes defecisset; Hinc Monasteriũ, coram Ordinario, ex consilio Sapientum de partibus, super caducitate à legato, dictorumque prædiorum vendicatione, iudicium instituit, quo pendente, cum Iudex ostẽderet difficultatẽ habere; Hinc ex parte eiusdem Monasterij, communicato Respõso eius defensoris, in quo probabatur dicta caducitas, meum pro veritate petitũ fuit consilium, quod fuit, vt iam oblatas decursas annualitates reciperet, atquè ab vlteriori litis prosequutione abstineret, cum nõ videretur opus in foro subsistentabile, quodq; lis, euidentẽ temporis, ac expensarum iacturam contineret.

In Responso autem, seù Informatione communicata, elaboratè quidem, ac ingeniosè, cum eo tamen superfluo conclusionum, ac allegationum cumulo, qui extra Curiam connaturalis videtur, in effectu deducebantur ea, quæ habentur in tunc de recenti edita *decisione Neapolitan. hæreditatis 27. Ianuarij 1668. coram Carpineo* in casu, de quo agitur *sub tit. de fideicom. disc. 154.*, et quæ decisio ad manus obuenta, forsan huic litis excitationi ansam dedit, vt frequens praxis docet, dum in hac facti specie, præceptum super im-

implemento dictorum onerum conceptum quoquè fuerat per verba expresse conditionem denotantia ibi, *con condizione però &c.*; Ità cumulando ea, quæ habetur etiam *apud Dunozett. decis.* 882. & in alijs concordantibus, de quibus in *dicta recentiori decisione.*

Dicebam igitur, quod vbi etiam dicta decisio admittenda esset tanquam vera in casu suo, cuius contrarium est probabilius ex deductis *dicto disc.* 154. *de fideicommiss.*, illaquè ad litteram attendenda esset, adhùc tamen (istum inæptum stylum insequendo), nõ erat applicabilis ad casum, cum in illo decisionis, in casu contrauentionis expresse adiecta esset pœna caducitatis, dato etiam substituto; In præsenti autem nullum ex his legebatur.

Et quamuis admitterem veritatem conclusionis, super qua idem Scribens nimiùm elaboratè prolixiùs instabat, vt etiam testatore pœnam caducitatis expresse non adijciente, adhùc tamen præclusum non
3 sit Iudicis officium in hac parte supplere hanc partem omissam verisimiliter à testatore volitam, ex auctoritatibus, de quibus super ista conclusione habetur *eodem tit. de fideicom. disc.* 7., ac in decisionibus in ea causa editis; Attamen aduertebam, quod æquiuocum clarum erat in applicatione, quoniam ex deductis *eodem disc.* 7., id rectè procedit, quando præuia Iudicis monitione, subsequatur talis contumacia, seù proteruia, quæ malitiam redoleat, ac spretum positiuum voluntatis testatoris, adeoùt resultet ingratitudo, quæ legatarium, seù alias ex diuerso titulo obtinentem reddat hoc beneficio indignum, quod in præsenti dici non poterat, dum legatarius initio iudicij, illicò totum obtulit, atquè ad moræ purgationem admitti petijt.

Si etenim iuxtà ea, quæ pluries habẽtur in sua materia *sub tit. de emphyt.*, etiam in materia emphyteotica, in qua
4 strictius proceditur, vtpotè in contractibus, præsertim verò vbi ageretur de primo inuestito, in quo propriæ obligationis conuentionalis, ac præstitæ fidei violatio ità accederet, adhuc ex recepta æquitate canonica, quinimò iuxtà vnam opinionem, etiam ex intentione iuris ciuilis admitteretur purgatio moræ; Multo magis in vltimis voluntatibus, in quibus absquè dubio longè benignius proceditur.

Ad distinctionem autem ex *dicta decisione Neapolitana* desumptam, in qua, idem Scribens nimiùm, ac principaliter insistebat, quod scilicèt ea, quæ habentur de dolo, vel malitia desiderandis ad
5 effectum caducitatis, procedant vbi agatur de dispositione modali, quæ pœnam formalem importet, non autem vbi ea concepta sit per viam conditionis, vt in hac facti specie verba denotabant; Respondebam eadem, quæ latiùs deducta habentur *dicto disc.* 154. *de fideicom.*, ac etiam *in Foroliuien. donationis sub tit. de donat.* in supplemento, & *sub tit. de testamen. disc.* 73., ac etiam *sub tit. de matrim.* & alibi, quod in hoc proposito, immorandum non est in littera, siuè in sensu, vel significatione grammaticali verborum, sed in substantia veritatis, an scilicèt implementum conditionis, vel oneris præcedere debeat emolumenti assequutioni, adeoùt (quemadmodum nostri dicere solent) illud adiectum sit à parte anteà, vndè propterea non implementum se opponat principio acquisitionis, nullumquè causet legatario, vel alteri, cui illud iniunctum est, damnum, vel præiudicium in bonis proprijs, vel iure quæsito, sed solùm impediat ius quærendum. Vel è conuerso implementum sit successiuum, atquè supponat præcedẽtem emolumenti acquisitionem, vtpotè ex cuius fructibus cum tractu successiuo faciendum, ideoquè dicitur adiectum à parte posteà, cum tunc importet pœnam formalem priuationis; Primò etenim casu dispositio dicitur conditionalis, quãuis verba in sensu litterali, seù grammaticali modum significarent; In altero autem dicitur modalis, quamuis verba in eodem sensu litterali, seù grammaticali importarent conditionem, quoniã in hac materia, substantia veritatis, seù dispositionis natura, non autem verborũ formalitas attendi debet, vt locis citatis aduertitur.

Ideoquè, cum in hac facti specie ageretur de implemento à parte postea, cum tractu successiuo præsupponente etiam pernecessariò exequutionem dispositionis, & acquisitionem bonorum, ex cuius fructibus illud faciendum erat, ità sine du-

bio

bio in ſecunda diſtinctionis parte verſabamur; Potiſſimè verò, dum nequè pœna adiecta erat ab homine, ſed ex officio Iudicis illam ſupplere oportebat ex intentione legis, quo caſu ſtrictiùs proceditur.

Ponderabã quoquè, quod in hoc propoſito, notabilis differentia conſtituenda ſit inter illam ſpeciem contrauentionis,
6 quæ de ſui natura quemdam ſpretum teſtatoris, vel benefactoris redoleat, puta deferendo eius nomen, ac inſignia, vel ſimilem actum faciendo ex ponderatis *dicto diſc. 7. de fideicomm.*; Et huiuſmodi contrauentionem reſultantem à non ſolutione alicuius præſtationis, quæ negligentiæ, vel inopiæ, ſeù incommoditati referri valeat, ideoquè pariter erroneum eſt in hac materia, cum generalitatibus procedere, cum deciſio pendeat à facti qualitate, & circumſtantijs ſpretum poſitiuum redolentibus, necnè; Iſtequè videtur modus decidendi huiuſmodi quæſtiones.

SENEN.

LEGATI

PRO

CATHERINA.

Reſponſum pro veritate.

An legatum, vel alia diſpoſitio facta ad fauorem puellæ adhùc non nubilis prò quando erit in certa ætate, ac nubet, debeatur, ſi ante illam ætatem nubat, vel potiùs caducitas intret; Et de interprætatione legati, ſeù diſpoſitionis, vt vxor teſtatoris tractari debeat eo modo quo ipſo viuente tractabatur.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Puella ſi nubat ante ætatem à teſtatore præfinitam, an adhùc legatum conſequatur, vel intret caducitas.*
3 *Aſſequitur, ſed actio non eſt exercibilis, niſi poſt ſuperuentam ætatem.*
4 *Quãdo dictum tempus adiectum dicatur prò præciſa conditione, vel potiùs prò dilatione, & executione, & numer. 9.*
5 *Contrauentio an operetur caducitatem ſi iſta adiecta non fuerit.*
6 *Cõditiones reſpicientes matrimonij libertatem, an vitient, vel vitientur remiſſiuè, & num. 11.*
7 *In his quæ per legem reprobata ſunt, vel intret dubitatio reprobationis, non eſt præſumenda voluntas.*
8 *Quod ſub generica renunciatione, vel obligatione non veniant prohibita.*
9 *De eodem de quo ſupra num. 4.*
10 *In caſu caducitatis, an intret reſtitutio in integrum remiſſiuè.*
11 *De eadem concluſione de qua ſupra numer. 6.*
12 *Hæres grauatus dicitur interim verus dominus.*
13 *De interprætatione diſpoſitionis, vt vxor tractari debeat prout ipſo teſtatore viuente tractabatur.*
14 *De conſuetudine* Bulgari.

DISC. LVIII.

1 CArolus iure legati Lucretiæ vxori reliquit vſumfructũ hæreditatis, donec Catherina neptis ex fratre inferius inſtituta, ætatẽ 15. annorũ compleret, ac nuberet, iſtoquè caſu facto, eidem vxori reliquit ad vitam vſumfructũ particularem quorumdam bonorum, generaliter mandando, vt eſſet domina, ac tractari deberet eo modo quo, ipſo teſtatore viuente, tractabatur; Poſt plura verò alia legata, deueniendo ad hæredis inſtitutionem, hæredem inſtituit eamdem Lucretiam cum onere reſtituendi hæreditatem Catherinæ poſtquam dictam ætatem compleuerit, ac nupſerit, eam ex nunc pro tunc hæredem inſtituẽdo; Cum autem

autem dicta Catherina esset in ætate annorum 12., atq; nubere intenderet; Hinc de pluribus ex eius parte prò veritate consultus fui; Præsertim verò (quatenùs ad hanc materiam pertinet) an eius nuptijs etiam ante dictã ætatem sequutis, restitutio ei debita esset, atquè cessare deberet dictum legatum vsusfructus vniuersalis ad fauorem Lucretiæ; Ac etiam quomodo intelligendum esset dictum aliud legatum, seù præceptum, quod eadem testatoris vxor, esset domina, ac tractari deberet sicut in eius vita tractabatur.

Ad primum respondi, quod duplex inspectio cadebat; Primò nempè, an ob
2 contrauentionem præcepti testatoris nubendo ante ætatem ab eo præfinitam, intraret caducitas, adeoùt etiam ætate adueniente, dispositio ad eius fauorem effectum sortiri non deberet; Et secundò, quatenus dictæ caducitati locus non esset, an ob sequutas nuptias etiam antè ætatẽ cessare deberet legatum vsusfructus fauore vxoris.

Super vtroquè puncto, mihi sequi visum est decisionem Sac. Conf. Neap. relatam, ac exornatã per *Merlin. lib. 2. contr.* 45., vbi in specie de consimili dispositione ad fauorem puellæ ex testatoris volũtate nubendæ post completam ætatem 16. annorum, vt scilicèt, per nuptias ante ætatem sequutas, dispositio non cessaret, non tamen pro ea exercibilis esset actio
3 contra hæredem, nisi post superuentam ætatem, & non antea.

Quatenus enim pertinet ad punctum caducitatis, absquè necessitate assumendi quæstionem potestatis, de qua infra, cessare videbatur difficultas, ex cessante voluntate, quoniam ex contextu testamenti
4 constabat quod testator id precisè nõ demandauerat, nequè adiecerat pro præcisa, & suspensiua conditione adimente aliàs cõsensũ ab actu, adeoùt eius purificatio dispositionem perficeret, siuè quod adeò præcisè esset præceptiua voluntas,
5 vt contrauentio per speciem ingratitudinis indignum redderet legatarium, vel alium, cuius fauore sub ea lege dispositũ sit, et quò casu pœna caducitatis licèt expressè non adiecta per legem subintelligenda venit, siuè per Iudicem ex officio suppleri potest, iuxtà ea, quæ in hoc proposito contrauentionis precepto testatoris habentur *sub tit. de fideic.* pluries præsertim *disc. 7. & hoc tit. disc. 29. & 57.*

Potissimè verò quoniam in hac materia, vt patet ex plenè deductis *sub tit. de testam. disc. 73.*, vbi habetur, an & quãdo huiusmodi cõditiones cõcernẽtes matri-
6 monium, obligent, vel potiùs vitientur, ac pro non scriptis habendæ sint, et de quo etiam habetur *in Auenionen. sub tit. de matrim. in Miscellaneo Ecclesiastico*; Negari nõ potest quin id sub quæstione
7 sit, et consequenter in his, quæ clarè per legem reprobata sunt, vel saltèm est dubium, an sub reprobatione cadant, præsumenda, vel subintelligenda non est voluntas, quoties illa expressa non sit; Ad instar eorum quæ habentur *sub tit. decred. disc. 13. & 151., & sub tit. de renunc.*
8 *disc. 4. & seq.*, vt sub generica renunciatione, vel obligatione nõ veniant prohibita, seù ea, in quibus probabilis suspicio cadere valeat, quod prohibita, seù per legem reprobata sint.

Ac etiam quia contextus dispositionis, quamuis aliquo grossolano, ac rudi modo conceptæ, & qualitas personarum, cla-
9 rè probabant, vt pro sola dilatione, seù executione dispositionis, ità testator præsuppositiuè, seù consultiuè dictam ætatẽ statuisset, vtpotè cõgruam; Et consequẽter, quod id non percuteret substantiam dispositionis per viã præcisę conditionis, cuius defectus volũtatem cessare faceret, sed potiùs dilationem, seù executionem cõtineret vtpotè in tẽpore cõgruo, iuxtà casum præcisum, de quo *in dicta contro.* 45. *Merlini*, ideoq; hic punctus videbatur planus; Nequè intrabant eà, quæ habentur plenè deducta *per Rotam in Venusina legati coram Coccino decis. 493 part. 4. rec. tom. 2.* cum alijs de quibus *dicto disc. 73. de testam.*, dum in eo casu aderat expressa pœna, vel prouisio in casu contrauentionis, quod in hac dispositione non legebatur, ideoquè non oportebat exa-
10 minare punctum, de quo ibi, & *in dicta Auenionen. sub tit. de matrim.*, an scilicèt in omnem euentum, stante tenera ætate, euitari posset incursus caducitatis, vel pœnæ ex beneficio restitutionis in integrum, ex ibi deductis, dum ità cessabat quæstionis occasio in radice.

Hinc proindè disputandi ratio potiùs cadere videbatur super secundo puncto, an scilicèt stante matrimonio ante dictã

ætа-

ætatẽ sequutõ, deberetur dispositio, atq; cessaret legatum ad fauorem vxoris.

Et in hoc, ad fauorem Catherinæ contra Lucretiam pro huiusmodi conditio-
11 nis, seù dilationis reiectione respondendum videretur, ex plenè cumulatis per *Altograd. cons.77. lib.2.* super iuris conclusione, vt omnia quæ viduitatem inducunt, seù matrimonij libertati aduersantur, prò non scriptis habenda sint, rectèq; sperni valeant, cum alijs in hoc propositò relatis *eodem disc.73. de testam.*

Verùm his, ac similibus non obstantibus, contrarium iuxtà dictam resolutionem S. Conf., mihi probabilius visum est, Tum quia cõclusio prædicta in suis casibus vera, rectè procedit, quando perpetuã percutiat viduitatem, seù indiscretam dilationem, quæ aliqua ratione, seù iusto motiuo vestita non sit; Secùs autem vbi prudens, ac rationabilis dispositio sit, vt in præsenti esse videbatur, dum ætas præfinita nimiùm discreta erat, magisquè cõgrua, eo quia puella in magis tenera ætate seductionibus subiecta, faciliùs est, vt matrimoniũ parùm dignũ contrahat, vt *eodem disc.73. de testam.* aduertitur.

Tùm clariùs, quia non agebatur de dispositione directa in ipsam puellam, adeoùt in ea radicata dici posset, eiq; ius quæsitum, sed de substitutione facta ad eius fauorem, quando qualitates à testatore desideratas obtinuerit, et consequẽter non agebatur de aliqua priuatione iuris quæsiti, quæ pœnæ speciem redoleret, sed potiùs de qualitate necessaria ad assequendum, seù de conditione, sub qua hæres grauatus est restituere, & ante cuius purificationem rectè dicere potest, quod casus sui grauaminis non euenerit, iuxtà magistralẽ distinctionem deductã ex celebri *cons. 16. Oldrad.*, quæ magis communiter recepta est ex deductis *dicto disc.73. de testam.*, ac etiam *disc.44. sub tit. de fideicom.*, vbi in specie agitur de casu, de quo *per Altogr. dicto cons.77. lib.2.*, eiusq; opinio reijcitur, cum re vera probabile non habeat fundamentum, sed potiùs sit doctrina venalis, vt frequentiùs est illa Cõsulentium ad requirentis oportunitatem.

Et sic aduertebam, quod nõ intrabant termini cessationis legati primo loco facti de vsufructu, quoniam præcedens legatum, inutile potiùs remanebat, ob sub-

sequutum titulum hæredis incompatibilem cum illo legatarij, et consequenter
12 quod hæres, (qui licèt fideicõmisso grauatus interim verus dominus dicitur, ex pluries deductis *sub tit. de fideicom.*), iure proprij dominij continuaret, tanquã per non factum casum, vel non purificatam conditionem.

Quoueròad aliud quæsitum, super interpretatione alterius legati facti ad fa-
13 uorem vxoris postquã purificatio cõditionis sequuta erit, super eius tractamẽtis; Respondi quod hæc dispositio in ista parte contineret potiùs ad fauorem vxoris quamdam dominicalem præeminentiam in domo, iuxtà illam speciem de qua *sub tit. de seruit.* ad materiam vsufructus, agendo de cõsuetudine *Bulgari*,
14 quando vxor relinquatur *donna, e madonna, & vsufruttuaria*, vt non per hoc id importet aliud nisi alimenta, non tamen, eo modo quo pauperi alimentario ex beneuolentia, seù charitate præstanda sunt, sed cum dicta præeminentia dominicali, eo modo quo vxor in domo viri viuere solet; Quasi quod hæc puella hæres instituta, quæ per testatorem, ipsamquè mulierem, ex fratre neptis, tanquam filia educata erat, ità etiam post nuptias, in eadem reuerentia erga matrem continuare deberet, nõ autem, vt congrua prouisio, quam testator eidẽ vxori reliquerat cum vsufructu particulari aliquorum bonorum, deseruire deberet ad meram locupletationem, & cumulum, cum id improbabile videretur, atq; voluntati testatoris verisimiliter cõtrarium, quod .s. neptem hæredem, quam tãquam filiã tractauerat, spoliare voluerit, vt ditaret hæredes extraneos vxoris sibi ignotos; Atquè cum his ponderationibus, spectata substantia verisimilis voluntatis defuncti, legata ambigua interprætanda sunt, non autem cum verborũ formalitatibus, aut cum regulis, seù propositionibus generalibus.

DISCVRSVS GENERALIS

An, & quando legatum dicatur purum, vel conditionale, vbi præsertim agatur de legato dotis; Et de effectibus exindè resultantibus.

SVMMARIVM.

1 Occasio edendi discursum.
2 Agitur in præsenti principaliter de dote constituta per vltimam voluntatem, an sit pura, vel conditionalis.
3 Dispositio de dote succedēte loco legitimæ, est pura, sed quæstio est, an conditionis reiectio proueniat ex potentia legis, vel ex præsumpta voluntate disponentis.
4 Effectus ex dicta quæstione resultantes, præsertim quod vbi est pura ex voluntate disponentis, est talis in totum etiam in eo, quod excedit legitimam, sed vbi est ex potentia legis, est pura in sola quantitate legitimæ.
5 Dispositio de dote non succedente loco legitimæ est regulariter conditionalis.
6 Fallit accedentibus coniecturis contrariam disponentis voluntatem suadentibus.
7 Agitur de vna ex coniecturis, vbi dotis verbum, seù temporis dilatio, non substantiæ, sed executioni est adiectum, & concluditur veriùs esse, hanc distinctionem nō esse attendendam in vltimis voluntatibus, secùs in contractibus; Et quid vbi tempus est certum.
8 Quando tempus dicatur adiectum substantiæ dispositionis, vel potiùs executioni.
9 Alia dari solet coniectura, quæ deducitur ex contextu sermonis, nàm scilicèt nuptiæ positæ sint conditionaliter, vel modaliter, quod reprobatur, & traditur regula generalis, quomodo in his coniecturis Iudex debeat se gerere.
10 Obseruantia subsequens est vna de coniecturis, quod declaratur procedere in casu dubio, non in claris, in quibus obseruantia non dicitur interpretatiua, sed destructiua, vel dispositiua.
11 Quid vbi pendente tempore, vel impedimento matrimonij, disponens reliquit alimenta, vel interusurium dotis non solutæ, an ex hoc resultet coniectura puritatis.
12 Ius congrui, seù retractus, an intret in concessione sub annuo censu, vel prestatione ab initio ex pacto redimibili.
13 De alijs coniecturis, ex quibus conditio reijcitur, & puritas inducitur remissiuè.
14 Quid vbi mandetur, vt legatum statim præstari debeat.
15 De effectibus exindè resultantibus.

DISC. LIX.

1 VLtrà ea, quæ ad hanc materiam legati conditionalis habentur in casibus particularibus supra præsertim *disc.* 3.; Cum circa ea legata, quæ puellis pro earum dote fiant, ista conditionalis dispositionis inspectio frequentius cadere soleat; Hinc proindè, in eo otio, cuius mentio habetur *sub tit. de dote disc.* 141
2 in principio, in hac materia legati dotiū, quando scilicèt dicatur conditionale, vel vbi in verbis esset tale; Idcircò sequentia adnotaui, quæ legata tantùm, vel alias vltimas voluntates percutiunt.

Distinguendo igitur inter legatum illius dotis, quæ legitimæ loco succedat, quia nempè factum sit ab eo, qui ad legitimam ergà legatariam tenebatur; Et alterum factum ab extraneo, vel ab eo, in quo hæc ratio non intret.

Primo casu, in quo dos succedat loco legitimæ; Certum est, vt legatum non sit conditionale, quoniam legitima, neque onus, neque conditionem admittit; Solumq; intrat dubitatio, an id prouenia
3 ex sola potentia legis, vel potiùs ex præsumpta mente disponentis; Atquè vera resolutio est, quod; Aut dispositio continet expressam conditionem futuri matrimonij, et tunc, quia in claris cessant præsumptiones, & coniecturæ, idcircò totum tribuendum est priuile-

uilegio legitimæ, ac legis dispositioni; Aut verò dispositio non continet claram conditionem, et tunc censenda est pura, non ex priuilegio legitimæ, sed ex præsumpta mente disponentis, vt grauamen, quod non poterat, noluerit adijcere, sed relinquere prout ex iuris necessitate tenebatur; iuxta sententiam *Bart. in l. Titio centum §. Titio genero de condit. & demonstr.* magis communiter admissam ex deductis *per Mantic. de tacit. dicto lib. 11. tit. 22. nu. 35., Fontanell. de pact. nuptial. claus. 6. glos. 3. par. 1. num. 5. Menoch. cons. 251. num. 33., & seqq., & lib. 4. præsumpt. 146.*, late *Giouagnon. cons. 41. & 42. lib. 1.* cum alijs inferius allegandis.

Nimium autem expedit, an dispositio sit pura ex præsumpta voluntate disponentis, vel ex defectu potestatis, quoniam primo modo ea dicitur pura in totum, 4 etiam quoad excessum legitimæ, iuxta sententiam *Bart.* vbi supra, quæ sic intellecta, est vera, quoniam voluntas, tanquã indiuidua, tota venit pariformiter terminanda; Secundo verò modo, non nisi vsquè ad quantitatem legitimæ, intra cuius limites dispositionis potestas est reformanda, atquè iuxtà hunc sensum sunt capiendi illi, qui reprobant prædictam theoricam *Bartoli*, & in his terminis loquuntur *Gabr. cons. 116. lib. 1.* & alij deducti *sub tit. de dote discur. 90. & 91. & 155.*, vbi de hac potestate respectu pacti reuersiui, aliorumquè onerum dotationi adiectorum; Aliaquè consideratur differentia inter puritatem orientem ex præsumpta voluntate, vel ex defectu potestatis, ad effectum transmissionis, vt infra suo loco.

In ijs verò casibus, in quibus dos, vel ab extraneo, vel etiam à parente relicta, non succedat loco legitimæ, tunc constituenda est regula, vt dispositio, quamnis in causam dotis simpliciter, absque 5 alia conditione ordinata, censeatur conditionalis; Cum enim dos non detur sine matrimonio, hinc proindè, qui supponit consequens, supponere censetur necessarium antecedens, ex eiusdem *Bartoli* sententia *in dicto §. Titio genero*, quã (reprobata distinctione *glossæ*), cæteri communiter sequuntur, vt constat *apud Mantic. dicto tit. 22. ex num. 7., Fontanell. & Menoch.* vbi supra, *Giouagnon. ibidem*, *Rota* tam in decisionibus apud eumdem *Giouagnonum* impressis, *quam coram Greg. decis. 346.*, *in Romana fideicommissi de Cartulis 20. Nouembris 1647. coram Verospio, Bononien. legati 28. Iunij 1652. coram eodẽ, Romana domus 3. Iunij 1658. corã Beuilaqua*, quarũ decisionum aliquæ sunt impressæ *decis. 123. par. 10. 291. par. 11.*, & in alijs pluries, quoniam est conclusio vera.

Regula hæc in abstracto, controuersiam amplius in foro non admittit; Et è conuerso, indubitata est limitatio, quo- 6 ties constet de contraria voluntate, quæ totum in hac materia facit, ac regulat, cum indubitanter valeat quis dispositionem, quæ de sui natura sit conditionalis, facere puram, & è contra *Mantic. dicto lib. 11. tit. 23. num. 1.*, plenè *Cyriac.* alios cumulans *controuers. 72. num. 18.*; Hinc proindè ista dicitur quæstio potiùs facti, quàm iuris, dum tota difficultas residet circa coniecturas, ex quibus, à regula recedendo, intret pro puritate limitatio; Circa quam aduertendum est ad æquiuoca plurium Doctorum, qui casum dotis succedentis in locum legitimæ ab alio non distinguentes, eam benignam interprætationem, quæ pro conditionis exclusione primo casu etiam quoad excessum facilè sumitur, huic secundo quoquè tribuunt, sed malè.

Primam coniecturam desumunt nonnulli Scribentes ex eo, quod verbum dotis, non substantiæ dispositionis, sed exe- 7 quutioni adiectum sit, quasi quod tunc dispositio à principio pura, & perfecta, in sola exequutione dilata sit, ità *Bald. cons. 286. num. 4. vol. 3., Crauett. cons. 101., Viuius dec. 484. num. 6. lib. 3., Cyriac.* alios deducens *controuers. 72. num. 42.*

Aliqui verò eam temperant, quoties huiusmodi verbum, exequutioni adiectum est purè, vel sub modo, secùs autem si conditionaliter, quoniàm dies incertus, cum verbis conditionaliter prolatis, importat conditionem, quamuis conditio respiciat exequutionem, vt *ex Bald. in l. ambiguitatem nu. 4. C. de vsufr., Ruin. cons. 65. num. 14. vol. 2., Gratian.* (licèt ad aliud propositum) *decis. 153. nu. 21., & discept. 136. num. 29. & seqq.*, vbi registrata est decisio Rotæ *in Maceraten. legati coram Coccino*.

Verius tamen est, vt hæc limitatio indistinctè non sit vera, quoniam cum

conditio matrimonij, ſub verbo dotis, tacitè ſubintellecta ſit, hinc proindè ſequitur, vt dies omninò incerta in vltimis voluntatibus quomodocumquè adijciatur, ſiuè ſubſtantiæ, ſiuè executioni, ſemper faciat conditionem.

Contraria verò procedunt, vel in contractibus, in quibus conditio adiecta executioni, non facit diſpoſitionem conditionalem iuxtà *deciſ. Gregorij* 117.; Vel vbi diſpoſitio conferatur in tempus certum, atque omninò futurum, vt *ex gloſ. in l. Seius Saturninus ff. ad Trebell.* firmant *Angel. & Alex. ibidem*, alijque congeſti *per Mantic. de coniect. lib.* 11. *tit.* 18. *num.* 20. *& ſeqq.*, *& tit.* 23 *num.* 7., *Gabriel. conſ.* 150. *num.* 3. *& ſeq. lib.* 2., *Laderch. conſ.* 60. *nu.* 7., *Morot. conſ.* 3., *Giouagnon. dicto conſ.* 40. *num.* 3., *Noal de tranſmiſſ. caſu* 17. *nu.* 54. *& ſeqq.*, *Merlin. de legitim. lib.* 3. *tit.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 61. *& ſeqq.*, *Fontanella* (qui tamen effuſo ſermone diſcurrendo, neſcitur quid concludat) *dicta clauſ.* 6. *gloſ.* 3. *par.* 2. *ex num.* 1. *&* 19.; Et hanc ſequuta eſt *Rota apud Gregor. dicta deciſ.* 346., *& in dicta Bononien. legati coram Veroſpio deciſ.* 291. *par.* 11. *rec.*, vbi expreſſim habetur, quod auctoritates in contrarium facientes, vel loquuntur contrà communem, vel procedunt in dote ſuccedente loco legitimę, atq; latè caſus diſtinguẽdo, benè in conditione, vel die omninò incerto, an & quando *Caſtill. lib.* 4. *controu. cap.* 56. *num.* 71. & conferunt plenè in ſimili deducta *per Capyc. Latr. deciſ.* 107.; Et quidem nullatenus rationi congruit, vt ea verba, quæ tam ex legis diſpoſitione, quàm ex naturali intellectu, de ſui natura conditionem important, debeant ex inaduertentia Notarij, vel teſtatoris, in eis, vno aut altero modo concipiendis, totam diſpoſitionis naturam immutare.

Ideoque coniectura, ſeu limitatio, ſolùm procedit, vbi agatur de tempore omninò extituro, putà nubilis ætatis; Tunc enim admittenda videtur prædicta diſtinctio, ſi verba percutiant ſubſtantiam, vel executionem; Dummodò tamen non adſint verba importantia conditionem, nam tunc, etiamſi ad certam diem præſtatio collata ſit, non deſinit diſpoſitio eſſe conditionalis, vt *ex Dec. conſ.* 2. *num.* 5. *& Bero. conſ.* 160. *num.* 8. *lib.* 3. in puncto legati dotis ſub conditione nuptiarum præſtandi, cùm puella fuerit in ætate 17. annorum *Rota in dicta deciſ.* 291. *par.* 11.; Continet enim diſpoſitio duo impedimenta, vnum conditionis, & alterum temporis, ideoque remoto vno, remanet alterum.

Et licèt aliqui credant, vt coniectura procedat, ſaltem in diſpoſitione paterna ad fauorem filiæ; Attamen id non eſt ità ſimpliciter admittendum, quoniam, Aut dos ſuccedit loco legitimæ, & tunc non eſt agendum de limitatione, dum deficit regula principalis; Aut non ſuccedit, & tunc nulla differentia dignoſcitur inter patrem & extraneum.

Benè verum, quod magis in paterna, quàm in extraneorum diſpoſitione, coniecturis locus præſtatur, non quidem ad effectum inducendi prædictæ regulæ limitationem, ſed ad effectum inducendi agnitionem filiæ in ſuam, atque deducendi voluntatem ſubrogandi dotem loco legitimæ, vt aduertitur *ſub tit. de ſucceſſ.* præſertim *diſc.* 4. *& ſeq.*

Quando autem tempus dicatur adiectum ſubſtantiæ, vel executioni, tradunt *Noal.*, *Mantic.* & alij vbi ſuprà, & *Rota in dicta dec.* 291. *par.* 11. *num.* 10.; Aut enim,
8 tam legatum, quàm præſtatio reguntur ab vno verbo, & ſub vnica oratione, & tunc dicatur eſſe circà ſubſtantiam; Si verò vnaquæque oratio ſit perfecta, Vel fortiùs ſi præcedente pura diſpoſitione in vna parte, in alia adijciatur tempus, & tunc dicitur eſſe circà exequutionem, quod etiam benè expendit *Merlin. lib.* 2. *controuer.* 45.

Altera tradi ſolet coniectura, quæ reſultet ex contextu ſermonis, quia nempè nuptiæ ſint poſitæ conditionaliter, vel
9 modaliter, & cauſatiuè, vt conſtat ex deductis (licèt indigeſtè) *per Noal. dicto caſu* 17. *ex num.* 38. *ad* 56., *& Fontanell. dicta gloſ.* 3. *par.* 2. *num.* 45. *& ſeqq.*

Verũ mihi ex ſolo modo concipiendi verba, non concurrentibus alijs coniecturis, vel præſũptionibus, nũquã in iſta, omnique alia materia placuit, vt ob formalitatem verborum immutari debeat regularis natura diſpoſitionis, quoniam ſatis notum eſt, quod Notarij, vel ipſimet teſtatores ad ſolam rei ſubſtantiam reflectendo vel ignorant, vel non aduertunt ad hanc differentiam verborum cõditionalium, ac modalium; Idque etiam magnis Iuriſconſultis ex improuiſo teſta-

menta

menta dictantibus, pluries eueniſſe ſcio in praxi; Ideoque vt nimiùm frequenter aduertere conſueui; Tam in iſta, quàm in alia quacumque materia coniecturali vltimarum voluntatum, ſemper legis intentioni, ac diſponentium voluntati, ſeu rationi aduerſantem cenſui hunc iudaicum ſtylum, inſiſtendi ſuper verborum cortice, ac ſubtili grammaticali intelligẽtia; ſunt etenim iſtæ ſubtilitates Conſulentium non attendendæ per Iudices prudentes, quorum munus præcipuum eſſe debet (induẽdo perſonam defuncti) ex particularibus facti circumſtantijs, indagare ſubſtantiam diſpoſitionis, ac veriſimilem illius voluntatem; Ideoq; iſtam, ac alias coniecturas cumulatas *per Noal.*, *Fontanellam*, *Manticam*, *Merlinum*, & alios allegatos, ſumere, ſiue attendere debent, tanquam adminicula ſe ad inuicem coadiuuantia, attenta præſertim quantitate legata, & perſonarum qualitate, ad effectum videndi, an teſtator ſenſerit de expenſis præparatorijs ad nuptias, vel de ipſa dote iuxtà diſtinctionem *Caſtren. in dicto §. Titio genero*, cui adhæret *Mantica dicto lib. 11. tit. 21. num. 5. & ſeqq.*

Inter alias verò coniecturas, ea nimiùm ponderari ſolet, quæ ab obſeruantia deducatur, quia nempè hæredes, antè conditionis aduẽtum, dotem ſoluerint, quaſi defuncti voluntatem ità interpretaſſe videantur *Crauett. conſ. 101. num. 3. & 4.*, *Noal. dicto caſu 17. num. 36.*, *Viuius deciſ. 484. num. 7.*, *Caſanatt. conſ. 35. nu. 22. Fontanell.* vbi ſuprà *num. 20.*

Id autem recipiendum videtur, vbi ex alijs coniecturis, vel facti circumſtantijs, res eſſet probabiliter dubia; Tunc enim intrat recepta & tuta concluſio, quod obſeruantia eſt optima interpres, & interpretationum regina; Sed niſi aliud concurrat, id de nihilo ſeruit; Cum enim regula clara ſit pro cõditionalitate, hinc proindè ſola credulitas, vel obſeruantia hæredis, non diceretur interpretatiua rei dubiæ, ſed potiùs diſpoſitiua, ac deſtructiua regulæ claræ, vt benè in puncto *Rota in dicta deciſ. 291. par. 11. rec.*

Et generaliter, vt ſola obſeruantia cauſata ex credulitate facientis in caſu claro non operetur *Rota deciſ. 329. & 351. par. 6. recent.*, *in Auenionen. fideicommiſſi 26. Iunij 1647. coram eodem Veroſpio rec. 98. par. 10.*, *in Auenionen. Saluiani 10. Februarij 1651. coram Bichio* inter ſuas *deciſ. 449.* in quibus concordantes.

Alia quoque ponderari ſolet coniectura, ſi diſponens mandauerit, vt interim puellæ alimenta, vel annuus redditus præſtari debeat, quaſi quod tunc, ex legato à principio puro, & dilato ad ſoluendum, pro dilatione interuſurium præſtari voluerit, vt obſeruant *Ancharan. conſ. 323.*, *Mantic. dicto tit. 23. num. 33.*, *Cyriac. dicta controu. 72. num. 34.*, *Giouagnon. dicto conſ. 41. num. 40. & conſ. 42. num. 20.*, *Merlin. de legitim. dicto lib. 3. tit. 1. quæſt. 8. num. 66. & ſeqq.*

Verùm diſtinguendum videtur, quod Aut iſta coniectura attendenda eſt reſpectu paternæ diſpoſitionis, ad effectum deſumendi voluntatem ſubrogandi dotem loco legitimæ, in quibus terminis loquuntur allegati; Aut reſpectu diſpoſitionis extranei, vel etiam patris, ſecluſo effectu prædicto, & tùnc niſi aliæ concurrant coniecturæ, ea ſola, & de per ſe nullius, vel leuiſſimi ponderis videtur; Probabile ſiquidem, ac humanæ rationi congruũ eſt, vt ex eadẽ charitate, cũ qua diſponens puellæ in nubili ætate de dote prouidere voluit, prouidere quoque voluerit in tempore præambulo de alimentis, vel pro ipſis de annuo redditu; Semper enim vera erit ſolida ratio, in qua principalis regula fundatur, quod ſcilicet finis à diſponente habitus, iam terminatus fuerit cum perſona, quã prouidere voluit, non autem eiuſdem hæredem, quem teſtator non curauit, nec dilexit; Ideoque meritò hanc alimentorum coniecturam in extraneo, parui fecit *Rota in dicta deciſ. 291. par. 11. rec.*

Benè verum, quod ſi annua præſtatio, non ſub nomine alimentorum, ac ſubuentionis, ſed ſub nomine interuſuriorum relicta ſit, ad rationem tot pro centenario, tùnc videtur coniectura magnæ efficaciæ, quoniam debitum vſurarum præſupponit debitum ſortis; Niſi cõſtet, quod diſpoſitio ad eumdem finem directa fuerit, vt *in Bononien. ſucceſſionis 29. Nouembris 1599. coram Lancellotto* impreſſa *apud Giouagnon. dicto conſ. 42. num. 134.*

Ad quod conferunt deducta *per Frãch. deciſ. 392. num. 2.*, & *Merlin. deciſ. 210. num. 6.*, quod ſcilicèt, vbi conceditur res ſub annuo cenſu, vel præſtatione, tùnc

non

non intrat retractus, dùm non est venditio, sed si fiat concessio sub annua præstatione soluenda, vel redimenda, ad rationem tot pro centenario, tùnc intrat retractus, quoniàm in effectu est venditio, atque censetur principaliter deductum in contractum pretium sortis, eiusque loco præstatio tanquam sortis accessio, vt aduertitur *sub tit. de seruit.* ad materiam retractus, ideoque debitum videretur à principio purum, sed ob dilatam solutionem, sit interusurij productiuum loco damnorum, & interesse iuxtà eius legitima requisita, & non aliàs ex ijs, quæ habentur *sub tit. de dote disc.* 161. & pluries *sub tit. de vsur.*

Est pariter certa coniectura deducta *ex Bart. in dicto §. Titio genero*, vbi nempè constat disponentem fuisse aliàs relicturum, sed quia hoc non præsumitur, pendet autem ex facti probationibus; hinc proindè dicenda potiùs est probatio hominis, quàm coniectura legis.

Alias quamplures ponderant coniecturas *Mantica dicto tit.* 23., *Giouagnon. allegat. conf.* 41. & 42., *Cyriac. controuers.* 72. *Merlin. de legitim. dicta quæst.* 8. *lib.* 3. *tit.* 1.; Verùm, vt dixi, vt plurimum illæ potiùs percutiunt paternam dispositionem, ad effectum desumendi agnitionem filiæ in suam, Et è conuerso etiam in casibus, in quibus regulariter dispositio pura censenda esset, adhùc ex potentioribus coniecturis, vel facti circumstantijs potest esse conditionalis, quoniàm (vt præmissum est) ex disponentis voluntate fit purum id, quod de sui natura est conditionale, & è contrà, quoties defectus potestatis non resistat.

Quoties verò disponens mandet dotem statim sequuta morte præstari, tùnc non coniectura, sed aperta est probatio puritatis, vt *per Castr. conf.* 125. *nu.* 2. *lib.* 1., *Crauett. dicto cons.* 101. *num.* 2., *Mantic. dicto tit.* 23. *num.* 24.; Nisi præceptum hoc de statim soluendo hæredi fuerit iniunctum, non ad effectum soluendi, sed ad effectum deponendi ad hoc, vt accedente tempore nuptiarum, pecunia prompta sit, & parata; Tùnc enim adhùc dispositio remanet conditionalis, vt egregiè *Rota in dicta decis.* 291. *num.* 14. *& seq. par.* 11.

Effectus autem exindè resultantes, sunt quamplures, frequentiores autem, ac principaliter considerandi sunt; Primò iam dictus, vt scilicèt dispositio pro nuptijs carnalibus sit applicabilis spiritualibus; Tota enim hæc inspectio fundatur in præsuppositio, quod dispositio sit conditionalis; Secundò, de quo *disc seq.*, an conueniat nuptis, vel pro vlterioribus nuptijs, cum ex ibidem deductis hoc præsuppositum conditionalitatis sit fundamentum quæstionis; Tertiò circà exercitium actionis ad huiusmodi legatum consequendum, quoniàm si est dispositio pura, statim agi potest, saltem ad effectum, vt adueniente tempore exequatur, secùs verò si est conditionalis, quoniàm non purificata cōditione, deficit actio; Quartò circà transmissionem, vel caducationem; Quintò circà fructus medij temporis; Sextò circà conditiones, & pacta per hæredes disponentis adiecta cum similibus, de quibus in proprijs sedibus videndum est, præsertim *sub tit. de dote*, quæ est eius sedes, ac etiam de aliquibus *sub tit. de succes.*, *& sub tit. de legitim. & detraction.*

An legatum alicui puellæ in specie, vel puellis in genere factum pro dote, conueniat iam nuptis; Vel an intelligatur solùm de primis nuptijs, vel conueniat vlterioribus fauore viduarum; Et an secundum legatum deroget primo pinguiori.

SVMMARIVM.

1 *Regulæ generales inducunt confessionem.*

2 *Dispositio de dote præstanda patris, vel sui immediati, qui etiam diuitem, & nuptam dotare tenentur, conuenit nuptis, & aliundè prouisis.*

3 *Dos per partem data, vel constituta per dispositionem à se factam de dote præstanda, si est maior, vel aquilis cen-*

censetur data in compensationem dictæ dispositionis, vnde vnica & secunda dos tantùm debetur.

4 Legatum factum per patrem filiæ indotatæ, semper censetur in causam dotis, licèt non exprimatur.

5 Vbi secunda dos est minor, quàm in prima dispositione continetur, an filia petat residuum, seu supplementum.

6 Dos semel destinata, vel constituta à patre, an minui possit remissiuè.

7 Dispositio de dote facta ab alio, quàm à patre ad fauorem certæ personæ, intelligitur pro futuris nuptijs, si testator sciebat tunc mulierem esse nuptam, & dotatam.

8 Intellige si erat congruè dotata, secùs si adhuc opportuna prouisione indigebat, quia ad istam dispositio est referenda.

9 Vbi verò testator est ignarus nuptiarum, vel quia istæ sequutæ sint post testamentum, discrepant DD. num dispositio ad fauorem certæ personæ, vel incertæ de certis, conueniat iam nuptæ, & distinguuntur plures casus.

10 Dotes præstandæ puellis innuptis, an, & quando debeantur etiam nuptis antè dotium distributionem.

11 Dispositiones de dotibus, seu subsidijs dotalibus præstandis incertis de incertis.

12 Dictæ dispositiones pro incertis de incertis non conueniunt nuptis, sed solùm nubendis, quod tamen declaratur, vt etiam aliquando malè nuptis conueniant, vt honestati consulatur.

13 Dispositio de dote præstanda intelligitur pro primis nuptijs, non pro ulterioribus.

14 Limitatur tripliciter; Primò, vbi constat de præsumpta disponentis voluntate; Secundò, vbi primæ nuptiæ non fuerunt consumatæ, itaut agatur de vidua virgine; Tertiò, vbi agitur de vidua iuuene, & formosa, vt periculo consulatur.

15 Primæ nuptiæ nullæ, non merentur nomen nuptiarum, ideoque secundæ nuptiæ dicuntur primæ, si nullitas non est culposa, secùs si culpa mulieris accedat.

DISC. LX.

CVM in forensibus materijs experientia probet, quod nisi casus distinguãtur, generales propositiones, confusionem potiùs, quàm resolutionem producũt; Hinc proindè, pro huius materiæ aliquali cognitione, ità distinguendum videtur; Aut agitur de dispositione illius, qui dotare tenetur, etiam nuptam, ac diuitem, vt est pater, ac etiam certis casibus auus, vt habetur *sub tit. de dote disc.* 1. & 142. & tunc non dubitatur, vt dispositio conueniat etiam nuptis absque dote, vel aliundè dotatis, ideoque dispositio censetur facta in adimplemẽtum debiti, atq; pro illius taxatione; Non enim inconuenit, vt mulier duplicem habeat dotem, vnam aliũdè, & alteram à patre, vt *dicto disc.* 1. & 144. *de dote*; Atque isto casu vera ratio resolutionis, non consistit in expiratione, vel implemento conditionis, vt aliqui malè credunt, sed in iam dicta, quòd pater, etiam nuptam dotare tenetur, vt benè declarando *Guliel. de Cuneo* obseruat *Paschal. de patr. potest. par.* 2. *cap.* 6. *num.* 50. & *seqq.*

Si verò mulier, ad cuius fauorem dispositum fuerit, dotata postmodùm sit ab eodem patre, vel auo disponente, cum dote maiori, vel æquali, & tunc certum pariter est, vt legatum, vel dispositio cesset ob illius causæ expirationem ad text. *in l. filia legatorum C. de legat.*; Licèt enim iste textus loquatur de legato expresè facto in causam dotis; Attamen procedit etiam in legato simplici, quoniàm semper à patre censetur factum in causam dotis, vt quidquid sentiat *Bart. in dicta l. filia legatorum*, firmant ibidem communiter Scribentes, de quibus *apud Fab. de Anna cons.* 91. *nu.* 4. & *seqq.* & *nu.* 21., *Paschal. dicta par.* 2. *cap.* 6. *num.* 35. & *seq.*, *Franch. decis.* 422. *num.* 6., *Boss. de matrim. cap.* 11. *num.* 553., *Arias de Mesa lib.* 2. *variar. cap.* 11. *num.* 15. & 18.; Atque videtur hodie absolutum, quoties, tam legatum, quàm posterior constitutio, consistant in quantitate, ac fortiùs, vbi vtraq; dos consistat in specie, quæ difficilius recipit duplicationem ad text. *in l. Lucius* 2. §. *impuberem de legat.* 2. cum concordan-

dantibus *per Fab. de Anna* vbi suprà *in princ.*; Dubium etenim aliquod esse posset, quoties, vna cõsisteret in specie, & altera in quãtitate; Verùm adhùc idem est dicendum, vel ratione compensationis, vel saltim ex altera cessantis causæ.

Difficultas igitur est, vbi secunda dos data, vel constituta sit minor; Tùnc enim intrat famigerata quæstio, an filia, in vim primæ dispositionis residuum petat; In hoc autem duæ sunt opiniones; Vna est negatiua *Dyni in l. Lucius de legat. 2.*, quoniàm cessante causa legati, illud remanet extinctum, & sequuntur *Imol., Cuman., & Castren.*, quos refert *Fab. de Anna dicto cons. 91. num. 11. & seq.*, atq; hanc veriorem credunt *Cancer. lib. 3. variar. cap. 20. num. 182. in fine, Merenda tom. 3. controu. lib. 16. cap. 20., de Marin. resolut. quotidian. 93. tom. 1.*

Altera est opinio affirmatiua *Oldradi in eadem l. Lucius*, quem sequuntur *Angelus, Iacobin.* & alij relati *per Fab. de Anna ibidem n. 14.*, eamq; veriorem profitentur *Iason in l. huiusmodi §. cum pater num. 18. & seqq. de legat. 1. Couarr. in c. officij num. 10. de testament. Franch. decis. 422. num. 6. Casanatt. cons. 35. num. 17. Capyc. Latr. consultat. 17. adden. ad Gregor. decis. 236. Rota apud Millin. decis. 404. in princ.*, vbi hæc admittitur pro regula.

Et licèt aliqui, tertiam tradant opinionem *ex Bart. in eadem l. Lucius*, distinguẽdo inter legatum pro dote, & illud pro maritanda, vt primo casu procedat opinio *Dyni*, quasi quod tùnc causa cessasse non dicatur, cum etiam constante matrimonio, dos augumentum recipere valeat; Attamen reprobatur hęc distinctio, quodq; *Bartolus* computãdus veniat cum sententia *Oldradi*, obseruat *Couarr.*, quem rectè expendit *Fab. de Anna* vbi suprà *nu. 20.*

Quamuis autem ista secunda opinio magis recepta videatur; Attamen mihi non placet, neq; probabile rationis fundamentum habere videtur; Finis enim parentum in huiusmodi dispositionibus est, condecenter collocare filias; Neque mirum, quod maior sit quantitas in legato contenta, quoniàm satis notum est, quod maior necessaria est dos in orphanis, cum patris viuentis qualitas sæpiùs pars dotis esse soleat, ideoque patres prudentes, plus in casu mortis pro dote filiabus legare solent, quàm si viuentes darent, vt ità de nuptijs dignis magis tuti reddantur; Probabileque omninò est, quod si pater voluisset dare viuens tantam dotem, quantam in præcedenti dispositione statuerat, eam constituisset à principio, dilata solutione patris post eius mortem, cum ità vtique digniorem generum habere potuisset, vt ad sensum.

Verùm quia eam ità simpliciter respuere nõ audeo, idcircò crederem, quod istę opiniones conciliari possint, quodq; vtraq; opinio sit respectiuè vera iuxtà facti circũstãtias, & cõiecturas, vt etiã obseruat *Rota apud Millin. d. dec. 404.*; Si enim pater vir prudens, post dotem constitutam, habens congruum tempus ad reuocandum priorem dispositionem, illiusque memor, contrariã dispositionem, vel declarationem facere neglexit, tùnc videtur illud plus etiam filiæ post mortem præstari voluisse; E conuerso autem, secùs dicendum, si morte improuisa præreptus, testamentum mutare non potuit, vel ex facti circumstantijs constet, quod illius memor non fuerit; Siue quod sit persona talis, quæ probabiliter credere potuit, vt per iam sequutam prouisionem filiæ, prior dispositio euanuerit; Ideoq; totum prudentis Iudicis arbitrio, inspectis facti circumstantijs, remittendum videtur.

Quatenùs verò secunda opinio regulariter tenenda esset, adhùc certum est, vt dictæ, vel aliæ coniecturæ inducant limitationem, vt suprà; Proùt etiam indubitatum est, quod si prior dispositio sit dubia, tùnc sequens constitutio dotis, tanquàm deseruiens pro interpretatione, veniat attendenda; Putà, legauit pater pro dote scuta mille, atque in eadem Ciuitate currunt scuta diuersi valoris, seu qualitatis, nempè scuta auri, & scuta monetæ, vt in Vrbe; Tùnc in dubio fauore dotis venit quod magis, vt in sua materia aduertitur, sed si viuens mille scuta monetæ dederit, vel promiserit, tùnc ista constitutio attendenda est in totum tanquàm interpres legati æquinoci.

Est tamen ista quæstio voluntatis, non autem potestatis, vt malè credidit *Crot. in l. si constante 10. in 2. lect. num. 19.* relatus *per Paschal. de patr. potest. par. 1. c. 4. nu. 94.*, qui dixit vt summam pro dote legatam pater, neque volens possit ampliùs minuere, quoniàm hæc opinio nul-

lum

lum habet iuris, vel rationis fundamentum, vt in dicta sua sede *sub tit. de dote* aduertitur.

Aut verò sumus *in* dispositione alterius, quàm patris; Vel etiam istius, in ijs casibus, in quibus nuptam, vel aliundè prouisam, dotare non tenetur; Et tùnc pariter subdistinguendum est, an scilicèt agatur de legato facto ad fauorem certæ determinatæ personæ, vel potiùs incertæ; Primo enim casu, si mulier de tempore testamenti erat nupta, idque cognitum erat testatori, tùnc planum est, vt conditio intelligenda veniat de futuris viterioribus nuptijs, non autem de contractis ad text. *in l. si iam facta* 11., & *l. si ità legatum* 67. *de condit. & demonstrat.*, *Iaf. in l. 3. §. ex pluribus num. 26. ff. de acquir. possess.*, *Felin. in cap. ad hæc, ante fin. de rescript. Cancer. dicto cap. 20, lib. 3. var. num. 179.*

Id autem intelligendum est, si cum præsentibus nuptijs, legataria est ità benè collocata, vt illis durantibus alio dotali subsidio probabiliter non egeat, quoniã si nupta esset cũ nulla, vel cũ exigua dote, tùnc crederem, vt amplectenda esset supradicta distinctio *Bartoli*, quę alià in casu suo reprobata est, nisi coniecturæ aliter suadeant; *Vbi* enim veram, vel coniecturatam disponentis voluntatem habere possumus, tùnc cessant istæ inspectiones.

Si verò de tempore testamenti, vel etiam posteà, testatore viuente, sed ignorante, mulier esset nupta, & tùnc intrat non leuis difficultas, ob Scribentium varietatem; Prima enim opinio est magis recepta, maiorique legum, ac rationum munimine roborata, vt legatum indistinctè debeatur, siue nupta sit de tempore testamenti, siue posteà testatore viuente, & fortiùs eo mortuo antè alterius conditionis aduentum; Idque ex triplici ratione; Primò nempè, quia pro dispositione conditionali consequenda, sufficit conditionem quandocumque adimpleri, ad tex. *in l. si ità scriptum §. fin. de legat. 2.* & in terminis *in l. si quis hæredē C. de inst. & subst.*; Secundò quia, vbi effectus alicuius rei attenditur, tùnc nil interest, quod finis præcedat, vel sequatur, *glos. in Clem. 1. verbo Nerua, de conces. præben.*; Et tertiò, quia matrimonium non est causa extinctiua, sed productiua dotis; Atq; per hanc vltimam rationẽ respondetur obiecto extinctæ, seù cessantis causæ legati.

Vbi enim tempus adiectum est, non causa terminandi, vel extinguendi, sed perficiendi, vel exequendi obligationẽ, tùnc non procedunt ea, quæ de tempore limitato tradi solent *Bald. in l. fin. C. de sent. quæ sine cert. quantit. numer. 11. Lup. in c. per vestras 3. notab. §. 20. num. 6. Castr. conf. 148. vol. 2. & conf. 308. lib. 1. & in l. Publius ff. de cond. & demonstrat. nu. 2. Imol conf. 113. num. 9.*

Altera etiam ratio ponderari solet, quod scilicèt mulier cum illa spe meliorem virum inuenit *Imol. dicto conf. 113. Decius conf. 163 Spin. in speculat. testament. glos. 14. num. 152 Ceuall. comm contr. com. quæst. 138. num. fin. Sanchez de matr. lib 7. disp. 91. nu. 65.*, ex professo *Cosanatt. conf. 35.*, benè *Marta de succes. lib. 4. quæst. 18. artic. 3. num 15. & seqq*, *Capyc. Latr. consult. 17.*, *Cancer. dicto cap. 20. num. 17. & 185.*, & alij (quamuis inter istos adsint plures id simpliciter firmantes etiam in legato generali facto pro incertis, sed ità simpliciter non benè vt infrà.)

Alia est opinio præcedenti de directo contraria, quæ simpliciter negat, vt maritatis hoc legatũ debeatur, ex ea ratione, quod extincta est causa legandi, atquè cessauit finis, ob quem testator inductus est ad disponendum; Atquè ad contrariam rationem, quod matrimonium est causa, potiùs productiua, quàm extinctiua, respondetur, id procedere in legato facto per patrem obligatum dotare etiam nuptam, & dotatam, *Bald. conf. 360. lib. 4. & 493. lib. 5.*, *Simon de Pret. de interpræt. vltim. voluntat. lib. 4. dubitat. 12. num. 46. & seq.*, *Manent. decis. 35.*, *Paschal. de patria potest. par. 2. cap. 7. num. 55. & 60.*

Tertia est opinio distinguens inter dispositionem conceptam in futuro, & in subiunctiuo, vt in primo non debeatur, in secundo autem sic, vt per *Natt. conf. 485.* latè *Manent. conf. 147.*, *Mandell. conf. 52.*, & his videtur etiam adhærere *Paschal.* vbi supra.

Ex præmissis igitur constat, vt priori sententiæ magis adhærendum videatur, illaquè tanquam doti magis fauorabilis teneri potiùs debeat, nedũ in legato facto certæ, ac determinatæ personæ, sed etiã incertis de certis, quoniam (excepto *Bal.*

do), ferè omnes vtrumquè casum videntur æqualiter determinare.

Mihi verò, consideratis attentè præfatis auctoritatibus (alijs omissis vtpotè loquentibus de dispositione patris, in qua vt supra viget diuersa ratio) videtur, vt ista materia, vtpotè pendens à coniecturata dispositionis intentione, cum certa vniformi regula determinari non possit, sed quod regulanda sit iuxtà singulares facti circumstantias; Ideoquè iuxtà penè generalem naturam huiusmodi quæstionum voluntatis, quæ facti potiùs quàm iuris dicuntur, cum casuum distinctione procedi debeat.

Aut enim agitur de legato nominatim relicto ad fauorem certæ personæ, præstando per legatariæ patrem, vel aliũ dotare obligatum, ac verisimiliter à testatore magis dilectum, quia nempè testator, instituto hærede eius fratre, vel alio coniuncto, fecerit legatum, pro subsidio dotis alicuius ex eiusdem hæredis filiabus; Et tunc si legataria de eo tempore, vel postea per ipsum met hæredem congruè prouisa sit, cum cessatio legati, respiciat eiusdem dotantis commodum, amplectenda venit sententia *Baldi consulentis*, dum potiùs in subleuamen dotare debentis, quàm pro excessiua superflua dote, dispositum esse censetur; Et hic est proprius casus, de quo agunt *Mandell. conf.* 52., & *Manent. decis.* 35.; Magna enim æquitas, ac verisimilitudo id suadere videntur, maximè si in defectum vnius, alteri filiæ sit consultum iuxtà casum *Mandelli*.

Aut agitur de legato, pariter ad fauorem certæ personæ, præstando ab alio, quàm ab eo, qui dotauit absquè alia substitutione, itaùt legati cessatio respiciat commodum hæredis non dotantis, et tunc amplectenda sit opinio *Baldi repetentis*, quoniam aliàs intentio testatoris remaneret sine effectu, atquè rectè tunc dici posse videtur, vt potiùs affectio personæ, quàm causa contemplata fuerit, vt obseruat *Sanchez* (nisi versemur in casu, in quo dispositio censenda esset de iure subsidiaria, vt in sua materia *sub tit. de dote disc.* 37. & *seq.*, & *disc.* 145.

Verùm si dispositio contineat fauorẽ alterius personæ, in qua vigeat eadem ratio charitatis, quia nempè relicta sint mille pro dote Titiæ, & in eius defectũ, pro dote Semproniæ, tunc verior, & æquior videtur dicta sententia *Baldi consulentis*, dum cessat in prima prouisa, finis charitatis habitus à disponente, illequè vrget in altera nõ prouisa, pro qua testator viuens, verisimiliter potiùs respondisset.

Id autem multò magis dicendum est in legato pro incertis de certis, quoniam auferendo nuptæ, ac prouisæ, non cessat dispositio, sed confertur in aliam magis indigentẽ, iuxtà magis verisimilẽ dispo. nentis intentionem, contra quam, ac omnem charitatis rationem videretur, vt ex sola legum rigorosa intelligentia abũdandũ esset in superfluis, vt deficeretur in necessarijs, iuxtà stylum imprudẽtum, & prodigorum; Ideoquè contraria sententia *Cassanat. dicto conf.* 35., & *Capyc. Latr. consult.* 17., quatenus generaliter capiatur, placet; Nisi prima non sit cum nuptijs benè prouisa; Vel nisi nuptiæ sequutæ sint post factum casum legati, cui tũc agatur de iure quæsito, vt rectè *Bald. dicto conf.* 360. *lib.* 4.

Procedũt hęc quatenus dispositio concepta sit sub incerta conditione; Quoniam si conditio sit certè extitura infra aliquod tempus, quod puella expectare non potest, vel non debet, tunc præcedentes nuptiæ non præiudicant, quoniam agitur de iure quæsito; Vt puta disponẽte Statuto, vt dotes nõ nisi quoquo triennio, vel quinquennio puellis de familia distribuantur, tunc non tenentur vocatæ expectare finem huius termini, cum non substantiam, sed potiùs dilationem executionis dictus terminus percutiat, et in his terminis rectè procedunt dicta *per Capycium Latr. dicta consultat.* 17.; Istoquè casu, benè intrat ratio *Imola dicto conf.* 113. *nu.* 9., quod scilicèt ista spes est pars doris; Maximè vbi agatur de dotibus præstandis per Montes familiarum, de quibus loquitur *Capyc. Latr.*, quoniam isto casu, puellæ ab instanti natiuitatis, tanquam ex causa onerosa, ius quæsitum quodammodo habere videntur, vt firmat idem *Capyc. Latr. consult.* 127.

Idemquè dicendum videtur in conditione potestatiua pendente à facto tertij, iuxtà casum *Valenzuelæ consil.* 132. *lib.* 2., quia nempè dotes dandæ sint puellis de familia, nominandis per exequutores, vel nubendis cum eorum, vel aliorum con-

consensu, quoniam, si isti requisiti, absq; iusta causa, nominationem facere, vel cõsensum præstare renuunt, atque puella, hoc non expectato nubat, tunc nuptiæ non præiudicant, vt benè *Valenzuela* vbi supra.

Aut agitur de dispositione generali pro incertis de incertis, vt frequẽter esse solent pia legata, vel dispositiones pro dotali subsidio generali pauperibus puellis præstando, et tunc; Aut istæ sunt, nedum nuptæ, sed etiam aliundè dotatæ, & nulla cadit quæstio, cum huiusmodi dispositiones censeantur subsidiariæ pro solis pauperibus non prouisis *Cyriac. controuer. 94. num. 41.*; Ideoquè dereſtabilem abusum esse, dare huiusmodi subsidia puellis aliundè prouisis dicit *Rota in Romana dotis 21. Februarij 1650. coram Corrado apud Salgad. in labyrint. decis. 22.* vbi inuehit contra simulationes in ista materia fieri solitas, & habetur *sub tit. de dote*; Aut verò sunt nuptæ, sed non dotatæ, et quia tunc nulla viget ratio affectionis potiùs erga vnam, quàm alteram, atquè denegare legatum nuptis, non tollit pietatem operis, principaliter inducti ad consulendum honestati puellarum innuptarum, idcircò omninò vera est dicta prima sententia *Baldi in dicta l. fin.*, quam absolutam censet *Sanchez dicta quæst. 91. lib. 7. num. 63. & seqq.*; Atquè ità passim in praxi seruari videmus.

Benè verùm, quod nõ repugnante voluntate disponentis, si ex facti circumstãtijs, eadem ratio pietatis, vel consulendæ honestatis vigeat, tunc non videtur prohibitum executoribus, huiusmodi subsidia, etiam nuptis distribuere; Ponamus enim, quod simus in muliere iuuene, ac formosa de dote non prouisa, quę habeat virum exulem, vel aliàs inutilem, adeoùt, ad instar innuptæ, honestatis periculo subiaceat, vtiq; dicendum non est vt maximũ foret charitatis opus, idem subsidiũ nubendarum, huic malè nuptæ præstare, vt ità honestatem tutam reddere valeat, vt expressè sentit etiam *Sanchez*, atque in hoc sensu capiendi videntur *Casalcanus decis. 26. num. 36. par. 3. & Boss. dicto cap. 11. num. 556. in fin.*; Nisi vsus obstet, vt etiam aduertitur in dicta sua materia *sub tit. de dote.*

Quoueró ad secundam partem propositæ materiæ, an scilicèt dos pro nuptijs relicta, debeatur solùm pro primis, vel etiam pro vlterioribus; Regula est negatiua, quoniam dispositio consumitur in prima vice ex ratione *text. in l. Boues. §. Hoc sermone, de verb. signific.*, & firmant *Bald. in proem. decret. nu. 25. Sanch. lib. 7. disp. 91. num. 55.* latè *Capyc. Latr. consult. 127. num. 10. & 53.*

Verùm ea tripliciter temperatur; Primò nempè, vbi ex facti circumstantijs constet dispositionem vlterioribus etiã nuptijs conuenire, et in his terminis venit intelligendus *Castrens. cons. 308. lib. 1.*, qui pro omnibus nuptijs legatum deberi firmat.

Secundo vbi primæ nuptiæ fuerint tantùm ratæ, sed non consumatæ, cum tunc mulier tanquam virgo dicatur etiã capax dispositionis, dum regula *in l. Boues* procedit cum effectu *Sanch.* vbi supra *num. 56.*, *Capyc. Latr.* ibidem *num. 54. & seqq.*, vbi ità decisum in Sac. Consilio Neapolit.

Tertio (iudicio meo), vbi ageretur de vidua nimis iuuene, ac formosa, adeoùt probabiliter credatur honestatis periculo subiecta; Quemadmodum enim in sua materia *sub tit. de dote disc. 142.*, nedùm coniunctos regulariter ad vnicam dotationem obligatos, sed etiam filios primi matrimonij, contra omnes iuris regulas, ex ista ratione ad secundarum nuptiarum dotem teneri habetur, ità pariter, & in præsenti; Maximè vbi agitur de subsidio debendo incertis de certis, ex aliqua particulari ratione sanguinis, vel affectionis, ob verisimilem disponentis voluntatem; *Vbi enim agitur de subsidio dando incertis de incertis, non ità de facili hoc admittendum est*, saltem ob contrariam communem obseruantiam, à qua, etiam non resistente disponentis voluntate, vel particulari Statuto, nõ crederem rationi incongruũ esse, vt aliquando recederetur, vt supra obseruatum est.

Benè verùm, quod hoc tertium temperamentum, in sola æquitatis ratione fundatum, admittendum videtur, non militante altera æquitate in cõtrarium, atquè sine præiudicio aliarum puellarũ; Si enim agatur de monte alicuius familiæ, cui post mœstitas dotes omnibus puellis tunc existentibus, supersint reditus, tunc pro isto subsidio viduæ videtur

omni ratione prædictæ æquitati locum fore; Secùs autem vbi, ob dotem viduæ præstandam, cessaret subsidium alteriùs puellæ nubilis, cum tunc in concursu æquitatis hincindè, non sit recedendum à regulis iuris.

An autem primæ nuptiæ nullæ, nuptiarum nomen, ac effectum mereantur, adeoùt sequentes dicendæ sint secundæ, vel primæ; Negat *Sanchez dicta disput. 91. num. 56.*, quoniam non entis nullæ sunt partes *ad text. in l. dotis 68. de Iur. dotium*; In contrarium verò vrget *text. in l. hæc conditio ff. de condit. & demonstr.*, vbi disponitur, vt per inutiles nuptias illarum conditio, licèt non impleta, adhùc tamen defecta sit; Verùm non videtur recedendum à priori sententia, quoties nullitas non proueniat ex culpa, vel delicto, adeoùt mulier reddatur æquitate indigna; Secùs autem eius culpa accedete, nè aliàs melioris conditionis dicatur contrahens criminosas nuptias, & illicitas, quàm licitas, & honestas; Atquè iste, inter plures intellectus, quos habet *text. in dicta l. Hæc conditio* benè congestos *per Arias de Mesa lib. 2. variar. c. 40. ex nu. 15.*, videtur ex littera textus, & ex *glos.*, ac Doctoribus verior; Vt nempè procedat de summo iure, secùs autem de benignitate.

SVM-

SVMMA
SIVE
COMPENDIVM

Eorum, quæ in foro magis practicabilia continentur in hoc Lib. XI. Par. I. de Legatis.

I.

De legatorum validitate, eorumquè operatione, compræhensione, & interprætatione, *à num. 1. ad 32.*

II.

De legatorum priuilegijs, & effectibus, ac etiam de remedijs, & actionibus, pro eorum assequutione competentibus, *à num. 32. ad 42.*

III.

De legatorum diminutione, seù cõtributo, quãdo hæreditas omnibus idonea nõ sit, ac de falcidiæ detractione; Et de ademptione, vel alia cessatione, seù caducatione, vel caducitate *à num. 42. ad 67.*

IV.

De legatis pijs, eorumquè priuilegijs; Et de legatariorum capacitate, vel incapacitate; Et de facultatibus exequutorum testamenti, ac illorũ, qui sint de iure exequutores, vt sunt Episcopus, vel Fabrica S. Petri, & de istius facultatibus, *à num. 67. ad 78.*

SVMMARIVM.

I.

1 *QVando existente valido, ac perfecto testamento corruant legata.*
2 *De* Senatus Consulto Libboniano *in sibi ipsis adscribentibus.*
3 *An à validitate testamenti liceat arguere ad validitatem legatorum.*
4 *Quandoque legata debentur etiam à successore ab intestato, & quando.*
5 *Minores requiruntur solemnitates in legatis, quam in testamentis, & quæ sit differentia.*
6 *Accessoria, sunt legata, quæ tamen stare possunt sine testamento, quod est principale, & quando.*
7 *An pecunia numerata, & merces veniant sub legato mobilium, & de qua specie monetæ legatum intelligatur.*
8 *Quid de legato generis, de quibus speciebus intelligatur.*
9 *In legato generis, cuius sit electio.*
10 *An possit eligi melius, vel deterius.*
11 *In dubio, an pro hærede, vel pro legatario fieri debeat, lata vel stricta interpræatio.*
12 *Quis præsumatur magis dilectus, an hæres, vel legatarius, distinguitur.*
13 *Quando censeatur de solo vsufructu, vel etiam de proprietate.*
14 *Quando dicatur purum, vel conditionale, & quando ætas, vel tempus, seù casus faciat conditionem.*
15 *Quid veniat sub legato domus, vel prædij &c.*
16 *Factum pluribus de annua, vel menstrua præstatione, an intelligatur distributiuè pro singulis, vel vnica summa per omnibus.*
17 *An censeatur ad vitam tantùm, vel sit perpetuum, & transmissibile.*
18 *Iniunctum hæredi, an censeatur de primo tantum, vel etiam de vlterioribus.*
19 *Factum filijs, vel filiabus alicuius, de quibus intelligatur.*
20 *De legato facto illis de familia certam ætatem, vel qualitatem habentibus pro subsidio studiorum, quomodo sit intelligendum.*
21 *Certa designatio in legatis, an stet taxatiuè, vel demonstratiuè, & quid in hoc operetur fauor piæ causæ.*
22 *Quando res legata non est in commercio, vel est aliena, an præstanda sit æstimatio.*
23 *Factum simpliciter de aliqua re, an de tota, vel de solo iure testantis.*
24 *Collatum in arbitrium, seù voluntatem an valeat, & quomodo præstandum.*

25 *Le-*

25 *Legatum vsusfructus, an resoluatur in proprietatem.*

26 *Vel an importet solum alimenta.*

27 *Et an totus vsusfructus debeatur, vel solum pars, alia parte debita proprietario.*

28 *Ex obseruantia recipit restrictionem, vel interpretationem.*

29 *De legato habitationis, vel facultatis habitandi, & de differentia.*

30 *De legato vsus aliquorum bonorum.*

31 *Quod super his, & similibus non detur certa regula, & quarè &c.*

II.

32 *De hypotheca, quæ competit pro legatis.*

33 *Creditores defuncti etiam in sola actione personali vincunt legatarios.*

34 *Legatarij autem in bonis defuncti vincunt creditores hæredis.*

35 *Ad quid prosit hypotheca, de qua nu. 32.*

36 *De eodem, & de beneficio separationis bonorum.*

37 *An dicta hypotheca competat pro legatorum fructibus, & accessionibus annuis.*

38 *Ratione hypothecæ remanet proficuum legatum, quod debitor faciat creditori, seù pater de legitima, vel de dote.*

39 *An, & quando pro legato competat via executiua.*

40 *An pro legato debeantur fructus, vel vsuræ &c.*

41 *An, & quando legatum censeatur factum animo compensandi.*

III.

42 *Ex quibus causis legata diminutionem patiantur.*

43 *Falcidia potest, & solet prohiberi etiam tacitè.*

44 *De priuilegio piæ causæ in hac materia falcidiæ.*

45 *Quando hæreditas omnibus legatis idonea non est, fit diminutio per contributum &c.*

46 *Fallit ex diuersa testantis voluntate etiã coniecturata, & quando hæc adesse dicatur.*

47 *Quid in legatis ad pias causas, an veniãt in contributum.*

48 *Et quid inter legata speciei, & illa quantitatis.*

49 *De quæstionibus ademptionis, vel reformationis.*

50 *An, & quando secunda dispositio sit accumulatiua, vel ademptiua.*

51 *Et quid vbi in vita testator aliquid præbet legatario.*

52 *De regulis, vel propositionibus generalibus, quæ desuper habentur, & in quo sint operatiuæ.*

53 *De differentia inter casum caduci, & casum caducitatis.*

54 *Quando legatum dicatur conditionale, & quando modale, & de effectibus ex vna, vel altera specie resultantibus.*

55 *Quando conditiones legato adiectæ pro non scriptis habendæ sint, ac vitientur, vel potiùs vitient.*

56 *Quando intret retrotractio pro restitutione fructuum.*

57 *Quomodo dignoscatur, an præceptum sit conditionale, vel modale.*

58 *Quando mors, vel dies, seù casus faciat conditionem, vel potiùs dilationem contineat, atque exequutionem percutiat.*

59 *De effectibus transmissionis, vel caducationis exindè resultantibus.*

60 *Legata fideicommissis particularibus exæquata sunt, ideoque disposita in fideicommissis, legatis congruunt.*

61 *An, & quãdo legatum capi possit propria auctoritate, vel à manu hæredis capi debeat.*

62 *Onera, quibus res legata subiaceat, an ad hæredem, vel ad legatarium pertineant.*

63 *An in legatis debeatur euictio.*

64 *Quando legatum ab vno factum censeatur in exequutionem voluntatis alterius.*

65 *De ademptione, quæ resultet ab alienatione rei legatæ, & de subrogatione rei quæsitæ ex pretio.*

66 *An legatarius quotæ bonorum concurrat cum hærede in supportatione onerum hæreditariorum; Et de cessatione legati ob cessantem legandi causam, putà tutelam, vel educationem &c.*

IV.

67 *In fauorabilibus à legatis prophanis ad pia, intrat generale argumentum, vt quod prophanis conceditur, pijs quoque competat.*

68 *In ijs, quæ voluntatis imperfectionem respiciunt, pia causa nullum habet priuilegium, quod in eiusdem voluntatis interpretatione cadit.*

69 *Priuilegium consistit in ijs, quæ pendent*

à solemnitatibus.
70 *Vel aliȳs, quæ à iuris positiui prohibitione vel dispositione pendeant.*
71 *De effectibus, seù priuilegȳs piorum legatorum.*
72 *De incapacitate legatarȳ, quando adsit.*
73 *Data incapacitate legatarȳ, cui nam piũ legatum debeatur, & de auctoritate Episcopi.*
74 *De facultatibus Fabricæ S. Petri.*
75 *De materia exequutorum testamentariorum remissiuè.*
76 *Quando etiam Religiones incapaces in communi, sint capaces legatorum.*
77 *De alȳs incapacitibus.*
78 *De differentia inter capaces, & indignos.*

I.

De legatorum validitate, & operatione, eorumque comprehensione, vel interpretatione; Et quando sint reiterabilia, cum tractu successiuo.

TEstamenti validitate, ac perfectione præsuppositis, nulla cadit quæstio validitatis legatorum, quæ in eo continentur; Nisi legatarij incapacitas, vel aliqua particularis circumstantia, contrarium suadeat, quia nempè error, seù falsum præsuppositum accedat.

Sibè quod ad fauorem scriptoris testamenti, sua manu, ac sibi ipsi legatum
2 conscripserit, adeoùt *Liboniano Senatusconsulto* locus fiat, eiusquè non intret limitatio. A.

His etenim, vel similibus circumstantijs non accedentibus, ex quibus legatum in testamento, quamuis valido, ac perfecto contentum, *inutile* sit; A testamenti
3 validitate, ad illam legatorum, quæ in eo continentur, arguere licitum est, non autemè conuerso, à legatis ad testamentum; Legata etenim, ab intestato etiam valere possunt, atquè per intestatum hæredem quoquè præstanda sunt.

Vbi nempè ex causa exhæredationis, vel præteritionis, aut per inofficiosi querelam, testamentum corruat, seù aliàs,
4 non sortiatur effectum; Quoties tamen de præteritione ignoranter, vel de exhæredatione ex falso præsuppositio facta non agatur, adeoùt verisimiliter deficientis voluntatis ratio accedat, etiam legandi, eo modo quo in ipsa præteritione, vel exhæredatione viget. B.

Ac etiam quia, minor in legatis, quàm in testamento solemnitas requiritur, cũ
5 istud septem idoneos testes, aliasquè solemnitates, prò eius diuersa qualitate exigat, legata verò, per codicillos, aliamue simplicem vltimam voluntatem, cum solo numero quinque testium, tot non desideratis solemnitatibus, relinqui possint. C.

Hinc proinde, accessoriorum regula, non semper tuta est, vt scilicèt, ea cor-
6 ruant, principali corruente, quoniam, et si legata partes accessoriæ sint testamenti, adhùc tamen, eo corruente, ipsa firma remanere possunt, quoties testamenti defectus naturalis non sit, ex mentis scilicèt infirmitate, vel deficientia, vndè propterea in vniuersam dispositionem, ille influat.

Super legatorum autem operatione, vel comprehensione, seù interpretatione, maiores, ac frequentes in foro quæ-
7 stiones cadunt; Putà an pecunia numerata, vel merces, aliaquè, auri, & argenti pretiosa mobilia, seù debitorum nomina, sub legato mobilium cadant; Idquè (neglecta opinionum varietate in abstracto), veriùs est, vt certam regulam generalem, cuicumquè casui applicabilem nõ recipiat, sed tanquam facti, ac voluntatis quæstio, ex singulorum casuum qualitate, & circumstantijs, atq; voluntatis argumentis, illo præsertim verisimilitudinis, decisionem recipiat; Ideoquè nõ est sub compendio explicabile, sed in sua sede videndum est. D.

Aut de qua monetæ specie legatum intelligendum sit, vbi plures species adsint. D.

Idem-

A. *De materia Sen. Conf. Liboniani de sibi adscribentibus sub tit. de testam. disc. 8.*

B. *Eod. tit. de testam. disc. 57. & seqq., & sub tit. de fideicom.. disc. 181.*
C. *sub tit. de testamen. pluries.*
D. *hoc tit. disc. 4. cum pluribus seqq.*
D. *hoc tit. disc. 40.*

Idemquè super legato earum rerum, quæ sint generis, ad certam speciem nõ redacto, de quibus scilicèt intelligendum
8 veniat, adeoùt peremptio earum, quæ in hæreditate erant, legatarij periculo cedere debeat, necnè. E.

Siuè cuius esse debeat electio, à hæredis, vel legatarij; Et quatenùs, vni, vel
9 alteri competat, super modo illam faciẽdi, an scilicèt eligi valeat melius, vel de-
10 terius respectiuè, siuè potiùs mediocre sit eligendum; Id etenim plures recipit distinctiones, præsertim circa res inanimatas, quas etiam deteriores habere expedit, et res inanimatas, quas deteriores potiùs expedit non habere, quàm habere, cum alijs distinctionibus, de quibus pariter in sua sede videndum est. F.

In dubio autem, circa præmissa, aliaquè similia, cuius fauore potiùs interpretatio facienda sit, an scilicèt lata, & be-
11 nigna, fauore legatarij, vt plus obtineat; Vel stricta, & rigorosa fauore hæredis, vt quò minùs censeatur grauatus; Verius est, vt à prædilectione pendeat decisio; Si enim facti qualitas maiorem ergà hæredem suadeat prædilectionem (in dubio præsumendam), stricta fiat interpretatio, secùs autè è cõuerso, vbi ea sit maior erga legatarium. G.

Quæstione cadẽte super hac dilectione, quando vni potiùs, quàm alteri eius
12 præsumptio assistat, vbi præsertim filiorum, & piæ causæ fauor concurrat, siue de eiusdem piæ causæ concursu, ex diuerso hæredis, & legatarij titulo respectiuè agatur; Idquè certam non recipit regulam, cum pro facti qualitate, decidendũ sit; Potissimè autem, si alia vrgeant argumenta, quæ simplici iuris præsumptioni ex generalibus propositionibus resultanti, præponderare debent.

Super legatorum interpretatione plures aliæ frequenter cadunt quæstiones,
13 Præsertim an factum censeatur de vsufructu tantùm, vel etiam de proprietate; H. Siuè quando dicatur purum, atq; ab initio perfectum, ad certum tempus,
14 vel casum, dilata solũ exequutione, Vel potiùs censendũ sit conditionale, adeoùt tempus, vel casus, legati substantiam percutiat, illudquè conditionale reddat, ad effectum caducationis, ac alios ex conditionali imperfecta dispositione resultantes. I.

Aut quæ, sub alicuius dominus, vel prædij legato veniant, àn scilicèt aliæ offici-
15 næ, aliaquè prædia, quæ materialiter diuersa sint, ex destinatione tamen, seù disponentis voluntate, sub ea re veniant, quę in legatum deducta est. L.

Siuè an legatũ pluribus de eadem annua, vel menstrua præstatione factum,
16 distributiuè in singulis intelligendũ sit, vel potiùs, eadem summa, inter omnes repartiri debeat. M.

Vel, an idem annuum, vel menstruum legatum, ad vitam tantùm factum cen-
17 seatur, vel ad hæredes, cum tractu successiuo transmissibile sit. N. Aut primo
18 tantùm hæredi, non autem alijs successiuè venientibus iniunctum. O.

Seù circa personas, sub aliquo generico, siuè collectiuo nomine explicata,
19 quia nempè alicuius filijs, vel filiabus, certum, vel incertum subsidium, relictum sit, de quibusnam intelligendum sit. P.

Siue vbi legatum fiat illis de familia, certam habẽtibus qualitatem, vel ad cer-
20 tum effectum, puta studiorum, & an sit vnicum, vel reiterabile. Q.

Potissimè autem, ac frequentiùs disputare contingit, vbi certa designatio facta
21 sit, vndè generis, vel quantitatis legatum præstandum sit, an taxatiuè, vel demonstratiuè facta censeatur; Et quid in hoc piæ causæ fauor operetur, ac speciale habeat. R.

Atquè si res legata in libero commercio, liberaue testantis dispositione non sit

E. *hoc tit. disc.* 11.
F. *hoc tit. disc.* 12. & 13.
G. *dicto disc.* 4. & *seqq.* & *disc.* 12. & *seqq.* & *pluries hoc tit.*
H. *hoc tit. disc.* 3.
I. *hoc tit. disc.* 58. & 59. & *disc.* 3.
L. *disc.* 7. *cum seqq. hoc eod. tit.*
M. *hoc tit. disc.* 33.
N. *eod. disc.* 32. & 45.
O. *hoc tit. disc.* 34. & 42.
P. *hoc tit. disc.* 16. & *seqq.*
Q. *Hoc tit. disc.* 36.
R. *hoc tit. disc.* 14. & 27.

sit, adeoût præstari non possit, vel non debeat, an inutile remaneat legatum, vel potiùs in æstimatione sit adimplendum. S.

Factumquè simpliciter de re, an de tota intelligendum sit, vel de ipsius restantis portione, vel iure. T.

Collatumuè ad legatarij, vel hæredis, aut tertij arbitrium, seù voluntatem, an vtile, vel inutile sit; Et quatenùs vtile, quomodo arbitrium sit interponendum, cum similibus ambiguis dispositionibus, claram, ac certam legem ipsius disponentis non habentibus. V.

Vt etiam contingit in ijs legatis, quæ de vsufructu facta sint, an scilicèt de vero formali, vel etiam causali, qui proprietatem importat; X. Siuè vbi etiam de solo formali, an ipsum verum importet, vel potiùs in alimenta resoluatur; Y. Seù an de sola portione intelligendum sit, alia portione hæredi, vel proprietario reseruata; Z. Vel an ab obseruantia interpretationem recipiat.

Idemquè in legato habitationis, quãdo scilicèt veram, ac formalem habitationis seruitutem importet, vel potiùs facultatem habitandi; A. Siuè in legato vsus aliquarum rerum, earum præsertim, quæ personæ ornamentum concernant, quomodo intelligendum sit.

Super his autem, ac similibus, vtpotè, facti potiùs, quàm iuris quæstionem redolentibus, certa, & determinata regula generalis, cuicumquè casui applicabilis, non de facili statui potest, cum ex singulorum casuum qualitate, & circumstãtijs, varijsquè distinctionibus, decisio pẽdeat, ideoquè proprias sedes, in casus occurrentia adire oportet. B.

II.

De legatorum priuilegijs, & effectibus, ac etiam de remedijs, & actionibus pro eorum assequutione competentibus.

ILlud præcipuum legatis à iure nouo priuilegium concessum est, quod lex antiqua nõ cõcedebat, hypothecæ scilicet legalis, quæ tacita vulgò dicitur, ad differentiam expressæ sub qua conuentionalis explicatur. C.

Quamuis enim in concursu legatariorum, & creditorum ipsius disponentis, hoc priuilegium nullius operationis vi-
33 deatur, cum semper creditores, vtpotè causam onerosam fouentes, quamuis chirographarij tãtum, vincant legatarios.

Atquè in alio concursu legatariorum, & creditorum hæredis, quamuis expressam, vel tacitam hypothecam habentiũ,
34 potior sit legatariorum conditio in bonis defuncti ex beneficio separationis bonorum, quod ab eadem antiqua lege cõceditur priusquàm à moderna hoc priuilegium tribueretur. D.

Adhùc tamen proficuum, nimiumquè operatiuum est, vt legatarius suas exercere valeat actiones contrà tertios bonorũ
35 possessores, in quos ex particulari titulo dominij, bona per hæredem, citrà fraudem, ex onerosa, & correspectiua causa translata sint, cum cessante hypothecæ beneficio, sola personalis actio nõ de facili remaneat experibilis cõtrà tertium, quoties illud non intret edictum, quod ad fraudes tollendas à lege prodijt E; Siuè, quod firmiora ità remanent legatariorum iura, exempta à faciliori præscriptione, alijsquè limitationibus, ex quibus beneficium separationis bonorum inutile remanere solet.
36

Quæstione cadente, an prò ijs legatis,

hoc tit. disc. 1. & 2.
ibidem proximè.
hoc tit disc. 10.
tit. de seruit. pluries.
hoc tit disc. 39. & de seruit. disc. 50. cum duob. seqq.
hoc tit. disc. 31. & de seruit. disc. 55.
sub tit. de seruit. disc. 65. & 66.
Locis supra citatis.

C. *hoc tit. disc. 37. & 49. & de credito disc. 7. & in alijs.*
D. *tit. de credito disc. 27. & de feud. disc. 78.*
E. *tit. de feud. disc. 78. & sub dicto tit. de credit. pluries.*

quorum sors, fructuum, vel annualium
37 accessionum cum tractu successiuo productiua sit, non solùm pro sorte, sed etiã prò fructibus, vel annualitatibus decursis, bona testantis eidem hypothecæ subiaceant, cũ potioritate, vel beneficio separationis bonorum aduersùs creditores hæredis, vel tertios, in quos ex præfato particulari titulo dominij translatiuo, bona distracta sint.

Licèt autem id aliquã opinionum varietatem habeat; Verius tamen, ab eadistinctione determinationem recipit, vt attendendum sit, an ipsæ accessiones, vel annualitates, ità per testatorem demandatæ sint, vt ipsius legatum contineant, de eius bonis implendum; Vel potiùs id iniunctum sit hæredi, qui ex bonorum fructibus implere debeat; vt primo casu, bona defuncti affecta sint, ipsaquè hæreditas debitrix existat; Secùs autem in altero. F.

Ex hoc autem legali priuilegio resultat, vt inutile nõ sit legatum, quod debitor creditori faciat de eo quod debet, cũ
38 ità proficuus resultet effectus istius hypothecæ, seù processus exequutiui, aliàs non competentis; Vt præsertim praxis frequentior docet in legato, quod parens liberis faciat legitimæ, vel dotis cõgruæ, seù de paragio, cum verius sit prò vno, vel altero legali debito hypothecam à lege tributam non esse, illam verò ex legato resultare. G.

Super processu exequutiuo, àn pro legatis competat, in iure non est expressè decisum, ideoquè variæ desuper haben-
39 tur opiniones, quarum negatiuam Rota Romana, ob quamdam antiquitatis reuerentiam, tenet; Alia verò Romanæ Curiæ Tribunalia, magisq; communitèr illa aliarum ditionum, affirmatiuam, verè probabiliorem, sequuntur, pro viæ exequutiuæ competentia. H.

Cum ea tamen moderatione, vt contra hæredem in eodem testamento scriptum, id procedat, cum eidem facultas non detur sui auctoris factum impugnare, eiusquè respectu, res iudicata sit, atquè probatio probata, illa dispositio, ex qua ipse suum ius metitur; Secùs autem, vbi de intestato hærede agatur, qui rescisso, vel annullato testamento ex capite inofficiositatis, vel ex alio defectu, qui in legata non influat, ad eorũ impiementum adhùc teneatur.

Siuè vbi de eodem testamentario agatur, qui directè sui auctoris factum non impugnet, sed aliam iustam habeat causam, seù probabilem dubitationem, de negandi legati solutionem, quia nempè interpretationis, vel comprehensionis, aut non impletæ conditionis, siuè caducationis, vel incapacitatis, vel insufficientiæ quæstio cadat, super qua iudicis determinatio prodierit, à qua potiùs, quàm à iudicio defuncti hæres credatur grauatum, ideoquè appellet. I.

Fructuum, vel accessionum quæstiones, inter hæredes, & legatarios frequen-
40 ter forus audit, cum consuetæ opinionum diuersitate.

Illa tamen probabilior distinctio est, ex qua decisio pendet, inter legata, quæ de specie sint, ac alia quantitatis, vt primo casu, fructus ab instanti mortis testatoris, tanquam sequela dominij, ad legatarium pertineant, tanquàm dominum (cui proindè rei vendicationis actionem lex concedit); Nisi ea in hærede, vel in alio possessore concurrat bona, vel media fides, quæ à perceptorum, & consumptorum restitutione excuset.

In altero autem casu, in quo de legato quantitatis agatur, (præsuppositâ mora regulari, vel irregulari, sine qua, interesse, vel vsurarum obligatio non datur), lex ciuilis, fauore pupilli, vel piæ causæ, seù alterius priuilegiatæ personæ, vel cauæ, accessionum, vel vsurarum cursum concedit.

Contrarium verò lex canonica statuit, cui propterea in hac vsuraria materia, lex ciuilis vbiq; in laicali etiã foro cedere debet, vt aliud interesse non debeatur, nisi illud, quod suadeat ratio lucri cessantis, vel damni emergentis, vel alterà non impleti mandati, quod per testatorem hæredi fit iniunctum, vt in vsurarum sede aduertitur.

Quinimò, vt neque ipsius testantis lex, vel ordinatio huiusmodi accessiones licitas

F. *hoc tit. disc.* 37. & 49.
G. *dicto tit. de feud. disc.* 78.
H. *hoc tit. disc.* 6.
I. *eodem disc.* 6. *hoc tit.*

tas reddere valeat; Nisi vbi prohibita interim facultate legatario, sortem principalem petendi, ipsæ accessiones, in legatum deductæ dici valeant; Secùs autem, vbi legatum peti potest, eiusque actio sit experibilis. L.

A debitore creditori legatum, quod factum sit, an compensandi cum debito præsumptionem habeat, vel potiùs vtrũq; debitum sit, sub frequenti quæstione ca-
41 dit; Ea verò illã genericam recipit distinctionem inter debitum necessarium, & voluntarium, vt in prima specie, compensandi præsumptio cadat, non autem in altera; Nisi contrariæ voluntatis expressa, vel præsumpta probatio accedat, in cuius casu, tam vna, quàm altera pars distinctionis cessat, cum legis præsumptiones, ac regulæ, testantis voluntati perpetuò cedant; Ideoque certa desuper statui non potest regula, cum à facti speciali qualitate pendeat, quando probationes, vel præsumptiones, & argumenta, concludant, necnè.

Necessaria verò causa, ea est, quæ citrà voluntarium factum hominis, à legis obligatione manet, secùs autem, vbi necessitas à voluntate initium trahat, cum tùnc voluntaria censenda veniat; Quæstione cadente in lucris dotalibus, quæ, etiã absq; expressa partiũ conuentione, ex Statutis, ac legibus municipalibus manẽt an scilicèt, necessariã, ideſt legalẽ, vel potiùs voluntariam, ideſt conuentionalem causam redoleant, iure implicitæ voluntatis à lege municipali subintellectæ; Idque opinionum varietatem habet; Ea verò in Romana Curia recepta videtur, quæ voluntariæ causæ id refert, ideoque compensationem excludit; Alibi verò diuersa retinetur opinio, ideoque cum ea procedendum est, quæ in loco recepta sit. M.

III.

De legatorum diminutione, seu contributo, quando hæreditas omnibus idonea non sit; Ac de falcidiæ detractione; Et de ademptione, vel alia cessatione, seu caducatione, vel caducitate.

DVplici ex causa, legata diminutionem pati solent, adeoùt in parte illorum sequatur implementum, Vel quia hæreditas, detracto ære alieno, seù legitima filiorum, omnibus legatis idonea non sit,
42 quamuis falcidiæ detractio non intret, Vel quia hæc detractio eamdem causet diminutionem.

Rarus autem est huius posterioris detractionis casus, cum penè pro communi stylo, hæc detractio soleat expressè prohiberi; Quinimò, etiam tacitè, & coniecturaliter ista prohibitio admittatur,
43 quamuis leues essent coniecturæ, ob præmissam frequentiorem consuetudinem, ac etiam ob nouissimam introductionem beneficij inuentarij, ob quam cessasse videtur ea ratio, quæ huius detractionis causa fuit. N.

Siue quia, pro frequentiori vsu, legata concipi solent fauore piæ causæ, quæ ab hac detractione exempta est; Cadente quæstione, an hoc priuilegium, aduersùs
44 aliam æquè priuilegiatam piam causam locum habeat, quod varias habet opiniones; Probabilius autem videtur, vt priuilegium quoque intret. O. Adhùc tamen quandoque, præmissis, vel similibus limitationibus cessantibus, hæc detractio legatorum diminutionem producit.

Siue igitur, vno, siue altero modo, integrum omnium legatorum implemen-
45 tum sequi non valeat; Regula est, vt omnes per contributum, seù per æs & librã, ac pro rata, iuxtà arithmeticam computationem, talem diminutionem pati debeant; Nisi ex disponentis voluntate aliqua legata exẽpta sint ab hoc cõtributo.

In hoc itaque, vbi expressa sit voluntas

L. *de hac materia fructuum, vel vsurarum legati sub tit. de vsur. disc. 29. cum duobus seqq.*

M. *de hac materia compensationis legati cum debito, vel lucro hoc tit. disc. 15. & tit. de dote disc. 99. & 120., ac etiam sub tit. de credito.*

N. *tit. de legitim. & detract. disc. 32. & 34.*

O. *eod. disc. 34. de detraction.*

nulla cadit quæstio, cum ista non sit iu-
46 ris, sed facti, ac voluntatis; Cadentibus quæstionibus quando id, ex coniecturata, seù præsumpta voluntate deduci prætendatur, quod certam non recipit regulam generalem circumque casui applicabilem, cum iuxtà generalem omnium coniecturalium quæstionum naturam, in singulis casibus, ex eorum individuis circumstantijs decisio pendeat; Potissimè verò, vbi legatum non omninò voluntariam, sed necessariam, vel quasi, causam habeat, Quia nempè ad conscientiæ exonerationem; Siue ad antidoralem remunerandi obligationem, aliamue causam, quæ aliquam habeat specialem rationem, legatum referri valeat, discretè ab alijs, quæ affectionis voluntarium habeant motiuum; Siue vbi ratio sanguinis, vel alia, specialitatem aliquam inducat.

Quæstione cadente, an generaliter pia causa in concursu prophanæ hanc habeat specialitatem, vel potiùs æquale con-
47 tiburum inter pia, & prophana legata intret; Idque varias habet opiniones, diuersaque recipit distinctiones in propria sede recensitas, non de facili sub compendio explicabiles.

Alia etiã quæstione inter æquè pia, vel æquè prophana legata cadẽte, vbi diuersa sit legatorũ conditio, seù qualitas, quia
48 nempè alia sint specierum, alia verò quãtitatis, quod pariter varias habet opiniones, diuersaque recipit distinctiones, à quibus decisio pendet; Adhùc tamen verisimilis, vel aliàs coniecturata voluntas, totum facit. P.

Ademptionis item, vel reformationis quæstiones frequenter cadunt certam non recipientes regulam, nisi eam, vt in
49 dubio præsumendæ non sint, omnisque pro earum exclusione capi debeat interpretatio; In reliquis etenim, totum est facti, ac voluntatis, ex facti qualitate decidendum. Q.

Vbi verò geminata eiusdem testatoris dispositio accedat ergà eumdem legatarium, frequentiores cadunt quęstiones,
50 an scilicèt posterior, prioris ademptiua, seù impletiua, vel potiùs accumulatiua, sit, adeoùt vtrumque legatum debeatur; Siue vbi disponens, qui superstruat, ergà legatarium alium per actum inter viuos
51 liberalitatis, ac benevolentiæ actum exerceat, illumq; finem impleat, ad quem vltima voluntas directa sit.

Super his autem, ac similibus, pariter certa compendiosa regula statui non potest, cùm totum pendeat à singulorum casuum circumstantijs, ex quibus veri-
52 milis voluntatis probationes, vel argumenta resultent; Licèt enim aliquæ generales desuper habeãtur propositiones, an in vnica, vel diuersa scriptura dispositiones contineantur; Siue an prior benevolentię augmentum, vel decrementum intermedio tempore receperit; Aut an vtraque eamdem habeat expressam, vel saltim implicitam causam, vel rationem; Vel an id, quod in vtraque continetur, sit reiterabile, atque multiplicationem admittat; Attamen istæ, similesq; generalitates, benè operatiuæ sunt, vbi voluntas omninò incerta sit, vndè propterea, facti adiutorio cessante, cum regulis, ac præsumptionibus iuris, quæstionem decidere oporteat; Siue vbi argumentis, & coniecturis hinc indè colluctantibus, quæstio sit de præponderantia, cui regularum iuris assistentia magnum præbet pondus, vel fomentum. R.

Caduci quoque, & caducitatis quæstiones cadunt; Notabili tamen differentia inter vnum casum, & alterum caden-
53 te, ad effectum substitutionum, & an ea, quæ in legato continentur, ab hæreditate auulla cẽseãtur, vel potiùs adhùc in ea existãt; In casu etenim caducationis ista posterior pars verificatur, secùs autem in casu caducitatis, quæ præcedentem supponit acquisitionem, quam caducatio negat, ac si legatum factum non esset, ob longam diuersitatem effectuum, ex vna, vel altera specie resultantium, vt magis distinctè in sua sede aduertitur. S.

Ad id autem dignoscendum, eadem in legatis distinctio intrat, quæ in fideicommissis, alijsque vniuersalibus, etiam directis dispositionibus habetur, an scilicèt

P. *de his omnibus in materia contributi hoc tit. disc. 35.*

Q. *de hac materia ademptionis hoc tit. disc. 32. & disc. 49. cum seqq.*

R. *de his omnibus, & an secunda dispositio sit ademptiua, vel impletiua hoc tit. disc. 49. cum plur. seqq.*

S. *hoc tit. disc. 29. & 30.*

54 cèt modalis, vel conditionalis dispositio sit; Vbi etenim de conditionali agatur, quæ à conditionis purificatione perfectionem, ac essentiam recipiat, adeoùt acquisitionem impediat, eiusque principio se opponat, conditionis defectus, vel non implementum, siue culposum sit, vel casuale nil refert, ideoque caducationem causat; Vbi verò modalis, adeoùt iuris iam quæsiti amissionem, seù priuationem importet, cùm speciem pœnæ id redoleat, culposa contrauentio requiritur, vt locus fiat caducitati, cuius terminus intrat; Ideoq; ad restitutionis in integrum, vel alicuius excusationis præsidium confugere conceditur, quod priori casu negatur. T.

Ad plures alios effectus ista distinctio quoque nimiùm confert; Potissimè verò, vbi de ijs conditionibus agatur, quas lex
55 reprobat, atque pro non scriptis haberi mandat, vt (exempli gratia) sunt illæ, quæ viduitatem inducant, siue libertatis matrimonij, aut electionis vitæ religiosæ præiudicium contineant, cum facilius in casu, quo resolutiuæ sint, quã in altero quo sint suspensiuę, reijciantur, ac vitientur, in altero autem vitiẽt; Ob eam notabilem differentiam, quæ inter iuris quæsiti amissionem, & quærendi impedimentum dignoscitur. V.

Alter effectus est retrotractionis, pro restitutione scilicèt fructuum, seù totius emolumenti, quod interim perceptum sit, vt in casu conditionis intret, se-
56 cùs verò in casu modi, vt frequens disputandi occasio potissimùm præbet in ijs legatis, alijsque dispositionibus, quæ sub viduitatis præcepto vxoribus fiant, siue adinstar, in alijs, quibus eadem ratio congruat.

Maiores itaque desuper facti, seù applicationis, esse solent quæstiones, quando scilicèt, in vno, vel altero casu esse di-
57 camur, quoties non omninò clara, & expressa sit voluntas, quæ omnes dirimit iuris quæstiones.

Quamuis autem desuper magna dignoscatur sensuum, siue opinionum varietas; Plerisque grammaticalibus verborum, vel clausularum, ac dictionum sensibus, vel legalibus significationibus principaliter inhærentibus, ideoque nimiùm quoq; laborantibus super gerundiorum, ac participiorum resolutionibus, cum similibus frigiditatibus, ac ineptijs.

Verùs tamẽ est, vt rei veritas, vel substantia voluntatis attendi debeat, an. s. implementum, acquisitionis initio se opponat, illudque impediat, vel suspendat, siue lex ob disponentis voluntatem, suspensum, vel impeditum cum retrotractione fingat; Vel potiùs idem implementum acquisitionem subsequi debeat, illamque supponat velut necessarium antecedens, adeoùt iuris iam quæsiti contrauentio, pœnalem amissionem, seù priuationem causet. X.

Cumque tempus, vel casus, ad duplicacem effectum adijci soleat; Vel scilicèt, vt substantiam dispositionis percutiat, ideo-
58 que interim, quod eius purificatio sequitur, perfectionem impediat, atque conditionem facere dicatur; Vel solã exequutionem, eiusque dilationem, ipso actu ab initio puro, ac perfecto existente; Hinc propterea, inuoluta pariter quæstio est, an & quando mortis, vel ætatis, seù nuptiarum tempus, alteriusue casus purificatio, conditionem faciat, necnè, quod ex varijs distinctionibus, non de facili sub compendio explicabilibus, decisionem recipit, ideoque in sua sede quoque videndum est. Y.

Atque hinc, transmissionis, vel respectiuè caducationis, alter effectus resultat, vt in casu quo substantiam percutiat, atq; conditionem faciat, mors legatarij, quæ
59 antè conditionis purificationem sequatur, transmissionem impediat, atque caducationem inducat, nisi testantis voluntas aliud suadeat, secùs autem, vbi dilationem solum, vel exequutionem concernat. Z.

Generaliter item lege fideicommissis particularibus legata exequante; Hinc ea, quæ in fideicommissorum sede super
60 vulgari, vel fideicommissaria, aliaue substitutionum specie, vel super caducitate, seù caducatione habentur, legatis quoque

T. *hoc tit. disc.* 43. & 58., *sub tit. de testam. disc.* 73. & *sub tit. de fideic. disc.* 154.

V. *locis proximè citatis.*

X. *locis proximè cit. & præsertim disc.* 154. *de fideicommiss.*

Y. *hoc tit. disc.* 3. 58., *& seqq. & dicto disc.* 73. *de testam.*

que congruunt. A.

Amissionem quoquè legatorum, lex, in pœnam temeritatis induxit eorum, qui propria sibi auctoritate ius dicunt,
61 bonaq; legata capiunt, cum illa ab hæredis manu capi debeant; Nisi testator hanc tribuerit licentiam; Siuè legatarius absquè vitio in rei legatæ possessione sit, ex alio titulo, quem sibi muret, quod etiã absq; expressa declaratione factum esse, lex præsumit; Aut quod, Ecclesiæ, vel piæ causæ fauor eamdem tribuat licentiam; Seù quod certa detractionum incompetentia, vel canonica æquitas, inanem non permittat circuitum; Adhèc tamen, his, vel similibus limitationibus cessantibus, vitiosa quidem reputatur possessio, vt legatarium non faciat hæredi legitimum contradictorem, non autem, vt hanc pœnam incurrat, rarò, vel nunquam ad praxim redigi solitam, cum quælibet causa pœnam excuset. B.

Diminutionis legati quæstiones quoque inter hæredem, & legatarium oriri solent, quamuis hæreditas idonea sit, ne-
62 que detractiones, legatorum integro implemento impedimentum præstent; Vbi scilicèt de legatis agatur specierum, quæ censibus, aliisuè oneribus subiecta sint, quæ illarum valorem, siuè vtilitatem minuant, an ad hæredem, vel ad legatarium spectent; Idque (cessante testatoris voluntate, cui semper deferendum est) ex oneris qualitate recipit determinationem; Vbi etenim merè reale sit, vt in canonibus, ac liuellis, vel censibus reseruatiuis, aliisuè verè realibus responsionibus, id verificari dicitur, planum est legatarij onus esse; Et è conuerso, planum est onus esse hæredis, vbi de simplicibus hypothecis generalibus, vel specialibus ab ipso testatore contractis agatur, pro debito generis, vel quantitatis; C. (Vbi etenim pro hypothecis à tertio rei legatæ priori domino molestias legatarius recipiat, euictionis quæstionem potiùs id percutit;) Nisi legatum sit vniuersitatis, quæ tam actiua, quàm passiua iura secum trahat, cum tunc ad legatarium, non autem ad hæredem onera pertineant. D.

Tunc itaquè iuris dubietas cadit, quando de illo mixto agatur onere, quod ex consignatiuo censu resultare dicitur, quia nempè pro pecunia ad Apostolicarum Constitutionum præscriptum super ea re tanquàm fundo, census sit constitutus; Atquè vbi, non ab ipso testatore onus adiectũ sit, sed à tertio, quod in testatorẽ trãslatũ sit causatiuè, ipsius scilicèt rei occasione, adeoùt, causatiuum, vel occasionale onus dici valeat, Veriùs est, vt ad legatarium pertineat, quasi quod testator id, quod sibi cõpetat, seù eo modo, quo ipse rem possidet in legatariũ transferre voluerit; Si verò ab ipsomet, vel ab alio, cuius personam vniuersali hæreditario iure ipse repræsentet, impositio facta sit, opinionum non modica scissura cernitur; Ea verò probabilior videtur, quæ hæredi potiùs, quàm legatario onus defert, nisi diuersæ voluntatis argumenta, quæ ex ipsius rei, ac respectiuè oneris qualitate præsertim deriuent, aliud suadeant. E.

Euictio legatorum, regulariter non præstatur, nisi testantis voluntas aliud suadeat, siuè onerosam, atq; correspecti-
63 uam causam habeat, pro qualitate facti, cuius potiùs, quàm iuris est quæstio, pro facti qualitate decidenda. F.

An propriũ itẽ, vel alienum legatum sit, sub quæstione cadere solet, adeoùt legatario, ad hæreditaria testantis bona nõ
64 cõpetat actio, quia nempè, in alienæ voluntatis exequutionem, ità legatũ conceptum sit, vt alterius potiùs quàm ipsius testantis legatum dicendum veniat, ido; ex facti qualitate, ac circumstantijs determinationem recipit. G.

Per voluntariã autem rei legatæ alienationem, siuè per necessariã, cuius pretium in aliam rem erogatũ sit, ân ademp-
65 tio resultet, vel potiùs alterius rei subrogatio, quæstio est, quæ pariter certam non recipit regulam, cũ à facti qualitate veriùs decisio manet; Quãuisenim aliquę desuper habeantur generales regulæ, vel propositiones, illæ tamen pro norma po-

---

Z. *ibidem.*
A. *sub tit. de fideicommiss.*
B. *de his etiam sub tit. de fideico. . & sub tit. de iudic. ad materiã legitimi cõtradictoris.*
C. *hoc tit. disc. 38.*
D. *eod. disc. 38.*
E. *dicto disc. 38. & sub tit. de censib. disc. 18.*
F. *hoc tit. disc. 7.*
G. *hoc tit. disc. 57.*

tiùs deseruiunt, vt dispositionis voluntas desumatur, vt in sua sede aduertitur. H.

Contributi quæstio, inter hæredem, & legatarijs quotæ bonorum, cadere solet, super aliorum legatorum, ac onerum im-
66 plemento, àn scilicèt æqualis eorum cõcursus esse debeat, vel potiùs totum sit hæredis onus, quod varias habet opiniones; Probabilior autem videtur ea, quæ vtrumquè obligat, nisi argumenta accedant, quæ diuersam arguant volũtatem, quæ totum facit. I.

An autem cessante legandi causa, legatum cesset, quia nempè tutori, vel curatori, seù educatori factum sit, varias recipit distinctiones, atquè facti, & voluntatis quæstio est, ex facti circumstantijs decidenda. I.

IV.

De legatis pijs, eorumque priuilegijs; Et de legatariorum capacitate, vel incapacitate, seù indignitate; Et de facultatibus exequutorum, siuè illorum, qui sint de iure exequutores, vt sunt Episcopus, vel Fabrica Sancti Petri, & de istius facultatibus.

EA omnia, quæ prophanis legatis fauorabilia sunt, pijs congruere quoties legatarij incapacitas non obstet, de iure
67 non dubitatur, cum à minus fauorabilibus, minusquè priuilegiatis, ad fauorabiliora, magisquè priuilegiata, fauorabile argumentum intret, non autem odiosum; Ideoquè super ijs cadunt quæstiones, quæ prophanis, vel temporalibus legatis, per legem denegata, pijs, ex speciali fauore, vel priuilegio, competere contendatur.

Duplex itaquè defectus, vel imperfectio, in legatis, alijsquè vltimis voluntatibus dignosci solet, voluntatis scilicèt, ac
68 solemnitatis; In ijs itaquè voluntatis defectum respicientibus, (quidquid aliqui malè opinentur) nullus est piæ causæ fauor; In eo solùm considerabilis, vt eiusdem integræ, ac validæ, sed ambiguæ voluntatis interpretatio, magis lata, benignaquè fiat interpretatio, quàm in prophanis facienda esset, quoniam defectus est naturæ, cui legis positiuæ priuilegia non dispensant, vt generaliter in testamentorum, aliarumquè vltimarũ voluntatum sede, occasione legatorum quoq; aduertitur. L.

In alijs autem, quæ iuris positiui solemnitates percutiant, iste fauor nimium
69 operatiuus est, omniaquè supplet ab eodem positiuo iure manantia, cum sola naturalis veritas, vel probatio attendenda veniat. M.

Idemquè generaliter in ijs omnibus, quæ ab eodem iure positiuo, ex eius au-
70 ctoritate, non autem pro diuini, vel naturalis iuris obseruantia, vel declaratione manant, dicendum est; Putà circa ea, quæ patriæ potestatis defectum, vel inofficiosi querelam, seù verborum vim, ac operationem concernant, cum similibus. N.

Qualia verò singulariter sint priuilegia, vel effectus, qui ex hac generica theorica resultant, compendio incon-
71 gruum est recensere, cum formalem exigat, ac particularem tractationem, ab alijs iam peractam; Potissimè quia non legatis tantùm, sed etiã directis, ac obliquis dispositionibus vniuersalibus, alijsquè dispositionibus ea communia sunt; Atquè ex hac generica theorica, seù distinctione vir sensatus, omnium singularium priuilegiorum competentiam rectè comperiet.

Legatarij verò incapacitas, pias etiam, quãuis aliàs validas, ac perfectas dispositiones, inutiles quandoq; reddit, quia nè-
72 pè, de illis agatur Religionibus, vel Religiosis, in quibus, ob arctum paupertatis institutũ, tàm in particulari, quàm in cõmuni, acquirendi, ac retinendi incapacitas accedat; Tunc etenim, dato substituto, vel alia fauore hæredis dispositione accedente, quatenùs præcisum legati implementum non sequatur, inutile remanet legatum, atquè pro non scripto habendum est, ex legatarij defectu; Eo modo quo illud remanet legatum, quod personæ in rerum natura non existenti, vel antè testatorem defunctæ, fiat.

Vbi

H. *hoc tit. disc.* 48. & 55.
I. *hoc tit. disc.* 52.
L. *sub tit. de testamen. pluries.*
M. *ibidem proximè.*
N. *ibidem proximè.*

Vbi verò nullus detur ſubſtitutus, nullaquè alia fauore hæredis accedat diſpoſitio; Cum piæ diſpoſitiones, ad Deum, vel propriam animam primariò directæ cenſeantur, vnum verò, vel alterum pium opus, demonſtratiuè, atq; pro modo exequendi adiectum dicatur; Hinc proindè, per loci Epiſcopum, vtpotè piarum diſpoſitionū legalem exequutorem, alijs pijs operibus, (non autem ſibi, nec ſuis) eadem pia diſpoſitio applicabitur. O.

Per Apoſtolicas autem Cōſtitutiones, in aliquibus præſertim Italiæ partibus, vel Ditionibus, cumulatiuè cū Epiſcopo, iſtoquè non benè præuenientе, Fabrica S. Petri has explet partes exequutoris, ſibi ipſi etiam, ad earumdem Conſtitutionū, aliarumq; eius auctoritatum normam, in toto, vel in parte applicando id, quod iuxtà teſtantis deſiderium applicari non poteſt; Vel quia legatarij incapacitas id prohibeat; Vel quia eiuſdem incertitudo id impediat; Vel quia ad opus volitum non ſufficiat. P.

Aliorū verò, quæ particulariū exequutorum ab eodem teſtante deſtinatorum, ac Epiſcoporum, & Fabricæ poteſtatem concernant, aliquia compendioſa mentio in teſtamentorum ſede habetur, cum eadem ſit generica ratio, ac poteſtas. Q.

Non ſemper tamen, Religioſorum, ac Religionum præfatum arctum paupertatis votum, etiam in communi profitētium, incapacitas viget, pia legata aſſequendi, vel retinendi, cum in aliquibus, retentionem perpetuam ad redditum, non autem aſſequutionem pro erogatione in quotidianos vſus, ea percutiat; Siuè in ijs etiam, quæ omnimodam aſſequendi incapacitatem habeant, ea ſolùm viget, vbi ipſorum Religioſorum prouiſionem diſpoſitio concernat, adeoùt diurnè mendicitati ex quæſtuatione id aduerſetur; Secùs autem vbi, Eccleſiæ, vel Conuentus fabricam, & ornamenta, ſiuè ſacriſtiæ ſacram ſuppellectilem, aut infirmariæ, vel librariæ vſum concernat, vt in Regularium ſede aduertitur. R.

Aliæ quoque, in legatis, alijſquè vltimis voluntatibus incapacitates legatariorum, ſiuè paſſiuæ inteſtabilitates in iure habentur, quarum aliquæ in teſtamentorum ſede habētur; Ea præſertim quæ in ſpurijs, potiſſimè verò in ijs, qui ex damnato coitu progeniti ſunt, dignoſcitur, vltrà id, quod alimentorum obligatio exigàt. S.

Quamuis etenim plures, legatorum, aliarumquè diſpoſitionum indignos legreputet, vt ſunt teſtatoris occiſor, vel quia aliàs eum graui iniuria affecerit, ac ſimiles; T. Attamen non ſemper id importat incapacitatem, cū indignitatem, quandoquè cauſet; Vt etiam in teſtamenti impugnatore habetur. V.

Nimium autem refert, an incapax, vel indignus quis exiſtat, cum incapacis reſpectu, inutile remaneat legatum, atq; pro non ſcripto habendum ſit, perindè ac, ſi factum non eſſet, ideoquè bona per ius non decreſcendi, in hæreditate remanēt, vel ad ſubſtitutum deferuntur, qui propterea, ex ſecundo, primus efficitur; Indignus autem acquirit, ſed, ab eo, quod iam quæſitum eſt, fiſcus aufert. X.

De alijs verò, de quibus in praxi tractare occaſio non præbuit, apud ſuas ſedes, qui cupit, perquirat, cum non totius materiæ, per ſpeciem abſolutæ tractationis, ſed eorum, de quibus agere contigit, compendioſam inſinuationem, iſti labores contineant.

O. *de teſtam. diſc.* 24. *& in alijs.*
P. *tit. de fideic. diſc.* 108. *de teſtamen. diſc.* 22. *& 23.*
Q. *tit. de teſtamen. diſc.* 68.
R. *ſub tit. de Regular. diſc.* 35.
S. *ſub tit. de teſtam. diſc.* 52. *& ſeq. & 74.*
T. *dicto tit. de teſtam. diſc.* 55.
V. *hoc tit. diſc.* 24. *& d. diſc.* 55. *de teſtam.*
X. *tit. de Regal. ad materiam confiſcationis diſc.* 160.

INDEX
RERVM NOTABILIVM

Quæ ſub hoc titulo de Legatis continentur.

ABBAS

VLtra proprium legatum, participat de eo, quod fit omnibus monacis, diſcur. 16. ſub num. 11.

ACCEPTATIO

Legati, quando inducta dicatur, & de alijs, *vid.* Legatum quoad Acceptationem.

Præſumitur in actu lucratiuo data ſcientia, diſc. 28. num. 3.

Ex quibus dicta ſcientia deducatur, num. 4. ibid.

Declara id procedere in actu merè lucratiuo, non autem oneroſo, diſcur. 28. num. 5.

Niſi tamen vtilitas, & cõmodum præponderarent, num. 6. ibid.

Voluntatis teſtatoris non poteſt fieri pro parte, & pro parte non, diſc. 28. num. 7. diſc. 43. num. 2.

ACTIO

Ad exigendum legatum dotis, quò tempore competat puellis legatarijs, *vid.* Legatum dotis, & *vid.* Puella.

Ad ſupplementum rei legatæ, quando detur, vbi res deſignata non ſufficeret, vel diminueretur, *Vid.* Legatum quoad deſignationem demonſtratiuam ſeù &c.

Contra bona teſtatoris an competat legatario pro fructibus legati, diſcur. 37. ex num. 3.

Diſtingue caſus de quibus nu. 4. & ſeq. ibid.

Pro legato annuæ præſtationis eſſent affecta, num. 4. ibid. diſc. 49. ex num. 3.

Idemque procederet vbi legatum ſoluendum erat ex fructibus de præcepto teſtatoris, diſc. 37. num. 9.

Secus autem vbi ſubſtantia legati directa eſt ad certam quãtitatem, cum hoc vt fructus multiplicentur, num. 11. & 13. ibid.

Præſertim vbi fructuum ſolutio directa eſt in ipſum hæredem, diſc. 37. ſub num. 11.

Contra ſucceſſorem an detur pro terminis decurſis in vita prædeceſſoris, diſcur. 49. num. 7.

Creditor defuncti prò cenſibus, vel annuis præſtationibus, an habeat actionem contra fideicommiſſarium, diſc. 49. n. 4.

Quid de fructibus dotis debitæ ex remedio *Auth. res quæ*, num. 5. ibid.

Executiua an competat pro legatis, diſc. 6. num. 5. & ſeq.

Regulariter (excepto Tribunali Sac. Rotæ) dicta actio executiua competit, num. 5. ibid.

Declara tamen prout, num. 8. & ſeq. ibid.

Vbi adeſt aliqua dubietas circa comprehenſionem alicuius rei, tunc ab ea tantùm datur appellatio, ſecùs autem in reliquo, diſc. 6. num. 12.

Legata &c. *Vid.* Iuta.

Vltra ſalarium an competat famulis pro ſeruitio præſtito, diſc. 2. num. 12.

Vid. Legatum in genere.

ACTVS

In dubio referendus eſt ad titulum licitum, diſc. 4. num. 9.

Lucratiuus quando inducat tacitam acceptationem, *vid.* Acceptatio.

ADEMPTIO

Eſt odioſa, ſtrictequè interprætanda, diſc. 43. num. 10. diſc. 52. num. 15. diſcur. 56. num. 5.

Legati non præſumitur, diſc. 35. num. 3. diſc. 56. num. 5.

Ex quibus autem inducta dicatur, *vid.* Legatum quoad Reuocationem.

ADIMPLEMENTVM

Conditionum, *vid.* Conditio. Caducitas.

Formæ in parte non ſufficit, diſcur. 50. numer. 2.

Et ſi ademptio legati ordinata ſit ſub certa conditione, an requiratur implementum in totum, vel ſufficiat in parte,

discur. 50. per tot.
Legati factum in vita, an & quando illud extinguat, discur. 51. per tot. discur. 54. num 13.
Cessaret vbi esset expressa eadem causa disc. 51. num. 3.
Secus si haberet causam diuersam ab ea, in qua factum est implementum, disc. 51. num. 5.
Ex quibus arguatur legatum habere certam causam, quamuis non fuerit adiecta, num. 9. ibid.
Quid vbi adimplementum in vita factum sit cum minori impensa, an debeatur residuum legati, disc. 51. num. 4. disc. 60. num. 5.
Non sequutum an priuet legatarium, vel potiùs admittatur ad moræ purgationē, disc. 57. per tot.
Et quod admittatur ad purgationem moræ, num. 4. ibidem. *vid.* Caducitas. Pœna.
Præcepti testatoris eligendi iuuenem, qui nubere debeat, dicitur sequutum per electionem senis vxorati habentis filios, dis. 50. num. 6.
Et si mandauerit, aliquem ad beneficium præsentari, sequutum dicitur per factam præsentationem licèt effectum non sortitam, disc. 2. num. 4.

ÆSTIMATIO *Vid.* LEGATVM. quoad æstimationem &c.

ÆTAS

In iuuene, cui relictum sit aliquod subsidiū pro studijs, quomodo sit regulanda, dis. 36. num. 9. & seq.
Et si debuerat esse 10. annorum, si admittatur ante completum decimum annum, subsidium, de quo tempore incipiat deberi, disc. 36. n. 9. *vid.* Scholaris.
Prò dilatione, aut conditione, quādo adiecta dicatur, discur. 3. sub numer. 5. & 9. *Vid.* Tempus. Puella.

ALIENA

Res legari an possit, *vid.* Legatum quoad æstimationem.

ALIENATIO

Rei legatæ, an & quādo importet adēptionem legati, *vid.* Legatum quoad Reuocationem, *vers.* Alienatio cum seq.

ALIMENTA

Debentur matri, cui filiorum educatio sit demandata, disc. 23. num. 14.
Legata, an peti valeant extra dotem &c. *vid.* Legatum Alimentorum.

ANCILLA

Legata, si fuerit vendita, & ex pretio alia fuerit acquisita, ista censetur legata, disc. 48. sub numer. 5. *Vid.* Legatum quoad Reuocationem.

ANIMALIA

Quando veniant sub legato fundi, disc. 9. num. 2. 4. & seq.
Vid. Equus.

ANIMVS

Non trahitur ad ignorata, disc. 35. num. 2. *vid.* Voluntas.

ANNVA PRÆSTATIO

Dari solita monialibus reputatur pars dotis, disc. 16. num. 8.
Hæres an vendere possit bona, ex quibus illa debetur, disc. 21. num. 10.
Non soluta parit interesse, disc. 37. num. 7.
Prò ea affecta sunt bona testatoris, disc. 37 num. 4. disc. 49. ex num. 3.
Vid. Hypotheca.
Quæ directa non sit legatario, sed onus iunctum sit hæredi, an expiret in primo hærede, disc. 34. per tot.
Regulariter expirat in primo, n. 2. ibi. disc. 42. num. 2.
Præsertim vbi concurrat dictio, seu verbum *infrascritto*, disc. 34. num. 3. disc. 42. num. 3.
Declara prout, disc. 34. num. 8.
De coniecturis perpetuitatis, vel è cōtra, disc. 34. num. 4. disc. 42. num. 3. 4. & 9.
Fallit fauore piæ causæ, disc. 34. nu. 6. disc. 42. num. 8.
Nisi tamen adessent coniecturæ in contrarium, disc. 34. num. 7.
Relicta aliquibus de familia pro studijs, expirat in primo admissis, disc. 36. num. 3.
Fallit ex coniecturis, nu. 4. & seq. ibid. vbi enumerantur. *Vid.* Scholaris, & Puella.
Si fiat duobus, vel pluribus sub vnica summa, an intelligatur collectiuè, vel distributiuè, disc. 33. num. 6.
Soluenda est ex fructibus, disc. 37. num. 5.
Et contra quæ bona legatarius actionem habeat, num. 4. 6. & seq. ibid.
Suppleri, an possint ex tot bonis tantumdem redditus, disc. 21. ex num. 2. disc. 44. num. 10.
Quod facto legato certæ quantitatis annuæ vini, possit assignari vinea, discur. 21. num. 4.
Declara id procedere vbi legatum sit perpetuum, secus si vitalitium, n. 5. ibid.

De differentia inter hæredem, & legatarium, num.6.& 9.ibid.

Quid conferat legatarium esse Prælatum, num.6.ibid.

Vel menstrua relicta familiaribus, intelligitur ad vitam non transitoria ad hæredes disc.33.num.2. & seq.

Amplia etiam quod dictum fuerit *in perpetuum*, num.5. ibid.

ANNVS

Incæptus quando habeatur prò completo, disc.36.num 9. & 10.

ANOMALA

Vid. Caducitas in fine.

APOSTILLA

An dicatur apposita de ordine testatoris, disc.49.num.9.

Et an inducat præsumptionem ademptionis legati, ex num.11.ad finem,ibid.

APOTHECA

Librariæ legata quid veniat,disc.38.n.13.

Pannorum legata quid veniat, numer. 11. ibid.

An veniat auiamentum,num.13.ibid.

APPELLATIO

A legato datur solùm in parte dubia,& in qua possit cadere interprætatio, non autem à reliquo,disc.6.num.12. *Vid.* Actio *vers.* Executiua.

Etiam in executiuis intrat ratione iniustitiæ,disc.6.num.3.

APPROBATIO

Vid. Acceptatio.

ARBITRIVM

Legatum quando collatum dicatur in arbitrium hæredis,disc.50. num.11.

Verbum *videbitur* illud denotat, ibid.

ARGENTVM

Non venit sub legato mobilium domus, disc.10.num.2. *vid.* Legatum mobilium.

ARGVMENTVM

A contrario sensu non valet in reuocatione legatorum, disc.54.num.9.

ASSIGNATIO

Bonorum prò faciendo aliquo opere,si tractu temporis diminuatur, an intret suppletio. *vid.* Legatum quoad designationem demonstratiuam &c.

AVIAMENTVM

An legatum censeatur,legata apotheca, dis. 38. num.13.

AVVS

Tenetur dotare neptem licèt nuptam, & aliundè prouisam, disc.60.num.2.

B

BENEFICIVM

LEgatum ipsius an valeat,discur.2. numer.5.

Et quatenus esset relictum vna cum omnibus creditis à colonis,seù ministris assequendis, intelligeretur de creditis ratione dicti beneficij,disc.38.num.5.

Si testator mandauerit aliquem ad illud præsentari,dicitur adimpletum, etiã quod præsentatio non fuerit effectum fortita.disc.2.num.4.

Neque ideo debetur legatario aliqua æstimatio, disc. 2. per tot. *vid.* Translatio.

Quid differat à feudo, disc.2.num.8.& 9.

BONA

Aliena si legentur, an & quando debeatur æstimatio. *vid.* Legatum quoad æstimationem &c.

Annexa,vel separata quando dicantur, disc. 7. ex num.11.

Diuersitas vocabulorum, vel separatio materialis non attenditur, disc.7.nu.13. disc.8. num.3.

Quid vbi vnico pretio, & tempore fuerint quæsita, disc.8.sub num.6.

Assignata pro aliquo opere si tractu temporis diminuantur, an intret suppletio. *vid.* Assignatio, remissiuè.

Data, seù legata ad vsufructuandum, inducunt præsumptionem legati proprietatis,disc.3.num.15.

Declara prout, num. 16. ibid.

Dotalia si per vxorem viro legentur,an censeatur dempta quota spectans ad ipsum ratione lucri,disc.15.à num.7.

Empta ex pretio rei legatæ venditæ, censentur subrogata in locum rei legatæ, disc.48.num.5.

Vid. Legatum quoad Reuocationem.

Emphyteotica. *vid.* Emphyteusis.

Ex quibus debetur annua præstatio,an vendi possint per hæredem,disc.21.num.10.

Mobilia *vid.* Legatum mobilium.

Possunt esse vnius,& fructus possunt esse alterius, etiam in perpetuum, discur. 45. num. 2.

Declara prout num.8. ibid.

Prohibita non cadunt sub generali renunciatione,disc.58. num.8.

Stabilia legata,an comprehendant animalia,

lia, blades &c. existentia in ipsis, vel potiùs veniant sub legato mobilium, disc.9. per tot.

Distingue prout num.2. ibid.

Tantundem redditus an dari possint loco annuæ præstationis. *vid.* Annua præstatio. *vers.* Suppleri.

Testatoris an affecta sint prò fructibus legati. *vid.* Hypotheca.

C

CADVCITAS

AN in casu contrauentionis non dato substituto intret necnè, d.29.num.4. & 57.num.3.disc.58.num.5.

Declarata si non fuerit in vita, non declaratur post mortem, disc.29 num.7.

Legati non incurritur ob transitum ad secunda vota, disc.24. num.11. discur.46. num.6.

Declara vt stante conditione viduitatis, mulier habeatur prò mortua, ad effectum, vt alteri vocato post eius mortem aperiatur substitutio, disc.32. num.2.

Et an totum perceptum restituat, disc. 39. num.9.

Quid si puella nupserit ante ætatem à testatore præfinitam. *vid.* Puella.

Quando autem contrauentio causet mortem ciuilem, & aperiat locum vocatis absquè Iudicis declaratione, disc.29. num.8.

Distingue dispositiones conditionales, & modales ad plures effectus, de quibus num.5.6.& 9. ibid.

De diuersis contrauentionum speciebus, disc.57.num.6.

Legati an operetur, vt illud cadat sub fidei commisso per testatorem ordinato, disc. 29.disc.28.num.2.

Regulariter remanet in hæreditate, & cadit sub fideicommisso, disc.29.nu.2.

Quid vbi institutio facta sit in reliquis bonis disc.28.num.2.disc.29.sub num.2.

Distinguitur casus caduci à caducitate, vt primo casu cadat sub fideicõmisso, secùs in secundo, disc.29.num.3.

Ob non sequutum adimplementum, an admittat purgationem moræ, discur.57. per tot.

Et quod admittatur, num. 4. ibid.

Portio hæredis contrauenientis non successoribus ab intestato, sed altero hæredi testamentario accrescit, disc.32.nu.3.

Requirit scientiam specificam conditionis implendæ, disc.29. num.10.

Vulgaris anomala, seù in fideicommisso, an procedat in legatis, adeoùt illam impediat, disc.30.per tot.

Affirmatiua procederet vbi verba sint directa ciuilia, non autem communia, vel obliqua, num.4. & 5. ibid.

Contr. num.6. ibid.

CANCELLATIO

An inducat legati ademptionem, discur.49. ex num.11.

CAPPELLA

Legatum pro substentatione cappellanorũ cum lege, vt fructus primi anni erogari debeãt in illius restaurationem quomodo intelligatur, disc.19 per tot.

Et si tractu temporis bona assignata diminuantur an diminui debeat eorum numerus, vel potiùs prouisi diminutionẽ pati debeant, disc. 20. per tot. *vid.* Legatum quoad Designationem &c.

CAVSA

Finalis nulla esse dicitur, vbi adsunt plures causæ, disc.32.num.6.

Legandi cessante, quando cesset, & ipsum legatum. *vid.* Legatum Habitationis, & Legatum quoad onera Legatum quoad Reuocationum *vers.* Cessaret.

CAVSA PIA

Attendit veritatem naturalem, cuius defectum illa non supplet, disc.14.nu.8.

Cuiusnam dicatur maior fauor illiusne, an filiorum, disc.42.num.10.

Debet obtinere quod magis, disc.12.nu.13. disc.13.num.5.

Quid vbi sit hæres alia pia causa, disc. 13.ex num.6.

Defectum voluntatis non supplet, disc.42. num.5.

Declara prout num.9.ibid.

Designatio taxatiua, an ad illius fauorem resoluatur in demonstratiuam. *vid.* Legatum quoad Designationem &c.

Quænam dicatur causa magis pia, disc.13. num.8.

Vid. Legatum ad pias causas, & Legatum annuum.

CAVTIO

De vtendo, & fruendo arbitrio boni viri, an vsufructuario remitti possit, disc.39. num.11.

Et an antequam illam præstiterit faciat fructus suos, disc.24.num.7.

Mu-

Mutiana quando sit præstanda, discur. 39. num. 9.

Remitti potest per testatorem, nu. 10. ibid.

CENSVS

Consignatiuus est onus personale, disc. 26. num. 4.

Nec tribuit dominium, num. 5. ibid.

Secus est in occasionali, num. 6. ibid.

Debitor ipsius, an possit illum extinguere cum hærede absquè consensu legatarij ipsius, disc. 48. num. 2.

Habens aliquod vinculũ si legetur, an spectet ad hæredem, vel legatarium, disc. 12. num. 20. *vid.* Legatum quoad onera.

Legatis censibus in genere pro erectione Ecclesiæ seù &c. dicitur Legatum quantitatis non speciei, disc. 12. nu. 14. & 15.

Et onus est hæredis vendere prædictos census, & pretium erogare in opus destinatum, disc. 12. num. 15. *vid.* Electio.

Legatus si alienetur, & alter acquiratur, iste censetur subrogatus, disc. 48. sub num. 5. *vid.* Legatum quoad Reuocationem *vers.* Alienatio.

Si non habet ab initio fundum idoneum, non est census, disc. 12. num. 21.

Vendi potest minori pretio quàm sit impositus, disc. 12. num. 18.

CESSATIO

Legati an intret vbi idem testator adimpleuerit in vita. *vid.* Adimplementum, *vers.* Legati.

Quid cessante tutela. *vid.* Legatum quoad Onera, & Legatum Habitationis. Legatum quoad Reuocationem.

CLERICVS

Relinquens beneficium, & omnia credita à colonis, vel ministris asslequenda, intelligitur de creditis ratione beneficij, disc. 38. num. 5.

Vid. Præsentatio.

Sæcularis, an possit accedere ad Ecclesias Regularium ad celebrandum, discur. 25. ex num. 5.

Et quod Regulares teneantur præstare patientiam, vt in eorum Ecclesijs celebrare possit, num. 10. ibid.

Cum qua tamen contributione, ibidem.

Et vbi Regulares obstarent, tunc hæres posset in aliam Ecclesiam onus missarum transferre, num. 11. ibid.

Vid. Missæ, & Cappella.

CODICILLIS

An detur, vel admittatur hæreditas, disc. 52. num. 11.

Quid fauore piæ causæ, ibid.

Per secundum legatum in eis contentum, an censeatur reuocatum illud, quod fecerat in testamento, disc. 53. per tot.

COLLEGIVM. *Vide* Scholaris.

COMMVTATIO. *Vide* Mutatio.

COMPENSATIO

Dotis legatæ in testamento, inducta dicitur per dotationem factam ab eodem patre in vita, disc. 60. num. 3.

Vbi tamen secũda dos est minor, quàm in prima dispositione, an filia petat residuum, seù supplementum, num. 5. ibidem. *Vide* Adimplementum.

Dotis debitæ non dicitur facta per legatum factum à viro vxori, disc. 40. num. 3.

An autem censeatur facta compensatio cum lucro dotali per legatum factum per vxorem, disc. 15. num. 2. & seq. disc. 40. num. 3.

Per legatum factum à debitore creditori, quando inducta dicatur, disc. 15. num. 2.

CONDITIO

Ab initio adiecta legato quid differat ab ea, quæ fit adiecta ex interuallo, disc. 43. num. 7.

Adiecta legato quando vitietur, disc. 43. discurs. 58. num. 2. & seq. *Vide* Puella.

Dies incertus cum verbis conditionaliter prolatis ipsam inducit, licèt respiciat exequutionem, disc. 59. sub num. 7. *Vide infrà* vers. Mortis.

Gerundium an illam importet, disc. 41. n. 5.

Habitationis est modalis, disc. 29. num. 6.

Idemque de assumptione nominis, ibid.

Impossibilis in vltimis voluntatibus vitiatur, secùs in contractibus, disc. 43 num. 3.

In contractibus adiecta exequutioni non facit actum conditionalem, disc. 59. sub num. 7.

Matrimonij quando inesse dicatur in legato dotis. *Vide* Legatum dotis.

Mortis tempus legato adiectum, quando illud reddat conditionale, vel potiùs inducat dilationem, disc. 3. num. 5. & seq. disc. 59. num 8.

Distingue casus prout disc. 3. num. 7. & seq.

Prout tempus certæ ætatis quid importare dicatur, disc. 3. sub num. 5. & 9. disc. 58. per tot. *vid.* Puella.

Non

Non adimpleta an priuet de facto legatarij, vel potiùs admittatur ad moræ purgationem, disc. 57. per tot.

Et quod admittatur, num. 4. ibid.

Et an habeat restitutionem in integrum, disc. 58. num. 10. remiss.

An, & quando producat mortem ciuilem, & aperiat locum substituto absq; alia Iudicis declaratione, disc. 29. n. 8.

Distingue dispositiones conditionales à modalibus ad plures effectus de quibus, disc. 29. num. 5. 6. & 9.

Quid differat à modo, disc. 29. nu. 5. 6. & 9. disc. 57. num. 5.

In conditionalibus non attenditur, an defectus implementi resultet ex dolo, seù malitia; Secus in modalibus, disc. 29. num. 9.

Et quando contrauentio non possit dolo, vel delicto referri, num. 10. ibid.

Vbi respicit certum finem, seù effectum, sufficit adimpleri per æquipollens, disc. 50. num. 6.

Verbum *viuendo* an conditionem importet, & quid operetur, disc. 41. num. 5. & 6.

Viduitatis si non adimpleatur mulier habetur prò mortua ad effectum, vt alteri vocato post eius mortem aperiatur substitutio, disc. 32. num. 2.

Et an hoc casu totum perceptum restituat, disc. 39. num. 9.

An, & quando huiusmodi conditiones vitient, vel vitientur, d. 58. n. 6. & 11. *vid.* Puella.

Voluntaria adimplenda est formaliter, ac specificè, disc. 50. num. 5.

CONFESSIO

Debiti an importet legatum, disc. 7. num. 6.

Meritorum quando attendatur in donatione, disc. 7. num. 10.

Viri de dote recepta non probat etiam in præiudicium confitentis, vel eius hæredum, ibid. ex num. 5.

CONFRATERNITAS

Sui huic fiat legatum à confratre cum onere, vt alicui conferat munus exactoris reddituum, an dicta conditio sperni valeat, disc. 43. per tot.

CONGREGATIO BARONVM

Quomodo liberet pecuniam, disc. 12. sub num. 1.

CONNEXIO

Bonorum ex quibus inducatur *Vide* Bona.

CONSTITVTIO

Pij V. de applicãdis Capitulo fructibus primi anni, disc. 19. num. 3., 4. & 9.

CONTRAVENTIO

An operetur caducitatem, vbi nullus datus sit substitutus in casum non adimpleti, disc. 29. num. 4. disc. 57. numer. 3. disc. 58. num. 5.

Quando causet mortem ciuilem, & aperiat locum vocatis, absque alia Iudicis declaratione, disc. 29. num. 8.

Distingue dispositiones conditionales & modales ad effectus, de quibus num. 5., 6., & 9. ibid.

De diuersis contrauentionum speciebus, disc. 57. num. 6.

Vide Caducitas. Conditio. Mulier. Puella.

CONTRIBVTIO

Ad debita inter hæredem allodialem, & feudalem, disc. 52. num. 8.

Legatariorum vbi hæreditas non sit omnibus idonea. *Vide* Legatum quoad Contributionem.

Legati facti omnibus monacis fieri debet ad fauorem Abbatis, vltrà proprium legatum, disc. 16. sub num. 11.

Vide Legatum Vsusfructus. *Vers.* Legatarius.

CREDITA

A colonis, seù ministris assequenda relicta per aliquem clericum, intelliguntur de creditis ratione beneficij, disc. 38. num. 4.

A vassallis exigenda relicta per feudatarium, intelliguntur credita ratione feudi, disc. 38. num. 41.

Et indefinitè quod legatis creditis vna cum legato alicuius vniuersitatis, intelligendum veniat de creditis dictæ vniuersitatis, disc. 38. num. 4. *Vide* Vniuersitas.

Censuum in genere si fuerint legata pro erectione cappellæ, seù &c. *Vide* Census. Electio.

Iura, & actiones si fuerint legata, an intelligendum sit pro liberatione legatarij, non autem vt ei legata censeantur iura, & actiones contrariæ, disc. 4. ex num. 2.

Et an comprehendat nomina debitorum, vel pecunias destinatas in re stimento, disc. 4. ex num. 51. *Vide* Iura. Vniuersitas.

Legata si exigantur à testatore, an cadant sub legato, disc. 38. num. 5.

Et quid vbi exactio fiat à procuratore inscio testatore, num. 6. ibid. *Vide* Legatum quoad Reuocationem.

CREDITOR

Defuncti pro cenſibus, vel annuis præſtationibus habet actionem contrà fideicommiſſarium, diſc.49.num.4.

Quid de fructibus dotis debitæ ex remedio *Auth.res quæ*, num.5.ibid.

Quid in credito ex cauſa legati alicuius annualitatis, num.3. & ſeq.ibid. *Vide* Fructus. Hypotheca.

CVLPA

Fraus, & dolus, non attenduntur in conditionalibus, ſecùs verò in modalibus, diſc.29. num.9.

D

DAMNVM

SEu peremptio rei legatæ, ad quem ſpectet, diſc.27.ex num.7.

DATIO INSOLVTVM

Dicitur legatum factum per debitorem creditori, diſc.7.num.4.

DEBITI

Confeſſio an importet legatum, diſc.7.n.6.

Contributio inter hæredem feudalem, & allodialem, diſc.52.num.8.

Vide Legatum quoad Contributionem.

DEBITOR

Cenſus an poſſit illum extinguere cum hærede abſque conſenſu legatarij, diſc.48. num.2.

Legans creditori an cenſeatur facere animo compenſandi, diſc.15.num.2. *Vide* Compenſatio.

DECLARATIO

Caducitatis non facta in vita, non poteſt amplius fieri poſt mortem, diſc.29.nu.7.

Facta per morientem eſt attendenda, diſc. 27.num.10.

Intellige, vbi illa emanauerit de tempore mortis, ſecùs ſi in ſtatu valido, num. 11.ibid.

Fiduciarij, ſeù executoris eſt attendenda, diſc.27.num. 12.

Idemque procedit in ſcriptore teſtamenti, aut aliàs informato, diſc.52.num. 17.diſc.56.num.9.

Voluntatis deducitur etiam ex teſtamento reuocato, diſc.49.num.11.

DEMONSTRATIVA. *Vide* Deſignatio remiſſiuè.

DESIGNATIO

Pro aliquo opere faciendo, quando dicatur ſtare taxatiuè, vel demonſtratiuè. *Vide* Legatum quoad Deſignationem.

DICTIO

Præſertim quid importet, diſc.27.num.6.

Vltrà quid importet, diſc.45.num.4.

DIES

Incertus cum verbis conditionaliter prolatis importat conditionem, licèt conditio reſpiciat exequutionem, diſc.59.ſub nu. 7. *Vide* Conditio.

DILATIO. *Vide* Tempus.

DIMINVTIO

Fructuum ex bonis aſſignatis pro aliquo opere faciendo, vbi ſequatur, an intret ſuppletio facienda per hæredem. *Vide* Legatum quoad Deſignationem. *Verſ.* Pecunia.

DISPOSITIO

Cenſetur facta de eo iure, quod quis in re habet, diſc.2.num.3.diſc.15.num.8.

Collata in fiduciam religioſi, an dicatur pia, diſc.27.num.14.

Et quando dicatur collata in voluntatem, ſeù arbitrium hæredis, diſc.50.n.11.

Continens falſam cauſam an valeat, diſc. 54. num.15.& 16.

Generalis non comprehendit prohibita, diſc.58.num.8.

Intelligitur & expirat in prima vice abſque tractu ſucceſſiuo, diſc.19.num.2.diſc.36. num.3.

Fallit fauore piæ cauſæ, diſc.19.nu.7.

Declara etiam prout, num. 6. ibid. & diſc.36.num.4. *Vide* Legatum dotis. *Vide* Hæres. Annua præſtatio.

Inter liberos contentatur probatione naturali per duos teſtes, diſc.56.num.12.

Non inducitur per verba præſuppoſitiua, diſc.46.num.9.& 10.

Noua quando dicatur, non autem declaratio, diſc.33.num.3.& 4. *Vide* Voluntas.

DOLVS. *Vide* Culpa.

DOMINIVM

Fructuum poteſt eſſe vnius, & illud bonorum eſſe alterius etiam in perpetuum, diſc.45.num.2.

Declara prout num.8.ibid.

DOMO

Legata an veniant hortus, ſtabulum, aliæq; officinæ, diſc.8.ex num.2.

Diſtingue prout num.5.ibid.

Pro conſtruenda Eccleſia ſi teſtator eam vendat, & ex pretio aliam acquirat, iſta cadit ſub legato, diſc.48.ſub num.5.

Vide Legatum quoad Reuocationem.

Quæ

Quæ in hæreditate non adesset, an legatum sit inutile, vel debeatur, disc. 12 sub num. 2. & seq.

Debentur fructus, disc. 44. num. 12.

Legatum rerum in ea, vel fundo existentium quid capiat, disc. 9. num. 3.

DOMVS

An intelligatur legata, si mandetur, quod in ea fiat erectio Monasterij, quatenùs ibi fundari non possit, disc. 44. ex nu. 4.

Vendi an possit, vbi legata sit habitatio, discurs. 21. sub num. 10. remissiuè.

DONATARIVS

Tenetur ad onera rei donatæ, disc. 26. nu. 2.

Quid de legatario, ibid. *Vide* Legatum quoad onera.

DONATIO

Contemplatione matrimonij an acquiratur etiam filijs procreatis ex alijs matrimonijs, disc. 18. num. 6.

In dubio non præsumitur, disc. 7. num. 16.

Remuneratoria verificari etiam potest ergà pueros, & infantes, disc. 18. num. 4.

Quando verè dicatur talis, & quæ merita attendantur, num. 17. ibid.

Et an confessio meritorum attendatur, disc. 7. num. 10.

DOS

Confessata non probat, neque in præiudicium confitentis, vel eius hæredum, disc. 7. ex num. 5.

Data ab extraneo intuitu patris dicitur profectitia, disc. 17. num. 4.

Extrahēda à fideicommisso cum fructibus, de præcepto testatoris, quid importet, disc. 37. num. 10.

In quantitate vbi consistat, vir non dicitur eius debitor, aut administrator, constante matrimonio, disc. 47. num. 6.

Liberatio legata per vxorem viro à quacumque redditione rationum, an importet liberationem à restitutione dotis, discurs. 47. per tot.

Monialium antè susceptum habitum deponenda est apud ædem sacram, vel in ipso Monasterio, disc. 16. sub num. 5.

Vitalitiæ subuētiones reputantur pars earum dotis, disc. 16. num. 8. disc. 35. n. 5.

Pater, vel auus tenentur illam constituere filiæ licèt nuptę, & diuiti disc. 60. num. 2.

Et vbi illam constituerunt in vita, censetur in compensationem dotis legatæ in testamento, disc. 60. num. 3.

Si autem secunda dos sit minor, quàm in prima dispositione, an filia petat supplementum, disc. 60. num. 5. *Vide* Adimplementum.

Prohibitio detractionis dotium, an capiat dotem à testatore debitam, disc. 47. num. 3. & 8.

Quando dicatur profectitia, vel aduentitia, disc. 17. num. 5. remissiuè.

Quæ priùs danda erat puellæ ex cumulo fructuum, si neglexit exigere primas annualitates, excluditur à petitione sequentium, disc. 49. num. 8.

Renunciantis constituta dicitur ex bonis proprijs, non de illis dotantis, disc. 51. num. 6.

Declara prout num. 7. ibid.

Semel à patre destinata, vel constituta, an minui valeat, disc. 60. nu. 6. remissiuè. Cætera *vide* Legatum Dotis.

E

ECCLESIA

HÆres instituta in detractione falcidiæ, an teneatur imputare ea, quæ penès ipsam remanent cum onere celebrationis missarum, disc. 52. num. 18.

Regularium an pati debeat, vt clerici sæculares ibi celebrent missas. *Vide* Missæ.

Seù manus mortua prohiberi potest ne rem emphyteuticam obtineat, disc. 1. nu. 4.

Declara prout num. 5. ibid.

Intellige id procedere ad effectum retinendi, non autem vendendi infrà annum, disc. 1. num. 4.

Vbi tamen accederet prohibitio hominis, tùnc est incapax etiam ad effectum vendendi, num. 6. ibid.

Subintellige, & distingue prout num. 8. & 10. ibidem.

Vide Cappella.

EFFECTVATIO

In parte, operatur effectuationem in totum, disc. 28. num. 8.

ELECTIO

Cuius sit in legatis, an hæredis, vel legatarij, disc. 12. ex num. 6. disc. 13. ex num. 3.

In rebus animatis est legatarij, sed in inanimatis est hæredis, disc. 12. num. 8. vbi de ratione.

Vbi testator genus ad speciem deduxit, dicendo equum album, vel nigrum, tùnc electio est hæredis, num. 6. ibid.

Locis montium in genere legatis pro constructione cappellæ, cuius sit electio, di-

discurs. 13. per tot. *Vide* Census.

An fieri possit partim de vnis, & partim de alijs, disc. 21. num. 7. & 8.

Quando vni, vel alteri competit electio, quid sit eligendum, disc. 12. num. 12.

Vbi ageretur de pia causa deberetur quid magis, num. 13. ibid. disc. 13. num. 5.

Sed quid vbi sit hæres alia pia causa, disc. 13. ex num. 6.

Mobilium facienda ad libitum vxoris, quomodò sit regulanda, disc. 10. ex num. 3.

ELEEMOSYNA

Aliaque subsidia quomodò debeant distribui, disc. 36. num. 7.

EMPHYTHEVSIS

Bona emphytheutica si alicui fuerint legata, an debeatur æstimatio, disc. 1. per tot.

Pretium ipsius non dicitur emphytheuticum, disc. 1. num. 11. disc. 2. num. 9.

Prohiberi an possit, nè transeat in Ecclesiam, aliasque manus mortuas. *Vide* Ecclesia.

Quindennia quare in ea fuerint introducta, disc. 1. num. 5.

Vel feudum dari non potest tam super re, quàm super pretio, disc. 1. num. 9.

ENVNCIATIVA

Verba, seu præsuppositiua non disponunt, disc. 46. num. 9.

EQVO

Albo legato, si in stabulo adessent solum rubei, vel nigri, de his legatum intelligitur, disc. 11. sub num. 6.

Et si quis relinqueret album, vel nigrum, cuius esset electio, disc. 12. num. 6.

Legato defecto, an hæres teneatur alium supplere, disc. 11. ex num. 5.

Vide Legatum quoad Designationem.

ERECTIO

Collegij pro studijs. *Vide* Scholaris.

Monasterij demandata per testatorem in domo eius habitationis, an hæc legata censeatur, quatenùs in ea erectio sequi non possit, disc. 44. ex num. 4.

Quid si demandetur erigi in aliquo prædio, num. 7. ibid.

ÆSTIMATIO

An, & quando debeatur, vbi res legata sit aliena, vel prohibita alienari. *vid.* Legatum quoad æstimationem &c.

ETAS

Certa an dicatur stare pro conditione, vel dilatione, disc. 3. sub num. 5. & 9. disc. 58. num. 9. *vid.* Puella. Conditio.

Puella nubens ante ætatem à testatore præfinitam, an assequatur legatum. *vid.* Puella.

Scholaris, cui per testatorem aliquod subsidium fuerit legatum, quomodo sit regulanda, disc. 36. ex num. 9. *vid.* Scholaris.

EVICTIO

Non præstatur in legatis, disc. 7. num. 3.

Fallit vbi esset ex causa onerosa, num. 4. ibid.

EXACTIO

Nominis debitoris legati, an inducat præsumptam reuocationem, disc. 38. nu. 5.

Et quid vbi illa facta fuerit per procuratorem, inscio testatore, num. 6. ibid.

Et an inducat ademptionem legati liberationis, disc. 54. num. 14.

Si ex pretio aliquid acquiratur, istud legatum censetur, disc. 48. num. 5. *vid.* Legatum quoad Reuocationem. *vers.* Alienatio.

Reddituum alicuius Confraternitatis. *vid.* Confraternitas.

EXECVTIO

Partis liquidæ in rebus diuiduis retardari non debet per partem illiquidam, disc. 6. num. 13.

Quid vbi sententia sit concepta vnica verborum structura, non autem per capitula separata, num. 14. ibid.

Vid. Actio. *vers.* Executiua.

EXECVTORI

Pij legati cum aliqua recognitione, si adimatur onus iniunctum, an legatum quoque ademptum censeatur, disc. 32. n. 4. & seq.

Vid. Legatum quoad onera.

F

FABRICA

SAncti Petri quasnam habeat facultates, disc. 27. num. 3.

FACVLTAS

Data per virum vxori eligendi mobilia sibi benè visa, quomodo sit intelligenda, disc. 10. ex num. 3.

Legatum quando collatum dicatur in liberam hæredis facultatem, disc. 50. nu. 11.

Et si fuerit collatum in fiduciam alicuius Religiosi, an ex hoc dicatur dispositio pia, disc. 27. num. 14.

FALCIDIA

Ecclesia hæres instituta, an teneatur in illius detractione imputare ea, quæ penès

ipſam remanent cum onere celebrationis miſſarum, diſc. 52. num. 18.

FAMVLVS

Actionem an habeat vltra ſalarium pro ſeruitio præſtito, diſc. 2. num. 12.

Annua præſtatio, vel menſtrua ipſi relicta intelligitur ad vitam, nec eſt tranſitoria ad hæredes, diſc. 33. ex num. 2.

Amplia etiam quod dictum fuerit *in perpetuum*, num. 5. ibid.

Si duobus, vel pluribus fiat legatū ſub vnica ſumma, an intelligatur collectiuè, vel diſtributiuè, diſc. 33. num. 6.

FOEMINA

An comprehendatur ſub legato facto omnibus filijs, diſc. 16. num. 3. *vid.* Mulier.

FEVDATARIVS

Si relinquat feudum, & credita à vaſſallis exigenda intelligitur de creditis ratione feudi, diſc. 38 num. 4.

FEVDO

Legato, an debeatur æſtimatio, diſc. 1. nu. 13. diſc. 2. ex num. 7.

Et an legatarius teneatur ad contributum, diſc. 59. num. 9.

FEVDVM

Conceſſum patri, & filijs, vel filijs tantùm intuitu patris, an ipſis filijs directè acquiſitum dicatur, diſc. 18. num. 16.

Dicitur vniuerſitas, ſed an iuris tantùm, vel facti, vel vtriuſque, diſc. 52. num. 9.

Pretium ipſius non dicitur feudale, diſc. 1. num. 11. diſc. 2. num. 9.

FIDEICOMMISSARIVS

An conueniri poſſit à creditore defuncti prò cenſibus, vel annuis præſtationibus, diſc. 49. num. 4.

Quid de fructibus dotis debitæ ex remedio *Auth. res quæ*, num. 5. ibid.

Et quid pro fructibus legati alicuius annualitatis, numer. 3. & ſeq. ibidem. *vid.* Fructus.

FIDEICOMMISSVM

An comprehendat legata, quæ ſint effecta caduca, diſc. 28. num. 2. diſc. 29. *vid.* Caducitas.

FIDVCIARII

Declaratio eſt attendenda, diſc. 27. nu. 12.

Legatum collatum in fiduciam alicuius Religioſi, an dicatur pium, diſc. 27. num. 14.

FILII

An directè acquirere dicantur feudū, quod conceſſum eſt patri, & ipſis, vel ipſis tantùm, diſc. 18. num. 16.

Legatum factum omnibus filijs, an conueniat filiabus, diſc. 16. num. 3.

Et an factum filijs in ſæculo exiſtentibus, conueniat nouitio, diſc. 16. ex nu. 4.

An conueniat ſolùm tunc natis, vel etiam natis poſt mortem teſtatoris, diſc. 16. num. 13. diſc. 17. & ſeq.

Regulariter intelligitur de tunc natis, diſc. 18. num. 2.

Fallit ex coniecturis, num. 3. ibid.

Et an conueniat omnibus filijs etiam ex ſecunda vxore, diſc. 17. nu. 6. d. 18. n. 8. *vid.* Donatio.

Vid. Legatum dotis.

Factum illis intuitu patris, an ad iſtū pertineat, diſc. 18. num. 5. 9. 14. & 18.

Vbi ageretur de legato dotis quare ipſi patri factum cenſeatur, diſc. 18. n. 13. diſc. 17. num. 5.

Et quod vbi fiat intuitu pātris ab iſto habere dicantur, ac dicatur peculium profectitium, diſc. 16. num. 9.

Vid. Vſusfructus.

Maior fauor cuiuſnam ſit illorum nē, an cauſæ piæ, diſc. 42. num. 10.

FRATER

Reuocans teſtamētum factum cum alio fratre, prò medietate tantùm reuocatum cenſetur, diſc. 32. ex num. 4.

FRVCTVS

Aſſignati pro aliquo opere, ſi diminuantur, an hæres ſupplere debeat. *vid.* Legatum quoad Deſignationem &c. *vid.* Pecunia.

Debentur de legato domus, diſc. 44. nu. 12.

Doris cauſa aſſignati, ſi puella primo mariranda neglegat exigere, non admittitur ad illos anni ſequentis, diſc. 49. num. 8.

Inueſtimenti demandati per teſtatorem, ſi non aſcendant ad rationem per eundem deſignatam, an hæres ſuppleat, diſcur. 14. num. 3.

Legati an habeant hypothecam, itaùt pro eis bona teſtatoris ſint affecta. *vid.* Hypotheca.

Legatorum particularium participat legatarius vniuerſalis vſusfructus, diſcur. 31. num. 6.

Declara prout num. 7. & 8. ibid.

Legatum fructuum aliquorum bonorum, an ſit perpetuum, & tranſmiſibile, diſc. 45. per tot.

Et an idem importet, ac legatum vſusfructus, diſc. 45. num. 3. & 6. diſc. 55. nu. 9.

Locorum montium quare defecerint, diſc. 14. num. 2.

Officiorum ſi alicui fuerint legati, an legatarius

tarius impedire possit hæredem ne illa
distrahat, disc.21.num.10.
sunt esse vnius,& dominium bonorum
esse alterius,etiam in perpetuum, d. 45.
num.2.disc.55.num.10.
Declara prout disc.45.num.8.
mi anni applicandi sunt Capitulo iuxta
Constitutionem Pianam,disc.19.nu.3.4.
& 9. & declaratur.
dua an illos restituat ob transitum ad se-
cunda vota,disc.39.num.9. *vid.* Mulier.

FRVMENTVM

veniat sub legato mobilium,disc.11.nu.
3.& 4.

G

GENVS

Legatum generis non cessat, quando
aliquæ species pereunt, disc.11.nu.5.
Declara prout num.6. ibid.
Intelligitur de ijs rebus, quæ sunt in
hæreditate, disc.13.num.2.
Vid. Incertitudo.

GERVNDIVM

importet conditionem, disc.41.nu.5.

GREGE

gato quid veniat,disc.38.num.8.disc.52.
num.10.

H

HABITATIO

Conditio habitationis est modalis,disc.
29. num.6.
Vid. Legatum habitationis.

HÆREDITAS

fecta an dicatur pro fructibus legatorũ.
vid. Hypotheca.
dicillis an detur,vel adimatur, disc.52.
num.11.
Quid fauore piæ causæ, ibid.
citur vniuersitas, vnde ea legata veniunt
omnia iura actiuè,& passiuè,disc.38.n.7.
vid. Vniuersitas.
onea vbi non sit omnibus legatarijs, an
& quando intret contributio. *vid.* Lega-
tum quoad contributionem.

HÆRES

fraudat- an faciat sua lucra negotij hære-
ditatis,disc.38.num.10.
Dicitur verus dominus, disc.58.n.12.
mpediri an possit vendere officia vacabi-
lia per legatarium fructuum ipsorum,
disc.21.num.10.
Institutio ipsius fieri potest per quæcumq;
verba,disc.44.num.9
Etiam per viam legati adiecti vniuer-
sitati bonorum,disc.52. num.6.
Institutus dicitur monasterium, cuius sola
erectio, de eius bonis demandata fuerit
per testatorem,disc.44.num.8.
Declara prout num.11. ibid.
Legatarius simul non potest quis esse,disc.
50.num.3.disc.58.num.12.
Legatum annuum ei inflictum, an cesset in
primo hærede, vel potiùs sit perpetuum,
disc.34.per tot.
Regulariter cessat in primo,nu.2.ibid.
disc.42.num.2.
Præsertim vbi concurrat dictio, seù
verbum *infrascritto*,disc.34.num.3. disc.
42.num.3.
Quod intellige prout, disc.34.num.8.
Et de alijs coniecturis, num. 4. ibid.
disc.42.num.3.& 4.
Fallit fauore piæ causæ, disc. 34.nu.6.
disc.42.num.8.
Nisi tamen adsint coniecturæ in con-
trarium, disc.34. num.7.
Et an legatum ab instituto debeatur à
substituto,disc.34. ex num.3.
Onus rei legatæ affixum, an ad ipsum, vel
legatarium spectet,disc.26. per tot.
Vid. Legatum quoad onera.
Prædilectus an sit legatario, disc.48.num.9.
disc.52.num.16. disc.55. num.12.
Vid. Interpretatio.
Quando legatum collatum dicatur in libe-
ram eius voluntatem,seù arbitrium,disc.
30.num.11.
Vltimi possessoris tenetur ad factum aucto-
ris saltem in æstimatione,disc.1.nu.12.
Vocatus post mortem vsufructuarij, an di-
catur hæres ab initio,disc.3.num.2.disc.
31.num 2.
Vsufructuarius participare debet de fru-
ctibus legatorum particularium, disc.31.
num.6.
Declara prout num.7. & 8.
Vid. Vsufructuarius, & Vsusfructus.

HYPOTHECA

An detur contra bona testatoris pro fructi-
bus legati ad legatarij fauorem cumulã-
dis, disc.37. ex numer. 3. disc.49. ex nu-
mer.3.
Distingue casus de quibus, disc.37. ex
num.4.

Pro legato annuæ præstationis essent affecta, disc. 37. num. 4. disc. 49. ex num. 3.

Prout si legatum soluendū esset ex fructibus de præcepto testatoris, discur. 37. num. 9.

Secus autem vbi substantia legati directa est ad certam quantitatem, cū hoc vt fructus multiplicentur, num. 11. & 13. ibid.

Præsertim vbi solutio fructuum nominatim directa est in hæredem, disc. 37. sub num. 11.

HORTVS

An veniat sub legato domus, discur. 8. ex num. 2.

Distingue prout num. 5. ibid.

I

IMPLEMENTVM

Vid. Adimplementum.

IMPVGNATIO

Testamenti facta per legatarium, quando eum priuet cōmodo legati, disc. 24. nu. 3.

Et an restituatur in integrum, num. 4. 8. & 9. ibid.

INCERTITVDO

Legatum factum de aliqua re in genere, an valeat, disc. 12. num. 2.

Et quando collatum dicatur in voluntatem, seù arbitrium hæredis, discur. 50. num. 11.

Et si cōmissum fuerit fiduciæ alicuius Religiosi, an, & hoc dici valeat pium, disc. 27. num. 14.

INSTITVTIO

Facta in reliquis bonis, an operetur præseruationem legati ne cadat sub fideicommisso, disc. 28. num. 2. disc. 29. sub num. 2.

Hæredis potest fieri per quæcumq; verba, disc. 44. num. 9.

Etiam per viam legati adiecti vniuersitati bonorum, disc. 52. num. 6.

Operatur, vt legatum cum hoc titulo relictum non sit capiendum de manu hæredis, disc. 21. num. 3.

INTERESSE

Debetur ob annuam præstationem non solutam, disc. 37. n. 7.

INTERPRÆTATIO

An magis ad fauorem legatarij quam hæredis sit facienda, disc. 48. num. 9. disc. 52. num. 16. disc. 55. num. 12.

Affectio testatoris erga legatarium attenditur prò illius interpretatione, disc. 56. num. 7.

Legati, quādo largè, vel strictè fieri debeat, disc. 7. num. 14.

Obseruantia quando attendatur, disc. 56. num. 10. & 11.

Diuersa vnius ex pluribus legati facultas potest, disc. 40. num. 11.

Et de ratione, num. 11. ibid.

Vid Legatum quoad Interpretationem.

INVESTIMENTVM.

Demadatum per testatorem, si non fructus ad rationem per eum designatam, an hæres supplere debeat, disc. 14. num. 3.

Vid. Legatum quoad Designationem.

Legatum creditorum, iurium. & actionum, an comprehendat pecunias destinatas inuestimento, disc. 4. num. 5.

Vide Credita.

Verbum *inuestire* quid significet, discur. num. 8.

Non conuenit mutuo, ibid.

IOCALIA

Illorum legatum factum per socerum suum, an cesset soluto matrimonio per mortem viri, disc. 46. per tot.

Quænam sponsæ donata censeantur, disc. 46. num. 2.

Vsus eorum, an congruere possit mulieribus duæ, disc. 46. num. 7.

IVRA

Actiuè, & passiuè veniunt legata vniuersitate, disc. 38. num. 7. *vid.* Vniuersitas.

Et actiones si fuerint legata, an intelligendum sit pro liberatione legatarij, nec ei legata censeantur iura, & actiones contrariæ, disc. 4. ex num. 2.

Et an comprehendant solùm nomina debitorū, vel etiam pecunias destinatas inuestimento, disc. 4. num. 5.

IVS ACCRESCENDI

Portio hæredis contrauenientis, non accrescit successoribus ab intestato, sed alteri hæredi testamentario, disc. 32. num. 3.

Si pecunia designata per testatorē pro aliquo opere faciendo istud exuberet, reliquum accrescit hæredi, disc. 50. num. 7. & seq.

Vbi autem non sufficeret, an & quando supplementum debeatur. *vid.* Legatum quoad Designationem.

L

LEGATARIVS

Acceptasse quando dicatur legatum. *vid.* Legatum quoad Acceptationẽ.

Alimentorum an ea petere possit extra domum. *vid.* Legatum alimentorum.

Annuæ quantitatis, an consequi possit proprietatem, quæ reddat dictam quantitatem, disc. 21. ex num. 4.

Vid. Annua Præstatio. *vers.* Suppleri.

Census an præstare debeat consensum in illius extinctione, dis. 48. num. 2.

Contributioni, an & quando subiaceat. *vid.* Legatum quoad Contributionem.

Electionem an habeat in re legata, vel potius ea spectet ad hæredem. *vid.* Electio.

Fructuum officiorum vacabilium, an impedire possit nè illa distrahantur, disc. 21. num. 10.

Hypothecam an habeat aduersus bona testatoris pro fructibus legati. *vid.* Hypotheca.

Impugnans testamentum quando cadat à commodo legati, disc. 24. num. 3.

Et an restituatur in integrum, num. 4. & seq. & num. 8. & 9. ibidem.

Non cogitur accipere legatum de manu hæredis, vbi fuerit relictum titulo institutionis, discur. 21. num. 3.

Onera rei legatæ affixa ad quem spectent. *vid.* Legatum quoad Onera.

Prout si illa recuset, vel cessent, an amittat legatum ibid. & *vid.* Legatum Habitationis.

Prædilectus an dicatur hæredi, & pro quonam benignior interpretatio sit facienda, disc. 48. num. 9. *vid.* Interpretatio.

Simul & hæres quis esse non potest, discur. 58. num. 12.

Speciei in re legata præfertur filio in legitima, ac alijs creditoribus chirographarijs, vbi alia suppetant bona, disc. 41. n. 3.

Vlam executiuam, an habeat, disc. 6. ex n. 5.

Vid. Actio *vers.* Executiua.

Vsusfructus vniuersalis participare debet de fructibus legatorum particularium, disc. 31. num. 6.

LEGATVM IN GENERE

Beneficij Ecclesiastici, an valeat, discur. 2. num. 5.

Bonorum stabilium an comprehendat animalia, blades &c. existentia in ipsis fundis, vel potiùs ea cadant sub alio legato mobilium, disc. 9. per tot.

Distingue prout num. 2. ibid.

Censetur factum de portione, vel iure spectante ad testatorem, disc. 15. nu. 8.

Collatum quando dicatur in liberam voluntatem, seù arbitrium hæredis, discur. 50. num. 11.

In fiduciam Religiosi, an dicatur piũ, disc. 27. nu. 14.

Creditorum, iurium, & actionum, an intelligendum sit pro liberatione legatarij, non vt ei legata sint iura, & actionss contrariæ, disc. 4. num. 2.

Et an solùm comprehendat nomina debitorum, vel pecunias destinatas inuestimento, num. 5. ibid. *vid.* Credita.

Domus an censeatur factum si testator mãdet, quod in ea fiat erectio Monasterij, quæ sequi non potuit, disc. 44. ex num. 4.

Vid. Domo, & Domus.

Extensionem nõ admittit de casu ad casum disc. 17. n. 7. & 8.

Factum per debitorem creditori habet speciem dationis in solutum, disc. 7. num. 4.

Et quando censeatur factum animo compensandi, disc. 15. num. 2.

Vid. Compensatio.

Factũ duobus, vel pluribus sub vnica summa, an intelligatur collectiuè, vel distributiuè, disc. 33. num. 6.

Filijs intuitu patris ab isto habere dicũtur, & dicitur peculium profectitium, discur. 16. num. 9.

An conueniat etiam filiabus, disc. 16. num. 3.

Et an conueniat solum tunc natis, vel etiam natis post mortem testatoris, disc. 16. nu. 13. disc. 17. & seq. *vid.* Filij.

Fundi, vel domus, quæ in hæreditate non adsint, an sit inutile, vel debeatur, dis. 12. sub num. 2. & seq.

Generale si fuerit factum Prioribus Ciuitatis, & particulare alicui, an vtrumque debeatur, sic hic esset prior, disc. 16. nu. 11.

Et quid de facto Monacis, & Priori, ibid.

Et an familiares honorati cum legato particulari participent de legato generali facto familiæ, num. 12. ibid.

Generis non cessat, quando aliquæ species pereunt, disc. 11. num. 5.

Declara prout num. 6. ibid.

An valeat si hat de aliqua re in genere, discur. 12. num. 2.

Legatis cẽſibus in genere pro erectione Eccleſiæ, ſeu &c. dicitur legatum quãtitatis non ſpeciei, diſc. 12. num. 13. & 15.

Et onus eſt hæredis vendere tot ex dictis cenſibus pretium autem erogare in hoc opus, diſc. 12. num. 15.

Generis intelligitur de ijs rebus, quæ ſunt in hæreditate, diſc. 13. num. 2.

Interpretari quomodo debeat. *vid.* Interpretatio.

In ſpecie ceſſat illa perempta, diſcur. 11. num. 8.

Localium. *vid.* Localia.

Perfectum à teſtatore in vita, amplius non debetur, diſc. 16. à num. 6.

Vid. Adimplementum.

Sed ſi minus expẽdit, debetur id quod ſupereſt, num. 7. ibid.

Vid. Compenſatio.

Prædij, vel poſſeſſionis, quando compræhẽdat prædia ſeparatá, diſc. 7. ex nu. 11.

Et vbi compræhenſa non eſſent, an legatarius teneatur reſtituere fructus perceptos, numer. 11. ibid.

Quando autem dicantur connexa, vel ſeparata. *vid.* Bona.

Quantitatis non ſpeciei dicitur illud cenſuum in genere pro erectione alicuius Eccleſiæ, diſc. 12. num. 14. & 15.

Et quomodo dignoſcatur, an ſit de ſpecie, vel quantitate, num. 16. & ſeq. ibid.

Relictum titulo inſtitutionis non eſt capiẽdum de manu hæredis, diſc. 21. nu. 3.

Repudiatum an cadat ſub fideicommiſſo ordinato, diſc. 28. numer. 2. *vid.* Caducitas.

Rerum in domo, vel fundo exiſtentium, cõpræhendit ſolùm ea quæ ſunt ibi perpetuo manſura, diſc. 9. num. 3.

Studentibus factum. *vid.* Scholaris.

Viam exequutiuam, an & quando habeat, *vid.* Actio. *verſ.* Executiua.

Reliqua vide infra in ſuis reſpectiuè ſedibus hoc ordine diſtinctis videlicet.

LEGATVM *quoad Acceptationem.*

Acceptatio legati, ex quibus inducta dicatur ad effectum, vt bona legata tanquam ſeparata non cadant ſub fideicommiſſo, diſc. 28. per tot.

Vbi enim illa non ſequeretur, legatum remaneret in hæreditate ſubiectum vinculis hæreditatis, num. 2. ibid. *vid.* Caducitas.

In dubio præſumitur, diſc. 28. num. 3.

Intellige vbi agatur de legato mere lucratiuo, non autem oneroſo, diſc. 28. num. 5.

Niſi tamen vtilitas præponderaret, num. 6. ibid.

Non poteſt fieri prò parte tantùm, diſc. 28. num. 7. diſc. 43. num. 2.

LEGATVM *Alimentorum.*

Dicitur pium, diſc. 36. num. 5.

Extra domum hæredis, quando ex aliqua iuſta cauſa peti valeat, diſcur. 24. ex nu. 12. & 15.

De differentia, vbi alimenta debeantur officio iudicis, & iure actionis, ſub num. 12. ibid. remiſſ.

Quæ nam dicatur iuſta cauſa ad effectum, de quo agitur, diſc. 24. num. 13.

Et quando etiam iſta non obliget, nu. 14. ibid.

Vbi extra domum præſtanda non eſſent, & accedat iuſta cauſa, dandum eſt quanti domi eſſet hæres impenſurus, diſcurſ. 24. num. 16.

Non ſubiacet contributioni, diſc. 36. numer. 6.

LEGATVM *Annuum, & Reiterabile.*

Ad vitam dicitur magis priuilegiatum, diſ. 35. num. 4.

Annuum legatum, quod non ſit directum legatario, ſed iniunctum hæredi, an expiret in primo hærede, diſc. 34. per tot. diſc. 36. ex num. 3.

Regulariter expirat in primo, diſc. 34. num. 2. diſc. 42. num. 2.

Præſertim vbi concurrat dictio, ſeu verbum *infraſcripto*, diſc. 34. num. 3. diſc. 42. num. 3.

Declara prout diſc. 34. num. 8.

De coniecturis perpetuitatis, vel temporalitatis, diſc. 34. num. 4. diſc. 36. ex num. 4. diſc. 42. num. 3. 4. & 9. diſc. 19. numer. 6. & 7.

Fallit fauore piæ cauſæ, diſc. 34. nu. 6. diſcur. 42. num. 8.

Niſi tamen adeſſent coniecturæ in contrarium, diſc. 34. nu. 7.

Fructuum legatum an ſit perpetuum, & tranſmiſſibile, diſc. 45. per tot. *Vid.* Fructus.

Hæres an vendere poſſit bona, ex quibus illud debetur, diſc. 21. num. 10.

Hypothecam habet aduersùs bona teſtatoris, diſc. 37. num. 4. diſc. 49. ex num. 3. *vid.* Hypotheca.

Relictum aliquibus de familia pro ſtudijs expi-

expiratio primo admissis, disc. 36. nu. 3.
Fallit ex coniecturis, de quibus nu. 4. & seq. ibid. *vid.* Scholaris.
Soluendum est ex fructibus, discur. 37. num. 5.
Et contra quæ bona legatarius actionem habeat, num. 4. 6. & seq. ibidem *vid.* Hypotheca.
Suppleri potest ex bonis reddentibus eundem annuum redditum, disc. 21. ex nu. 2. disc. 44. num. 10.
Intellige vbi legatum esset perpetuũ, secus si vitalitium, disc. 21. num. 5.
De differentia *inter* hæredem, & legatarium, num. 6. & 9. ibid.
Quid conferat legatarium esse Prælatum, num. 6. ibid.
Vel menstruum relictum familiaribus, intelligitur ad vitam non transitorium ad hæredes, disc. 33. ex num. 2.
Etiam quod dictum fuerit *in perpetuũ* num. 5. ibid.

LEGATVM *quoad Contributionem.*

Contributio legatariorum, vbi hæreditas non sit omnibus idonea, disc. 7. numer. 7. disc. 35. ex num. 7. disc. 41. num. 4.
Legatarius quotæ, an teneatur concurrere cum hærede in solutione æris alieni, ac legatorum, disc. 52. per tot.
Distinguitur legatarius quotæ hæreditatis à legatario quotæ bonorum, vt primo casu intret contributio, secus in secundo, num. 2. ibid.
Et de differentia inter ista duo legata disc. 52. num. 5.
Datur alia distinctio inter legatum quotæ, & illud alicuius generis bonorũ, num. 5. ibid.
Legatarius particularis sine dubio nõ concurrit, num. 3. ibid.
Legatarius feudi an subiaceat, disc. 59. num. 9.
Et de contributione inter hæredem allodialem, & feudalem, disc. 52. num. 8.
Legatum ad pias causas an debeat prius integrè adimpleri, disc. 20. sub numer. 4. *vers.* quartus casus.
Legatum dotis, seù alimentorum non subiacet contributo, disc. 35. num. 6.

LEGATVM *quoad Designationem Demonstratiuam, seù Taxatiuam.*

Designatio in legatis pro aliquo opere, quãdo dicatur stare taxatiuè, vel demonstratiuè, disc. 14. ex nu. 10. disc. 20. ex n. 3. disc. 27. ex num. 7.
Distingue plures casus, de quibus, disc. 20. ex num. 5. *vid.* Pecunia.
Fauore piæ causæ an taxatiua resoluatur in demostratiuam, disc. 14. ex num. 4. disc. 20. numer. 5.
Hæres non tenetur supplere, vbi bona assignata non important redditum præsuppositum, disc. 14. num. 3.
Legatis equis, an defectis illis, quos testator habebat, teneatur hæres alios supplere, disc. 11. ex num. 5.
Missarum dote designata diminuta, sunt etiam illæ diminuendæ, discur. 14. sub num. 3.

LEGATVM *Dotis*

Censetur factum contemplatione patris, disc. 17. num. 5.
Et de ratione, disc. 18. num. 13.
Contributioni non subiacet, discur. 35. numer. 6.
Factum filiabus alicuius, an intelligatur solum de natis viuente testatore, disc. 17. per tot.
Et an conueniat omnibus filijs etiam ex secunda vxore, d. 17. num. 6. d. 18. n. 8. *vid.* Filij.
In dubio censetur tale si factum sit per patrem filiæ indotatæ, disc. 60. num. 4.
Intelligitur pro primis nuptijs, non autem pro vlterioribus, d. 60. num. 13.
Limita vbi constat de præsumpta disponentis voluntate, num. 14. ibid.
Vel vbi primæ nuptiæ non fuerint cõsumatæ, ibid.
Aut vbi agatur de vidua iuuene, & formosa ibid.
Declara vt primæ nuptiæ nullæ non attendantur, num. 15. ibid.
Vbi tamen nullitas non esset culposa, secus si culpa mulieris accedat, ibid.
Nuptis, an & quando conueniat, disc. 60. nu. 2. 7. & seq.
Et si puella nupserit ante ætatem à testatore præscriptam, an consequatur legatum. *Vid.* Puella.
Perfectum in vita à testatore, amplius non debetur, disc. 60. num. 3.
Vbi tamen secunda dos esset minor legata, an filia possit petere supplementum num. 5. ibid. *Vid.* Adimplementum.
Purum an conditionale dicatur, discur. 59. per tot.
Et de effectibus ex hoc resultantibus, num. 15. ibid.
Esset purum, vbi dos succederet loco legi-

legitimæ, num. 3. ibid.

An autem id proueniat ex sola potentia legis, vel potiùs ex præsumpta mente disponentis, ibid.

Vbi esset pura ex voluntate disponentis, esset talis in totum etiam in eo, quod excedat legitimam, sed vbi est ex potentia legis, est pura in sola quantitate legitimæ, num. 4. ibid.

Vbi non succedit loco legitimæ regulariter est conditionale, disc. 59. num. 5.

Fallit accedentibus coniecturis, num. 6. ibid.

Quæ enumerantur ex nu. 7. & num. 13. remiss. ibid.

De differentia inter dispositionem ascendentium, & extraneorum, disc. 59. sub num. 7.

Tempus quãdo dicatur adiectum substantiæ, vel potiùs executioni, nu. 8. ibid. disc. 3. ex num. 5. *Vid.* Tempus.

Obseruantia subsequens, an attendatur disc. 59. num. 10.

Quid vbi pendente tempore matrimonij disponens reliquerit alimenta, vel annuam præstationem, num. 11. ibid.

Et quid vbi mandetur, vt legatum statim præstari debeat, disc. 59. num. 14.

Puella quę prius dotanda erat ex fructibus, si negligat exigere, non admittitur amplius in præiudicium aliarum, disc. 49. num. 8.

Subsidij vitalitij monialis dicitur legatum dotis, disc. 35. num. 5. *Vid.* Puella.

LEGATVM *quoad Aestimationem rei alienæ, vel non existentis in commercio.*

Æstimatio quando debeatur, vbi res legata sit aliena, vel prohibita alienari, disc. 1. & seq.

Vt de emphyteusi, disc. 1. per tot.

Quid de feudo, disc. 1. num. 13. disc. 2. ex num. 7.

Et quid de re aliena, d. 44. n. 4. remiss. disc. 2. num. 2. & 3.

Censetur factum de portione, seù iure spectante ad testatorem, disc. 15. n. 8.

Non debetur de ijs rebus, quæ non sunt in nostro comercio, disc. 2. num. 6.

Si præsentatus ad beneficium ex iudicio testatoris, præsentatio non habuerit effectum, an debeatur, discur. 2. numer. 1. & seq.

Quid in translatione pensionis, num. 13. ibid.

An in hoc attendatur ratio meritorum, disc. 2. ex num. 10.

LEGATVM *Habitationis.*

An ita domum afficiat, vt vendi nequeat, discur. 21. sub num. 10. remiss.

Cum alio, est onus, & non fauor, discur. 23. num. 11.

Et ex quibus deducatur esse in fauorem hæredis, num. 12. & 13. ibid.

Quid differat à legato habitandi, disc. 8. nu. 6. disc. 24. num. 17. disc. 40. nu. 4.

Vna cum filijs vxori relictum, an per illorum mortem, vel absentiam cesset, disc. 23. per tot.

Distingue casus prout, num. 3. ibid.

Vbi legatum cum dicto onere, respicit fauorem liberorum, et tunc legatum expirat, num. 3. ibid.

Secus vbi respiciat commodum ipsius vxoris, num. 4. ibid.

Quid vbi causa legandi respiciat commodum vtriusque, num. 5. ibidem.

De coniecturis fauorem legatarij sapientibus, disc. 23. num. 9.

Et ex quibus arguatur habitationem relictam esse in solam causam educationis, num. 13. ibid.

LEGATVM *quoad Interpretationem.*

An magis ad fauorem legatarij quam hæredis ea sit facienda, disc. 48. n. 9. disc. 52. num. 16. disc. 55. num. 12.

Et quãdo largè, vel strictè fieri debeat, disc. 7. num. 14.

Diuersa vnius ex pluribus legatis fieri potest, disc. 40. num. 19.

Et de ratione, num. 21. ibid.

Mobilia ad electionem vxoris legata, quo modo eligi debeant, disc. 10. ex num. 5.

Obseruantia quando attendatur, discur. 5. num. 10. & 11.

Præceptum quod vxor tractari debeat quo modo, quo ipso viro viuente tractabitur, quomodo intelligendum, disc. 5. nu. 13. & 14.

Testatoris affectio erga legatarium attenditur pro illius interpretatione, num. 7. ibid. *Vid.* Cappella.

LEGATVM *Mobilium.*

An comprehendat ea, quæ sunt extra domum, disc. 6. num. 4.

Animalia, blades &c. existentia in fundo alteri legatis, an capiat, discur. 5. per tot.

Argentum non comprehendit, discur. 10. num. 2.

Factum vxori, collato in eius arbitrium quæ-

quænam mobilia sibi placeret, quomodo intelligendum, disc. 10. ex num. 3.

Frumentum, vinum, oleum &c. an comprehendat, disc. 11. num. 3. & 4.

Et quid de mercibus venalibus, disc. 5. num. 4. in fine remiss.

Quid de animalibus, disc. 9. num. 2.

Pecuniam, an & quando comprehendat, disc. 5. per tot. disc. 38. num. 3.

Distingue casus prout discurs. 5. ex numer. 4.

Vbi retinetur peculij, seù præsidij causa, comprehenditur; Secus vt fœnori detur, vel inuestimento destinata, disc. 5. num. 7. disc. 6. num. 2.

Quando autem dicatur de vna, vel altera specie, disc. 5. ex nu. 8.

Et cuinam qualitati magis assistat præsumptio, num. 9. ibid.

Quid si pecuniam erogare oportuit in expensas funerum, & medicinarum, discurs. 6. ex num. 2.

Rerum in domo, vel fundo existentium comprehendit solùm ea, quæ sunt ibi perpetuò mansura, disc. 9. num. 3.

LEGATVM quoad Onera.

Ad quem spectet onus rei legatæ affixum, hæredi nè, aut legatario, disc. 26. per tot.

Esset donatarij, non autem legatarij, & de ratione differentiæ, num. 2. ibid.

Distingue an onus sit proprium, vel occasionale tanquam possessor ex num. 3. ibid.

Quid operetur legatum esse relictum titulo institutionis, disc. 26. num. 10.

Et quid suffragetur fauor piæ causæ, num. 8. ibid.

Ex quibus circumstantijs decisio sit regulanda, num. 8. & seq. & num. 12. ibid.

Celebratio missarum. *Vide* Missæ, & Legatum ad pias causas.

Confrater si leget confraternitati cum onere, vt alicui conferat munus exactoris reddituum, an sperni valeat, disc. 43. per tot.

Habitationis legatum cum alio, dicitur onus, disc. 23. num. 11. *Vide* Legatum Habitationis.

Onus iniunctum si cesset, vel adimatur, an legatum quoque ademptum dicatur, discurs. 32. ex num. 4. disc. 22. per tot.

Affirmatiua procederet, vbi constaret intuitu tutelæ, vel curæ relictum esse; Secus si contemplatione personæ, disc. 22. num. 2.

Contrar. vt legatum indistinctè cesset, num. 3. ibid.

Declara, vt procedat, quando cessatio sequatur ex culpa tutoris, secùs si ex facto testatoris, num. 4. & 9. ibid.

In dubio regula assistit cessationi, discurs. 22. num. 6.

De coniecturis contrarium suadentibus, num. 7. & 8. ibid.

Vna esset ad fauorem tutoris, vbi legatum esset vitalitium, duraturum etiam post expletam tutelam, sub num. 7. ibid.

Si non fuerit adimpletum, an & quando intret caducitas. *Vide* Caducitas. Conditio.

Et quid si mulier nupserit antè ætatem à testatore præscriptam. *Vide* Puella.

LEGATVM ad Pias Causas.

An contributioni subiaceat, disc. 20. sub nu. 4. *Vers.* Quartus casus.

Debetur quid magis, disc. 12. num. 13. disc. 13. num. 5. disc. 40. num. 12.

Quid vbi alia pia causa esset hæres, disc. 13. ex num. 6.

Designatio bonorum pro aliquo pio opere faciendo, si diminuatur, an hæres suppliere teneatur. *Vide* Legatum quoad Designationem.

Dicitur illud alimentorum, disc. 36. num. 5.

Et illud ex causa studij, num. 6. ibidem. *Vide* Scholaris.

Non dicitur tale, si opera pietatis ad speciem deducta non fuerint, disc. 27. nu. 2.

Non expirat in primo hærede, disc. 34. nu. 6. disc. 42. num. 8.

Nisi adessent coniecturæ in contrarium, disc. 34. num. 7. *Vide* Scholaris.

Pro celebratione missarum, diminuto assignamento relicto sunt etiam illæ diminuendæ, disc. 14. sub num. 3.

Huiusmodi legatum spectat ad Rectorem illius Ecclesiæ, in qua celebrari demandatum fuit, disc. 25. num. 2.

Intellige, vbi onus iniunctus legitur Ecclesiæ, secùs vbi iniunctum esset ipsi hæredi, num. 2. & 3. ibid.

Si legatum dirigatur Ecclesiæ monialium, cui nam Ecclesiæ debeatur, si moniales transferantur, num. 4. ibid.

Alia *vide* Missæ.

Religiosi fiduciæ commissum quando non importet piam dispositionem, discurs. 27. num. 14.

Reuocatio talis legati, an sequatur ex simplici reuocatione testamenti, d. 54. n. 3.

Vide Legatum in sequenti Rubrica.

Si demandetur, quod in domo testatoris fiat erectio Monasterij, quæ sequi non potuit, an domus legata censeatur, disc. 44. ex num. 4.

LEGATVM *quoad Reuocationem.*

Ademptio probatur etiam ex actu nullo, & minus solemni, disc. 54. sub num. 8. *Vide* Ademptio.

Adimpletum in vita, an reuocatum censeatur, disc. 51. per tot. disc. 54. num. 13. disc. 60. num. 3.

Cessaret, vbi esset expressa eadem causa, disc. 51. num. 3.

Secùs si haberet diuersam causam ab ea, in qua factum est implementum, disc. 51. num. 5.

Quid vbi adimplementum factum sit cum minori impensa, an debeatur residuum, num 4. ibid. disc. 60. num. 5.

Alienatio rei legatæ, an & quando tacitam reuocationem inducat, disc. 48. & 55.

Distinguitur alienatio merè voluntaria à necessaria, disc. 55. num. 6.

Si enim agatur de alienatione voluntaria dicitur ademptum, disc. 48. num. 4. disc. 55. num. 6.

Etiam quod esset legatum ad pias causas, disc. 48. n. 4.

Declara, vt sola possibilitas causæ necessariæ sufficiat legatario pro euitanda ademptione, sub n. 10. ibid.

Declara, vt si pretium vnico contextu in alia bona erogetur, ista cadunt sub legato, disc. 48. num. 5. disc. 55. num. 6. in fine.

Subdeclara id procedere, vbi alienatio fuerit necessaria, secùs si voluntaria, disc. 48. num. 6.

Et quid si adsit mixtura alicuius notabilis summæ vltrà pretium ex re alienata retractum, num. 8. ibid.

Et an procedat tam in legato quantitatis, quàm speciei, num. 11. ibid.

Apostilla, seù cancellatio an illam inducat, & ex quibus excludatur, disc. 49. ex n. 11.

Cessante causa ademptionis legati, cessare debet ademptio, disc. 54. num. 5.

Et quando etiam falsa causa accedente reuocatum censeatur, num. 15. & 16. ibid.

Exactio nominis debitoris legati, an inducat præsumptam reuocationem, disc. 38. num. 5.

Et quid vbi facta esset per procuratorem, inscio testatore, num. 6. ibid.

Et an inducat ademptionem legati liberationis, disc. 54. num. 14.

Onus iniunctum si legatario cesset, vel adimatur, an præbeat signum reuocationis. *Vide* Legatum quoad Onera, *Vers.* Onus, & Legatum Habitationis.

Per secundum legatum contentum in codicillis, quando censeatur ademptum, seù diminutum alterum legatum in testamento factum eidem personæ, disc. 53. per tot.

Et quando per secundum legatum specierum comprehensarum sub genere priùs legato, istud censeatur ademptum, vel reformatum, num. 6. ibid.

Pro medietate reuocatum censetur, si frater reuocauerit testamẽtum factum cum alio fratre, disc. 32. ex num. 4.

Testamento posteriori reuocato, an & quando reuocata censeantur omnia legata in primo contenta, disc. 54. per tot.

Regulariter posteriori testamẽto omnia in præcedenti contenta corruunt, discurs. 54. num. 2. & 7.

Etiam quod expressa reuocatio non accederet, ibid.

Et procedit etiam in legatis ad pias causas, num. 3. ibid.

Nisi concurrant diuersæ voluntatis argumenta, num. 4. & 11. ibid.

Quæ enumerantur num. 4. 10. & seq. ibid.

An autem requiratur expressa voluntas, num. 11. ibid.

Amplia etiam quod testator vnum tantum legatum expressè reuocauerit, cum non valeat argumentum à contrario sensu, disc. 54. num. 9.

Limita prout num. 10. ibid.

Amplia etiam quod testator dicat talia legata in vita adimpleuisse, quod aliàs esset falsum, num. 15. & 16. ibid.

Transitus ad secunda vota, an operetur tacitam reuocationem. *Vide* Mulier, & Matrimonium. *Vide* Caducitas.

LEGATVM *Vsusfructus.*

Et legatum fructuum, an idem importet, disc. 45. num. 3. & 6. disc. 55. num. 9.

Et an istud sit perpetuum, ac transmissibile, disc. 45. per tot.

Facto legato bonorum ad vsufructuandum, an dicatur legata proprietas, disc. 3. num. 15. & 16.

Et quando legatum censeatur in solo vsufructu, num. 14. & seq. ibid.

Le-

Legatarius vſusfructus vniuerſalis participare debet de fructibus legatorum particularium, diſc. 31. num. 6.

Declara prout num. 7. & 8. *ibid.*

Legatum vſusfructus generale, non capit legitimam filiorum, diſc. 39. num. 2.

Declara vt num. 6. ibid.

Factum vxori vna cum filio eſt huic commune, diſc. 39. num. 3.

An reſoluatur in alimenta ſi iuſſerit, quod tractaretur eo modo, quo ipſo teſtatore viuente, diſc. 58. numer. 13. & 14.

Proprietatem quandoque importat, diſc. 39. num. 12.

Vſufructuarius nõ impedit proprietarium, nè vendat ſuam proprietatem, diſc. 21. num. 10.

An faciat fructus ſuos cautione non data, diſc. 24. num. 7.

LEGITIMA

Non comprænditur ſub legato generali vſusfructus, diſc. 39. num. 2.

Declara prout num. 6. ibid.

Onus ſuper ea quando admittatur, diſc. 39. num. 6. & 7.

Vid. Legatum Dotis, *Verſ.* Purum cum ſeq.

LEX

Si quis argentum C. de donat. expenditur, diſc. 21. ex num. 2.

LIBERATIO

Debitorum cum expreſſione cauſæ ab iſtas reſtrictionem recipit, diſc. 47. num. 7.

Generalis à redditione rationum, & quacumq; alia actione per vxorem viro legata, an importet liberationem à reſtitutione dotis, diſc. 47. per tot.

Legatum liberationis an cenſeatur ademptum ob illius exactionem, diſc. 54. nu. 14.

LIBRARIÆ

Legatum an comprædendat non ſolùm libros, ſed etiam auiamentum, diſc. 38. nu. 73. remiſſiuè.

LOCA MONTIVM

Fructus eorum quare deficiant, diſ. 14. n. 2.

Habentur pro ſtabilibus, & circumſcribuntur loco, diſc. 4. n. 7.

In genere legata pro conſtructione cappellæ ſeù &c. quis nam debeat eligere hæres, vel legatarius, diſc. 13. per tot. *vid.* Electio.

Legata ſi alienentur, venit pretium in banco per teſtatorem depoſitum, diſc. 48. ſub num. 5.

Quid ſi aliqua res ex eodem pretio acquiratur ex num. 7. ibid.

Vid. Legata quoad Reuocationem. *Verſ.* Alienatio cum ſeq. *vid.* Cenſus.

LVCRVM

Dotis dicitur pars quotitatiua, diſc. 15. n. 7.

Et acquiritur viro ipſo iure in ſingulis rebus dotalibus eo modo, quo legitima. ibid.

An cenſeatur compenſatum cum legato facto per vxorem, diſc. 15. ex num. 2.

Et legatis per eamdem fundis dotalibus, an cenſeatur dempta quota ratione lucri, diſc. 15. ex num. 7.

M

MARITVS

LEgans vxori non cenſetur facere animo compenſandi cum debito dotis, diſc. 40. num. 3.

Vid. Lucrum. *Vid.* Vxor.

Non eſt debitor, neque adminiſtrator dotis conſiſtentis in quantitate, conſtante matrimonio, diſc. 47. num. 6.

Præceptum ipſius vt vxor tractari debeat eodem modo, quo ipſo viuente tractabatur quomodò intelligendum, diſc. 58. nu. 13. & 14. *vid.* Liberatio.

MASCVLINVM

In legatis an concipiat fœmininum, adeo quod legatum factum filijs conueniat filiabus, diſc. 16. num. 3.

MATER

Cui filiorum educatio ſit demandata, conſequi debet alimenta, diſc. 23. num. 14.

MATRIMONIVM

Conditiones reſpicientes eius libertatem an vitient, vel vitientur, diſc. 58. num. 2. & 11. *Vid.* Conditio, & Puella. Nuptiæ.

Si diſſoluatur per mortem viri, an ceſſet legatum iocalium factum per ſocerum nurui, diſc. 46. per tot.

MERCES

An comprædendantur ſub legato mobilium, diſc. 5. num. 4. in fine remiſſiuè. *Vid.* Vniuerſias.

MERITA

Etiam in infantibus verificari poſſunt, diſc. 18. num. 4. *vid.* Donatio.

Legatarij an attendantur ad effectum præſtandæ æſtimationis rei legatæ inutilis, vel alienę, d. 2. ex nu. 10. *vid.* Preſentatio.

MINORES S. FRANCISCI

Sunt incapaces legatorum ad effectum retinendi, secùs ad effectum vendendi, & pretium erogandi in vsus religiosos, discurs. 1. num 3.

Qui vsus enumerantur, num. 3. ibid.

Vide Religiosus.

MISSAE

An clerici sæculares accedere possint ad celebrandum ad Ecclesias Regularium, discurs. 25. ex num. 5.

Et quod Regulares teneantur præstare patientiam, num. 10. ibid.

Sed cum aliqua contributione facienda per sæculares, ibidem.

Et vbi Regulares obstarent, tunc hæres posset in aliam Ecclesiam, onus transferre, num. 11. ibid.

Vid. Legatum ad pias causas, *vers.* Pro celebratione missarum.

Ecclesia an teneatur imputare in falcidiam ea, quæ penès ipsam remanent cum onere celebrationis missarum, disc. 52. num. 18.

MIXTVM

Assumit qualitatem illius simplicis, de quo magis participat, disc. 23. num. 8.

MOBILIA

Vide Legatum Mobilium.

MODVS

Quid differat à conditione, disc. 29. num. 5. 6. & 9. disc. 57. num. 5.

Vide Conditio.

MONASTERII

Erectione demandata per testatorem in domo eius habitationis, an hæc legata censeatur, quatenùs ibi erectio fundari non valeat, disc. 44. ex num. 4.

Hæres dicitur institutus, vbi alio hærede existente, mandatur erigi per testatorem de eius bonis, disc. 44. num. 8.

Declara prout num. 11. ibid.

MONETA

Patriæ testatoris, vel loci conditi testamenti, an sit attendenda, disc. 40. ex numer. 6.

Vide Legatum mobilium, *Vers.* Pecuniam, vbi an sub eo comprehendatur.

MONIALIS

Dos antè susceptum habitum est deponenda apud ædem sacram, vel in ipso Monasterio, disc. 16. sub num. 5.

Vitalitiæ subuentiones reputãtur pars earum dotis, disc. 16. num. 8. disc. 35. numer. 5.

Legatum pro missis in earum Ecclesia, cuinam Ecclesiæ debeantur, si moniales transferantur, disc. 25. num. 4.

Vide Legatum ad pias causas.

MORAE

Purgatio. *Vide* Adimplementum.

MORIBVNDVS

Declaratio per ipsum facta est attendenda, disc. 27. n. 10.

Intellige, vbi illa emanauerit de tempore mortis, secùs si in statu valido, num. 11. ibid.

Non præsumitur immemor salutis æternæ, disc. 27. num. 10.

MORS

Ciuilis quando incurratur ex contrauentione, itaùt fiat locus vocatis absque alia iudicis declaratione, disc. 29. num. 8.

Vide Caducitas.

Mulieris transeuntis ad secunda vota, non est expectanda per substitutum in casu mortis eiusdem, disc. 32. num. 2. disc. 46. num. 5.

Vide Conditio, *vid.* Moribundus.

MVLIER

Legataria sub conditione viduitatis, si contraueniat, an totum perceptum restituat, disc. 39. num. 9.

Vide Cautio.

Quid si nubat antè ætatem à testatore præscriptam. *Vid.* Puella.

Transiens ad secunda vota non amittit legatum, discurs. 24. num. 11. disc. 46. numer. 6.

Declara vt stante conditione viduitatis, habeatur pro mortua, ad effectum vt alteri post eius mortem vocato, aperiatur substitutio, disc. 32. num. 2. disc. 46. num. 5.

Declara vt transitus ad secunda vota junctus cum desertione tutelæ, possit esse causa ademptionis legati, disc. 22. numer. 10.

Vid. Vxor. Vidua. Puella.

MVLTIPLICVM

Fructuum ad legatarij fauorem faciendum, an afficiat bona testatoris, disc. 37. ex numer. 3.

Vid. Hypotheca.

MVTATIO

Hæres qui fuit grauatus, vt faceret celebrare missas in aliqua Ecclesia, quando possit id facere in alia Ecclesia, disc. 25. numer. 11.

Vide Legatum quod Reuocationem.

Voluntatis non præsumitur ex actuum vicinitate, disc. 49. num. 12.

MVTVO

Non conuenit verbum *inuestire*, disc. 4. numer. 8.

N

NEGLIGENTIA

PVellæ in exigendo primas annualitates pro sua dote, eam excludit à fructibus annorum sequentium, disc. 49. num. 8.
Vid. Puella.

NEGOTII

Expeditionum Datariæ quod testator exercebat, facto legato, an factum censeatur cum suis etiam passiuis, disc. 38. per tot.
Et quid de creditis ex causa negotiorum iam expletorum, de quibus intelligatur, num. 4. ibid.
Vid. Vniuersitas.

NOMINA DEBITORVM

Legata, si præuentiuè exigantur, & ex pretio aliquid comparetur, istud legatum censetur, disc. 48. num. 5.
Vid. Legatum quoad Reuocationem. *Vers.* Alienatio cum seq.
Non veniunt appellatione bonorum testatoris, vel depositarij, & ministri, disc. 4. num. 6.
Quæ propriè dicantur, num. 5. ibid.
Vid. Credita.

NOVITIVS

Dicitur persona religiosa, disc. 16. numer. 2.
Declara id procedere ad quosdam tantum effectus fauorabiles, secùs autem ad alios, de quibus num. 4. ibid.
Legatum factum filijs in sæculo existentibus, an illi conueniat, disc. 16. ex num. 4.
Vide Religiosus.

NVPTIÆ

Legatum dotis intelligitur pro primis, non autem pro vlterioribus nuptijs, disc. 60. num. 13.
Declara & limita prout in *verb.* Legatum Dotis. *vers.* Intelligitur cum seq.
Sequutæ antè ætatem à testatore præscriptam, an operetur caducitatem. *vid.* Puella.
Transitus ad secundas nuptias quid operetur. *vid.* Mulier.

O

OBSERVANTIA

ESt optima interpres, eiq; deferendum venit, disc. 18. num. 10. di c. 59. numer. 10.
Legatum an interpretetur, disc. 56. nu. 10. & 11.
Non procedit in casu claro, disc. 59. sub numer. 10.

OFFICIA

An legatarius possit impedire hæredem, nè illa vendat, si eorum fructus sibi fuerint legati, disc. 21. num. 10.
Legata si alienentur, & ex pretio prædium acquiratur, istud legatum censetur, disc. 48. sub num. 5. *Vid.* Legatum quoad Reuocationem. *vers.* Alienatio cum seq.

OFFICIALIS

Consequitur legatum sibi factum ex persona propria, & alterum tanquam officialis, disc. 16. num. 11.

OLEVM

An comprehendatur sub legato mobilium, disc. 11. num. 3. & 4.

ONVS

Affixum rei legatæ, an spectet ad hæredem, vel legatarium, disc. 26 per tot. *vid.* Legatum quoad onera.
Iniunctum vni, non censetur alteri repetitum, disc. 34. num. 10.
Legitimè, an & quando imponi valeat, disc. 39. num. 6. & 7.
Non adimpletum quando inducat caducitatem. *Vide* Caducitas, & *vide* Conditio.
Si cesset, vel adimatur, an legatum quoque amittatur. *Vide* Legatum quoad onera. *Vers.* Onus. *Vid.* Legatum Habitationis.

OPVS

Perfectum si fuerit à testatore in vita, non debetur amplius legatum, disc. 16. num. 6. disc. 60. n. 3.
Sed si minùs expendit, debetur id, quod supereſt, disc. 16. n. 7. disc. 60. n. 5.
Vide Adimplementum.
Si bona pro eo designata deficiant, an & quando intret suppletio. *Vide* Legatum quoad Designationem &c. *Vide* Pecunia.

P

PARTVS

Natus in octauo mense præsumitur vitalis, disc. 40. num. 5. *Vide* Filij.

PATER

Dotare tenetur filiam licèt nuptam, & diuitem, disc. 60. num. 2.

Dotem constituens in vita, censetur fecisse animo compensandi dotem legatam in testamento, disc. 60. num. 3.

Declara vt si dos data in vita, sit minor ea quàm in testamento constituit, filia petit supplementum, disc. 60. num. 5. *Vid.* Adimplementum, & Compensatio.

Quam semel destinauit, vel constituit, an minuere valeat, num. 6. ibid. remiss.

In dubio censetur filiæ indotatæ legatum fecisse pro dote, disc. 60. num. 4.

Vide Legatum Dotis.

Ipsius intuitu censetur factum legatum dotis, disc. 17. num. 5.

Et de ratione, disc. 18. num. 13.

PECVNIA

Destinata per testatorem, ad certos effectus, si de facto minor summa sufficiat, reliquum accrescit hæredi, disc. 50. nu. 7. & seq.

Vbi autem non sufficeret, an & quando intret suppletio. *vid.* Legatum quoad Designationem &c.

Legato mobilium, an comprehendatur. *vid.* Legatum mobilium *vers.* Pecuniam.

Patriæ testatoris, vel potiùs loci conditi testamenti, an sit attendenda, disc. 40. ex num. 6.

Quam testator ex re legata alienata, retraxit, si postea eam subroget in alias res emptas, istæ cadent sub legato, disc. 48. num. 5.

Vid. Legatum quoad Reuocationem *vers.* Alienatio cum seq.

Si duobus, vel pluribus fiat legatum sub vnica summa an intelligatur collectiuè, vel distributiuè, discur. 33. num. 6.

PENA

Caducitatis legati. *vid.* Caducitas.

PENSIONIS

Translatio, vbi non habuit effectum, an debeatur æstimatio ab hæreditate transeuntis, disc. 2. nu. 13.

Vid. Præsentatio.

PERICVLVM

Rei legatæ ad quem spectet, discur. 27. ex num. 7.

PIA CAVSA

Vid. Causa pia.

PRÆCEPTVM

Eligendi iuuenem, qui nubere debeat, dicitur impletum per electionem senis vxorati habentis filios, disc. 50. num. 6.

Vt ex quantitate legata fructus debeantur, vbi sit validum bona testatoris non sunt affecta pro fructibus, discur. 37. sub num. 11.

Vid. Hypotheca.

Vt vxor tractari debeat eo modo quo ipse viro viuente tractabatur, quomodo interpretandum, disc. 58. numer. 13. & 14.

PRÆSENTATIO

Ad aliquod beneficium facta de mandato testatoris, si effectum sortita non fuerit, an debeatur æstimatio legatario, seù præsentando, disc. 2. per tot.

Vid. Translatio.

Et an ad hunc effectum attendatur ratio meritorum, ex num. 10. ibid.

PRAESTATIO

Annua. *vid.* Annua Præstatio.

PRÆSVMPTIO

Acceptationis. *vid.* Acceptatio.

PRETIVM

Arguit quid in contractum deductum fuerit, disc. 7. n. 18.

Feudi, vel emphyteusis non est feudale, vel Emphyteoticum, disc. 1. num. 11. disc. 2. num 9.

Rei legatæ alienatæ, si erogetur in emptionem aliorum bonorum, ista cadunt sub legato disc. 48. num. 5.

Vid. Legatum quoad Reuocationem *vers.* Alienatio cum seq. Loca montiũ, Nomina debitorum, & Officia.

Vid. Pecunia.

PRIVILEGIA

Quando conquassentur inter æque priuilegiatos, discur. 13. numer. 7. discur. 14. num. 8.

PROBATIO

Minus solemnis quando admittatur in legatis, aliisque vltimis voluntatibus, disc. 56. nu. 3. & 8.

Naturalis per duos testes sufficit in dispositione inter liberos, disc. 56. nu. 12.

Reuocationis legatorum resultat etiam ex actu

actu nullo,& minus solemni, discur. 54. sub num.8.

Vid. Legatum quoad Reuocationem.

Voluntatis ambiguæ. *vid.* Voluntas.

PROCVRATOR

Minister, confidentiarius, est quandocumque reuocabilis, disc.43. num.4.

Neque cõtractus expressus aliter obligare potest, ibid.

Si inscio Domino exegerit aliquod creditum, quod idem Dominus alicui legauerat, an hoc legatum reuocatum censeatur, disc.38.n.6.

PROHIBITIO

Detractionis dotium an capiat dotem à testatore debitam, discur. 47. num.3. & 8.

PROPRIETARIVS

Non impeditur ab vsufructuario, si velit vendere bona, quorum ille habeat vsumfructum, disc.21. num.10.

PROPRIETAS

Aliquando legata censetur sub legato vsusfructus, discur.39.num.12.

Quid vbi factum sit legatum bonorum ad vsufructuandum, disc.3.num.15. & 16.

Et quando censeatur in solo vsufructu, non autem in proprietate, num.14. & seq. ibid.

Vid. Legatum Vsusfructus.

PVELLA

Negligens exigere primas annualitates sibi destinatas, excluditur à petitione sequentium, disc.49.num.8.

Si nubat ante ætatem à testatore præfinitam, adhùc legatum consequitur, disc. 58.num.2.

Actio tamen pro legato non est exercibilis contra hæredem nisi post superuentam ætatem, num.3.ibid.

Vid. Scholaris. *vid.* Dos, & Legatum Dotis.

Q

QVINDENNIA

IN enphyteusi quare introducta, disc.1. num.5.

R

RATIO BANCHARIA

Vid. Vniuersitas.

RECTOR

ECclesiæ, in qua celebrare debet, consequitur legatũ celebrationis missarũ, disc.25. num.2.

Intellige vbi onus iniunctum legitur Ecclesiæ, secùs vbi iniunctum esset ipsi hæredi, num. 2. & 3. ibid.

Vid. Missæ.

REDDITIO RATIONVM

Vid. Liberatio.

REGVLARIS

Vid. Missæ.

RELIGIOSVS

Dispositio collata in eius fiduciam, quando non importet piam dispositionem, disc.27. num.14.

Nouitius dicitur, disc.16. num.2.

Declara prout num. 4. ibid.

Legatum factum filijs in sæculo existentibus, an illi conueniat, disc.16. ex num.4.

Vid. Minores S. Francisci, *vid.* Abbas, Monialis, Missæ.

REMISSIO

Cautionis. *vid.* Cautio.

RENVNCIATIO

Non comprehendit prohibita, discur. 58. num. 8.

Vbi facta sit per puellam dotatam dos dicitur constituta ex bonis proprijs, non autem dotantis, discur.51. num.6.

Declara prout num.7.ibid.

RES ALIENA

Legata si fuerit, an & quando debeatur æstimatio, disc.44. num.4. disc.2. num. 2. & 3.

Vid. Legatum quoad Æstimationem &c.

RESTITVTIO IN INTEGRVM.

An detur vxori impugnanti testamentum viri nè cadat à commodo legati, discur. 24.ex num.3.

Puellæ nubenti ante tempus à testatore præscriptum, an competat, discur. 58. num. 10.

Vid. Puella.

RETRACTVS

Seu ius congrui, an intret in conceſſione ſub annuo cenſu, vel præſtatione, diſc. 59.num.12.

REVOCATIO

Legatorum ex quibus inducatur. *vid.* Legatum quoad Reuocationem.

Procuratoris, ſeù miniſtri, & confidentiarij poteſt, quandocumque fieri, diſc.43. num.14.

Neque cõtractus expreſſus aliter obligare poterit, ibid.

Teſtamenti. *vid.* Teſtamentum.

S

SALARIVM. *Vid.* Famulus.

SCHOLARIS

AEtas quomodo in eo ſit regulãda, vbi legatum ei fuerit aliquod ſubſidium diſc.36. ex num. 9.

Si debeat eſſe decem annorum, & ingrediatur in collegium ſeù &c. ante dictum tempus completum, annua ſubuentio, de quo tempore currat, num.9.ibid.

Et quid ſi reperiatur puer, qui etiam dicta ætate non expleta, eſſet habilis, ſub num.10.ibid. *vid.* Puella.

In concurſu plurium ad idem ſubſidiũ, quis ſit præferendus, diſc.36. num.13.

Proximior, vel magis habilis ſuperueniens, non excludit iam admiſſum, num.12.ibid.

Declara niſi adeſſet aliqua fraus, de qua ſub num.12.ibid.

Vid. Studium.

SCIENTIA

Conditionis implendæ requiritur ad incurrendum caducitatem, diſc.29.num.10.

Legati, an inducat illius acceptationem, diſc.28.ex n.3.

Vid. Acceptatio, & Legatum quoad Acceptationem.

SCRIPTOR

Teſtamenti, aut aliàs informatus declarare poteſt dubiam teſtatoris voluntatem, diſc.52. num.17.diſc.56.num.9.

SENEX

Vxoratus habens filios eligi poteſt loco iuuenis, qui deberet nubere, diſcur. 50. num.6.

SENTENTIA

Vel alia iudicis declaratio, an requiratur ad incurrendum caducitatem legati, diſc. 29.num.8.

Vid. Executio.

SEPARATIO

Bonorum ex quibus inducatur. *vid.* Bona.

SOLVTIO

Annui legati fieri debet ex fructibus, diſc. 37. num.5.

Vid. Annua præſtatio.

Probatur per verbum *reſiduum*, diſcur. 7. num.9.

SPECIEI

Legatum ceſſat ea perempta, diſc.11.nu.8.

Illius legatarius præfertur creditoribus, & filijs ſuper legitima, vbi adſint alia bona, diſc.40. num.3.

STABVLVM

An veniat legata domo, diſc.8.ex num.2.

STVDIVM

Legatum ex eius cauſa, dicitur pium, diſc 39.num.6.

Si aliquibus de familia relinquatur aliqua annua præſtatio pro ſtudijs, expiratis primo admiſſis, diſc.36. num.3.

Fallit ex coniecturis de quibus, nu.4 & ſeq. ibid.

Vid. Scholaris.

SVBROGATIO

Pretij rei legatæ alienatæ in alia bona, an operetur, vt iſta cadant ſub legato. *vid.* Legatum quoad Reuocationem. *vers.* Alienatio cum ſeq.

SVBSIDIVM

Quomodo diſtribui debeat, diſc.36.num.7

Vitalitium dari ſolitum Monialibus reputatur pars dotis, diſc.16. num.8. diſc.35 num.5.

Vid. Scholaris Annua Præſtatio.

SVBSTITVTVS

In caſu mortis mulieris, admittitur ſequuto tranſitu ad ſecundas nuptias, diſc.32.nu.2. diſc. 46. num.5.

Vbi non eſt datus, an in caſu contrauentionis intret caducitas, diſc.29.num.4. diſc. 57.num.3.diſc.58.num.5.

Vid. Caducitas.

SVCCESSSIO

In quarta parte bonorum viri defertur vxori pauperi, diſc.10. num.8.

SVCCESSOR

Qui ſit hæres vltimi poſſeſſoris tenetur ad factum auctoris ſaltem in æſtimatione, diſcur.

discur. 1. num. 12.

Vid. Actio.

SVPPLEMENTVM

Dotis in testamento legatæ, an debeatur mulieri, cui testator in vita minorē dotem constituerit, disc. 60. num. 5.

Vid. Adimplementum *verf.* Legati.

Fructuum an, & quando debeatur ab hærede, vbi fuerint diminuti, adeo quod opus designatum perfici non possit. *vid.* Dos quoad Designationem &c. *vid.* Pecunia.

SVPPLETIO

Voluntatis testatoris, quando à iudice, vel à lege fieri valeat, disc. 12. num. 4. disc. 46. num. 8. disc. 49. num. 10.

Vid. Legatum Annuum &c. *verf.* Suppleri.

T

TAXATIVA

Vid. Legatum quoad Designationem &c.

TEMPVS

Mortis legato adiectum, quando illud reddat conditionale, vel potiùs inducat dilationem, discur. 3. ex num. 5. discur. 59. num. 8.

Distingue casus prout, disc. 3. num. 7. & seq.

Prout tempus certæ ætatis quid importare dicatur, disc. 3. sub num. 5. & 9. disc. 58. num. 2. & seq. & num. 9.

Vid. Puella.

Quando dicatur adiectum potiùs substantiæ quàm executioni, discur. 59. num. 8.

TESTAMENTVM

Factum à duobus fratribus, si ab vno ex his reuocetur, pro medietate tantùm reuocatum censetur, disc. 32. num. 4.

Posterius quando reuocasse dicatur legata in primo contenta. *vid.* Legatū quoad Reuocationem.

Reuocatum inseruit pro declaratione, disc. 49. num. 11.

Primum testamentum in partibus non reuocatis, habetur tanquam pars, seù codicillus vltimi testamenti, discur. 54. sub num. 10.

Vri si impugnetur ab vxore, an cadat à commodo legati, vel habeat restitutionem in integrum, discur. 24. ex num. 3.

TESTATOR

Cautionem mutianam, an remittere possit, discur. 39. numer. 10.

Legare an possit rem hæredis, discur. 44. num. 3.

Litteratus, vel illiteratus, an sit plurimum confert, disc. 47. num. 5. disc. 55. num. 11.

Perficiens in vita legatum à se factum in testamento, amplius non debetur, discur. 16. num. 6. disc. 60. num. 3.

Sed si minus expenderit debetur id, quod supereſt, disc. 16. num. 7. discur. 60. num. 5.

Vid. Adimplementum.

Vbi voluit dixit &c. quando procedat, disc. 34. sub num. 4. disc. 45. num. 5.

TESTIS

Mediator, seù deponens de facto proprio est attendendus, disc. 56. num. 13.

Singularis aut non solemnis probatio, quãdo admittatur in legatis, alijsque vltimis voluntatibus, disc. 56. num. 3. & 8.

Vid. Voluntas, Probatio.

TRANSITVS

Ad secunda vota an importet mortem ciuilem in muliere, vt vocatus post eius mortem, in hoc etiam casu admittatur *Vid.* Substitutus, & *Vid.* Mulier.

TRANSLATIO

Pensionis ad fauorem alicuius facta per testatorem, si effectum sortita non fuerit, an debeatur æstimatio, disc. 2. num. 13.

TRANSMISSIO

Annuæ, vel menstruæ præstationis ad fauorem alicuius non fit ad hæredes, disc. 33. ex nu. 2.

Etiam quod dictū fuerit *in perpetuum* num. 5. ibid.

Fructuum legatorum, an detur discur. 45. per tot.

Quando detur *in legatis*, disc. 30. num. 7.

Vid. Legatum dotis, & Legatum Annuum.

TVTELA

Cessata, vel recusata, an cesset, & expiret legatum eidem tutori factum, discur. 22. per tot. disc. 46. num. 2.

Vid. Legatū quoad Onera *verf.* Onus cum seqq.

Transitus ad secunda vota non est causa ademptionis legati, sed benè iunctus cum desertione tutelæ, disc. 22. num. 10.

Vid. Mulier.

V

VALOR

Minuitur à *vinculo*, discur. 12. numer. 17.

VENDITIO

Domus in qua legata est habitatio, an fieri possit, disc. 21. sub n. 10. remiss.

Officiorum vacabilium, an impediri possit à legatario fructuum ipsorum officiorũ, disc. 21. nu. 10.

Proprietatis nõ impeditur per vsufructuarium, ibid.

VERBA

Enunciatiuè per testatorem prolata, quando attendantur, disc. 54. num. 17.

Præsuppositiua non disponunt, discur. 46. num. 9. & 10.

VERBVM

Infrascritti est personale, discur. 42. numer. 3.

In perpetuum est etiam adaptabile vitæ hominis, disc. 33. num. 5.

Investire quid significet, discur. 4. numer. 8.

Non conuenit mutuo, ibid.

Perpetuo in definitione iustitiæ quid operetur, disc. 33. sub num. 5.

Residuum denotat solutionem, discur. 27. num. 9.

Suo denotat personalitatem, discur. 45. num. 7.

Videbitur denotat arbitrium, discur. 50. num. 11.

Viuendo an importet conditionem, & quid operetur, disc. 41. num. 5. & 6.

VIA EXECVTIVA

An competat pro legatis. *Vid.* Actio *vers.* Executiua.

VIDVA

Cautionem mutianam, quando debeat præstare, disc. 39. num. 9.

Et an illa remitti possit per testatorẽ, disc. 10. ibid.

Iocalium vsus, an illi congruat, discur. 46. num. 7.

Iuuenis, & formosa consequitur denuò legatum dotis, etiã postquam illud semel habuerit, disc. 60. sub num. 14.

Vid. Mulier, Vxor.

VIDVITATIS

Conditio quid operetur *Vid.* Conditio *vers.* Viduitatis.

VINCVLVM

Minuit de valore, disc. 12. num. 17.

VINEA

Assignari potest legatario certæ quantitatis vini, disc. 21. num. 4.

Declara prout num. 5. & seq. ibid.

Vid. Annua Præstatio *vers.* Supplen.

VINVM

An comprehendatur sub legato mobilium, disc. 11. num. 3. & 4.

VNIVERSITAS

Bonorum allodialium, quando habeatur tanquam res particularis, discur. 52. num. 10.

Dicitur feudum, sed an iuris tantùm, vel facti, aut vtriusque, disc. 52. num. 9.

Legata, comprehendit debita, & iura actiuè, & passiuè, disc. 38. num. 7.

Vt de hæreditate, ibid.

De Grege, vel Ratione bancaria, disc. 38. num. 8. disc. 52. num. 10.

In specie negotiorum Datariæ, disc. 38. num. 9.

VOLVNTAS

Ambigua probatur duobus testibus, secus vbi sit clara, cum tunc requiratur idem numerus testium, qui in testamento, disc. 33. num. 3. disc. 56. num. 3. & 8.

Defectum ipsius non supplet causa pia, discur. 42. num. 5.

Declara prout num. 9. ibid.

Legatum quando dicatur collatum in voluntate hæredis, disc. 50. num. 11.

Mutata non præsumitur ex actuum vicissitate, disc. 49. nu. 12.

Vid. Ademptio.

Non potest pro parte acceptari, & pro parte non, disc. 43. num. 2 disc. 28. num. 7.

Non trahitur ad ignorata, disc. 35. num. 2.

Neque ad ea quæ per legem reprobata sunt, disc. 58. n. 7.

Testatoris quando à Iudice, vel à lege supleri debeat, disc. 12. num. 4. disc. 46. n. 8. disc. 49. num. 10.

VSVFRVCTVARIVS

Ante præstitam cautionem, an faciat fructus suos, disc. 24. nu. 7.

Et an illi huiusmodi cautio remitti valeat, disc. 39. num. 11.

Non impedit proprietarium ne proprietatem vendat, disc. 21. num. 10.

VSVS FRVCTVS

Legatum. *Vid.* Legatum Vſusfructus.

VXOR

Habens electionem mobilium quomodo ſe gerere debeat, diſc. 10. ex num. 3.

Impugnans teſtamentum viri, an cadat à commodo legati, vel habeat reſtitutionē in integrum, diſc. 24. ex nu. 3.

Legatum faciens viro, an cenſeatur animo compenſandi cum lucro dotis, diſc. 15. ex num. 2. diſc. 40. num. 3.

Et ſi ei legauerit fundos dotales, an cenſeatur dempta quota ad virum ſpectans ratione dicti lucri, diſc. 15. ex n. 7.

Vid. Compenſatio.

Legatum vſusfructus factum illi vna cum filio, eſt huic commune, diſc. 39. num. 3.

Liberationem à redditione rationū, & quacumque alia actione viro legans, an importet liberationem à reſtitutione dotis, diſcur. 47. per tot.

Pauper obtinet ſucceſſionem in quarta parte bonorum viri, diſcur. 10. num. 8.

Plebea copulata viro nobili efficitur nobilis, & quid è contra, diſc. 10. num. 7.

Quomodo interpretetur diſpoſitio ad eius fauorem facta, vt tractari debeat eo modo, quo teſtatore viuente tractabatur, diſc. 58. num. 13.

Et an iſto caſu intret conſuetudo *Bulgari*, vel potiùs obtineat integrū vſumfructum, num. 14. ibid.

Si ei fiat legatum cum onere habitandi cū filijs, an per iſtorum mortem, vel abſentiam ceſſet, diſc. 23. per tot.

Vid. Legatum Habitationis. *verſ.* Vna cum filijs &c.

Vid. Mulier Vidua.

FINIS.

PARS II.
HVIVS
VNDECIMI LIBRI
DE
SVCCESSIONIBVS
AB INTESTATO
ET
DE STATVTIS.

INDEX ARGVMENTORVM IN DISCVRSIBVS

Qui habentur in hoc Libro XI. Par. II. de Succeſſionibus ab inteſtato, & de Statutis.

Diſc. I.

Peruſina ſucceſſionis.

Statuto Perusino ſuper ſucceſſionibus ab inteſtato, decernente ſucceſſionem patruis, eorumque deſcendentibus, vna cum ſorore, & matre; An locum habeat, quando nullis patruis exiſtentibus, adſint ſolùm patrueles; Et àn huiuſmodi Statuta excludentia fœminas, & cognatos propter maſculos, & agnatos reſpectiuè, cenſenda ſint odioſa, & exorbitantia, vel potiùs fauorabilia, adeòut benignè interprætanda ſint.

Diſc. II.

Peruſina ſucceſſionis.

De Statuto Perusino excludente fœminas propter maſculos, dummodò eas dotent, in caſu negligentiæ eas ad ſucceſſionem vocante, ſeù reintegrante; Quomodo intelligatur; Et quæ mora in maſculo ad hunc effectum requiratur.

Diſc. III.

Nepeſina, vel Sutrina ſucceſſionis.

De Statuto Scrophani excludente fœminas propter maſculos, an intelligendum veniat data gradus æqualitate, vel potiùs maſculi remotiores ſuccedant; Et demãdata excluſione propter dotem, an vnica ſufficiat pro omnibus caſibus, vel diſcretiuè requiratur dotatio ex qualibet ſucceſſione.

Et de huiuſmodi Statutorum ceſſatione, ob exiſtentiam matris in medio, tanquam in caſu mixto; Et quid vbi mater non ſuccedat; Vel ea ſuccedente in ſua portione; Quid inter fratres, & ſorores; Et àn ſorores vterinæ concurrant cũ matre.

Diſc. IV.

Ianuen. ſucceſſionis.

De famigerata quæſtione, occaſione Statuti Vrbis in ſucceſſione exteri in ea morientis; An Statuta capiant bona extrà territorium; Siuè an in bonis in territorio exiſtentibus ſuffragentur maſculo forenſi, in cuius patria idem vigeat Statutum; Et an intret, necnè combinatio vtriuſque Statuti, perſonarum, & bonorum.

Diſc. V.

Bononien. ſucceſſionis de Zanis.

De Statuto Bononiæ excluſiuo fœminarum propter maſculos, an afficiat moniales tanquam perſonas eccleſiaſticas, & Statuto non ſubiectas; Et generaliter de omni alio ſimili Statuto.

Diſc. VI.

Tudertina ſucceſſionis.

De Statuto Tudertino excludente fœminas propter maſculos, an procedat in ſucceſſione clerici, quamuis contentio ſit inter ſolos laicos; Et de bonis extrà territorium, àn & quando veniant ſub Statuto, vbi præſertim accedat morientis voluntas.

Diſc. VII.

Tudertina ſucceſſionis.

De eodem Statuto Tudertino, excludente matrem, ab inteſtata ſucceſſione filij, ob remotiores agnatos, an valeat; Et àn ſtatuta diſponentia de ſucceſſione ab inteſtabilis; Et quid in hoc operetur voluntas patris pupilli, de cuius ſucceſſione agitur.

Disc. VIII.

Florentina successionis.

De Statuto Florentino excludente sorores, vel alias fœminas proximiores propter agnatos remotiores, etiam vsque ad sextum, vel respectiuè octauum gradum; An intelligendum veniat de agnatis lineæ inferioris, vel etiam de illis lineæ superioris; Et de alijs ad eiusdem Statuti materiam; Et præsertim an sit fauorabile, vel odiosum.

Et de aliquibus differentijs inter collaterales lineæ superioris, & illos lineæ inferioris, siuè inter patruum, & nepotem ex fratre.

Disc. IX.

Florentina successionis de Franceschis.

De Statuto Florentino exclusiuo fœminarũ propter masculos, an contentetur sola subiectione personarum, non curata illa bonorum, siuè àn vtriusque Statuti combinationem admittat.

Et vbi successio complectatur bona in diuersis Principatibus existentia, qualis dicatur huiusmodi successionis forus cõpetens, etiam respectu bonorum alibi existentium; Et incidenter de legibus, scriptis, vel non scriptis, quæ in Ciuitate, ac Regno Neapolitano habeantur super fœminarum exclusione, ab inteta successione.

Disc. X.

Anconitana successionis.

De Statuto Anconitano excludente cognatos propter agnatos intrà quartum gradum, an suff. agetur fœminis agnatis.

Et de actiua, & passiua successione naturalium tantùm, seù eorumdem legitimatorum per rescriptum, àn in istis intrent iura agnationis actiuè, & passiuè.

Disc. XI.

Massanen. successionis.

De Statuto Plumbini excludente fœminas propter masculos, an procedat in bonis in defunctum obuentis à matre, in exclusionem sororis vtrinque coniunctæ, si masculus sit consanguineus tantùm.

Et de successione morientis in captiuitate, àn in ea attendi debeat tempus mortis naturalis, vel potiùs illud captiuitatis, iuxtà fictionem *l. Corneliæ*.

Disc. XII.

Reatina successionis.

De Statuto Reatino vocante proximiores consanguineos, an intelligendum sit solùm de agnatis, qui sub hoc vocabulo veniant; Et quatenùs sic, quid de bonis obuenientibus à matre, vel à latere materno.

Disc. XIII.

Bononien. successionis de Mazzochinis.

De Statuto Bononiæ præferente agnatos cognatis, an intelligatur indefinitè de omnibus agnatis, vel potiùs de solis existentibus intra quartum gradũ, ad quos in præcedẽti capitulo restricta est exclusio fœminarum.

Disc. XIV.

Interamnen. successionis.

De Statuto Interamnen. excludente fœminas propter masculos ex fœmina prædefuncta; Et de differentia inter exclusionem resultantem à renunciatione, et illã resultantem à Statuto; Et àn attento illo Statuto, vnica dotatio sufficiat pro omnimoda exclusione ab omnibus successionibus.

Disc. XV.

Fanen. successionis.

De Statuto Fani excludente matrem ob agnatos transuersales, an procedat fauore patris, vel aui paterni.

De materia text. *in l. si infanti Cod. de iure deliber.* fauore patris, vt bona filij occupet iure peculij, an hodiè locum habeat.

Et de materia transmissionis successionis nõ agnitæ, delatæ ex iure communi, vel statutario.

Disc. XVI.

Viterbien. hæreditatis.

De Statuto Viterbij excludente fœminas propter masculos, & cognatos propter agnatos, an procedat solùm data gradus æqualitate, et an ista admittatur fictè ratione repræsentationis, vel subingressionis; Et de casu mixto faciente cessare Statutum, ob existentiam personæ non exclusæ.

Et incidenter de alio Statuto Viterbiensi prohibẽte mulieri disponere extrà filios.

Disc. XVII.

Firmana successionis.

De Statuto Amanduliæ excludente cognatos propter agnatos vsque ad secundum gradum, an requirat, vt cognatorum mater sit dotata per eum, de cuius successione agitur; Et de graduum computatione, an facienda sit de iure ciuili, vel canonico.

Disc. XVIII.

Nucerina successionis.

De Statuto Gualdi vocante fratres, & fratrum filios ad successionem fratris, exclusis fœminis; An attendenda veniat inter ipsos fratres distinctio vnitatis, vel duplicitatis vinculi; Et an sub generica exclusione fœminarum, veniat etiam mater.

Disc. XIX.

Anconitana, seu Bergomen. successionis.

De Statuto Bergomi excludente sorores ob agnatos; Et an ciuilitas, vel subiectio Statuti retineatur per eos, qui decedunt extrà patriam, seu territorium, à quadiu absentes fuerunt; Et an mobilia, & nomina debitorum existentia extrà territorium, sequantur personam defuncti, necne ad hunc effectum comprehensionis sub Statuto.

Disc. XX.

Romana, seu Spoletana successionis.

De ciuilitate, quæ requiritur in persona excludente, ad effectum vt Statutum exclusiuum ei suffragari valeat, quando adesse dicatur, necne; Et in specie Statuti Vrbis excludentis matrem, & sororem propter fratres.

Disc. XXI.

Parmen. hæreditatis.

De Statuto Parmensi excludente fœminas propter masculos, sub conditione dotis, qua non data, vel non oblata, fœminæ ad successionem reintegrentur; An dotatio, seu oblatio fieri possit per masculorum creditores, vel hæredes extraneos.

Disc. XXII.

Bononien. successionis de Marescottis.

De Statuto Bononiæ excludente matrem etiam à legitima propter fratres, an locum habeat vbi defunctus, condito testamento, instituat fratrem, cui substituat extraneum, qui succedat adhuc viua matre.

Disc. XXIII.

Senogallien. successionis.

De Statuto Oppidi Corinaldi excludente fœminas, & coniunctos per eas, propter masculos, quomodo intelligatur, & quos casus comprehendat; Et an sufficiat subiectio personæ excludentis, quamuis non adsit subiectio personæ excludendæ.

Disc. XXIV.

Foroliuien. successionis.

De Statuto Foroliuien. deferente successionem filiorum patri in exclusionem sororum, an suffragetur patri binubo; Vel potiùs intelligi debeat iuxtà dispositionem iuris, vt moriens, proprietatem filijs primi matrimonij, quamuis fœminis, reseruare teneatur; Et incidenter de altero Statuto continuatiuo possessionis in hæredem.

Et an filij censeantur veri proprietarij ab initio.

Disc. XXV.

Firmana successionis.

De Statuto Firmano prohibente matrimonia cum forensibus, an attendendum sit in successione matris binubæ, quæ vnum virum habuit ciuem, & alterum forensem; Et an filij ex viro forensi procreati, ei succedant in bonis existentibus in territorio.

Disc. XXVI.

Beneuentana reintegrationis.

De Consuetudine Neapolitana, *Capuanæ, & Nidi*, seu amore nobilium, super successione in dote mulieris; Et de alijs Cõsuetudinibus, vel Statutis in eadem successione dotis remissiuè, præsertim de Barensi, Vrbeuetano, & Bononiensi.

Disc. XXVII.

Romana, vel Senen. successionis.

An morientis ab intestato auersio ex iusta causa, & tali, quæ ad exhæredationem sufficeret, apta sit excludere ab intestata successione personam aliàs ad eam vocatam, vt locus aperiatur remotiori, vel æquali; Et an voluntas eiusdem morientis desumpta ex eius testamento, quod ca-

caducatum sit, vel aliàs inutile remaneat, pro eadem exclusione sufficiat.

Disc. XXVIII.
Notarien. successionis.
An legitimati per rescriptum ad instantiã, vel de consensu patris, cum clausula, *sine præiudicio venientium ab intestato*, habeant primam causam intestatæ successionis, in exclusionem fratrum, & aliorum.

Disc. XXIX.
Romana hæreditatis de Armannis.
De exclusione matris à successione filij pupilli, eo quia non curauit infrà annum illi prouideri de tutore; Et àn detur in hac materia purgatio moræ; Et de eiusdem matris exclusione ob transitum ad secunda vota, non redditis prius rationibus tutelæ per eam administratæ, quando, & quomodo id procedat.

Disc. XXX.
Romana successionis de Comitibus.
An dispositio textus *l. fœminæ Cod. de secundis nuptijs* super necessaria successione reseruanda per matrem binubam filij defuncti, locum habeat solum in successione immediata, vel etiam in mediata.
Et an dicta necessaria successio procedat fauore illorum filiorum, qui sint Religiosi professi.

Disc. XXXI.
Anconitana dotis.
An bona primi coniugis obuenta in alterũ binubum, non ex successione, sed ex renunciatione filiorum primi matrimonij, subiaceant necessariæ successioni resultanti ex dispositione textus *in l. fœminæ.*

Disc. XXXII.
Romana hæreditatis.
Ad materiam textus *in l. hac edictali Cod. de secund. nupt.*; An scilicèt secundus vir obtinere possit plus, quàm quilibet ex filijs primi matrimonij; Et an in huiusmodi æquali successione regulanda, detrahi prius debeat tanquam præcipua legitima filiorum.
Et àn in amasio, seù concubino procedat idem, quod in secundo viro.

Disc. XXXIII.
Romana successionis de Pelegris.
An dispositio textus *in l. fœminæ* procedat etiam contrà virum contrahentem secundas nuptias; Et an excuset consensus filiorum, seù alia iusta causa; Et incidenter; An renũciatio capiat hanc successionem necessariam debitam ex dicto textu *in l. fœmina.*

Disc. XXXIV.
Romana successionis de Ambrosijs.
An illa proprietas, quæ per parentem binubum reseruanda est filijs primi matrimonij, transmittatur per dictos filios, qui parenti binubo prædecedant in eos, quorum fauore per testamentum, seù aliàs dispositum sit; Et de cessatione dispositionis textus *in l. fœminæ* in ijs, quæ parens binubus, non ex intestata successione, sed ex voluntate filij morientis obtinet.

Disc. XXXV.
Volaterana successionis.
An parens binubus possit in bonis, quæ filijs à Statuto reseruantur, grauamina apponere, & quæ; Et an possit nolle acquirere, vt ità faceret deteriorem conditionem filiorum primi matrimonij, ac meliorem illam secundi viri, seù filiorum secundi matrimonij; Et incidenter de vxore relicta per virum vsufructuaria.

Disc. XXXVI.
Auximana successionis.
An in augmento dotis facto pro secundo matrimonio, cum pacto, vt filij primi in eo nil prætendere possent, præcipua sit successio filiorum secundi matrimonij; Vel potiùs etiam alij ex primo succedere debeant.

Disc. XXXVII.
Romana administrationis.
De bonorum possessione concedenda proximiori in gradu eius, cuius incerta sit vita, vel mors, quia nempè absentis, ac peregrinantis nullus habeatur certus nuncius; Et quatenùs ista decernatur matri, an huic in aliquo obstet transitus ad secunda vota.

Disc.

Disc. XXXVIII.

Melcuitana successionis, seu communionis.

De consuetudine Insulæ Melcuitanæ super necessaria successione filiorum in quota bonorum per vtrumque parentem, constante matrimonio quæsitorum; Et de alia consuetudine adijciendi in pactis dotalibus pactum communionis inter coniuges bonorum constante matrimonio quærendorum, seù reciprocæ successionis in eis; Et si de dicto pacto expressa mentio non fiat, an adhuc, stante consuetudine, subintelligatur.

Disc. XXXIX.

Discursus relatiuus, siuè instructiuus super extraordinarijs successionibus debitis, aliàs quàm ratione sanguinis; Et præsertim de successione vxoris pauperis ad materiam *Auth. præterea Cod. vnde vir. & vxor.*

Disc. XL.

Discursus generalis super puncto; An Statuta exclusiua fœminarum à successionibus propter dotem, impleri dicantur, atque locum habeant, ob dotem destinatam, vel potiùs effectiua traditio requiratur.

Disc. XLI.

Discursus generalis remissiuus.

In materia Statutorum, & Consuetudinũ, circa successionem ab intestato; Et istius occasione de alijs Statutis, quæ habentur in alijs materijs, cum distinctione inter Statuta particularia certorum locorum, cum alphabetico ordine locorum, vel Diœcesum; Ac etiam de Statutis generalibus, seù de ijs, quæ generaliter in materia Statutorum habentur.

SVMMA
SIVE COMPENDIVM

Eorum, quæ in Foro magis practicabilia, continentur in hoc Libro XI. Par. II. de Successionibus ab intestato.

INDEX CAVSARVM

Hoc titulo de Succeſſionibus ab inteſtato ordine alphabetico per Diœceſes diſpoſitus.

A

ANconitana dotis, diſc. 31. fol. 132.
Eadem, ſeù Bergomen. ſucceſſionis, diſc. 19. fol. 98.
Eadem ſucceſſionis, diſc. 10. fol. 67.
Auximana ſucceſſionis, diſc. 36. fol. 146.

B

BEneuentana reintegrationis, diſc. 26. fol. 116.
Bononien. ſucceſſionis de Mareſcottis, diſc. 22. fol. 106.
Eadem ſucceſſionis de Mazzochinis, diſc. 13. fol. 76.
Eadem ſucceſſionis de Zanis, diſc. 5. fol. 17.

F

FAnen. ſucceſſionis, diſc. 15. fol. 81.
Firmana ſucceſſionis, diſc. 17. fol. 92.
Eadem ſucceſſionis, diſc. 25. fol. 113.
Florentina ſucceſſionis, diſc. 8. fol. 57.
Eadem ſucceſſionis de Franceſchis, diſc. 9. fol. 62.
Foroliuien. bonorum, diſc. 24. fol. 110.

I

IAnuen. ſucceſſionis, diſc. 4. fol. 14.
Interamnen. ſucceſſionis, diſc. 14. fol. 79.

M

MAſſanen. ſucceſſionis, diſc. 11. fol. 71.
Meleuitana ſucceſſionis, ſeù communionis, diſc. 38. fol. 150.

N

NEpeſina, vel Sutrina ſucceſſionis, diſc. 3. fol. 9.
Nouarien. ſucceſſionis, diſc. 28. fol. 121.
Nucerina ſucceſſionis, diſc. 18. fol. 95.

P

PArmen. hæreditatis, diſc. 21. fol. 103.
Peruſina ſucceſſionis, diſc. 1. fol. 1.
Eadem ſucceſſionis, diſc. 2. fol. 6.

R

REatina ſucceſſionis, diſc. 12. fol. 73.
Romana adminiſtrationis, diſc. 37. fol. 149.
Eadem hæreditatis, diſc. 32. fol. 134.
Eadem hæreditatis de Armanna, diſc. 29. fol. 124.
Eadem ſucceſſionis de Ambroſijs, diſc. 34. fol. 140.
Eadem ſucceſſionis de Comitibus, diſc. 30. fol. 127.
Eadem, ſeù Senen. ſucceſſionis, diſc. 27. fol. 119.
Eadem, ſeù Spoletana ſucceſſionis, diſc. 20. fol. 101.
Eadem ſucceſſionis de Pellegris, diſc. 33. fol. 136.

S

SEnogallien. ſucceſſionis, diſcurſ. 23. fol. 108.
Sutrina, *Vide* Nepeſina.

T

TVdertina ſucceſſionis, diſc. 6. fol. 49.
Eadem ſucceſſionis, diſc. 7. fol. 54.

V

VIterbien. hæreditatis, diſc. 16. fol. 86.
Volaterana ſucceſſionis, diſcurſ. 35. fol. 144.

DE SVCCESSIONIBVS AB INTESTATO

DISCVRSVS PRIMVS.

PERVSINA SVCCESSIONIS

PRO

IACOBO, ET PETRO PAVLO DE MVSCOLIS

CVM

LEOPARDA, ET HORTENSIA.

Responsum pro veritate.

Statuto Perusino super successionibus ab intestato, decernente successionem patruis, eorumque descendentibus, vna cum sorore, & matre; An locum habeat, quando nullis patruis existentibus, adsint solùm patrueles; Et àn huiusmodi Statuta excludentia fœminas, & cognatos propter masculos, & agnatos respectiuè, censenda sint odiosa, & exorbitantia, vel potiùs fauorabilia, adeòut benignè interpretanda sint.

SVMMARIVM.

Quales sint quæstiones cadentes in successionibus ab intestato.
Refertur Statuti dispositio.
Facti series, seù casus controuersiæ.
Quod punctus esset nimium ambiguus.
Quomodo in ambiguis quæstionibus de iure debeat responderi.
Qualis videatur sensus, vel intellectus magis probabilis Statuti.
De differentia àn sit vnica successio, vel considerentur duæ diuersæ.
Statuta in materia successionis continent testamentum legis.
Vbi vocantur plures lineæ, vel plura genera, quomodo attendatur proximitas gradus.
Non vocatus à Statuto, censetur exhæredatus,
Quando aliqui stent demonstratiuè potiùs, quàm taxatiuè.
Statuta exclusiua fœminarum, vel cognatorum non sunt odiosa, sed potiùs fauorabilia.
De ratione dictæ conclusionis, & de historia legali super antiquo more succedendi.
De differentia inter non vsum initiatiuũ, & præscriptiuum legis.
Ex vsu fideicommissorum edocemur de moribus regionis.
Declaratio non importat nouam dispositionem.
Quod in dubio sit capienda interpretatio fauorabilis masculis, vel agnatis.

DISC. I.

Vllæ, vel nimium raræ sunt in foro quæstiones, super successionibus ab intestato, in solis terminis iuris communis, quoniam, si quæ antiquitus inter Scribentes aderant; Attamen ex eo quod per Tribunalia, vna opinio vsu magis recepta sit pro regula; Altera verò opinio recepta est pro limitatione, hinc proindè videntur hodiè remanere scholarum, & academiarum pabulum; Vt potissimũ videmus in ea antiquiorũ adeò celebri, & agitata quæstione inter *Accursium*, & *Azzonem*, an plurium prædefunctorum fratrum nepotes, cessante concursu patrui, succedant in stirpes, vel in capita, dum hodiè receptum est, vt cessante necessitate repræsentationis, successio sit in capita; Ac etiam in altera ad materiam text. *in l. quod scitis Cod. de bonis quæ lib.*, vel ad materiam text. *in l. si infanti Cod. de iur. deliber.*, cum similibus.

Frequentes autem fori hodiernæ controuersiæ sunt, super intestatis successionibus ratione iuris statutarij, vel consuetudinarij in casibus, qui non benè ab eo fuerint explicati.

Cum autem Statutum Perusinum *Rubr. 45. lib. 2.*, inter alia disponat vt aliquo
2 sine filijs, vel fratribus moriente, superstitibus sororibus vtrinque coniunctis, & patruo, seù patruis, eorumque descendentibus, isti vna cum sororibus ad successionem admitti debeant; In altera verò parte disponat, vt moriente pariter aliquo sine filijs, vel fratribus, superstite matre, seù ascendentibus per lineã maternam, & patruis, vno, vel pluribus, ac præmortui patrui filijs, vel descendentibus, in medietate bonorum morientis succedat mater, vel auia paterna, vel ascendentes per lineam maternam iuris ordine seruato, & in alia medietate, patrui, vnus, vel plures, ac præmortuorum filij, & descendentes in stirpes, exclusis fratribus, & sororibus vterinis, nec non auunculis, materteris, & amitis, expresse declarando casum, in quo adesset mater, ac soror vtrinque coniuncta, & patrui, vt omnes æqualiter succedant-

Casus autẽ dederit mortem Sebastiani de Muscolis, superstitibus Leopardæ matre, Hortensia sorore vtrinque con-
3 iuncta, & Iacobo, ac Petro Paulo Vincentij patrui prædefuncti filijs; Hinc orta est quæstio, an isti, ob nullius patrui existentiam, admittendi essent ad æqualem successionem, vna cum matre, & sorore; Atq; desuper pro veritate consultum.

Respondi, quod adeò dubius reputatus fuerit iste articulus plenè tractatus
4 per DD. Perusinos nempè *Eugen. cons. 37. lib. 2.* subsistentem iura patruelium, *& Honded cons. 1. & 2. lib. 1.* subsistentem eorumdem exclusionem ad fauorem matris, & sororis, vt introducta in Rota eadem quęstione per dictos Consultantes disputata, causaque pluries proposita, capi non potuerit resolutio, vnde propterea controuersiæ finem dedit concordia, ab eodem Tribunali insinuata, vel demandata, vt in nimium ambiguis quæstionibus, stylus commendabilis est Tribunalis faciendi.

Hinc proindè dixi, temerarium videri, determinatum iudicium pro veritate desuper tradere, cum solum in huiusmodi casibus, Consulentis partes
5 videantur, respondendi de proprio iudicio, & quomodo ipse, si Iudicis partes gereret, decerneret; Et iuxtà quem respondendi modum, frequens est mos, consuetudo, potissimè verò in materia coniecturalibus, in quibus coniecturæ pondus, vel efficacia, certam, determinatamque regulam non recipit, sed magis *sub tit. de fideicommissis*, ac alibi habetur, id pendet à singulorum casuum indiuiduis circumstantijs, pensandis et prudenti Iudicis arbitrio, quod etiam ijs, qui solam iustitiam, ac veritatem præ oculis habeant, pro ingeniorum varietate, frequenter varium esse solet.

Probabilior autem mihi videtur opinio *Eugenij* pro patruelibus, tam ex rationibus, ac fundamentis per eum doctè deductis, quæ rectè intuenti, solida
6 & stringentia, ac adæquata videntur, potiùs quàm alia deducta *per Hondedeicto cons. 1. & 2.*, apud quos, absq; superflua repetitione videri possunt; Quàm etiam, ac principaliter, quia Statutum non constituit in vnica successione, sed patrimonio huiusmodi personarum consortium, sed diuidendo in duas partes hæ-

ditatem, distinguere voluit vtramq; lineam, agnationis scilicet, & cognationis, atq; constituere duas successionum cautas omninò diuersas, vt in vna medietate succedat, vel mater, vel auia, vel ascendentes per lineam maternam, non data distinctione numeri personarum; Et in alia medietate succedant patrui, vnus, vel plures, seù prædefunctorum filij, & descendentes in stirpes, paritèr absque differentia numeri, quoniam comparatiuè ad aliud genus maternum, id nihil refert, dum tantùm capiunt decem, vel viginti, quantum caperet vnus, seruando solum ordinem successionis inter seipsos in quolibet genere; Eo modo quo, vocatis æqualiter ab initio duabus lineis, vel personarum generibus, tantùm obtinet vna linea, in qua adsit vnus, vel duo, quantū alia, in qua adsint centum, vt infrà, atque aduertitur pluries *sub tit. de iurepatr.*, ac etiam aliquandò *sub tit. de fideicommiss.*

His autem sic stantibus, nullatenùs intrare videntur propositiones, ac regulæ generales deductæ *per Honded.* in materia Statutorum excludentium masculos propter fœminas in gradus æqualitate, quoniam illæ procedunt in concursu personarum insimul ad eamdem hæreditatem, vel successionem venientium, quorum vna, alteram ratione proximitatis excludere prætendat; Secùs autem vbi fingantur duæ successiones pro diuersis personarum generibus, iuxtà ea, quæ in proximis terminis consimilis distinctionis habentur deducta locis citatis, ac etiam *hoc eodem tit. in Reatina disc.* 112. quoniam non curatur numerus, vel qualitas personarum omnium per vnicum simultaneum concursum, vtriusq; lineæ, seù generis, sed solùm ille consideratur inter personas cuiuslibet lineæ discretiuè.

Huiusmodi etenim statutariæ dispositiones dicuntur continere testamentū legis *Bald. cons.* 205. *num.* 1. *lib.* 4. & cæteri *per Rot. apud Cels. decis.* 248. *num.* 11.
8 *edita in dicta Reatina, disc.* 12.; Vndè propterea, si testator ab initio per nomen collectiuum duas diuersas lineas constituat, seù duo distincta personarum genera vocet, cum distinctione portionum, quia nempè ad vnam medietatem vocet vnum genus, & ad alteram medie-
9 tatem alterum, cum successiuo fideicommisso, tunc eueniente casu, iuxta magis cōmunem, & probabilē opinionē, nō curatur proximitas omnium vtriusq; generis, sed attenditur solum illa generis proprij, in qua sufficit esse proximior in sua linea, seù genere, quamuis comparatiuè ad personas alterius generis, esset remotior, quoniā per subingressionem in gradum corruptum sui ascendentis, ità fit proximior, atq; sufficit esse talis in sua linea ab initio, per testatorem constituta, & distincta, vt cæteris relatis, *Odd. cons.* 39. *num.* 58. *cum seqq. Menoch. cons.* 124. *num.* 78. *Giouagn. cons.* 26. *num.* 6. *lib.* 1. *Rot. dec.* 96. *post Merlin. de legitimæ* aliàs *dec.* 198. *par.* 4. *rec. tom.* 2. & habetur *sub tit. de fideic. disc.* 17. & 18. & in alijs.

Et licet retento eodem axiomate, vt ordo successionis ab intestato, continere dicatur testamentum legis, communis, vel municipalis, intret obiectum, quod qui non reperitur in huiusmodi
10 testamento vocatus, præteritus, seù exhæredatus censeatur, vt ex *Bald. dicto cons.* 205. *lib.* 4. & 473. *lib.* 5 habetur in superiùs allegata *dec.* 248. *Cels.*

Ponderabam tamen, quod hoc obiectum in proposito non intraret, cum Statutum non præterierit, sed expressè vocauerit patruorum prædefunctorum filios, ac descendentes, ideoque iste per-
11 sonarum ordo dici non potest neglectus, vel omissus, sed potius expressus; Nil obstante quod in eius vocatione supponatur existentia patrui, quoniam illa non enunciatur taxatiuè, quasi quod in eo tantum casu, & non aliàs istud personarum genus vocatum sit, dum nulla penitus congrua ratio id suadere videtur, sed solùm quoad ordinem succedendi inter se, vt scilicet tali casu, prædefunctorum filij, vel descendentes, in stirpes, non autem in capita successionem prætendere valeant; Ideoque non est extendere Statutū ad casum omissum, vel adł personas non vocatas, vt credit *Houdedeus*, qui super huiusmodi extensionis regulari denegatione multum insistit, sed est solum interpretari, vt expressa vocatio huiusmodi personarum non cesset, ob cessationem illarum, quarum existentia quoq; à Statuto considerata est.

Fortiùs verò, quia non agitur de Sta-

tuo odioso, ac verè exorbitanti (quo casu strictius in materia extensionis, vel comprehensionis proceditur), sed po-
12 tius reuersiuo ad ius, quo Romani magis viuebant; vel conseruatiuo morum Italiæ, de tempore, quo ius ciuile inuentum est, et consequenter, vel fauorabile, vel non odiosum censendum venit, vt de huiusmodi Statutis exclusiuis fœminarum, vel cognatorum propter masculos agnatos, quod non sint odiosa, neque adeò strictè, & rigorosè attendi debeant, vt sunt alia odiosa, & exorbitantia, cæteris allegatis habetur *apud Gratian. discept.* 449. *num.* 43. *Rota dec.* 188. *num.* 15. *dec.* 548. *num.* 8. *par.* 1. *rec.* 438. *par.* 4. *tom.* 2. *Add. ad Burat. dec.* 6. *in fine*.

Et quidem, vt sæpius infra *hoc eodem titulo*, & sub altero *de testamentis*, ac alibi aduertitur; Prò meo sensu fabulosum, ac erroneum videtur illud assumptum, quod per ora pragmaticorum ità volitare solet, vt huiusmodi Statuta, exorbitantia, & iuris communis correctoria sint, ex eo quod aduersentur iuri nouissimo *Iustiniani* dirimenti differentiam sexus, ac agnationis, & cognationis; Siquidem attentis occidentalium regionum moribus, præsertim verò Romanorum, totiusque Italiæ, potius dictum ius nouissimum, exorbitans, atque contrarium censendum est, huiusmodi verò statutarium, nostris moribus magis adaptatum est, ac fauorabile.

Qnamuis enim DD., præsertim Institutionum glosatores, ac præcipuè illi
13 moderni scholastici, qui legali, eruditioni ac temporum supputationi magis inhærent, longas retexerint quæstiones, quid nam verùs disponerent leges 12. tabularum, ac media iurisprudentia, (quæ lex *Vaconia* dicitur) siuè Prudentũ interpretatio; Aut Prętoris æquitas cum remedio possessionis bonorum, vel Imperatorum Constitutiones, ab Augusto initium sumentes; Atque in hoc ijdem eruditionis professores, nimium certent ad notata *per Gotifred.*, *Misinger.*, *Piccard. Harpręct.*, & alios *in* §. *cæterum instit. de legit. agnat. succeſſ.*, *Albert. Brun. de Statut. exclusiu. art.* 2. & alios; De quibus *Cyriac. controu.* 353. *num.* 26. *& seqq.*; Atque præter causæ necessitatem, & cum aliqua fortè inutili euagatione agitur *in Firmana fideicommissi* ..... 1671. *coram Albergato*; Hoc vnum tamen certum est, quod nouissimis temporibus, in quibus, sub Constantino Magno, sequuta est Sedis Romani Imperij translatio ad Constantinopolitanam Ciuitatem, in Vrbe viuebatur eo iure, quod masculos agnatos vocabat, non autem fœminas, vel cognatos, atque ità continuatum est vsque ad tempora Iustiniani, qui omnem sexus, ac agnationis, vel cognationis differentiam substulit; Verum, iuxta legalem historiam sæpius enucleatam præsertim *sub tit. de seruit. disc.* 1., latius vero actam *per Valentin. Forester. tract. magn. tom.* 1., istæ nouissimæ leges Iustiniani, quinimò omnes, iuxta eius compilationem, vel nullatenus cognitæ fuerunt Italiæ tunc à Vandalis, & Gothis, alijsque barbaris nationibus iam penè deuastatæ, ac oppressæ; Vel si cognitæ fuerunt, postmodum ex Longobardorum, aliarumque dominantium exterarum nationum Romani Imperij nomini, & dignitati infensarum, legibus, & prohibitionibus, sub obliuione sepultæ fuerunt, per sex sæcula, & vltrà, viuente Velcũ legibus Longobardorum, quæ fœminas, vel per eas cognatos excludunt Vel cum legibus, & vsibus particularibus, idem disponentibus, ideoquè ita Prouincia, eiusq; populi hoc iure viuebat.

Cumque sequuta in duodecimo sæculo nostræ Salutis, casuali dictarum legum ciuilium inuentione, eisq; receptis, compertum esset, quod ex litterali earum sensu, (ad hæc non reflectendo), priscæ Glosatores, ac interpretes, dictum ius nouissimum Iustiniani editum in Græcia, huius regionis moribus oppositum, ad praxim deducerent; Hinc proindè, vel renouando antiqua Statuta, seù consuetudines, quæ ante dictam inuentionè in singulis Ciuitatibus vigebant; Vel ità declarando animum non acceptandi leges ciuiles in hac parte; Per Statuta ferè vbique prodita, etiam in ipsa met Romana Ciuitate, eorum animum populi declararunt, adeò vt non sint noua Sta-
14 tuta iuris communis iam recepti, ac practicati correctoria, sed potius impeditiua primæuæ eius receptionis, & vsus, iuxtà distinctionem non vsus initiatiui, ac alterius destructiui, de qua *eodem disc.* 1. *de seruit.*

Et

Et consequenter, clarus error videtur illos terminos correctionis, ac exor-
15 bitantiæ, adhibere, cum præsertim frequens vsus fideicommissorum agnatiorum nos doceat, vt isti sint regionis mores, eodem themate retento; Potissimè quia Statutum in hac parte, non processit per viam nouæ dispositionis, sed per viam declarationis, vt liquet ex illo verbo *declarantes*; Qui etenim
16 declarat, nil de nouo disponit, sed quid iam dispositum sit, melius aperit, ad instar excutientis grana à spicis, iuxta exẽplum traditum *per textum in l. adeo ff. de acquir. rer. domin.*, atq; aduertitur sæpius *sub tit. de donat. & sub altero de fideicommissis*, & alibi; Ideoq; patrui stare dicuntur solum demonstratiuè ad præcedenter disposita, non autem taxatiuè, seù moderatiuè; Maximè dum vtitur dictione *pariter*, quæ de sui natura est præcedentium repetitiua.

Istam itaque dixi mihi videri veritatem, quoniam in meo sensu, sufficit casum esse dubium, vt in dubio ca-
17 pi debeat interpretatio pro fœminarũ, & cognatorum exclusione ad fauorem agnatorum ob iam dictam rationem, ob quam nunquam intellectum captiuare potui vt acquiescerem nostrorũ pragmaticorum traditionibus, ac rigoribus, cum quibus in huiusmodi Statutorum intelligentia procedi solet, ob dictũ præsuppositum quod sint exorbitantia, & iuris communis correctoria, dum ius ciuile non habemus in ratione auctoritatiua Imperatoris, eo modo, quo editum fuit, sed potius in ratione vsus, ac legum respectiuè particularium cuiuslibet regionis, vel Principatus, vt sæpè in omni ferè materia aduertitur.

PERVSINA
SVCCESSIONIS
PRO
ASTORRE BENINCASA
CVM
PHYLOMENA SORORE.

Casus decisus per Rotam pro Astorre.

De Statuto Perusino excludente fœminas propter masculos, dummodo eas dotent, in casu negligentiæ eas ad successionem vocante, seù reintegrante; Quomodo intelligatur; Et quæ mora in masculo ad hunc effectum requiratur,

SVMMARIVM

F *Facti series.*
Resolutio causæ.
3 *De consuetudine Neapolis musculiante fœminas exclusas.*
4 *Quod masculus etiam non requisitus, teneatur dotare fœminam excludendam.*
5 *Ille qui negligit dotare puellam vsque ad ætatem 25. annorum, est in mora*
6 *Laudatur resolutio, & de ratione.*
7 *De fide non præstanda Consulentibus, & præsertim* Ruino.
8 *Non est immorãdum in verbis, sed attendi debet substantia voluntatis Statuti.*
9 *Quod masculus debeat constitui in mora, & non procedat conclusio de qua, num. 5.*
10 *In hæredem non transmittitur facultas implendi conditionem legalem.*
11 *Hoc Statutum diuersimodè disponit de successione materna, quàm de paterna.*
12 *De nouis reformationibus post quam scripsit* Corneus.
13 *Datur regula quomodo intelligenda, & practicanda sit conclusio de qua, num. 5. & 9.*

DI-

DISC. II.

PARENTIBVS ab intestato defunctis, Astorres, Phylomenam sororem in
1 papillari ætate existentem, in Monasterio educari curauit; Cumq; eius sœcundæ nubilis, diuersitas geniorum nuptias diftulisset vsque ad ætatem annorum 30., in qua, nulla constituta dote, inscio fratre, virum duxit; Statutum autem Perusinum exclusiuum fœminarum propter masculos *Rubric.* 45. exclusionem demandet, dummodo frater sororẽ congruè dotet, sin minus illa in successione cũ eo cõcurrat; Hinc dicta Phylomena prætendẽdo, vt ob nõ adimpletam conditionem factus esset casus successionis vtriusq; parentis, iudiciũ desuper instituit coràm illius Ciuitatis Gubernatore, qui ad maternam successionẽ eam admisit, à paterna verò, stante dote per fratrem oblata, exclusit; Introductaq; causa per appellationem *in Rota coram Albergato*, ac dato dubio an mulieri appellanti paterna successio debita esset (cũ materna non conquerteretur) *sub*
2 *die* 26. *Nouembris* 1660. negatiua prodijt resolutio, cui actrix acquieuit, ideoque causa vlteriorem progressum non habuit.

Huius disputationis punctus erat, an hæc statutaria exclusio sub onere dotandi, dicenda esset conditionalis, adeo vt onus esset masculi excludere volentis, cõditionẽ adimplere, priusquã successio agnoscatur, vnde propterea etiã non requisitus, & sine aliqua mora, dotem dare, vel saltim offerre teneatur; Vel potius è conuerso necessaria sit interpellatio, per quam incurratur mora, quæ locum aperiat reintegrationi fœminæ, iuxta quæstionem præ cæteris magis tractatam per DD. Neapolitanos super interprætatione illius Consuetudinis quæ
3 disponit vt fratre negligente maritare, ac dotare sororem intra ætatem 16. annorum, ea æqualiter cum masculo ad successionem admittatur, quod ibi sub vocabulo *masculiare* seu *masculiationis* explicatur, cuius Consuetudinis mẽtio habetur *in Beneuentana sub hoc tit.* 26. *disc.* 26. & *in Neapolitana sub tit. de dote disc.* 103.

In hoc autem, Scribentes pro actore dicebant verius esse, vt id pro conditione adiectum sit, quodque frater, etiam non requisitus, dotare, vel dotem offerre teneatur, innixi auctoritati *Ruin. cons.* 74.
4 *lib.* 2. *num.* 12., & magis in specie auctoritati *Corn. cons.* 300. *lib.* 4. qui loquitur in specie huius Statuti Perusini, cum quo pertranfit *Rota dec.* 264. *par.* 6. *rec. repetit apud Gilian. ad Statut. fol.* 258.; Et nihilominus quod vbi etiam contraria opinio tenenda esset super mora, adhuc illa quidem magna contracta erat, quoniam ex ijs, quæ habentur in sua materia *sub tit.*
5 *de dote disc.* 1. & 2. & 144., lex moram in maritando, ac dotando puellam supponit per lapsum ætatis 25. annorum, adeoque licentiam illi tribuat etiam indignè nubendi, quinimò, & se prostituendi, multo igitur magis dum vsque ad maiorem ætatem annorum 30. id fuerat dilatum, atque maior dilatio accessisset, nisi ipsa mulier absque fratris opera inuenisset virum, qui eam sine dote ducere contentus fuit.

Contrarium, etiam in sensu veritatis, probabilius dicebam ego, scribens pro fratre, ideoque resolutio, iusta, benèque fundata visa est; Tũ ex facti circumstan-
6 tijs, dum ex hac parte iustificabatur, quod frater plures inuenerat, ac obtulerat dignarum nuptiarum occasiones, ab ipsa muliere recusatas; Tum etiam, quoniam quidquid dicat *Ruin. dicto cons.* 74. *lib.* 2., (cui sicut in ingenij acumine non inmeritò inter Consulentes forè prima laus saltim post *Baldum* danda est, ita etiã cõgrua videtur obtrectatio, quod
7 pecunię nimium inseruiendo, totum id, quod Partes volebant, sæpius sibi contrarius, probare curabat, vt in dies facere coguntur Aduocati) vndè propterea pro meo sensu pernicioſus est Consiliorum vsus, magnusque error videtur Iudicantium, huiusmodi Consulentiũ auctoritati deferre, quoties nõ sint Consilia decisiua ad veritatẽ, quæ nimiũ rara sunt.

Omninò verius, magisque receptum est, vt mora vera requiratur mediante formali interpellatione, quoniam,
8 vt benè aduertit *Isern. in Constitutione Regni* quæ incipit *In aliquibus quinta Columna post num.* 8., quoties Statutum non restringit exclusionem fœminæ ad iam dotatam, sed supponit futuram dotatio-

nem

nem immorandum non est in verborum formula vel subtilitate, quam pertinacibus relinquendã esse dicit, sed attẽdi debet substantia voluntatis statuentium, seu finis ab eis contemplatus, nõ curata distinctione, an verba importent modum vel conditionem; Et consequenter requiritur mora vera per iudicialem interpellationem cum præfixione termini *vt per Isern. vbi supra num. 50. Afflict. ibidem nu. 3.* & in fortioribus terminis dictæ *Consuetudinis Neapolitanæ*, quæ habet tempus præfinitum, vnde intrare potest dispositio textus *in l. magnam Cod. de contrahend. & committend. stipulat. Afflict. in dicta constitutione in aliquibus 8. notab. num. 69. Molfes. ad consuetud. par. 4. q. 4. num. 6. Capyc. Latr. decis. 59. num. 23. vbi add. num. 13. & seqq. & decis. 125. n. 8.*, Et habetur *dicto disc. 103. de dote*; Et generaliter *Gabr. conf. 5. num. 30. & seqq. lib. 1. & conf. 139. n. 5. & seqq. lib. 2. Fenzon. ad Statut. Vrbis cap. 145. num. 21. & seqq. Mart. de succeff. par. 1. quæst. 13. art. 6. nu. 30. cum seqq.* cum alijs in causæ decisione.

Et in terminis specialibus huius Statuti idem *Corn. conf. 75. num. 4. lib. 1. Ambros. in dec. 46. n. 21. p. 1.*, cum alijs in decisione ideoq; curandũ nõ est de dicta auctoritate *Ruin.*, potissimè quia ipse percutit casum diuersum, quod iam defuncto patruo, cui ex Statuto competebat
10 ius excludendi neptem, huius conditionis, vel modi implementum offerebatur per eius hæredem, in quem vna opinio credit non transmitti facultatem implẽdi conditionem legalem, vt aduertit *Menoch. conf. 1170. num. 25. & seqq.*, qui cũ hoc præsuppositio eum sequitur, vndè propterea quidquid sit de hoc assumpto quod examinare nõ oportuit, sufficiebat quod non essemus in casu.

Neque præmissis obstare dicebam au-
11 ctoritatem *Rotæ dicta decis. 264. par. 6. rec. reptit. post Gilian.* quoniã loquitur de successione materna, in qua diuersa militat ratio, dum Statutum discretè de hac successione agit, cuius respectu præsupponit fœminam iam dotatam, secus autẽ respectu successionis patris, vel aui, in qua supponit fœminam esse innuptam, ac indotatam, dum disponit vt frater admittatur ad eam offerendum sorori quãuis inuitæ, ac interim decernit alimenta, seu fructus eorum loco.

Quo vero ad auctoritatem *Corn. dicto conf. 300.*, de illa pariter non veniebat habenda ratio; Tum quia percutit casum diuersum, magisque exorbitantem con-
12 sobrini excludere volentis à successione *fratris* germanam sororem; Tum etiam quia *Corn.* scripsit in terminis Statuti antiqui, quando adhuc non prodierant nouæ reformationes editæ de anno 1563. et sic ferè per sæculum post *Corneum*, in quibus reformationibus ad huiusmodi difficultatem remouendam addita fuerant illa verba *mulierem etiam inuitam, & in quacumque ætate constitutam*, vt aduertunt *scribentes apud Gilian. ad hoc Statut. fol. 261. num. 74.*

Quamuis autem in ista causa, ex eius particularibus circumstantijs, probabiliter neglecta fuerit mora deducta ex lap-
13 su congruæ ætatis, quoniã docebatur de diligentijs à fratre adhibitis, quodque mora potius prouenerat ex parte ipsius mulieris respuentis occasiones à fratre oblatas, adeòvt potius ex facto, quàm ex iure prodierit decisio; Attamen reflectendo ad veritatem, pro meo iudicio, improbabile videtur dictam conclusionem ita generaliter statuere, vt semper necessaria sit vera mora non incurrenda, nisi per iudicialem interpellationem cum præfixione termini, quoniam cum puellæ innuptæ, sub fratrum educatione, ac potestate viuere soleant, eos loco patris, vt plurimùm metuentes, atque ex virginali pudore non de facili audentes etiam extraiudicialiter, atq; intrà domesticos parietes, eos requirere de viro, cum huiusmodi licentiæ, seù petulantiæ in puellis contingere soleant, solum vbi reperiantur in Monasterijs, quæ iuxta frequentem experientiam pro ijs, quæ maritandæ sunt, perniciosa potius videntur; Hinc proindè nimiùm rari essent casus, in quibus ista conclusio practicabilis, esset, fatisque lata via aperiretur fratribus, exercendi tyrannidem cum sororibus, easque cogendi ad perpetuam viduitatẽ, illas domi tanquã famulas retinendo cum denegatione tã successionis, quàm dotis; Ideoque pro meo iudicio ista dicenda videtur quæstio facti potius, quàm iuris discretè pro facti qualitate,

tate, ac discretè, prudenti arbitrio tractanda, non autem inepto, & legulei-co more cum regulis, ac propositionibus generalibus tam cõtra puellas vt in præsenti conclusione, quàm pro eis iuxta exorbitantes propositiones practicatas in casu, de quo *dicto disc. 1. & 2. sub tit. de dote*; Aut enim puella ante ætatem immaturam, ex regionis vsu metiendam, petulanter cum patre, vel fratre agendo, eis neglectis, virum sibi eligat, absque eo quod ipsi de culpa redargui possint, et tunc recte, ista conclusio recipienda sit super mora vera, nonnisi per iudicialem interpellationem cum præfinitione termini a Iudice facienda, incurrenda; Aut è conuerso constat de culpa nimium comprobata à lapsu dictæ ætatis 25. annorum, ob quem lex indignè nubendi, quinimmò etiã se prostituendi, licentiã concedit, et tunc aliã mora desideranda non sit, quoniam ideò prudenter statuẽtes, masculis, fœminarum reintegrationem, seù masculiationem comminantur, vt ita prouidi, ac solliciti sint ad eas collocandum ex impulsu proprij interesse, dictique timoris, ideoque substantia istius veritatis pro facti qualitate attendenda videtur, non autem procedendum est cũ verborum formalitatibus, vel cum generalibus traditionibus quas semper erroneum est, generaliter, ac indeterminatè practicare, cum principaliter spectari debeat finis, seù effectus à statuentibus consideratus.

NEPESINA
VEL
SVTRINA SVCCESSIONIS
INTER
FRANCISCVM, ET ALIOS DE COSTANTINIS.
CVM
ANNA MARIA, OLIMPIA, ET ALIIS.

Votum decisiuum.

De Statuto Scrophani excludente fœminas propter masculos, an intelligendum veniat data gradus æqualitate, vel potiùs masculi remotiores succedant; Et demandata exclusione propter dotem, an vnica sufficiat pro omnibus casibus, vel discretiuè requiratur dotatio ex qualibet successione.

Et de huiusmodi Statutorum cessatione, ob existentiam matris in medio, tanquam in casu mixto; Et quid vbi mater non succedat; Vel ea succedente in sua portione, quid inter fratres, & sorores; Et àn sorores vterinæ concurrant cum matre.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Votum seù resolutio.*
3 *Quod difficiliores sint partes Iudicis, quã illæ Aduocati.*
4 *Statuta exclusiua fœminarum intelligenda veniunt propter masculos æqualis gradus.*
5 *Declaratur quando secus.*
6 *Quomodo in materia procedi debeat.*
7 *Quod agatur potius de casu limitationis, & de ratione.*
8 *De huiusmodi Statutorum benigna interpretatione.*

1 *An in hoc dignoscatur aliqua differentia inter fœminas agnatas, & cognatas.*

2 *In successione attendenda est causa immediata.*

3 *Hæc Statuta procedunt in successione dotantis.*

4 *Quando sequs vt vnica dos sufficiat & de distinctione.*

5 *De applicatione ad casum.*

6 *Quomodo in materia procedendum sit.*

7 *Quod impropriùm sit eidem fœminæ plures dotes dari debere.*

8 *Statuta exclusiua non procedunt, existente matre in medio.*

9 *Fratres, vel sorores ex latere paterno tantum non concurrunt cum matre, & è contra ex materno cum patre.*

10 *Quid ubi coniunctio est ex eodem latere ipsius matris, vel patris.*

11 *An existentia matris de facto sufficiat ad effectum de quo num. 16. quamuis illa non succedat.*

12 *Contrarium verius.*

13 *Statuta continent testamentum à lege factum pro morientibus ab intestato.*

14 *De Statuto Faventino.*

15 *De illo Imolæ.*

16 *Etiam vbi mater est in medio intrat Statutum inter ipsos fratres, & sorores.*

17 *De ratione, ob quam in istorum Statutorum interpretatione benignè procedendum est.*

DISC. III.

DEFVNCTO ab intestato Ioanne Antonio de Constantinis, superstitibus matre binuba, pluribus sororibus vterinis ex secundo matrimonio, & duobus patruis; Cum in loco Scrophani, de quo omnes erant, cum bonorum etiã situatione, vigeret Statutũ vt fœminæ maritatæ vel maritandæ à patre, auo, matre, auia, alijsque superioribus, vel à fratre, patruo, auunculo, nepotibus, alijsque consanguineis, vel affinibus vel extraneis personis, dote contentæ esse debeant, nec aliud prætendere possint, assignata ratione, quià expedit honestati habere mulieres dotatas, & maritatas, familias autem, & stirpes conseruare. Hinc, vltra aliam controuersiam fideicommissi in aliquibus defuncti bonis auitis; quatenus ad eius intestatam successionem pertinet, orta quoq; est controuersia inter patruos, & sorores; Cumque ageretur de asse notabili, Partes concorditer obtinuerunt à loci Domino, vt ille Gubernator, coram quo causa pendebat, procedere deberet de voto alicuius I.C. in Curia, vbi punctus formiter discuti posset; Quare mè deputato, assumptisque hincinde pluribus primi nominis Aduocatis, super duobus articulis acriter disputatum fuit; Primò nempe an hoc Statutum intelligendum veniret, data gradus æqualitate vel potius, vt masculi quamuis remotiores excludant fœminas proximiores; Et secundò an intelligi debeat solùm de illa successione, de qua fœmina dotata sit, vel potius vnica dotatio sufficiat pro omnibus.

In vtroque autem puncto, mihi verius visum fuit, pro patruis contra sorores
2 responderi debere; Excitaui tamen ego motiuum contra patruos ab hac successione excludendos, ob existentiam matris, vt ea veniente atque successionem petente, Statutum tanquam in casu omisso cessaret, ideoque subintraret dispositio iuris communis, qua attenta, sine dubio, in concursu matris, & sororum, patrui non veniunt, quæstione remanente inter ipsas matrem, & sorores; Vndè propterea Scribentes pro patruis acquieuerunt, bonis fideicommissarijs contenti, incertumque est quid inter matrem, & sorores sequutũ sit, cum desuper meum votum expetitũ non esset, credebã tamẽ quod totũ matri deberetur; Ideoq; tres fuerunt puncti seù articuli, duo scilicet inter Aduocatos disputati; Et alter à me tanquam Iudice excitatus.

Rari autem sunt casus, in quibus ego has partes gesserim, quoniam agendo Aduocatũ, effugi quantũ potui partes Iudicis, vtpotè pro meo sẽsu expertus quod
3 longè difficiliores sint partes Iudicis, quàm Aduocati, adeout maiorem laborem, ac timorem, & applicationem mihi præberet vna causa in iudicando, quàm quatuor, & vltrà, more Aduocati defendendæ, et tamen videmus, quod cũ tanta facilitate, partes Iudicis etiam per inexpertos explicantur.

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum, an scilicèt huiusmodi Statuta

excludentia fœminas propter masculos, intelligenda sint per masculos æqualis gradus, non autem inæqualis; Scribentes pro fœminis dicebant (& benè),
4 quod eis assistebat regula, vt Statuta intelligenda veniant, data gradus æqualitate, & non alias, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Brunum de Statut. art.* 11. *num.* 248. *Honded. conf.* 1. *num.* 33. *lib.* 2. *Tob. Non. consil.* 15. vbi de Statuto Tudertino *Franch. decis.* 87. *Rouit. decis.* 20. *num.* 50. *Rota dec.* 8 *num.* 33. *par.* 1. *diuers* plenè *decis.* 68. *num.* 4. *par.* 6. *recen.*, & in alijs pluries.

Admittebant Scribentes pro masculis hanc regulam, cum illi assideret magis
5 communis, & recepta opinio; Insistebāt autem in limitatione, pariter magis cōmuniter recepta, vbi ex Statuti contextu pareat de diuersa voluntate, desumenda, vel à ratione conseruationis agnationis in ipso expressa, vel à generalitate verborum, alijsque argumentis hanc Statuentium voluntatem suadentibus, cum in effectu ista sit quæstio facti, & voluntatis potius, quàm iuris, ex ijs, quæ cæteris relatis, habentur *apud Honded. conf.* 4 *num.* 85. *& seqq. lib.* 1. *Borgnin. dec.* 22. *num.* 20. *cum seqq. part.* 4. latè *Thesaur. decis.* 37. vbi plures cumulantur, *Rota in Romana, seu Spoletana bonorū* 22. *Maij* 1602. *coram Sacrato*, & in alijs, atque Scribentes pro fœminis, nō negabāt veritatem limitationis in abstracto, sed negabant applicationem, super qua certarum fuit, adeout ex iam insinuatis, verè ista non sit quæstio iuris, sed facti, & applicationis, certam non recipiens regulam generalem cuicumque casui ap-
6 plicabilem, cum decisio pendeat ex singulorum Statutorum contextu; Ideoque erroneum est, cum doctrinis, & propositionibus generalibus procedere, benè istis deseruientibus ad intellectus illuminationem pro huiusmodi interpretatione facienda, eo modo quo in alijs ambiguis morientium, vel contrahentium voluntatibus habemus.

Mihi verò visum fuit, quod versaremur potiùs in casu limitationis fauore masculorum, quàm in casu regulæ; Tum
7 ob rationem assignatam à Statuto conseruationis bonorum in familijs, & stirpibus, quodque in fœminis sufficiat prouidere honestati, eas maritando, & dotando; Tum etiam ob verborum amplitudinem, vt Statutum dote etiam extraneo danda contenteretur; Nimiumque me mouit auctoritas quatuor insignium huius Curiæ antiquorum, ac primi nominis Aduocatorum, quorum duo de tempore huius disputationis obierunt, alij verò duo in conspicuo Prælaturæ statu constituti erant, nempè, *Spada, Portius, Andrisilla, & de Rubeis*, qui in consimili controuersia circa huius facti initium excitata, ità pro veritate retulerunt; Ita etiam nimium impellente meo sensu, vel genio ex pluries hoc titulo insinuata ratione præsertim *in Perna disc.* 1.,
8 quod scilicèt huiusmodi Statutorum latam, ac benignam interpretationem facere debemus fauore agnatorum contra fœminas, cum id nostris Italiæ moribus magis adaptatum sit, vt ibi deductis.

Facilius autem in hac facti specie quoniā non agebatur de excludendo fratres vtrinq; coniunctas, vel consanguineas, cūi sto casu aliqua maior dubitandi
9 ratio cadere videatur, eo quia fœminæ de familia, dicantur etiam agnatæ, nec deicommissis agnatitijs quoque succedentes, ex motiuatis in specie *apud Thesaur. decis.* 34., & in terminis Statuti 141. Vrbis habetur *apud Rot. dec.* 491. *par.* 9. *recen.*; Licèt enim verius sit, vt id neque sufficiat, quoniam fœminæ de familia dicitur quidem agnatæ, ac succedunt in agnatitijs dispositionibus in subsidium, quando masculi amplius non extant, vt deductis *d. dec.* 34. *Thesaur.*, & in terminis dicti Statuti 141. Vrbis plenè, recedendo *à d. dec.* 491. firmatur *dec.* 267. & 383. *ead. par.* 9., & in terminis fideicommissarijs plenè habetur *decis.* 133. *eadem par.* 9. *recen.*, & pluries in sua materia *sub tit. fideicommiss.*

Adhuc tamen videbatur circumstantia considerabilis, non quidem apta vt sola, & de per se induceret dictæ regulæ limitationem, sed vt alijs concurrentibus, quæ limitationem suadeant, non tamen omninò clarè, adeout res in ambiguo maneat, id nimium considerabile sit ad regulandum Iudicis arbitrium, vt in vnam, vel alteram partem deflectat; Cum enim omnia bona controuersa obuenerint in defunctum à paterna successione, hinc nimium asperum, ac improbabile

babile videbatur, vt sorores vterinæ, & sic filiæ secundi viri; probabiliter exo-
sæ tam defuncto, quàm eius patri, agnatos adeò proximos excludere de-
berent; Siquidem, licèt attento leguleico rigore, id non attendatur, ex regula at-
10 tendendi causam immediatam, non autem mediatam, quodque ità bona non dicantur amplius paterna, sed fraterna; Attamen adhuc id ab ipsa lege in consideratione habetur, vt in materia secundarum nuptiarum hoc *eodem titulo* pluries habetur, ad effectum scilicèt regulãdi arbitrium in casu dubio.

Quouerò ad secundum punctum, an scilicèt vnica dotatio sufficeret pro exclusione ab omnibus successionibus, vel potiùs Statutum discretinè intelligẽdum esset de successione illius, de cuius bonis fœmina dotata sit; Scribentes pro fœmi-
11 nis, pariter dicebant eis assistere regulam, quoniam ex magis communi opinione, huiusmodi Statuta fœminarum exclusiua propter dotem, intelligenda veniunt à successione dotantis tantùm, non autem ab alijs, vt firmant magis communiter Scribentes, de quibus plenè relatis habetur *per Rotam apud Merlin. decis.* 390. & 429. *repetit. decis.* 247. & 321. *par.* 5. *recent.*, & *decis.* 179. & 202. *post Merlin. de legitim.*, & in alijs frequenter.

E' conuerso Scribentes pro masculis, non negando hanc regulam, insistebant in limitatione, seù distinctione latè deducta *in dictis decis.* 390. & 429. *Merlin.*
12 & *d. decis.* 179. & 202. *post Merlin. de legit. apud Celsi decis.* 46. *apud Dunozett. decis.* 929., & in alijs, quod scilicèt, Aut Statutum enumerat plures personas, & successiones per copulatiuam, et tunc vnica dotatio sufficiat pro exclusione ab omnibus; Aut per alternatiuam, et idem dicendum sit, vbi sit in capite dotationis, non autem exclusionis, secùs autem vbi alternatiua sit, tam in dotatione, quàm in exclusione; Cumq; dicta distinctio non negaretur per Scribentes pro fœminis, hinc tota quæstio paritèr erat super applicatione, an in vna, vel altera distinctionis parte versaremur.

Atq; in hoc mihi quoque visum fuit pro masculis respõdere; Tùm ex contextu Statuti, quod scilicèt per copulatiuam magis, quàm per alternatiuam procederet; Tùm etiam, quia Statutum consi-
13 derat casum successionis de tempore, quo fœmina adhuc dotata, & maritata non sit, dum disponit de fœmina maritanda, & dotanda, vt considerat *Rota apud Merlin. de legit. decis.* 202.

Clariùs verò, quia cum ista (vt dictum est) sit quæstio potiùs facti, & voluntatis, quàm iuris, idcircò pro meo sensu decidenda venit cum regula pluries in-
14 sinuata *sub tit. de fideicommiss.* & alibi, vt non cortex; & figura verborum, sed substantia voluntatis attendi debeat, regulanda potissimum ex qualitate testatoris, an sit litteratus, vel idiota, ac etiam ex alijs circumstantijs, quæ verisimile, vel inuerisimile suadeant; Ideoque, cum ageretur de Statuto parui loci, grossolano modo, ab idiotis, vel parùm doctis viris ordinato, improbabile mihi videbatur, vt ex sola phrasi, seù forma eloquutionis, inferri posset ad huiusmodi voluntatem, omninò inuerisimilem, etiã
15 in Statutis conditis per magnas, ac primarias Ciuitates, atq; per viros litteratos, ratione subiectæ materiæ, & communis vsus, qui in iure etiam præsupponitur tanquam absolutus, quod scilicèt fœminis vnica dos constituitur, super cuius congruitate, vel natura, seù restitutione, aut fructibus, & alijs, semper lex loquitur in numro singulari, alia autem bona enunciantur sub genere extradotalium, seù paraphernalium; Et tamen vbi ageretur de familia numerosa, in qua propterea agi contingeret de pluribus successionibus vtriusque parentis, & quatuor auorum vtriusq; lateris, ac etiam fratrum, aliorumque coniunctorũ, oporteret dare inconueniens, vt vna, & eadem fœmina, haberet decem, & viginti dotes; Item quia notorius vsus docet pluries enunciatus *sub tit. de fideicomm.*, & alibi, quod omnes humanæ dispositiones, per ipsos dispositores, vel ordinatores concipiuntur in compendio, finè in substantia, deindèq; alicui Notario, vel Iurisconsulto, seù linguæ latinæ professori committitur extensio, quæ in vna, vel altera eloquutionis forma concipi solet pro ipsius extensoris loquendi stylo, vel phrasi, nõ apta proindè alterare substantiam eius, quod à disponente, vel à legislatore volitũ sit; Ideoq; huiusmodi Iuristarum subtilitatibus, originatis vt plurimùm ab acumine Consulentium, qui ad

pecuniã, seù ad causæ oportunitatẽ scripserunt, (vt in dies nos Aduocati experimur) intellectũ nunquã adaptare potui, erroneumq; videtur, in iudicando cũ eis procedere, dum potiùs procedendum est cũ dicta solida propositione ex vtroque positiuo, & naturali iure manante, vt substantia voluntatis attendi debeat; In idem suffragante alia recepta propositione frequenter insinuata, vt capitula tanquam verba Partium, non autem instrumentum, tanquam verba Notarij attendi debeant, cum similibus.

Nihil autem profuit patruis, vt in vtroque puncto eorum fauore responderem, dum practicando propositionem, *vt ea, quæ desunt Aduocatis, Iudex suppleat*, excitaui dictum alterum motiuum eorum exclusiuum, propter matrem, cui solùm dixi debitam esse successionem, ex conclusione communiter recepta, vt huiusmodi Statuta excludentia sorores propter fratres, vel alios agnatos, locum
16 non habeant, matre existente in medio, vtpotè in casu mixto, in quo cessante Statutaria dispositione, subintrat illa iuris cõmunis *Napod. ad consuetud. Neap.* incipien. *Si quis, vel si qua numer.* 552. *Ann. alleg.* 70. *num.* 49. *& seqq. & alleg.* 117. *num.* 13. *cum seqq. Minad. decis.* 38. *Franch. dec.* 91. *decis.* 92. *n.* 7. *& decis.* 606. *per tot., de Marin. resol.* 70. *num.* 5. *lib.* 1. *Rota decis.* 59. *par.* 1. *recen. & dec.* 43. *par.* 7. apud quos concordantes.

Cum etenim sorores ex vno tantùm latere coniunctæ essent, concursum cum
17 matre prætendere non poterant, vt de sorore consanguinea non concurrente cum matre est planum, ex ijs, quæ cæteris ibidem relatis, firmatur *dicta dec.* 43. *par.* 7. *recen.*, & in alia præcedenti decisione eiusdem causæ ibidem enunciata, cum posita diuersitate coniunctionis, res sit extrà controuersiam.

Et quamuis disputent DD., an idem dicendum sit vbi coniunctio esset ex eo-
18 dem latere, vt in præsenti, dum sorores coniunctæ erant ex eodem latere materno, vel quod consanguineæ concurrerẽt cum patre, vndè propterea *Castr. in Auth. defuncto num.* 7., qui nonnullos habet sequaces, credit quod vnicitas vinculi isto casu non obstet; Contraria tamen opinio est magis communis, & recepta, vt cæteris relatis *Boer. decis.* 185. *num.* 2. *Franch. decis.* 682. *Fab. de Anr conf.* 92 *num.* 35. *Graß. de success. quæst.* 24. *in fine, Michalor. de fratr. par.* 3. *cap.* 14. *num.* 10., apud quos alij.

Non fuit autem opus examinare quid dicendum esset, vbi mater successionem negligeret, seù aliàs eam non obtineret, an scilicet eius existentia de facto induceret dictam mixturam adimentem dispositionem Statutariam, ac aperientem locum iuri communi, dum mater successionem agnonerat, ideoque ex facto cessabat quæstio; Adhuc tamen in voto de-
19 super edito, obiter insinuaui, quod ea etiam non succedente, pro sororibus tanquam proximioribus in exclusionem patruorum responderi debuisset ex auctoritate *Rot. d. decis.* 59. *p.* 1. *rec. & dec.* 43. *par.* 7., in quibus firmatur, quod sola existentia de facto matris, vel alterius personæ proximioris, causat dictam mixturam, ac aperit locum alijs à Statuto exclusis, quibus iuris communis dispositione attenta, successio priuatiuè, vel in concursu debita esset.

Verùm licèt adhuc occasio non præbuerit particulariter in foro id disputare, attamen reflectendo ad rei veritatem,
20 istud assumptum nũquam placuit, Tum ex deductis *sub tit. de legit. & detract. disc.* 4. in proposito huiusmodi Statutorum excludentium fœminas propter masculos, vel cognatos propter agnatos, vt ex veriori, magisque recepta opinione, sola existentia personæ à Statuto contemplatæ, de facto non sufficiat nisi sequatur finis, vel effectus à Statuto contemplatus, attendendo substantiam voluntatis, non autem huiusmodi metaphysicã ex Consulentium subtilitatibus originatã; Tum etiam quia huiusmodi Statuta continere dicuntur testamentũ, quod lex ordinat pro moriente ab inte-
21 stato, iuxtà traditionem *Baldi consil.* 205. *num.* 1. *lib.* 4. cum alijs *apud Cels. dec.* 248. *num.* 11., *& in d. Perusina disc.* 1., & alibi, vndè propterea si testator negligit aliquem ex filijs, vel parentibus verisimiliter prædilectum, vel ab eo de necessitate vocandum, non per hoc dispositio corruit, ac ordo successionis ab eo statutus respectu aliorum peruertitur, nisi quatenùs exigat fauor personæ præteritæ ad terminos textus *in Authen. ex causa Cod. de liber. præterit.*, de quibus

in

in sua materia *sub tit. de testamen.*; Ac etiam à simili conferunt, quæ ob caducationem gradus antecedentis habentur *sub tit. de fideicomm.* ad materiam vulgaris anomalæ præseruantis caducationem graduum sequẽtium, cum similibus; Ideoque meus intellectus captiuari non potuit in obsequium dictarum decisionum sequentium quandam merè leguleicam traditionem Consulentium omninò improbabilem, atq; à legali, & naturali ratione alienam, adeò vt videatur, (vt vulgò dici solet), species iudaismi legalis.

In dicta enim *decis. 59. par. 1. recen.*, cum cuius fide, & auctoritate proceditur in altera *decis. 43. par. 7.*, cum ageretur de Statuto Fauentino excludente matrẽ
12 propter agnatos intrà quartum gradũ, supereſſet autem patruus, qui erat religiosus professus in Religione clausirali, cui statutum profitetur nolle suffragari, deciditur, quod sola istius existentia, quamuis non succederet, sufficeret ad faciendum cessare Statutum, ac aperiendum locum matri in exclusionem aliorũ agnatorum remotioris gradus, quod nullam habet probabilitatem, dum Statutum noluit suffragari clausiralibus ex eodem motiuo, ex quo matrem, ac fœminas exclusit, vt scilicèt bona conseruarentur in agnatione, & familia, ideoque non videtur, quæ ratio vnquam suppetat, vt ità inferri possit ad hunc effectum, qui statuentium voluntati de directo oppositus est.

Et *in dicta decis. 43. par. 7.* agitur de Statuto Imolæ excludente matrem pro-
13 pter patruum; Dicitur enim quod istud Statutum non operatur exclusionem sororis consanguineæ, de qua illud non loquitur, quodque propterea istius existẽtia faciat cessare dispositionem statutariam, atque locum aperiat matri, quæ excludat in totum ipsam met sororem, quæ est causa exclusionis patrui, quo nil improbabilius, atq; de directò contrariũ menti, ac fini statuẽtium; Eatenùs enim persona non exclusa in consideratione habenda est, quatenùs ità remaneat præseruatum eius præiudicium, iuxtà deducta *d. disc. 4. de legit. & detractionibus*, non autem vt exindè ad hanc magnam exorbitantiam inferendum sit.

Hinc proindè semper placuit, nimiũque probabilis visa est opinio, benè cõ-
probata *per Apont. cons. 61. lib. 1.*, iuxta
24 quam decisum fuit *apud Franch. decis. 92. num. 7. & seqq.* cum concordan. *per modern. adden. ad eum*, quod scilicèt existente matre in medio, cesset statutaria dispositio ad effectum, vt ipsa mater succedat in eo, quod ius commune sibi defert tanquam in casu omisso per Statutũ, sed non per hoc cesset exclusio sororis vtrinque coniunctæ per eius germanum fratrem, ad cuius fauorem, faciendo numerum, faciat partem, iuxtà ea, quæ ad aliud propositum habentur *dicto disc. 4. & seq. de legit. & detract.*, quoniã spectandu, est finis, seù effectus à Statuto volitus, siuè attẽdenda est ratio, ob quã in casu omisso ità receptum sit, nõ autem immorandũ est in huiusmodi iudaismis verè alienis ab omni probabilitate, & ratione, quæ legis anima dicitur; Ponderãdo etiam quod in omnibus huiusmodi statutarijs quæstionibus reflectendum est ad supra insinuatum principium la-
25 tiùs deductum *in dicta Perusina disc. 1.*, vt inspiciendum sit, an agatur de Statuto verè odioso, ac exorbitanti, quod ab omni iure communi verè exorbitet; Vel potiùs de eo, quod sit restitutorium iuris, cum quo in Romano Imperio, quando in Italia sedem habebat, viuebatur, siuè per quod conseruentur nostri Itali mores, qui aderant de tempore, quo legum ciuilium inuentio sequuta est, seù earum vsus haberi cœpit, atque exindè resultent tot omninò irrationabiles exorbitantiæ contrà omnem rationem humanam, quæ est legis præcipuum fundamẽtum, vel anima.

IANVEN.
SVCCESSIONIS
PRO
THOMA SPINOLA
CVM
DELIA SORORE.

Discursus pro veritate.

De famigerata quæstione, occasione Statuti Vrbis in successione exteri in ea morientis; An Statuta capiãt bona extrà territorium, siuè an in bonis in territorio existentibus, suffragentur masculo forensi, in cuius patria idem vigeat Statutum, an scilicèt intret, necnè, combinatio vtriusque Statuti, personarum, & bonorum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quod requiratur vtraque subiectio personarum, & bonorum, & non detur combinatio Statutorum.*
3 *De Statuto Ianuæ super prohibita declinatione illius fori.*
4 *De Rotæ Romanæ auctoritate.*
5 *Vbi viget Statutum in loco personarum, & non bonorum, an ista sub eo veniant.*
6 *De rationibus, ob quas veniant etiam bona extrà territorium.*
7 *Vt verius sit esse debere locum combinationi.*
8 *Contrarium tenet Rota, & de eius fundamentis.*
9 *De rationibus pro benigna Statutorum interpretatione.*
10 *Quarè apud Ianuenses non habeatur vsus fideicommissorum.*
11 *De alio tamen vsu æquiualenti.*
12 *Quod paganus non possit habere duos heredes, duasque diuersas hæreditates.*
13 *Contrarium verius.*
14 *Ad quid istud inconueniens sit operatiuum.*
15 *Quod debeat attendi Statutum personarum.*
16 *Statuta operantur quoad bona extrà territoriũ ratione voluntatis morientis.*

DISC. IV.

1 CVm in Vrbe obijsset Nicolaus Spinola nobilis Ianuensis, qui occasionaliter in ea moram trahebat, superstitibus, Episcopo Sauonensi germano fratre, Thoma ex vno, & Delia ex altero, pariter germanis fratribus prædefunctis, nepotibus; Hinc orta est dubitatio, an in bonis Vrbis, dicta Delia ad intestatam successionem admittenda esset, (cum in alijs existentibus in Ciuitate, ac Ditione Ianuensi, nulla caderet dubitatio ob copulatiuum concursum vtriusque subiectionis personarum, & bonorum); Quarè desuper ex parte Thomæ pro veritate consultus.

Respondi, quod vbi de quæstione disputari debuisset in Curia Romana, vbi casus successionis contigerat, plana erat resolutio fauore fœminę, cum hodiè post huiusmodi quęstionem accerrimè dispu-
2 tatam in celebri *Narnien. successionis coram Merlin.* inter suas *dec.* 352. & 526., quarum prima est repetita *dec.* 177. *par.* 5., & altera *decis.* 68. *par.* 6. *recen.*, extra controuersiam sit, vt vtraque subiectio personarum, & bonorum copulatiuè requiratur, neque intret combinatio Statutorum, quamuis consimilium vtriusq; loci respectiuè, ac habetur etiam *apud Buratt. & adden. decis.* 188. & 262., *decis.* 228. *par.* 8. *rec.* & frequenter.

Verùm quia causa tractanda erat indicta Ciuitate Ianuensi communi patria, cuius forus, ex eo rigoroso Statuto (su-
3 per cuius obseruantia nimium insistitur) neque pro bonis extrà illud territorium, vel ditionem existentibus, declinari potest, vt aduertitur in sua materia *subtil. de Iudic.*; Cum ibi non habeãt Rotæ decisiones illam maiorem auctoritatem, quam habent in Curia Romana, & in alijs Tribunalibus ab ea dependentibus;
4 Quãuis vbiq; ipsius Tribunalis magnã esse auctoritatẽ, vltrà ea, quæ dicunt nostri

præ-

præsertim *Gomez. in proem. ad regul. cancellar. q. 2. n. 10.*, testantur cæteris relatis *Franch. dec. 605. n. 6. Fontanell. de pactis claus. 6. glos. 2. p. 3. n. 46.*, *Gait. de credito ex. quæst. 7. n. 729.* & alij; Hinc proindè de meo sensu consultus fui, quid in puncto iuris probabilius videretur, perindè, ac si articulus non esset adhuc decisus in loco.

Super hoc autem dixi, quod, quando non concurreret vtrumque vniforme Statutum, sed solum adesset illud loci personarum concurrentium, non autem alterum loci bonorum sub controuersia cadentium, tunc aliqua maior dubitandi ratio cadere videretur; Quamuis ad- 4
huc ex proprio sensu, vel genio, magis etiã placeret, atq; probabilior videretur opinio masculo fauorabilis, quàm plenè, ac doctè alijs relatis veriorem esse probat *Bellon. iun. conf. 74. num. 117. cum seqq.*; Tum ex pluries insinuata ratione verisimilis voluntatis ipsius morientis; Tùm etiã ex altera inhabilitationis proprij subditi, qui non videtur à proprio 6
Principe, vel Superiore prohiberi, nè alterum subditum, cui magis ex publica causa fauere voluit, molestet etiam in bonis, quæ extrà propriam ditionem sita sint, eodem modo, quo circa ordinatoria iudicij, siuè fori competentiam præcipit.

Verùm vbi vtriusque Statuti concursus adest, (vt in præsenti), adeout, tam inspecto loco personarum, quàm altero bonorum, exclusio fœminarum propter masculos sit vniformis, nullamque exor- 7
bitantiam causare dicatur, tunc esse ferè omnium recepram opinionem masculo fauorabilem pro combinatione, probat *Bellon. iun. d. conf. 74. num. 99.* vbi allegat *Soccin. Peregr. Surd. Thesaur.*, & alios fruſtrà transcribendos.

Et quamuis *in d. decis. 352. Merlin. repetit. decis. 177. par. 5. recen. num. 42. & seqq.*, iſtis DD. nominatim relatis, ac 8
reiectis, contrarium firmetur pro dictæ combinationis exclusione; Attamen aduertebam, quod, (vt ex eiusdem decisionis contextu patet), huic opinioni adhærere visum est, non quidem ex maiori auctoritatum calculo, vel rationum præponderantia, sed solum in obsequium auctoritatis eiusdem Tribunalis, eo quia idem aliàs tenuerat *apud Gregor. decis. 255. & apud Barate. d. dec. 188.*, aliã nõ allegãdo auctoritatem DD. nisi *Gratian. discept. 431. num. 16. cum seqq.*; Ideoq; in puncto iuris, atq; in loco tertio Respondi quod mihi probabilior videbatur, magisque placebat contraria opinio, iuxtà 9
quàm extrà Curiam ego iudicarem, ex fundamentis benè expensis *apud Bellon. d. conf. 74.*; Potissimùm verò ex illo, de quo supra *in Perusina disc. 1.*, & infrà *in Tudertina disc. 6.*, & in alijs pluries, verisimilis scilicèt voluntatis morientis.

Ista verisimilitudine ducta à nostris Italiæ moribus ibi ponderatis, quodque rigor super huiusmodi Statutorum intelligentia, vel restrictione vtpotè proueniens à quadam subtilitate, vel ieguleica simplicitate nostrorum maiorum, nullã haberet probabilitatẽ ità in hoc Discursu, seù Responso deducendo eadem ponderationes, de quibus supra allegatis *discurs. 1. & 6.* super nostris Italis moribus antiquis, ac modernis, comprobatis tam ab antiquis legibus Romanorum editis ante translationem sedis Imperialis in Græciam, quàm etiam à legibus Longobardorum, & ferè communi huiusmodi Statutorum, seù iegum particularium vsu; Nec non à quotidiana praxi super fideicommissorum, ac maiorattuum ordinationibus, præsertim verò in hac Ciuitate, in qua licet, exceptis quibusdam 10
conspicuis bonis stabilibus, frequens nõ habeatur vsus fideicommissorum nisi intrà certam ætatem ex ratione pluries assignata *sub tit. de fideicomm.* præsertim *disc. 153. & sub tit. de feudis disc. 108.*; Attamen alter habetur laudabilis vsus in ea frequentior, quàm alibi, quo mediã- 11
te decor, ac nobilitas familiarum conseruatur, iuxtà deducta *eodem tit. de fideicomm. disc. 3. & sub tit. de iurepatr. disc. 54.*

Ponderabam etiam alteram probabilem rationẽ absurdi, quod retenta dicta opinione Rotæ super exclusione cõbina- 12
tionis, resultat, quod scilicèt eiusdem pagani dentur plures hæredes, pluresq; hæreditates diuerso iure censendæ, quod *in iure implicat*, ex deductis *per Merẽd. lib. 11. controu. 45.*

Et quamuis Rota præsertim *dicta dec. 228. num 22 cum seqq. par. 8. rec.*, respondendo nominatim huic difficultati, dicat non implicare vt pro diuersitate

terri-

13 territoriorũ dẽtur diuersæ successiones, diuerso iure regulandæ, quasiquod nil prohibere videatur, cur id, quod ius ciuile desuper induxit *in milite*; ad cuius instar idem receptum habemus in feudatario, vel clerico, ex deductis *sub tit. de feudis disc.* 21. *& seqq.*, & alibi pluries, induci non possit per Statutum, quod etiam repetitur *apud Merlin. decis.* 828. *& 853. & apud Roias decis.* 157., & in alijs, atque habetur deductum *sub tit. de dote disc.* 103. *cum seq.*, & alibi, præsertim *sub tit. de hærede disc.* 3.; Attamen dicebam istam videri nimium considerabilem circumstantiam, non in ordine
14 ad illam omnimodam incomparibilitatem, quam scholastico more in puro legulejco rigore ponderat *Merend.* vbi supra pro defectu potestatis, quãdo Statutum sit clarum, cum reuerà id improbabile sit, quoniã nihil impedit, vt id, quod vna lex induxit, altera tollat, sed ad effectum interpretationis, ac attendẽdi magis vnam, quàm alteram opinionem.

Ideoque mihi probabilius semper visum est, vt lex patriæ defuncti, ejusque coniunctorum in successione concurrentium, pariformiter vbique, tanquam super vnica successione, (vbi expressa lex
15 non resistat), attendi debeat eo modo, quo *sub tit. de iurisdiction. & for. compet. disc.* 86. habemus in materia fori super hæreditate, vel successione quando bona in pluribus prouincijs sita sunt, vt attẽdi debeat (vt Hispani dicunt) caput hæreditatis; Potissimè verò, ex motiuo voluntatis morientis, ob quam habemus, vt attendatur Statutum loci conditi testa-
16 menti, etiam pro bonis extrà territorium, non in ratione auctoritatiua ipsius Statuti, sed in ratione voluntatis testatoris, ex deductis *per Rotã apud Merlin. dec.* 447. *repetit. decis.* 355. *par.* 5. *rec.*, & habetur *sub tit. de fideicomm.*, ad materiam Statuti vocantis filios in conditione positos, cum similibus; Semper præ oculis habendo ponderationes, de quibus præsertim *in dicta Perusina disc.* 1. & in alijs.

BONONIEN.

SVCCESSIONIS DE ZANIS

PRO

COLLEGIO SOCIETATIS IESV

CVM

MONASTERIO MONIALIVM SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Discursus pro veritate super casu variè decisо per Rotam.

De Statuto Bononiæ exclusiuo fœminarum propter masculos, an afficiat Moniales tanquam personas ecclesiasticas, & Statuto non subiectas; Et generaliter de omni alio simili Statuto.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Statuta Bononiæ præferunt fœminis, etiam legitimatos.*
3 *Resolutiones causæ.*
4 *Rota tenet opinionem, vt fœminæ Moniales non excludantur à Statuto.*
5 *De Cathalogo ferè omnium Doctorum de ista quæstione agentium.*
6 *Ad quem punctum DD. restringere soleant dictam quæstionem.*
7 *Fœminæ forenses, & Statuto non subditæ adhuc excluduntur.*
8 *Quod incongruè quæstio restringatur ad punctum, de quo num.* 6., *& qualis verè sit.*
9 *De eodem, & qualis sit ratio exclusionis fœminarum.*
10 *De Statuti laicalis operatione circa iuramentum.*
11 *De exclusione clericorum à feudis.*
12 *De alijs licitis clericorum, & religiosorũ exclusionibus.*
13 *De exclusione religiosorum à beneficijs, & pensionibus.*
14 *De inuentione iuris ciuilis, et quarè Statuta debeant etiam comprehendere mulieres religiosas.*
15 *De ratione assignata per oraculum Pontificium.*
16 *Cathalogus recensitus, num.* 5.

DISC-

DISC. V.

AB intestato defuncto Angelo de Zanis, superstitibus Febronia sorore monriali professa in Monasterio Trinitatis, & Carolo Antonio germani fratris filio legitimato, qui emissis tribus votis, quæ dicuntur simplicia, non autem quarto solemni, ingressus fuerat Societatem Iesu, et cuius ingressus intuitu, ampliam fecerat renunciationem cum pacto resolutiuo in casu egressus; Fuit iste per Superiores, iuxtà stylum huius Societatis, exiustis causis ab ea dimissus, vndè propterea in statu sæculari constitutus, sublato etiam per dictum pactum resolutiuum, obstaculo renunciationis, hanc successionem agnouit prælatiuè ad dictam Febroniam, stante Statuto Bononiæ exclusiuo fœminarum propter masculos etiam legitimatos; Introductaque causa in Rota *coram Bichio sub die* 17. *Maij* 1641. ad dicti Caroli fauorem prodijt resolutio, quæ habetur impressa inter illas *Bichij decis.* 52. *repetit. decis.* 32. *par.* 9. *recen.*, dictaque resolutio produxit concordiam, qua mediante lis quieuit, donec vixit Carolus; Eo autem defuncto, scripto hærede Collegio eiusdem Societatis, hinc indignati aliqui agnati, Monasterij prætensiones iam sopitas (impugnando concordiam tanquam læsiuam) ex rescripto Signaturæ Gratiæ excitare curarunt *coram eodem Bichio*, coram quo proposita causa *sub die* 9. *Decembris* 1654., fauore Monasterij, (recedendo à dicta priori decisione) resolutum fuit, vt patet *ex decis. inter illas eiusdem* 625. *repetit. decis.* 349. *par.* 11. *rec.*, *decis.* 18. *post Zuff. de legitim. proceff.*, *& decis.* 36. *post Michalor. de fratr.* (isto abusu inter alios per Librarios, seù Bibliopolas introducto); Cumque post hanc decisionem editam, nouus concordiæ tractatus assumptus esset; Hinc per Societatis Superiores, ego, qui pro neutra partium in causa scripseram, de proprio sensu pro veritate consultus fui, ad effectum deliberandi, an expediret concordiam amplecti; quæ à me libenter consulta, sequuta fuit, atque liti finem dedit.

Duo autem erant puncti sub disputatione cadentes in vtraq; decisione enunciari; Primò nempè, an obstaret, necnè renunciatio, non obstante pacto resolutiuo in casu egressus, ex eo quod hic prætenderetur minus legitimus, vtpote absque legitima causa sequutus; Et secundò, posito quod renunciatio non obstaret, an Statutum prædictum afficeret dictam Febroniam tanquam monialem professam, à laicorum statuentium iurisdictione exemptam.

Super primo, ego non scripsi, quoniam, agnita dictæ prætensionis insubsistentia, *in repropositione causæ*, nulla capta resolutione, difficultas restricta fuit ad secundum super comprehensione monialis sub Statuto, quo non obstante soror absque dubio, iuris communis dispositione attenta, eius intentionem fundatam habebat.

In hoc autem; Quamuis pro meo sensu, omninò verius videretur, vt dicta fœmina sub Statuto comprehensa esset, proindèq; ad eius normam successio debita foret soli masculo; Attamen libenter dictam concordiam, quamuis Collegio præiudicialem, consului; Tùm ex prudentialibus motiuis respicientibus primum punctum; Tum etiam agnoscendo quod Rota moderna, iuxta sensum in ea tunc sedentium, vel maioris partis eorum,
4 istam opinionem tenaciter substinere profitebatur, dum id formiter, & ex professo firmauerat *in Spoletana bonorum* 13. *Aprilis* 1646. *coram Corrado impress. post Censal. ad Peregr. dec.* 34.; Idemque postea pariter ex professo dixerat *in Tudertina de anno* 1652. *coram Meltio impress. decis.* 256. *par.* 11., et consequenter quod probabiliter recessus sperandus non esset, vt subsequutus euentus docuit, dum postmodum in plerisq; alijs causis, cum eodem sensu processum fuit, & præsertim *in Tudertina*, *de qua sub tit. de testam. disc.* 25.

In Responso autem, seù Discursu desuper edito, in quo concludebam quod omninò improbabilis videretur hęc opi-
5 nio, quæ anteseignanum habet *Salicetum*, quem sequuntur alij, in cathalogo de quo infra, nullum adhibui laborem in parte doctrinali, expendendo scilicet numerū, & dicta DD. in verbis; Tum quia hunc improbum, ac ineptum humerorum laborem qui nullas ingenij partes habet,

genium semper abhorruit, ac nauseauit; Tum etiam quia, occasione reprobationis causæ post dictam vltimam resolutionẽ, vel vnus ex Scribentibus, in causa, vel alter qui maius otium haberet, cũ magna patientia, magnoque labore, omnium DD. hinc inde de materia agẽtium cathalogum composuerat, ordine alphabetico dispositum, plurium DD. verba præcisa recensendo.

Iste autẽ labor pro studiosorũ cõmoditate, ac veritatis elucidatione registratur in calce prȩsentis discursus; Ac etiã vt ità conuincatur ineptia eorũ, qui inanẽ allegationum cumulum optant, vel in scribentibus laudant, cũ ità dignoscatur quã facile sit id proprio operi referre agendo munus transcriptoris, vel collectoris.

Hinc proinde pro genio, & stylo, assumendo partem discursiuam, seù ratiocinatiuam; Aduertebam quod (pro meo iudicio) malè per aliquos DD., (cum quo-
6 rum sensu in secunda præsertim decisione Rotæ proceditur) restringi solet huius articuli nodus ad punctum subiectionis, siue temporis, in quo Statutum excludiuum hanc operationem facere debeat, an scilicet attendatur status personæ in instanti natiuitatis fœminæ excluſæ, quæ ita tunc in statu sæculari, Statuto subiecta erat, adeò vt per diuersum statum ecclesiasticum assumptum, dictus effectus iam consumatus tempore habili, cessare non debeat, vt substinet opinio Statuto fauorabilis; Vel potius attendendum sit tempus apertæ successionis, et an tunc fœminæ, vel aliæ personæ excluſæ subiaceant, nec ne Statuto, vt credit altera opinio, quam Rota moderna sequitur; Vnde propterea pro consueto Iuristarum stylo, (qui mihi verè ineptus videtur, ideoque tam in ista, quàm in omni alia interpretatiua materia nunquam intellectum in eius obsequium captiuare potui), immorantur in formalitate seù grammaticali significatione verborum, & an ista importent exclusionem seù inhabilitationem in ipso instanti natiuitatis, vel potius percutiãt dictum alterum tempus successionis; Siuè vt alij distingunt, an Statutum prodierit de tempore quo personæ excluſæ erant iã in statu ecclesiastico, ac exemptionis, vel potius in statu sæculari postea immutato, vt patet ex DD., qui pro vtraque sententia in dicto cathalogo, ac etiam in istius causæ, ac aliarum supra allegatis decisionibus recensentur.

Erroneum siquidem videtur, istam exclusionem referre subiectioni Statuti, seù eius iurisdictionali, ac potestatiuæ
7 auctoritati cum personis excluſis; Si enim ita esset, sequeretur quod fœminæ forenses neque excludi possent vtpote Statuti iurisdictioni non subiectæ; Et tamen contrarium est verius, ab ipso etiã Rotæ Tribunali receptum, vt scilicet subiectio personæ excludentis, iuncta cum altera subiectione bonorum in proprio sufficiat, non curata non subiectione personæ excludendæ ex deductis, *infra disc.* 33. Igitur ista ratio exemptionis fœminæ excluſæ prorsus incongrua est.

Idemque comprobari dicebam procedendo etiam cum opinione ab ipso met Tribunali moderno tempore tenta,
8 quamuis pariter pro meo sensu minus probabili, ex ijs, quæ habentur in *Tudertina disc.* 6., quod scilicet vbi agatur de successione clerici, quamuis contentio sit inter laicos Statuto æquè subiectos, attendi non debeat Statutum, ex ratione verisimilis voluntatis defuncti, qui potius eius successionem regulare voluerit iuxta ordinẽ iuris communis, cui subiacebat, quàm iuxta illum iuris statutarij, à quo erat exemptus; Ergò si regulanda est successio à præsumpta, seù verisimili morientis voluntate, desumenda ex eadem subiectione, non curata subiectione succedentium; Ita ex eadem ratione de consequenti resultat quod moriente laico, qui est subiectus Statuto, ad istius limites successio debeat regulari, non curata exemptione aliquorum ex successoribus, cum nullum rationis discrimen desuper dignosci videatur.

Multo verò magis dum, iuxta ea, quæ *in dicta Tudertina discur. 6. & in Perusina disc.* 1. ac frequenter in alijs insinuantur,
9 ista præsumptio voluntatis morientis se conformandi cum Statuto, ad cuius limites eius successio regulari debeat, maximum habet naturæ fomentum, ob regionis mores tam antiquos, quàm modernos ex ibi latius deductis; Igitur vis non est in subiectione personæ excluſæ, sed est in præsumptione dictæ voluntatis morientis, pro quo vt ad-

uerti-

uertitur *in dicta Perusina dicto disc.* 1. & in alijs pluries, Statutum facere dicitur testamentum; Quemadmodum igitur si moriens cum testamento, masculis, vel agnatis institutis, fœminas præteriisset, vtiq; nõ possent istæ ratione ecclesiasticæ immunitatis, morientis voluntatem impugnare, nisi quatenus contra illam ratione legitimæ aliquid prætendere possent; Sic à pari.

Ad quod bene conferre obseruabam ea, quæ habentur *sub tit. de dote, disc.* 143, & pluries *sub tit. de alien. & con-*
10 *tract. prohib.*, in materia iuramenti, quod legibus, & Statutis laicalibus non subiacet, adeòvt hæc Statura directè eius vim tollere non possint, et quatenus id agant, tanquam improba, & cassa censenda sint ex defectu potestatis; Et tamen rectè admittitur eneruatio indirecta, quæ resultat ex actu tẽporali, super quo lex laicalis rectè disponit, et de consequẽti cessat iuramentum ex defectu eius probationis, quia nempe admatur fides scripturæ, vel ex defectu naturali consequutiuo illi vitio voluntatis, cuius præsumptiuam probationem lex inducit, præsumendo scilicet actum dolosum, vel meticulosum, quoniam Statutum operatur circa probationem animi proprij subditi contrahentis; Sic in præsenti.

In idem quoque nimium conferre obseruabam ea, quæ habentur *sub tit. de feud præsertim disc.* 54. super inhabilitatione clericorum sæcularium, vel regu-
11 larium *in* successione feudorum, quoniam licet plures credant huiusmodi leges, vel consuetudines feudales cadere sub dispositione *textus in Authentica cassa, & irrita &c. Cod. de Sacrosanct. Eccles. & in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de Constitutionibus*; Contrarium tamen est verius, magisque vsu receptum, ex ea congrua, nimiumq; probabili ratione, quod lex directè non statuit super inhabilitatione clericorum, iurisdictionem cum eis exercẽdo, sed ita præsumit voluntatẽ infeudantis, quod scilicet hanc legem rei suæ adijcere voluerit, siuè desiderare in successore feudi qualitatem laicalem, ex cuius deficientia de consequenti, clericorum, & ecclesiasticorum exclusio, seù inhabilitas resultat, non directè ratione clericatus, sed indirectè, & consequtiuè ratione deficientis qualitatis laicalis.

Eodẽ modo quo *sub tit. de dote disc.* 12. & 167. habetur de dispositionibus, quæ circa dotes, vel dotalia subsidia fiãt, taxatiuè, ac limitatè fauore nubentiũ in fæcu-
12 lo, vt ab eis exclusæ sint eligentes vitam spiritualem, non in istius odium, sed ob dilectionem alterius qualitatis matrimonij carnalis, ob cuius deficientiam inhabilitatio resultat; Ac etiam habetur *sub tit. de fideic. disc.* 44. & *sub tit. de testam. disc.* 73. super inhabilitatione nuptarum, quodque solum innuptæ habilitatæ sint, quamuis id, attento iure ciuili prohibitam viduitatem redolere videatur; Siue earũ, quæ cũ certis personis, vel certo modo nubant, quãuis attento iure canonico, talis cõditio aduersetur libertati matrimonij eiusq; impeditiua sit, quo niã nõ dicitur dispositio odiosa, & priuatiua, sed solum inuitatiua personarum habentium certam qualitatem, iuxta parabolam Euangelij, vt inuitati ad nuptiale conuiuium, vestem nuptialem habere debeant, sine qua cœnaculum ingredi non liceat; Ideoque vt pluries habetur *eodem tit. de fideic. præsertim disc.* 63. & *seq.*, quidquid aliqui minus probabiliter dixerint, receptum est, validas esse testantium dispositiones super exclusione religiosorum, vel clericorum, ex dicta ratione, quod non est illos directè excludere, in odium status clericalis, vel religiosi, sed est inuitare solos laicos.

Quod etiam in materijs ecclesiasticis & spiritualibus praxis docet, quod quãuis Ecclesia Catholica nimium laudet
13 statum regularem, isteque in sensu aliquorum, reputetur perfectior, quàm ille clericorũ sæculariũ; Attamen eos excludit ab assequutione beneficiorũ secularium & pensionũ ecclesiasticarũ, adeòvt inducat amissionẽ etiã obtentorũ, *vt sub tit. de benef. & sub altero de pensio.*, nõ in odiũ status regularis, sed ob deficientem qualitatẽ clericatus sæcularis, cum similibus.

Hinc obseruabam, quod si casus non dedisset editionem iuris nouissimi *Au-*
14 *thenticorum*, per quod, agnationis, & cognationis, ac sexus differentia sublata fuit; Siuè quod pluries recensita legum ciuilium casualis inuentio post tot sæculorum sepulturam, & obliuionem, id dedisset de solis *Pandectis*, & *Codice*, non autem de *Authenticis* seù *Nouellis*

Iustiniani, vtique fœminæ nullum ius in successione haberent, siue essent sæculares, siue moniales, vtpotè à dicta lege non inuitatæ ad intestatam successionẽ, cuius beneficium prouenit à iure positiuo, non autem à iure naturæ; Igitur non videtur quid prohibeat, cur hanc fœminini sexus habilitationem, quam induxit Ius ciuile nouissimum correctorium Iuris antiqui, vel medij, non possit idem Ius ciuile particulare corrigere, siue antiquum restituere; Aut verius, ita non potuerint populi declarare animum non acceptandi dictum ius nouissimum *Authenticorum*, dum vt pluries aduertitur, à populorum vsu potius, quàm ab Imperiali auctoritate, iuris communis obseruantia prouenit, ità inhabilitando sexum in genere, seù pro regula, absque aliqua status distinctione, et consequenter non videtur quid in proposito commune habeat materia ecclesiasticæ exẽptionis, vel immunitatis; Quæ tunc intraret, quando successio alias debita esset de iure Diuino, vel naturæ, seù gentium, aut etiam de iure canonico, siue quod sola ratio status ecclesiastici seù religiosi esset causa exclusionis, quia nempè fœminæ sęculares non essent excluſæ; Secus autem vbi exclusio est generalis de sexu tollendo eam habilitationem, quam aliud ius laicale *Authenticorum* induxit.

Nimium quoque in id conferre obseruabam ponderationem iam ab alijs in ista causa factam, super confirmatione Statutorum Perusij facta per Gregorium XIII., qui non solũ Sanctissimus, ac iustissimus Pontifex fuit, sed etiã doctissimus I.C. fuit, dũ eã assignat congruã rationẽ, quod si Statutũ excludit fœminas in sæculo nuptas, quæ, earumque filij, & descendentes, verè, ac de facto sanguinem retinent, atque bona, quatenus successio eis deferretur, in sanguine conseruantur, multò magis excludere debet moniales, dum iuxta Canonistarum, in Curia Romana, ac foro ecclesiastico receptam opinionem, ita directè, ac immediatè, succedit potius Monasterium, quod in effectu est omninò extraneum;

Et quamuis in dicta vltima decisione *coram Bichio*, respondendo huic motiuo, dicatur, quod ista sit prouisio particularis pro ea Ciuitate, ad alias non extendenda; Attamen videtur parum congrua responsio, quoniam id attendẽdum non est in ratione priuilegij, cuius extensio non datur, sed attendi debet ratio generalis ità tanquam congrua per Summum Pontificem canonizata, cuicumque casui applicabilis, cui ea congruat.

Sequitur
CATHALOGVS DOCTORVM supra in discursu enunciatus.

TRibus de causis compulsi sumus ad hanc prolixitatem, alioquin onerosam ijs, qui angustijs temporis vrgentur, aut inuisam illis, qui vel incuria, vel dissimulatione affectata, tantum Auctoritatum numerum, & pondus declinare malunt, quàm experiri. *Prima* est, quòd non nemo Aduersariorum, ausus est affirmare opinionem excluſiuam Monialium *Falsam esse, & communiter reprobatam*; inclusiuam verò *magis veram & communem*, & pro illa *plures Doctores stare*, vel plurimos. *Secunda* est quòd maior pars illorum (licet perpaucorum) qui contra Statutum excluſiuum Monialium adduci solent; aut in hoc puncto iuris perperàm adducitur, aut etiam manifestè stetit tandem pro tali Statuto. *Tertia*, vt de Rationum ipsarum momentis constet, ex ipsa qualitate, & quantitate Doctorum, qui illi tanquam solidioribus, & euidentioribus permoti sunt ad pronunciandum in fauore Masculorum contra fœminas Moniales, ſperandum enim est à RR. PP. Romanæ Rotæ, & ab æquitate Tribunalis tam Sacri, fore vt recognita causa, secundùm eam, quæ verè *verior* est & *Communis* opinio iudicent, ac decernant perſistendum in priſtina, & iuſtiſſima Deciſione 17. Maij anni 1641. Coram R. P. D. Bichio.

1 ABBAS Panormitanus in cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſtitutionibus numero 25. ibi: *& ideò fuit aliàs consultum quòd si Statuto cauetur, vt stantibus masculis fœminæ non succedant, si fœmina erat monialis, Statutum non extenditur ad eam. In hoc tamen aduerte ad tres casus: aut Statutum iniecit vinculum ante clericatum aut post, aut oritur ius agendi ex facto Clerici seu quasi siue Statutum iniecerit vinculum ante, siue post. Primo casu statutum porrigitur ad Clericum: Exemplum,*

lam, statuto cauetur quod primogenitus succedat patri, si secundogenitus fiat clericus post statutum, ligatur illo statuto; & tribens Lapo affirmat *quòd si statuto cauetur quod stantibus masculis fœminæ non succedant, si tempore statuti filia fœmina erit secularis, repellitur à successione, licet intret monasterium postmodum.* Idem Abb. in cap. Quod Clericis; de Foro competenti num. 39. ibi: *Exemplum, iam statutum conditum est ante clericatum secundogeniti, quòd primogenitus succedat in hæreditate; certè licet secundogenitus postea fiat clericus, ligatur ista consuetudine, quia ante clericatum secundogeniti, ius primogenituræ erat effectum pro primogenito, ideo non debet tolli per clericatum superuenientem.* mox num. 40. subdit: *Et faciunt hæc ad quæstionem quotidianam: Statuto cauetur quòd superstantibus masculis, fœminæ non succedant, nunquid hoc statutum præiudicet fœminis effectis religiosis? Et secundùm prædicta concludè, quòd si assumpserunt monachatum ante statutum, non præiudicat eis, secus si post.* Requirit tamen Abbas, vt statutum generaliter excludat fœminas, tam laicas quàm moniales, ideoque in fine numeri 40. subiungit: *Sed si in omnem euentum filia fœmina veniret excludenda, extantibus masculis, valeret statutum ante ingressum factum; vt si diceret; Extantibus masculis filia fœmina non succedat, etiam si ingrediatur religionem, tunc enim non impedit religionis ingressum, cum in omnem euentum sit excludenda.* Hinc patet quare idem Abbas Consilio CXI. Catharinam monialem dixerit non excludendam à successione, *quia* vt ibi dicit nu. 4. *statutum non potuit præiudicare mulieribus, quæ iam intrauerant monasterium tempore statuti, erat ista Catherina, quæ non solum intrauerat, sed etiam adiuerat hæreditatem paternam.*

2 ACCVRSIVS teste Alberico de Ros. mox adducendo determinauit, statutum, de quo hic quæritur, debere seruari.

3 AFFLICTVS lib. 3. constitit. Sicil. rubr. 23. de succeff. Filiorum n. 17. q. 6. ait hanc esse opinionem communem, & se de hoc non dubitare.

4 ALBERICVS de Rosate lib. 2. de statutis, quæst. 103. num. 1. refert Franciscum Accursium præceptorem suum disputasse an valeat statutum quo cauetur, si quis intestatus decesserit relicto filio masculo, & filia, quod filia non veniat ad successionem sed debeat dotari? & nu. 8. concludit. *Successio defertur filijs, & filiabus per ius ciuile; ergo tolli potest per aliud ius ciuile: ipse Dominus Franciscus determinando tenuit statutum valere, & debere seruari, & dotata debeat esse dote contenta: non dotata dotetur decenter, & illa quæ religionem intrauit dotetur decenter, secundùm verba statuti.*

5 ALBERTVS Brunus Astensis tract. de statutis excludent. fœminas, articulo 6. num. 33. mouet quæstionem hanc, quam num. 37. repetens resoluit dicens: *An talia statuta excluſiua fœminarum comprehendant personas Ecclesiasticas, quando generaliter, & indistinctè loquuntur &c. vt quia simpliciter dicunt, quòd extantibus masculis fœminæ non succedunt; & tunc etiam sunt opiniones: sed magis vera & communis est sententia, quòd fœminæ, quæ tempore statuti conditi non erant ecclesiasticæ, sed factæ sunt postmodum, per tale statutum à successione propter masculos, excludantur, quia tunc cessat ratio, per quam videantur timidiores reddi ad ingrediendam religionem:* & allegatis multis à num. 38. ad 43. aliegat etiam iura pro contraria parte, sed numero 44. persistens in sua opinione dicit: *Sed istis non obstantibus adhuc puto prædictam opinionem tenendam, & esse pro ea magis communem opinionem, & maximè ex eo quod dicitur de primogenito, qui ex statuto vel consuetudine in successione præfertur, vt excludat secundogenitum etiam clericum, secundùm magis communem opinionem, prout etiam dicit Franc. Aretinus,* & numero 48. soluens rationes aduersariorum de suo ait: *Dici potest quòd clericatus vel religio superueniens non se extendunt ad casus, qui suam virtutem ante clericatum sortiuntur, sicut patet in exemplo de primogenito, cui à principio inest ius primogenituræ, quod sibi confert emolumentum successionis, & consequenter idem dicimus in masculo, qui fœminæ ex forma statuti præfertur, quia ratio sexus, quæ hunc effectum producit, adest illi à principio: sic dicimus quòd ius agendi ante clericatum obseruatur in vtroque foro, & quòd superuenientia clericatus non impedit causam prius inchoatam coram iudice seculari,* & num. 51. ad-

ducto

ducto exemplo de testamento pagani non solemni, & postea militis addit: *Sic ergo in proposito qualitas quæ adfuit à principio in muliere, per superuenientem religionem non mutabitur, nec ipsius qualitatis effectus:* & tandem num. 52. accumulat aliam rationem *quia Statutum afficit bona, vnde cùm antequam persona sit facta ecclesiastica, sint affecta, valebit quoad eam Statutum, siue illam ligabit l. rescripto §. fin. ff. de mune. & hono. cum concordantibus supra allegatis: nec per hoc fit grauamen, vel iniuria Ecclesiæ, vel Religioni, quia in omnem euentum talis persona exclusa remansisset, etiam si nec fuisset ecclesiastica.*

6 ALCIATVS eiusdem sententiæ fuit in cons. 358. nu 2. antiquæ impressionis, prout eum quoque allegant Carpanus, & Thesaurus, de quibus infra.

Alexander Raudensis, vide infra, Raudensis.

7 ALTOGRADVS consil. 66. num. 37. *Existentibus masculis, ab hæreditate patris fœmina esset exclusa ex dispositione Statuti fœminas propter masculos excludentis, quod cum iniecerit vinculum priusquam puella monasterium ingrederetur, eam etiam afficiat, vt in puncto pluribus probat Tamburinus, & Martinus Medices decis. 53. per totam.*

8 ANCHARANVS Cons. 11. in fine dicit *quòd licet in iam quæsitis Laici nullo ingenio possint derogare ecclesiasticis, tamen bene in acquirendis, si laici hoc non faciunt malo animo sed pro bono publico,* & consil. 107. num. 2. decidit Monialem *dotandam esse, ne per ingressum religionis, spirituale coniugium esse debeat deterioris conditionis;* & in fine aut admittendam esse ad successionem *aut dotandam*, & cons. 108. quærit item de Moniali, an sit dotanda, & præmittit num. 1. *Non absurdè quidem dici posset Statutum excludens fœminas à successione ab inteſtato extantibus masculis non debere intelligi de filiabus Monialibus, circa quas non potuissent Statuentes expressè disponere.* Supponit ergo Statutum expressè excludens Moniales, vt tales, non autem generaliter, vt fœminas, deinde num. 3. *Sed præsupposito sine præiudicio veritatis, quod arbiter nollet hanc interpretationem amplecti, sed præcisè ipsam tanquam fœminam, licet monialem cum masculo non admitti, vtrum secundum formam eiusdem Statuti debeat dotari* & tandem num. concludit *dotandam quia spirituale matrimonium est fortius, quàm carnale, & impediatur vita contemplatiua, &* alioquin retraheretur *à vita contemplatiua quæ est melior quàm actiua.* Quare si Statutum æqualiter disponat de laicis ac monialibus, easque sic excludat, vtrasque dotet, cessat ratio Ancharani & poterit arbiter non admittere Monialem ad successionem. Ex initio tamen huius consilij, & fine satis indicatur Statutum Ferariæ tunc factum fuisse pro ingressum illius fœminę in Monasterium, quod magis confirmabitur ex Antonio de Butrio.

Andreas Gail. vide Gail.

9 ANTONIVS de Butrio in Cap. Qui Clerici, de Foro competenti sub n. sic habet: *Ideò si statutum est factum quòd primogenitus succedat in hæreditate ante clericatum secundogeniti, & secundogenitus postea fuit Clericus, ligabitur illa consuetudine, quòd ante Clericatum iam erat affectum ius primogenituræ; non debet ergo tolli per clericatum superuenientem.* Deinde Lapi opinioni adhærens addit: *Ideò statuta ista, quæ excludunt fœminas à successione, vsque ad certum gradum agnatorum, si fierent postquam fœminæ monachatæ sunt, eis non præiudicarent, & sic de facto consului in Ferraria ego, & Dominus Petrus Ancharanus. Et si statuta essent simplicia, & ad tales non extenderentur; si eas præuenirent antequam monacharentur, eas ligarent, nisi specificè disponerent de monachatione ipsa.* Sed & antea in Cap. Ecclesia S. Mariæ de constitutionibus sub num. 20. dixerat: *Si est statutum, vel consuetudo quod primogenitus succedat in hæreditate, si ante consuetudinem secundogenitus iam sit Clericus, illa non ligat eum, aliàs si præuenit, sic;* & ibi. *Si autem iniecit vinculum ante Clericatum,* &c.

10 ANDREAS Barbatia Messanensis consil. 4. num. 17. & 18. cum Antonio Butrio, & Io. Andrea docet. *Quod si consuetudo primogenituræ fuit introducta antequam secundogenitus faerit effectus clericus, excludit à successione, quia iam consuetudo tali iniecit ei vinculum ante clericatum, & ideò Dominus Antonius in cap. quod Clericis refert se consuluisse cum D.*

Petro

Petro de Ancharano, quod masculus excludat fœminam in successione intestati, quòd huiusmodi Statutum excludit fœminam effectam Monialem, (nisi illud statutum emanasset, postquam illa fuisset effecta Monacha, quia tunc ligaretur tali statuto condito post monachatum) & sic statutum iniecit vinculum ante Monachatum.

11 ARETINVS in Cap. Quod Clericis, de foro competenti; quamuis argumentando dubitauerit in contrarium, in fine tamen fatetur esse magis communem opinionem quod statuto ante clericatū facto excludatur Secundogenitus ab hæreditate, quamuis postea fiat Clericus, &c. & argumenta dirigit contra statutum, quod conferat suum effectum in tempus delatæ successionis, sed vt notat Flauius Tortus infra allegandus, dicit sequendam esse communem Io. Andreæ nõn obstante subtili distinctione Salyceti.

12 ARGELVS de acquirenda possess. ex remedio legis finalis. Cod de edicto D. Adriani tollendo quæst. 3. art. 4. n. 799. post alios asserit; *Receptam esse opinionem quòd in huiusmodi Statutaria dispositione, ante ingressum Monasterij emanata, contineantur etiam Moniales, quia non potest dici contra libertatem Ecclesiasticam, & ideo seruanda est:* quem etiam allegat Redenascus infra.

13 ARNALDVS Ferron. lib. 2. consuetudin. Burdegal. tit. 15. de testam. in fine; à versic. *An statuto* planè stat pro eadem sententia, & *hoc esse certum* scribit nititurque vinculo à natiuitate iniecto.

14 AVCTOR Additionum ad Panormitanum in Cap. Ecclesia S. Mariæ, tit. de Constitutionibus post num. 25. §. *Fœminæ non succedant* subscribit Abbatis, & Pauli Castrensis opinioni de exclusione Monialium, si non erant in Monasterio tempore statuti.

Azorius: vide infra. Io. Azorius.

15 BALDVS in l. Cunctos populos Cod. de Sũma Trinit. & Fide Cathol. num. 55. litt. b. proponit hoc dubium. *Numquid Clerici includantur in statutis odiosis, vel exclusiuis, tunc si odium est irrationabile non includuntur exempti, nec veniunt in generali sermone &c. Si autem ratio finalis Statuti concernat bonum publicum, vt quod mulier non succedat, nisi in certa particula, extantibus masculis, tunc dic vt dicam in l. Deo nobis, & ibi per Iacob. Butr.* Postea verò in l. Deo nobis, §. Hoc etiã Cod. de Episcopis, & Clericis num. 8. iterum proponit casum hunc ibi: *Dicit Statutum quod filia dotata, vel Religionem ingressa extantibus masculis non succedat, modò quæritur vtrum istud Statutum valeat, quantum ad istam ingressam? Super hoc distinguit Iacob. Butrius: aut ingressio præcedit statutum, aut statutum præcedit ingressum; primò casu statutum non potest excludere illam Monialem, quia tempore conditi statuti illa non erat subiecta &c. Secundò casu dicit: quod videtur quod Statutum valeat, quia respectu bonorum deferendorum, Statutum potest disponere, quod deferantur filijs masculis tantum, vnde excludatur fœmina non quia Monialis, sed quia masculus includitur ad totam hæreditatem: dicit tamen ipse quod istud est dubium vtrum istud statutum sit contra libertatem Ecclesiæ: dicit quod ipse non soluit, quia tunc quæstio pendebat de facto.* Erat enim dubium id apud quosdam; mox Baldus solutionem suam subiungit dicens: *Tu solue quòd in primo membro ipse dicit verum sine dubio, quia quantum ad ius municipale Monachus habetur pro mortuo, vnde est exemptus à iurisdictione Laicorum. Sed in secundo membro subdistingue: nam aut statutum dicit, quod ingressus Monasterium non succedat, & tunc non valet, quia confert dispositionem suam eo tempore, quo Statutum non potest disponere. Aut dicit quòd ingrediens non succedat, & sic non requirit actum consummatum ipsius ingressus, & tunc valet, quia secundum id tempus persona erit subiecta &c. Nec est verum quod sit contra libertatem Ecclesiæ: nam ex quo principale est permissum, scilicet prouidere de cõseruatione domus, & agnationis, istud quod venit incidenter, & secundariò, non intelligitur tunc prohibitum argum. l. 1. ff. de author. tutor. & instituta de test. §. Legatarijs.* Antea verò Baldus in l. Omnes populi num. 54. ff. de Iust. & iure eiusdem sentẽtiæ fuerat cum Iacobo Butrio, non obstante quod alios dubitare in contrarium sciret, inquit enim: *Sed quia si Statutum dicret quòd Monachus non succedat? Certè si quis ante Statutum esset factus Monachus, non includitur in statuto, quia Laici non possunt statue-*

statuere contra Monachos, & Clericos, sed monachati post Statutum non succedunt, quia Statutum præambulans professioni, reddit eos incapaces secundùm Iacobum Butrium. Alij dicunt quod non valet statutum tanquam religioni contrarium: Item videtur l. Deo nobis istam causam, & causatum simul reprobare. Iunctis igitur quę postea in l. Deo nobis, §. Hoc etiam numer. 8. Cod. de Episc. & Clericis cum Iacobo Butrio determinauit, manifestum est Baldum, & Iacobum Butrium, non obstantibus aliquorum dubitationibus pro certo hanc sententiam retinuisse. Neque verò sibi repugnauit Baldus, aut mutauit sententiam, vt quidam colligũt ex eiusdem Consil. 55. lib. 5. in quo consuluit pro Moniali, casus enim diuersissimus erat à nostro: Statutum enim Fulginij, de quo ibi, excludebat fœminam à successione sub duplici conditione, nẽpè quod esset *dotata*, & quod masculus illi *superuiueret*: Sed Monialis in odiosis non venit nomine Dotatæ, & Angelus, ac Franciscus, vt narratur ibi in facto, filius Lilli inteſtati non superuixit Sorori suæ Moniali: verba Baldi sunt num. 1. *Nam licet statutum excludat filiam dotatam, tale Statutum nihil disponit de Monacha. Item quia Statutum loquitur de dotata excludenda quando superuixit masculus, sed hic non superuixit,* & num. 2. *Et hoc est clarũ si ista monacha viuit, item dico si decessit post mortem Angeli, & Frãcisci*, & mox *Monialis non includitur in statuto non Excludente.* Quia scilicèt non includitur sub nomine dotatæ nisi in fauorabilibus, & quia ipsa potius superuixit masculis.

16 BALTHASAR Carducius Consil. 78. apud Ziletum num. 10. tunc tantum ait non valere Statutum excluſiuum ingredientis Religionem, quando non æque excludit laicas, *Quia tale statutum esset intimidatiuum vitæ contemplatiuæ*, celsãte igitur hac vnica causa per eum adducta, & Statuto generaliter fœminas ingressuras excludente, valet.

17 BALTHASAR Tomaxius, Modernus propugnator Ecclesiasticæ Immunitatis: tractatu de Immunitate Eccles. tit. 1. numer. 799. rotundo ore pronunciat *Statutum excludere etiam Moniales, & hanc esse communem.*

18 BAEZA De non meliorandis filijs cap. 14. num. 33. sentit Statutum generaliter excludens fœminas propter masculos, excludere etiam Moniales, eo prorsus modo, quo Sanchez infra allegandus.

19 BARTOLVS in l. Cunctos populos, Cod. de Summa Trinit. & Fide Cathol. numer. 29. *Aut statuta sunt directò super Ecclesijs, vel rebus ecclesiasticis, & non valent* &c. *aut statuta sunt facta simpliciter, & tunc aut redundant contra ea quæ sunt concessa Ecclesiasticis, vel Clericis in priuilegium, & non valent; aut contra ea quæ competunt Ecclesijs, vel Clericis, non in priuilegium, sed vt cuilibet, & tunc ligant Clericos, & sunt seruanda in foro Episcopali, dummodo sint honesta.* Sed in puncto quæstionis huius l. final. Cod. de pactis num. 6. proponit casum de Statuto Assisij, *quòd ingrediens monasterium non succedat*, & soluit distinguendo sic. *Aut Statutum disponit in ingrediente per hæc verba: (ingrediens monasterium, vel si quis intraret monasterium, sit priuatus iure succedendi, vel non succedat) & dico quòd statutum valet, nam non disponit circa Clericum, sed circa Laicum, nam laicus est ille qui ingrederetur monasterium, sicut viuens moritur l. qui duos in princip. de manu. test. & huic non obest quod dicitur in authentica Cassa, & irrita. Nec obest authentica: Nisi grauati, quia ibi grauatur si monasterium ingreditur, hic verò lucrum aufert non autem in sibi quæsito grauatur. Si verò statutum disponit de iam ingresso, per hæc verba si quis ingressus fuerit monasterium, tunc non valet statutum, quia non potest Clerico auferre ius suum, & esset contra libertatem Ecclesiæ, & hoc dico saluo meliore iudicio, & determinatione Canonica, & Theologorum.* Quamuis autem hæc distinctio Bartoli visa sit aliquibus propter subtilitatem suam, verbalis potius quàm realis, & etiam in primo casu contra libertatem Ecclesiæ, quia ingressurus religionem retardaretur ab ingressu, videns se priuari lucro, & iure quærendo; tamen hinc manifestum est Bartolum multò magis stare pro statuto, quod nõ excludat ingressuram religionem specificè, sed generaliter vt fœminam.

20 BARZIVS quoque decis. 17. num. 29. vbi agatur de iure quærendo, docet Statuta laicorum Clericos ligare, & ità illũ addu-

adducit Mangilius inferius allegandus.

21 BELLETTVS, quem R.P.D. Meltius in Tudertina ſucceſſionis 29. Maij 1652. indicat ſub nomine *Moderni Pedemontani*: Eſt enim Io. Maria Bellettus Vercellenſis, Diſquiſitionum Cleticalium parte 1. Titul. de Exemptione Clericor. à ſtatut. ſæcul. §. quarto, num. 18. ait. *Quod ſi ſtatuta fuerint in ſpecie, quoad ea quæ tangunt perſonas Eccleſiaſticas, approbata per Papam, tunc valerent etiam contra Clericos, & Eccleſias &c. & tunc dicentur ſtatuta Papalia, iuxta regulam illam: Omnia noſtra facimus, quibus authoritatem noſtram impertimur, l. 1. §. meritò Cod. de veteribus iuribus enucl. Gloſſ. in cap. 1. de præſumpt.* & ſtatim idem Bellettus num. 19. ſubiungit, *Statutum tamen tam in incluſione agnatorum, quàm excluſione Fœminarum, conditum ante ſuſceptum Clericatum, ſiue monachatum, dummodo prohibitio non fiat in perſonam, comprehendit perſonas Eccleſiaſticas*, & cum Soccino, Neuizano, Burſatto, & Maranta dicit *eſſe communem Quia huiuſmodi ſtatutum non excludit perſonas eccleſiaſticas, vt Eccleſiaſticas, ſed vti vel ſecundogenitos, qui repelluntur à primogenitis, vel vti mulieres, quibus præferuntur maſculi, & ità non læditur libertas Eccleſiaſtica*.

22 BENEDICTVS Capra in Communium Opinionum Regulis Concluſ. 15. num. 39. *Quando tale ſtatutum eſſet de ſe honeſtum, & rationabile ligat Clericos, & perſonas Eccleſiaſticas*, & numer. 47. *Tertiò fallit quando Statutum injicit vinculum ante Clericatum, cum tunc liget Clericos quoad bona patrimonialia*, & num. 51. ſubſcribens Domino Nicolao, ideſt Nicolao Tudeſchio, qui idem eſt ac Abbas Panormitanus in Cap. Eccleſia S. Mariæ dicit. *Idem eſſe ſi ſtatutum diſponat quòd ſtantibus maſculis fœmina non ſuccedat, nam ligabitur tali ſtatuto ipſa filia, quantumcunque poſtea intret monaſterium: ſecùs ſi tempore dicti ſtatuti fuiſſet monialis, vt voluit Lapus, quod verum intellige*.

23 BLANCHETTVS de Compromiſſ. quæſt. 3. num. 32. poſt verſum: *In hac quæſtione*, noſtram ſententiam docet *ſic declaſam ab omnibus*, vt habetur etiã apud Tamburinum infra adducendum.

24 BONACINA de cenſuris in Bulla Cœnæ diſput. 1. quæſt. 16. Sect 2. puncto 2. num. 21. contra diſtinctionem Bartoli de qua ſupra dicit, *Statutum excludens ingreſſum, aut volentem ingredi Religionem, aut alios Eccleſiaſticos à ſucceſſione parentum agnatorum, vel aliorum eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, tum quia impedit ne bona locis pijs, vel Eccleſijs acquirantur, tùm quia retrahit Eccleſiaſticos à ſtatu Clericali, & Religionis*. At Statutum Bononienſe non impedit fœminis potius religioſis quàm laicis acquiſitionem hæreditatis, nec eas retrahit à ſtatu Religionis: cum æquè excludat laicas: in quo caſu ſtatutum ſit generale, & antiquius ingreſſu, non negat Bonacina valere, immo valdè indicat oppoſitum, dũ pro ſe adducit Felinum, & Duardum, quos conſtabit infra ſtetiſſe pro tali ſtatuto, & remittit lectorem ad *Carolum de Graſſis effectu 2. num. 269.* quem cùm Marta, Pariſio Macorello, & alijs fatetur *Oppoſitam ſententiam tueri, ſi Statutum editum fuit antequam fœmina Religionem ingrederetur*, quam diſtinctionẽ non modò non reprobat, ſed breuitati conſulens, & tacitè illi ſubſcribens ſubdit, *Vide prædictum Carolum de Graſſis, vbi plures quæſtiones ad hanc rem pertinentes tractat*. Tranſit ergo cum illo quem conſtat eſſe pro nobis.

25 BORGNINVS Caualcanus parte 2. deciſ. 9. num. 81. poſt aſſertum ſtatutum excluſiuum etiam Monialium affirmat *Contrariam opinionem eſſe periculoſam*, nempè ſuſcitandi infinitas lites, ac perturbationes Familiarum; *& pro iſta magis Communi fuiſſe iudicatum per Rotam Florentinam*. Pluribus verò hanc noſtrã opinionem tuetur parte 3. deciſ. 33. num. 15. à verſu *Quia tale ſtatutum*, vbi addit Opinionem hanc *inconcuſsè ſeruari in Ciuitate Papiæ*, & par. 4. deciſ. 31. num. 19. perſiſtens in eadem ait: *Hinc eſt quòd Statutum excludens fœminas propter maſculos comprehendit etiam Moniales, & Clericos, quia Moniales excluduntur propter maſculos ſeculares, & Clericos, & etiam comprehendit bona, & hæreditatem Clericorum, & vocat maſculos Laicos, & excludit fœminas etiam Moniales, quia iniecit à principio vinculum ſubiectionis, cui principio quilibet reperiebatur maſculus, & fœmina ſecularis, licet tempore hæreditatis, & ſucceſſionis non reperiretur*

secularis, tamen eos comprehendit, ligat, & vocat, vt est communis opinio, & ità seruatur, vt latè ego decis. 33. num. 15. in 3. parte.

25 BOTTILIERIVS I.C. Neapolit. tractatu de Successionibus ab Intestato cap. 1. theorem. 12. vt confirmet fœminas excludi à successione in bona Clerici intestati, per Masculum extantem, addit num. 18. *Immò dixerunt Doctores hanc consuetudinem vigere etiam contra Moniales, ita vt ipsæ excludantur per existentiam fratrum*, & allegatis Lapo, Bruno, Petro de Gregorio, Caualcano, & de Grassis concludit, *Igitur à fortiori dicendum est nostram consuetudinem habere locum in hæreditate Clerici defuncti, scilicet fœminas excludi per existentiam fratrum.*

Brunus. vide supra num. 5. Albertus Brunus.

27 BVRSATVS I.C. Mantuanus lib. 1. cõsil. 93. num. 28. ita loquitur. *Insuper ex alia opinione frequentiori calculo Doctorũ admissa quòd fœmina licet ingressa monasterium, seù Monialis, post statutum conditum effecta, vel quæ virginitatem vouerit, ab hæreditate masculis agnatis existentibus excludatur virtute Statuti, ea ratione vt plurimum assignata, quòd statutum tempore natiuitatis filij masculi illum tantummodo habilem ad successionem, fœminam verò inhabilem, ac incapacem reddat:* & num. 38. adducit illos, qui volebant statutum differre suam dispositionem, & effectum in tempus delatæ successionis, quando vtitur his verbis. *Si quis decedat intestatus*, ac proindè non ligare monialem, vel Clericum; secus autem si vtatur his verbis. *Agnati masculi excludant fœminas in successione transuersalium; cum isto casu statim natus masculus habilitetur solus ad successionem, fœmina exclusa, & nata fœmina statim successionis incapax efficitur ob exclusionem extantibus masculis, adeò vt licet postea, vel alter clericus ordinetur, vel illa monialis constituatur retineant tamen dictam qualitatem inclusiuam, & exclusiuam. Ossibus affixam, & ante professionem acquisitam.* Idem tamen num. 38. dicit quod etiam si statutum loqueretur per verba *si quis decedat*, comprehendit clericum, & monialem post statutum ad ordinem receptos *eo quia vinculum ante professionem, vel clericatum sit iniectum cum iura & c. afficiant eos præuentos ante clericatum, & professionem; secus si post clericatus, vel religionis ingressum statutum fiat.* Quod firmat per exemplum *de statuto totam hæreditatem primogenito deferente*, & num. 40. *Quam quidem doctrinam vinculi iniecti ante vel post clericatum ab omnibus passim probari video.*

Butrius. vide supra Antonius de Butrio.

28 CACCIALVPVS in l. Cunctos populos, Cod. de Summa Trinit. & Fide Cathol. num. 109. adducitur pro hac ipsa sententia per Gasparem Antonium Thesaurum, de quo infra verbo Thesaurus. Sic Cacheranus decis. Pedemontana 80. apud Bursatum, docet in similibus casibus Ecclesiasticos ligari statutis laicorum.

29 CALCANEVS Consil. 7. num. 17. ità concludit. *Sicut ergo super rebus sibi subditis disponere potest statutum laicorum, antequam sint acquisita Ecclesijs, vel Clericis, ita & super personis antequam sint effectæ Ecclesiasticæ; propterea dicunt Doctores, stante statuto quod ingressi monasterium, vel quod Clerici non succedant, quòd tale statutum non valet* &c. *Sed si statutum diceret quòd ingrediens monasterium non succedat, & sic non requirit actũ consumatum ipsius ingressus, & valebit statutum, quia secundùm id tempus persona erat subiecta statuto.*

30 CALDERINVS in disput. quæ incipit *Statuto ciuitatis cauetur*, distinctione illa vtitur de vinculo iniecto ante Clericatum, si statutum disponat de ijs, quæ habent principium, & fundamentum ante Clericatum, non autem post. Certum est autem principium, & fundamẽtum excludendi fœminas, vt conseruetur agnatio per masculos esse sexum, qui ante Monachatum ab ipsa natiuitate incœpit.

31 CAMPEGIVS de Dote par. 3. quæst. 32. tunc tantummodo putat non valere statutum exclusiuum à successione, quando dirigit verba ad tempus, quo nondũ est quæsitum ius hæreditatis vlli, & excluditur monialis hac sola de causa quod fiat Monialis, ideoque num. 2. ait Non potest negari quod *tale statutum non sit impedimento futuræ ingressioni, & sic contra libertatem Ecclesiæ.* Qua vnica ratione exclusa sequitur per tacitum saltem

ipsius

ipsius assensum excludi Moniales, quando excluduntur non vt Moniales, sed vt Fœminæ.

32 CANCERIVS par.1. Variarum resolutionum cap.24. num.10.mouet dubiũ. *An valeat statutum vt ingrediens religionem, successione priuetur*, & respondet *tale statutum valere*, adductisque Bartolo, & Castrensi, approbat etiam Baldum: *Quòd licet in iam quæsitis Laici nullo ingenio possunt derogare Ecclesijs, seu iuribus Eccles. possunt tamen benè in acquirendis*, si laici hoc *non faciunt malo animo, sed pro bono publico*: & infra reddens eam rationem, *Cum tale statutum non fiat odio religionis, nec vt quis à religione auertatur, sed tantum in fauorem familiæ, ne bona extra familiam exeant* concludit: *Omninò fatendum est tale statutum valere*. Parte verò 3. cap. 11. à num. 187. ad 179. loquens de sua hac opinione antea tradita, perseuerat in ea dicens: *A priori sententia non existimo esse in iudicando, & consulendo recedendum, cum certum sit prædicta statuta religionis odio non fieri, sed tantum causa conseruandæ agnationis*.

Capra: vide supra: Benedictus Capra.

33 CAROLVS de Grassis, de effectibus Clericat. effect.2.num.269. *Quæro quarto an statutum quòd existentibus masculis fœmina non succedat excludat moniales, quæ habitum habuerunt post conditum statutum, & dicas quod sic*, adducitque Auctores fere 20. cum quibus censet esse magis communem, & id patere clarissime ait num.270. & num.271. inquit *Ratio prædictæ opinionis est, quia cum omnes nascantur laici, & sic à natiuitate sint suppositi dispositioni statutorum, clericatus superueniens eos non eximit à iure statutario, à quo à principio sunt ligati*. deindè subdit: *Alia ratio est quia cum spes succedendi fuisset certa à natiuitate, & sic antequam mulier efficeretur monialis, & ante delatam hæreditatem, statutum potuit talem spem à principio tollere, eos faciendo omnino incapaces, quod secus est in alijs statutis, vbi tempore natiuitatis nulla vigebat spes, neque excogitari poterat casus superueniens, ex quo sequitur quod cum statutum iniecerit vinculum ante monachatum, cum ipso eodem vinculo etiam ad monachatum transit*.

Carolus Ruinus: vide infra: Ruinus.

34 CARPANVS ad Statuta Mediolani lib.1. cap.278. cum num.130. dixisset secundum opinionem quorundam non videri statutum hoc comprehendere Moniales, statim num.131. ait *Verùm quòd comprehendat moniales factas post confectionem Statuti huius, vbi statutum simpliciter excludat fœminas propter masculos notat idem Castrensis &c.* & de sentẽtia multorum quos ibi accumulat, confirmat esse communem, *& tantò magis si factæ sint Moniales antequam hæreditas eis deferretur*; qui est casus Febronię ante mortem Co. Angeli de Zanis Monasterium ingressæ.

35 CASTRENSIS, ideſt Paulus de Castro Cõsilio in vetustis editionibus 339. libri primi, sed 304. in recentibus anno 1423. consuluit pro Hospitali S. Mariæ veniente ex persona Antonij cõtra Monialem exclusam à successione vi Statuti Florentini: & prius num.4.aduersariorũ fundamentũ prẽmittit ibi: *In contrarium dicitur & allegatur per Monasterium contra Hospitale quod Statutum Cõmunitatis Florentiæ præiudicium facere potuit dictæ Monialı, vel monasterio, ex quo tempore delatæ successionis illa erat Monialis, quia cum tunc temporis præfatum statutũ operaretur suum effectum exclusionis mulieris à succedendo, masculo extante, dicta q. Monialis tunc non esset subiecta iurisdictioni Statuentium, nec etiam monasterium, non potuit præfatum Statutum eam excludere*, & inter alia pro aduersarijs allegat Salycetum in auth. Cassa. Cod. de Sacrosc. Eccles. statimque subdit. *Sed si ista procederent videbitur laicis resultare magna iniquitas, quod euitandum videtur, vt notat Glossa Cod. de transact. l. si maior. Nam sequeretur quod si quis decesserit inte Status relicto filio, & filia moniali, & in monasterio competenter dotata, nihilominus Monasterium veniat ad dimidiam hæreditatis quantumcunq; magnæ vna cum masculo: Sed efficietur melioris conditionis, quia non excludetur à statuto, à quo, si non esset ingressa, excluderetur, quod quidem absurdum, & intolerabile videbitur laicis. Idcirco in hoc articulo saluo iudicio melius sentientis, videtur mihi sic dicendum, quòd longè aliud sit quando statutum specificè, & expressè disponit de Monialibus tantum, dicendo quod non succedant extante masculo, sed de monialibus nihil disponit: & aliud sit*

quando generaliter disponit quod mulier non succedat, extante masculo, non approbat enim distinctionem aliorum de ingressa, & de ingrediente, immo fusè illam reprobat, deinde subdit: *Si verò Statutum non loquitur specialiter de ingredientibus, vel ingressis monasterium, sed generaliter quod nulla mulier succedat extante masculo, tunc cessant rationes prædictæ, quia non efficiuntur deterioris conditionis propter ingressum: cum etiamsi non ingrediantur, excludantur: vnde non potest dici contra libertatem Ecclesiasticã; nec ex hoc capite nullum Statutum. Videndum est ergo an possit comprehendere moniales: & puto quod sic tali ratione. Nam in loco vbi tale Statutum viget, censetur correctum ius commune, quia cum illud deferat hæreditatem fœminæ vnà cum masculo; Statutum verò delationem reseruet si masculus non exiet, sed si extat aufert, ex hoc toto ius municipale efficitur ff. de iust. & iure l. ius ciuile, & non dicitur deferri hæreditas de iure communi sed ex forma legis municipalis ff. de lege, & senatus cons. l. 1. Igitur eo ipso quod mulier nascitur, infligitur sibi hæc potentia succedendi, ab ipso Statuto, scilicet in totum si non extiterit masculus, & in nihilum si extiterit: Transeundo igitur in monasterium, transit cũ illa potentia sic limitata, & sic conditionata, & non cum illa, quã mulieres habent à iure communi, quia, vt dixi, in loco, vbi tale Statutum viget, non censetur vigere ius cõmune, quoad fœminas, vel si viget, sub conditione dicitur vigere adiecta a Statuto videlicet, si masculus non extabit,* & post pauca *Satis enim est quòd nõ efficiatur deterioris conditionis propter ingressu, nõ ergo debet petere quòd sit melioris, & si non fiat melioris, non propterea potest monasterium conqueri argum. ff. quæ in fraudẽ Cred. l. qui autem, §. simili modo.* & iterũ sub eodem num. 4. *Dico quod Statutum non ligauit moniales nec eas impotentes effecit, sed effecit dudum antea, scilicet tempore suæ natiuitatis, & sic antequam de ingressu esset cogitatum.* Et in fine eiusdem numeri. *Alias sequeretur quod si fieret hodie lex Imperialis, statuens illud idem, quod statuit hoc Statutum, non ligaret moniales, quia possent venire secũdum ius commune anterius, quia a ratione Statutum non ligat ecclesiasticas, eadem nec lex Imperialis, nisi quatenus per Ecclesiam recipitur, vt not. in auth. hoc ius por-rectum; & tamen hoc esset ridiculum dicere. Concludo ergo dictam Monialem, vel eius monasterium audiendum non esse contra Hospitale ad aliquid petendum vltra quàm habuit tempore ingressus.*

36 CAVAGNOLVS ad decreta Montisferrati 13. §. 1. quæst. 7. fol. 79. de vinculo iniecto ante ingressum status Ecclesiastici, idem quod cæteri supra tenet.

Caualcanus, vide supra. Borgninus Caualcanus.

37 CEPHALVS I.C. Ferrariensis est vnus ex illis, quos aduersarij allegant passim pro se: Sed ille lib. 1. cons. 53. num. 43. & 44. ait *Dico etiam quod Statutum nostrum loquitur etiam in rem &c. quo casu omnes fatentur dispositionem ipsam personas quæque Ecclesiasticas includere: vel saltem effectus huiusmodi prohibitionis est propter rem: quia si prohibentur subditi, vetantur contemplatione ipsarum rerum: interest enim reipublicæ, vt bona remaneant inter subditos, quo casu quando saltem prohibitionis effectus est realis, ad Clericos etiam porrigitur: non enim debemus considerare corticem verborum, neque in quem ea sint directa, sed intentionem.* Quæ notanda sunt pro puncto infra discutiendo an dispositio de successione ad hereditatem, vt conseruentur bona in familijs agnationis sit realis potius, quàm personalis, & in fine num. 48. addit: *Posset etiam dici quod iste fuit factus Clericus post conditum Statutum, quo casu videtur vt liget etiam Clericos*, & pro hoc dicto allegat Io. Andream, Calderinum, Butrium, Imolam, & Ruinum. Idem lib. 1. cons. 95. cum num. 14. dixisset. *Ad primum respondetur, Statutum non complecti moniales, quod stantibus masculis fœminas excludit, & ita Butrius cum Ancharano consuluit in Ciuitate Ferrariæ.* At supra ostẽsum est num. 9. Antonium de Butrio cum Petro Ancharano ita consuluisse, quod tunc Statutum Ferrariæ non excludebat simpliciter fœminas vt fœminas, sed vt religiosas, & extendebatur etiam ad eas, quæ ante Statutum fuerant Moniales: Statutum enim Ferrariæ antiquũ sub rubr. de succeff. ab intest. num. 141. habet hæc verba; *Etiam si essent bona quæ recognoscerentur ab Ecclesijs, vel pijs locis, vel personis; & hæc locum habeant tam in præteritis, quàm in futuris.* Sed pergit Cephalus, & num. 15. eiusdem Consilij dicit; *Eorum fundamentum quo*

solo

illo mouentur, quod scilicet statutum iniecerit vinculum ante professionem in ipsa natiuitate tam ex parte masculi, quam fœminæ, locum habere non potest in statuto Ferrariensi, quod expresse confert suum effectum in tempus successionis delatæ, nec prius excludit fœminam, nec includit masculum vt subtiliter id perpendendo, & maturè considerando concludit Raynus cons.200 num.8. & cons.204. num.8. &c. & ibidem concludit: *Sic igitur vbi statutum stantibus masculis fœminas simpliciter excludit, potest procedere illorum sententia, vt effecta monialis post conditum statutum excludatur*: potuitnè clariori distinctione loqui pro statuto Bononiensi, quod in hoc toto cœlo diuersum est ab antiquo illo Ferrariensi, cum Simpliciter excludat fœminas vt tales, ob inclusionem masculorum, & multis annis præcesserit monachatum Febroniæ? & tamen aduersarij non dubitant pro se adducere Cephalum hoc ipso Cons.95. & hoc ipso num.15. Sed nondum finis: nam lib.1. cons.146. num.26. contra Monialem sic concludit. *Ex dictis infertur idem esse dicendum circa secundum dubium, de quo supra: nam ingressura monasterium, licet etiam censeatur comprehensa per statutum fœminas excludens, secundum magis communem opinionem, tamen ipsa habet maiorem facultatem renunciandi bonis paternis, nam ingressus monasterium non potest dici se enormiter læsum cum paupertatem profiteatur; nec monasterium vllam læsionem potest prætendere, cum spe lucri non debeat accipere ingredientem, quoniã esset simonia per Decium cons.31.* Superest Cephali cons.309. lib.3. vbi concludit statutum Mutinense excludens fœminas propter masculos à successione in bona extra territorium sita, quia statutum ob bonum publicum potest reddere inhabiles mulieres sibi subiectas, & cum generaliter loquatur censetur eas inhabilitasse quoad bona omnia, sic ille num. 73. quæ licet diuersa sint à nostro casu potius tamen illi suffragantur.

38 CORNEVS. Consil.94. lib.2. num.9. asserit ius quæsitum primogenito ante Clericatũ secundogeniti, & ideo vi statuti aut consuetudinis antecedentis excludi secundogenitum ab hæreditate, etiam si postea fiat Clericus.

39 COTTA nomine Catellanus in memorialibus verbo Clericus: ibi, *Secundò limitatur quando statutum prius vinculum iniecisset cognato vel mulieri, quæ monacha efficeretur, antequam clericatum assumeret, vel religionem ingrederetur*: asserit enim tunc statuto ligari, immò asserit omnes recentiores Canonistas idem sentire, ibi *vbi omnes, moderni*.

40 CRAVETTA, nomine Aymon. cons. 251. in fine num.1. & initio 2. *Maximè autem efficax erit eiusmodi consuetudo circa successionem, quia in ea tractatur de iure quærendo, &c. ideò valet statutum laicorum in præiudicium Ecclesiæ quando tractatur de iure quærendo*.

41 CROTTVS Cons.267. num.27. & 29. lib.2. Stat. pro exclusione Monialium, prout testãtur Caualcanus, & Redenascus asserens se Auctorem hunc in fonte vidisse cons.26. lib.5. num.9.

42 DECIANVS in tractatu Criminali lib.2. cap.35. num.4. *Quod tamen intelligè quoad quæsita non quoad quærenda*: *quia statutum Laicorum potest præiudicare Ecclesijs quoad quærenda, licet non quoad quæsita*: & num.13. *limitatur quartò quando statutum iniecit vinculum ante clericatum, quia licet post efficeretur clericus, ligaretur illo statuto*, & allato exemplo de secundogenito addit statim: *Similiter & statutum quòd extantibus masculis fœminæ excludantur, excludit fœminam factam monialem post statutum, & hanc dicit communem Aretinus in cap. quod Clericis in fine*.

43 DECIVS adeò constanter, aut rationibus sibi adeo repugnantibus loquitur, vt non minus pro nobis quàm contra nos adduci queat: quod breuiter ostendo: nam in l. filiæ dotem. Cod. de Collationibus columna penult. prope finem inquit ingressam monasterium comprehẽdi statuto excludente fœminas, *secundùm magis communem*, & Consil. 296. col. vtitur hac doctrina. *Testator manifestam facit differentiam inter masculos & fœminas, quia filios masculos dumtaxat hæredes instituit, filiabus autem particulariter dotes relinquit; quo casu testator non videtur motus alia ratione, nisi fauore agnationis, vt bona in familia conseruentur, prout Doctores dicunt in illo statuto, quòd extantibus masculis fœminæ non succedant*. Deinde Consil.588. numero 15. *Statutum laicorum valet in præiudicium Eccle-*

Ecclesiæ in quærendis, non in quæsitis, & subdit *Ideo cum in causa isto agebatur de iure quærendo agnatis in futurum, clarum quod illud factum ex causa à principe tolli potest*. Igitur & Statutum disponens de successionibus futuris ab intestato, ob conseruationem agnationis, agit de iure quærendo, non de quæsito, ac proinde potest disponere, ita vt ad moniales, non perueniat. Et in Cap. Ecclesia S. Mariæ de constitut. num. 240. ait *Tertia conclusio supra facta, habet locum quando tractatur de præiudicio iuris quæsitis: Secùs videtur esse in quærendo, in quibus valet statutum laicorum in præiudicium Ecclesiæ & Clericorum*, quod confirmat tribus exemplis dicens *Facit quod supra dictum est de beneficio statuti quod Clericis denegari potest*, & num. 241. *& ad id quod dictum est de prædijs tributarijs, quæ cum suo onere transeunt ad Ecclesiam: facit quod dicitur de prælato, qui Ecclesiæ præiudicare potest in quærendis, licet non quæsitis*, & num. 249. admittit quod statutum valeat, quando non loquitur *specialiter, & principaliter in præiudicium Clericorum. sed generaliter*: & inculcat illud *In quæstione ista de bonis quærendis in quibus Ecclesiæ videtur quòd facilius præiudicari possit*, ac tandem num. 251. *Quando non agitur de graui præiudicio Ecclesiæ, & statutum laicorum habet rationabilem causam, etiam respectu Ecclesiarum, & piæ causæ debet seruari. Hactenus Decius pro nobis*. In eodem tamen Cap. Eccles. S. Mariæ num. 212. ait: *Et ideò ius quæsitum in Moniali debet considerari tempore mortis eius de cuius hæreditate agitur vt expresè tenet Salycetus*; & num. 213. *& sic in puncto iuris videtur quòd dicta monialis à dicto statuto non excludatur, nec etiam Clericus secundogenitus, nisi in fraudem hoc factum fuisset: nec obstat quod quando quis nascitur sit purus laicus, & sic videatur ligatus statutis Laicorum: quia à tali vinculo eximitur per ordinem Clericatus, per quem hoc priuilegium consequitur*. At hoc priuilegium nullo iure ciuili aut canonico probat, aut probare potest, deinde deberet assignare disparitatem inter hunc casum, & sequentem, quem num. 214. admittit dicens. *Quòd autem supra dictum est de vinculo iniecto, bene procedit respectu bonorum* & n. 211. cum Bartolo ait. *Quòd pro bonis, quæ non sunt quæsita Ecclesijs vel Clericis statuta possunt fieri quòd etiam si perueniant ad Ecclesias vel Clericos collectæ imponi possunt*. Quæro igitur cur per Clericatum non consequuntur hoc priuilegium, vt eximantur à vinculo iniecto? cum persona quæ debet compelli ad collectam soluendam, sit Ecclesiastica, etiam si videatur statutum loqui in rem: seu cur non similiter dici potest iniectum esse à statuto vinculum hæreditati Laicorum, ac possit peruenire nisi ad masculos, cum hæc nondum sit quæsita Ecclesiæ, sed Lis sit de quærendis? Superest vt exaggeratoriam illam rationem examinemus quam ibidem num. 212. addit dicens: *Nec placet illa ratio Pauli de Castro quod sufficit quòd monialis non efficiatur deterioris conditionis quàm prius esset, quia attenta tali ratione Clerici, & personæ Ecclesiasticæ, ferè semper statutis præiudicialibus laicorum subijcerentur*; quam etiam consil. 53. attulit: At hoc inf. fissimum est, quia vt contra illum respondit Bursatus Consil. 93. num. 41. sæpius fiunt statuta de nouo in quibus Clerici non comprehenduntur quoad ea, quæ non habent qualitatem aut principium ante Clericatum, & plurimi sunt casus in quibus gaudent immunitate Ecclesiæ, nec habent paritatem cum casu hoc Monialium, hanc eandem exaggerationem Decij reprobant Rochus Curtius, Sarayna & Tiraquellus infra adducendi & Fluius Tortus addens eorum responsionem tollere omne dubium. Immò veriori exaggeratione dici posset, quòd si per superuenientem Clericatum, ac Monachatum, posset quis eximere se à vinculo antea iniecto, & succedere in bona laici intestati, in nullo fere casu valeret doctrina de vinculo iniecto bonis aut personis, & sic ferè semper statuta & leges laicorum possent eludere.

44 DIANA parte 6. Resolutionum Moral. tract. 3. resol. 8. ad 3. argum. hæc habet. *Sed pro dilucidatione veritatis ad indiuidua deueniendo: Pone quòd statutum excludat fœminas à successione ab intestato stantibus masculis, quæritur an excludat filias Moniales. & distinguitur. Aut statutum generaliter modo, quo supra, loquitur, & persona de cuius successione tractatur, non erat religiosa tempore conditi, statuti, & tunc cum transeat in monasterium*

rium cum illa impotentia succedendi, ligatur tali statuto etiam facta Monacha, cum per ingressum non efficiatur deterioris conditionis, allegatisque multis, quos penè infinitos esse apud Hondedeum refert, & cum Socino ac Parisio supponens ita esse communem, *vt in iudicando & consulendo ab ea non sit recedendum*, prosequitur sic. *Aut Statutum non loquitur generaliter sed specificè, vt puta quia excludit mulieres religiosas, & tale statutum non valet, siue loquatur de ingressa, siue de ingrediente* vbi post adductos DD. concludit. *Si ergo statuta ex aduerso allegata sunt generalia, includunt etiam moniales, cùm ipsæ ingressæ sint monasterio cum illa impotentia succedendi, nec efficiantur deterioris conditionis per ingressum: si verò statuta sint specifica, non valent.* Hæc alioquin Ecclesiasticę Immunitatis propugnator acerrimus.

45 DVARDVS, quem in nupera Decis. Romana videas allegatum sub cognomento *Monicalcitensis* in Bullam Cœnæ lib.2. Can.15. q.17. loquens de Statutis num.25. ait: *Quòd si specialiter & ex certa scientia fuerint à S. P. approbata, tunc sunt indistinctè seruanda inter Ecclesiasticos, quoniam confirmatio facta ex certa scientia, dicitur actus Sedis Apostolicæ*: posthæc loquens de Statutis non confirmatis specialiter à Papa dicit num. 28. *Si verò in Ecclesiasticorum odium ac dispendium tendant, eos non includunt. Vnde statutum excludens à successione fœminas propter masculos, non comprehendit Moniales, vbi non iniecerit vinculum ante Religionis ingressum, sed contulerit effectum suum ad tempus delatæ successionis, quando ipsa Monialis non erat sub ditione statuentium.* Et ibidem de sententia Alterij in eandem Bullam subijcit. *Quòd si huiusmodi statutum expressam mentionem facit de Religiosis, seu Monialibus excludendo eas, non valet & repugnat libertati Ecclesiasticæ: tum quia seculares carent potestate statuendi aliquid de personis Ecclesiasticis, tum quia hac ratione retraherentur mulieres à monachatu*, ex quibus liquet de mente Duardi tunc valere statutum quando generaliter disponens de fœminis & eas vt tales excludēs nec retrahens à monachatu, iniecit antea vinculum. Ideo Canone 15.q.19. loquens de statuto laicali num.35. dicit. *Addetiam quod quando statutum generaliter disponens potest se habere ad commodum & incommodum, non potest dici præiudiciale, & proinde stante statuto, quòd extantibus masculis fœminæ non succedant, sicut Clerici masculi excludunt à successione fœminas seculares, ita fœminæ Moniales excluduntur à successione à masculis secularibus, & in hoc bene seruatur æqualitas vt habetur ex Felino.*

46 EMILIANVS cons.1. num.19. stat pro statuto Mutinensi excludente Monialem iam dotatam, vt testantur Thesaurus & Redenascus.

Episcopus Eugubinus, à Rota Romana sic allegatus in Bononiensi hæreditatis 28. Iunij 1652. coram R. P. D. Bichio, idem est ac Alex. Sperellus, de quo plura infra inter Auctores contra nos allegatos.

47 FABER in definitionibus Senatus Sabaudiæ tomo 1. lib.1. tit.2. definit.22. nostræ opinioni suffragatur, vt quidam Scribentes pro nobis allegant.

48 FELINVS Sandeus I. C. Ferrariensis in Cap. Ecclesia S. Mariæ de Constitutionibus sub num.77. inquit. *Sexto quæro vtrum stante Statuto, quod masculi excludant fœminas ab intestato, excludatur mulier monacha? Et breuiter conclude, quod si assumpsit monachatum ante statutum, non excluditur: secus si post*: deinde num. 79. subscribens rationibus Pauli Castrensis, quas attuli supra, nempe de Statuti Municipalis vi, & de impotentia succedendi à natiuitate fœminis inflicta, dicit cogitandum de Salyceti & Aretini opinione, quia est additio perfunctoria: mox subiungit. *Cæterùm quia communiter talia statuta ita demum excludunt fœminas, dummodo videlicet fuerint dotatæ, dicas quod etiam debet dotari, aliàs non excluditur à statuto.* Et num. 101. quærit an consuetudo, quæ præfert primogenitum in hæreditate, noceat Clerico secundogenito respondetque *Et conclusio est, quod nocet clerico, quia talis secundogenitus iã in natiuitate sua ligatus erat illa consuetudine per quam ipsi primogenito debebantur bona etiam inuito patre.* Quod confirmat ex dictis à se supra sic. *Vbi allegaui multos ipsam sequentes dum dixi, quòd statutum excludens fœminas, excludit eam, quæ post statutum ingressa est monasterium, propter vinculum sibi inie-*

iniectum ante professionem.

49 FLAVIVS Tortus in Annotationibus ad Statutum Papiæ sub rubrica Statuti 95. in ciuilibus num. 84. affirmat. *Communem esse distinctionem, quòd si statutum iniecit vinculum ante assumptionem clericatus, vel monachatus, & tunc comprehenduntur sub hoc statuto, & excludantur stantibus masculis à statuto vocatis,* & allatis DD. addit: *ea ratione clara quia per hoc statutum non fit præiudicium aliquod ipsis monialibus, cùm etiam si in sæculo remaneant, nihilominus essent incapaces successionis,* & post pauca: *cum iste defectus sexus fœminini nascatur cum ipsis fœminis, ipse est causa exclusionis non autem ipsa assumptio habitus monachalis, & propterea nullatenus retrahuntur à religione occasione huius statuti.* & num. 91. *Hoc statutum comprehendit personas monialium in capite exclusiuo, vt supra dictum fuit secundùm communem opinionem, & communem praxim in hac ciuitate Papiæ.* Postea num. 101. adducto exemplo secundogeniti excluſi, quamuis clerici subiungit. *Neque obstat quod dicta distinctio Io. Andreæ, & communis videretur intelligenda non de ipsa factione statuti ante vel post assumptionem clericatus, sed de effectu ipsius statuti, siue de casu illius contingente ante vel post Clericatum, per id quod Salycetus, Decius &c. quia respondetur pluribus modis: Primò quod ista subdistinctio communiter reprobatur, vt testatur Aretinus in cap. quod Clericis in fin. de foro compet. & inquit distinctionem Io. Andreæ esse simpliciter sequendam ab omnibus vti communiorem, non obstante subtili distinctione Salyceti.* Quapropter num. 102. pergit dicens. *Vinculum statuti iniicitur ipsis personis ciuium tempore, quo nascuntur, si tunc temporis Statutum erat conditum, non autem tempore quo casus statuti contingit: vnde fœmina statim vt nascitur, dicitur nasci incapax successionis masculi superstitis.* Obiectum vero Decij quod semper statuta laicorum ligarent Clericos solutum esse à Rocho Curtio & Tiraquello plenè, & *hæc responsio tollit omne dubium:* ad hæc num. 103. subdit. *Tertiò etiam ex abundanti dico quod subdistinctio* scilicet Salyceti *non procedit quando ante effectum statuti, vel in collatione illius est acquirendum ius ipsis vocatis à statuto.*

Postremò num. 130. & 131. repetit comprehendi moniales hoc statuto antea condito, & *esse magis communem.*

Franciscus Aretinus, vide supra: Aretinus.

50 FRANCISCVS Marcus in Decisionibus Parlamenti Delphinalis quæst. 250 num. 4. scribit. *Nec obstat si dicatur quod statuta laicorum non ligant clericos: quia hoc verum est quando specialiter loquuntur de Clericis, secus si generaliter Cap. cum venissent de eo qui mitt. in possess. & maximè quando statutum non concernit personam nec loquitur specialiter de persona clerici &c.*

51 FRANCISCVS Redenascus lib. Consil. 26. num. 9. *Cuius sanè generalis statuti dispositione fœminas quoque & Sorores Moniales, quæ post statutum assumpserint Monachatum, & sunt dotatæ, excludi propter masculos voluerunt præ cæteris infrascripti Patres, quos oculata fide perlectos ordine recenseo.* Et subtexit Catalogum Doctorum quadraginta quinque, dicit hanc sententiam fuisse *receptam in variis Tribunalibus, & in praxi obseruatam,* subscribitque Caualcano *contrariam opinionem esse periculosam: & in hac ciuitate Cremonæ nephas propè esset ab ista opinione recedere, quam in dubium audio nunquam fuisse reuocatam:* additque num. 10. *Fundamenta nanque habet in illa solidissima Ratione, qua dici solet per huiusmodi statutum nullum fieri præiudicium ipsis Monialibus, quæ etiam si in sæculo remansissent pari modo incapaces successionis fuissent, & à masculis excluſæ, quando non assumptio monachalis habitus, sed ipsemet defectus fœminini sexus sit causa earum exclusionis: Eo enim ipso quod nascitur fœmina, infligitur sibi à statuto character priuatiuus iuris succedendi &c. sicut eo ipso quod nascitur masculus recipit habilitatem succedendi &c. Vnde transeundo postea ad Monasterium, transit fœmina cum illa impotentia succedendi, quo fit vt per tale statutum minimè dici possit effecta timidior ad religionis ingressum.* Immò vlterius ait *Statutum iniiciens vinculum tempore natiuitatis, potuit ab ea auferre ius succedendi etiam viuente patre, aut alio de cuius hereditate agitur, quæ oblata censetur sub conditione si masculus extabit: non obstante quod tempore delatæ successionis in Monasterio reperiatur, quia*

super-

superueniens Religio non tollit ea, quæ à iure communi statuta sunt: At Statutum hoc in casu dicitur Ius commune, & non est postea quærendum quid fiat post delatam successionem, cum persona sit affecta dispositione statuentium.

52 FRANCISCVS Vegius Cons. 14. num. 14. relata opinione Felini de statuto excludente Moniales, & secundogenitum Clericum, si post statutum assumpsere habitum Ecclesiasticum, approbat eam addens: *Et ratio est quia Statutum, & cõsuetudo iam iniecit vires suas antequam personæ essent Ecclesiasticæ, meritò illas comprehendit, vt latè probat Felinus, & attestatur hanc esse communem opinionem &c. & ita dicendum in proposito.*

Fusarius, vide infra: Vincentius Fusarius.

53 GABRIEL Commun. Concluſ. lib. 6. titulo de Statutis: Concluſ. 6. num. 11. dicit opinionem de statuto excluſiuo generaliter quarumuis fœminarum ob fauorem agnationis veram esse, *& magis communem.*

54 GAIL nomine Andreas lib. 2. Practicarum obseruationum, obseru. 32. num. 4. *Statuta si simpliciter, & generaliter disponerent mulierem non succedere, extãte masculo, rectè includunt etiam moniales, cum in vniuersum omnes fœminæ fauore agnationis excludantur, nihilque eo casu contra libertatem Ecclesiæ specificè statuatur.*

55 GASPAR Antonius Thesaurus lib. 2. quæstionum Forensium quæst. 3. num. 2. narrat à Senatu Pedemontano in causa Astensi decisum fuisse *Moniales ab isto statuto excluſas censeri,* & num. 3. limitat sic. *Quod quidem habet locum quando Statutum generaliter disponit mulierem non succedere extantibus masculis, cum nihil tunc contra libertatem Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum odio specificè statuatur:* & num. 4. Neque dicatur *statutum non posse comprehendere personas Eccles. quia non militat quando Statutum iniecit vinculum ante religionis ingressum, & ingressus religionis fit magis accidentaliter, quàm principaliter &c. quia intentio principalis statuentium est vt bona, super quibus statuere possunt, conseruentur in agnatione & familia defuncti, non autem vt excludant personas religiosas à laicorum successione,* & concludit: *In praxi non solet ab ista opinione recedi, quæ vbique terrarum recepta est.* Verùm eodem lib. 2. tota quæst. 92. reassumens hanc controuersiam; firmat suam opinionem auctoritate Doctorum plurium quàm quadraginta, & refellens aduersarios ait: *Sed opinio Decij non est tenenda, & contra eum est magis communis opinio, & veritas est in contrarium, quia superueniens Religio non tollit ea, quæ à iure communi statuta sunt, & statutum dicitur ius commune in casu isto: neque attendendum est tempus delatæ successionis, quia cum tempore mortis persona reperiatur inhabilis, non est postea quærendum quid fiat post delatam successionem, cum persona iam sit affecta dispositione statuentium.* Subnectit postea tres alias rationes sumptas à statuti causa Finali, Materiali, & Formali, nempè à fine *conseruandæ agnationis ob bonum publicum, & quod Statutum disponit de bonis temporalibus, licet secundario de personis succedentium tractet,* & quod statutum simpliciter, *& indistinctè disponat circa res quæ iure communi competunt.* Postremò notetur illa Thesauri conclusio ad finem columnæ 3 *Quando statutum iniecit vinculum ante Clericatum, illa est procul dubio verior & magis communis opinio vt Monialis excludatur, & cum ista declaratione transeunt omnes Doctores supra &c.*

56 GEORGIVS Natta lib. 2. consil. 282. num. 11. & 12. *Statutum non valeret, si specificè tantùm disponeret de ingredientibus religionem, quia videretur principaliter retrahere homines à religione, sicut etiam hac ratione non valet statutum specificè disponens, quòd filia ingrediens monasterium non succedat: sed disponendo generaliter & ex honesta causa statutum includit etiam monachas quando iniectum est vinculum ante monachatum,* ideſt vt statim se explicat *si iam condito Statuto, monachæ fuerint effectæ:* & lib. 3. cons. 514. num. 13. dicit *Statutum prohibens successionem, siue loquatur in rem, siue in personam, videtur effectualiter disponere de rebus, seu de personis contemplatione rerum,* & cons. 515. num. 6. cum Cyno, & Ancherano docet. *Non esse contra libertatem Ecclesiæ Statutum, si præferat suam publicam vtilitatem vtilitati Ecclesiæ: nam principaliter intendit suam propriam vtilitatẽ, licet incidenter redundet in Ecclesiæ dam-*

num, vel potiùs in prohibitionem nouæ acquisitionis.

57 GERARDVS Mazollus Consil. 53. num. 47. *Habet locum huiusmodi Statutum, etiam ad excludendum Monialium religiosarum, quia lex dicitur de bonis, & potest prohibere bona acquiri vni, & alteri dare, cum bona sint sibi subdita.* Idem cons. 83. num. 34. *Intelligerem quòd moniales filiæ isto statuto non prohiberentur succedere, quæ essent moniales tempore statuti.*

58 GREGORIVS XIII. Pontif. Max. teste Giliano ad Statutum Perusiæ, verbo fœmina fol. 135. cum Reformatores Statuti Perusini sub Rubrica 45. & 46. excludẽte fœminas propter masculos, addidissent illam clausulam *Sine præiudicio locorum piorum, & personarum ibi existentium*, eam abolendam decreuit, & de facto abolitam fecit hac expressa ratione. *Quòd conseruationi Agnationum aduersaretur, esset que contra omne iuris, & æquitatis debitum*, adiungẽs vniuersalem rationem illam: *Cum par sit & esse debeat conditio fœminarum pia loca ingredientiũ, quàm nubentiũ.* Ita Oraculũ Sedis Apost. ex quibus liquet hoc nõ in Priuilegium Perusini Statuti, sed vniuersaliter pro quouis tali Statuto pronunciatum esse.

59 GVLIELMVS de Benedictis in Capit. Raynutius, verbo, duas habens filias num. 126. *Quoties statutum, aut patriæ consuetudo habet, quod filia stantibus masculis non succedat; tunc non succedere possunt, cum consuetudo, vel statutum eas excludat, etiam si moniales factæ essent; tanquam statuto comprehensæ, quia nascẽdo iam ligatæ erant statuto aut consuetudine, filias propter masculos excludente, vnde monachatus subsequens tollere non potest ius masculis quæsitum &c. Si autem monachatus statutum præcederet, vel consuetudinem, non posset eas, quibus ius erat iam quæsitum, excludere, & idem si monachatus statutum sequeretur, & statutum eas expressim excluderet. Sed vbi statutum simpliciter fœminas excludit, nihil expressè de monialibus disponendo, tunc omnes fœminas excludit quamuis religiosas.*

60 HONDEDEVS Eugubinus lib. 2. consil. 11. num. 15. proponit aduersariorum negantium exclusionem Monialium argumentum illud *quando ex verbis statuti constat quòd inclusio masculi, & inclusio fœminæ confertur post mortem illius de cuius successione agitur, quo casu cessat ratio, quæ in contrarium adduci posset, quòd statutum iniecerit vinculum in ipsa natiuitate fœminæ, & sic antè monachatum, vt in terminis statuti Ferrariensis respondet Ruinus, & Cephalus.* At ipse tandem respondet num. 37. *Verius quidem est statutum Cassianum generaliter excludẽs fœminas propter masculos, nulla facta mentione de monialibus, excludere etiam eam, quæ post conditum statutum effecta est monialis, ea ratione quia statutum iniecit vinculum ab initio, & in natiuitate fœminas ligauit, easque tempore, quo erant in sæculo sub iurisdictione statuentium inhabiles fecit ad succedendum cum masculis, & cum hoc vinculo inhabilitatis transeunt in monasterium.* Post quæ, allegatis plurimis Scribentibus, affirmat *hanc opinionem sequendam in consulendo, & iudicando, cum sit non solùm verior, sed etiam magis communiter recepta* & num. 38. *huic opinioni omninò inhærendum, quando ex verbis statuti non apparet statuentes voluisse conferre exclusionem fœminæ in tempus delatæ successionis, sed simpliciter excludit fœminas.* Denique num. 39. improbat distinctionem Ruini, & Cephali, *Quia communiter Doctores dicunt fœminam effectam monialem post conditum statutum remanere exclusam.*

61 HODIERNA ad Surdum decis. 20. num. 11. dicit hanc esse communem opinionem. Nouissimè aut in Controuersijs Forensibus lib. 1. cap. 7. nu. 58. *Sed contrarium videtur dicendũ à masculo nempè excludi monialem ab omnium successione &c. siquidem verissimum est ius commune esse correctum in ciuitate Neap. & ius municipale est ius Ciuile illius ciuitatis, vnde ex ipso quod mulier nascitur, infligitur sibi hæc succedendi potentia ab ipso statuto, scilicet in totũ si non extiterit masculus, in parte si extiterit, ipso enim puncto quo masculus natus est, qualitatem inclusiuam recipit, & filia etiam vt nata est impotentiam succedendi. Ingrediendo igitur Monasteriũ cum illa impotentia sic limitata, & restricta ingreditur, & non cum illa, quam mulieres habent de iure communi; argum. text. in l. Statius Florius §. Cornelio Felici ff. de iure fisci l. peto §. prædium ff. de leg. 2. & hoc modo ius quæsitum considerat Lapus allegat. 9. in fin. quem sequitur Tiraquell.* & in fine num. 68. negat *effectum statuti*

non

non considerari nisi tempore executionis, quia huic motiuo singulariter respõdet Tiraquell quæst.43.de primog. à num.16.

62 IACOBVS Butrigar. tenuit quod si Statutum præcedat ingressum, statutum hoc excludit Monialem, cum id possit facere respectu bonorum deferendorũ, vt de illo attestatur Baldus in l. Deo nobis §. Hoc etiam C. de Episcop.& Clericis sub num.8. & in l. Omnes populi nu. 54. ff. de iust. & iure.

63 IACOBVS Mandellus de Alba lib. 1. consil.98.num.1. *Respondeo esse veriorem, & magis communem opinionem, quòd si statutum loquitur de omnibus fœminis, siue tradantur nuptui, siue ingrediantur religionem, comprehendit tale Statutum eas omnes in effectu, & eas excludit stantibus masculis, quia cessant eo casu rationes omnes, quibus solent talia statuta impediri, ne comprehendant fœminas ingredientes religionem; videlicet ne retrahantur mulieres ab ingressu religionis, timore statuti, vel ne saltem efficiantur timidiores: quia etiamsi fœmina non ingrediatur religionẽ, comperit se excluſam à successione.* Idem lib.3.consil.498.num.1. *Si statutum simpliciter* diceret *quòd stantibus masculis fœminæ non succedant, & factum sit ipsum Statutum antequam nata sit ipsa fœmina, de qua agitur, vel saltem antequam ingressa sit religionem; tunc comprehenderent etiam Monialem, dato quod hæreditas deferatur postquam est facta Monialis, secundùm magis communem opinionem.* Et lib.3. consil.53. num.19. *si ex duobus filijs iunior efficiatur Regularis, erit talis filius excluſus per Statutum.*

64 IACOBVS Puteus in decisionibus Rotæ par.3. decis.99. num.3. *Est communis opinio in illo statuto, quod stantibus masculis fœminæ non succedant, quia tale Statutum ligat fœminas Ecclesiasticas, quæ tamen post statutum fuerunt factæ Ecclesiasticæ, & sic quando statutum per prius inuenit vinculum &c.*

65 IASON Maynus in l. finalis Cod. de pactis, & in l. Serui legato §. si testator col.2.ff.de leg. eiusdem fuit opinionis, vt attestatur discipulus eius Albertus Brunus tract. de Statut. Exclud. fœm.art.6. à num.38.

66 IMOLA in Cap. Ecclesia S. Mariæ, & in Cap. Dilecti, de Constitutionibus, & in Cap. Quod Clericis de Foro competenti, docuit quod Ecclesiastici ligantur statutis excluſiuis laicorum, si fiant Ecclesiastici post statutum conditum, & firmat id exemplo secundogeniti postea Clerici; eumque pro excluſione monialium adducunt Brunus, Capra, Mascardus, Riminaldus, Tamburinus, Thesaurus, Tiraquellus locis supra, vel infrà allegatis.

67 IOANNES Andreas in Regula Sine culpa in Mercurialibus, de regulis Iuris in 6. n.17. censet & ipse comprehendi, & ligari à statuto, vel consuetudine primogenitum præferente, secundogenitum quamuis postea Clericum, ne detur locus fraudi, & aliquis cum spe præripiendi primogenituram, vel succedendi ex æquo assumat Clericatum: quo argumento Io: Andream pro excluſione Monialium innumeri allegant ex his, quos partim iam nominaui, partim deinceps recensebo.

68 IOANNES Azorius 1. parte Instit. Moralium lib. 5. cap. 13. sub § Octauo quæritur: *Item solent esse Statuta, vt primogenitus excludat secundogenitum in bonis paternis; item vt masculi excludant fœminas: Quæres an valeant huiusmodi statuta Laicorum contra Clericos, vel fœminas religionis voto consecratas? & constans est multorum, & communis opinio, quam refert & sequitur Felinus nu. 101. valere, quoniam nihil detrahunt Ecclesiasticæ immunitati: nam ante Clericorum ordinem susceptum, ius est alteri acquisitum, proinde si secundogenitus sit Clericus nihil mirum si non succedat in bonis, quia lex constituta fuit antequam clericus crearetur. Similiter si fœmina sit Sanctimonialis Deo dicata, potest à successione paterna excludi, quoniam non excluditur eo quòd sit Sanctimonialis, sed quia antequam religionis votis sese astringeret, & Deo obligaret, lex fuerat constituta, vt masculi fœminas excluderent, & propterea excluditur: sicut etiam secundogenitus non excluditur quia clericus, sed quia secundogenitus. Ergo huiusmodi statuta nihil Immunitati Ecclesiæ derogant, & eo ipso tuta conscientia firma & rata censentur,*

69 IOANNES Bapt. de Sancto Seuerino *in l.Cunctos Populos Cod. de Summa Trinit. & Fid. Catholi. num.189. & 190.* dicit huiusmodi statutum afficere ipsam personam antequam monasterium ingrediatur, & ob iniectum antea vin-

cuium excludi à successione: & hanc opinionem magis communem, & veriorem attestatur: & proinde merito allegatur à Bruno num. 33. & Bursato & alijs.

Io: Cephalus: vide supra: Cephalus.

70 IOANNES Iacobus de Ferro super lege municipali Vicentiæ Cap. 14. n. 15. nititur vinculo iniecto Monialibus in ipsa natiuitate eo quod nascantur omnes laici.

71 IOANNES Bapt. Laderchius de Imola Consil. 74. num. 29. *Si injiciatur vinculum ante ingressum, nam hoc casu verius est valere: sicut dicimus de Statuto excludente fœminas; ob talem enim rationem & Moniales excluduntur, de qua ego aliàs latè tractaui*: Et in fine eiusdem Consilij concludit. *Quare arbitror hanc Monialem &c. omnino esse excludendam: alioquin malè ageretur cum plerisque familijs Ferrariensium; quandoquidem omnia bona earum breui tempore Monasteria vendicarent.*

Io: Salas: vide infra: Salas.

72 LÆLIVS Caputus ad consuetudines Neapolitanas in prælud. §. 3. n. 22. pro hac parte stat.

Lardechius: vide Paulo supra Io: Bapt. Laderchius.

73 LAPVS Allegatione 101. num. 26. *Nec obstat si dicatur quòd Statutum quod repellit filiam à successione extante patruo non obseruaretur in foro Ecclesiastico contra filiam Monialem: Primò quia hoc de se est falsum, quando statutum præcedit monachatum, quia iura quæ inhabilitant eam & excludebant ante professionem, excludunt, & afficiunt eam puellam tanquam præuentam l. cum quædam puella § sciff. de iurisd. omn. iud.*

Laurentius Calcaneus: vide supra Calcaneus.

74 LAVRVS de Palatijs *super Statuto Communiter per Italiam vigente, quòd extantibus Masculis Fœminæ non succedant* à numero 89. ad 100. disputans de hoc in vtramque partem, tandem num. 100. concludit: *Si verò Statutum non loquatur specialiter de ingredientibus vel ingressis monasterium, sed generaliter quòd nulla mulier succedat extante masculo, tunc cessant rationes prædictæ, quia non efficiuntur deterioris conditionis propter ingressum, sum, etiamsi non ingrediantur, excludantur, vnde non potest dici contra libertatem Ecclesiæ, nec ex hoc capite nullum: si ergo quæritur vtrum tunc possit comprehendere, dico quòd sic tali ratione*: num. 101. 102. 103. *Nam in loco vbi tale statutum viget videtur correctum ius commune* &c. & pergit exscribendo penè de verbo ad verbum Pauli de Castro discursum, quem supra deduxi num. 35. propterea non est cur eum hoc loco rescribam.

75 LOPEZ in l. 32. Hispan. tit. 9. parte 6. in glossa verbo *No valdera* citatur à Molina Iur. Conf. de quo infra pro hac opinione.

Mandellus: vide supra: Iacobus Mandellus.

76 MANDOSIVS ad Lapum allegat. 101. sub finem. *Non desunt tamen, qui distinctè affirmant Statuto fœminas excludente nunquam Moniales excludi: Sed horum opinio communiter est improbata*, & antea dixerat valere, *quando statutum cuiuscumque generis filias, non autem solas Moniales excludit, licet etiam de ipsis Monialibus mentionem faciat: tunc enim illud Statutum non impedit religionis ingressum ob metum non succedendi, nec Moniales efficiuntur deterioris conditionis, quoniam tam moniales, quàm aliæ filiæ excluduntur.*

77 MANGILIVS Pisaurensis de imputatione q. 58. num. 8. *Statuti mens fuit excludere filiam ab vniuersali successione cum fratribus; vt prouideret agnatis, & ne bona ad alienam familiam transirent quæ ratio est etiam in ea, quæ monasterium ingreditur, vt patet ad sensum*: & num. 33. respondet *Verius esse quòd statutum generaliter excludens fœminas propter masculos, nulla facta mentione de monialibus, excludit etiam eam, quæ post conditum statutum effecta est monialis, ea ratione, quia statutum iniecit vinculum ab initio, & fœminas à natiuitate ligauit, quas tempore, quo erant in sæculo sub iurisdictione statuentium, fecit inhabiles ad succedendum cum masculis, & cum hoc vinculo inhabilitatis transeunt in monasterium.* Deinde paulò post allegato in contrariam partem Salyceto, improbat eius opinionem dicens: *Tamen hæc est sequenda in iudicando & consulendo cum sit verior, & magis communiter recepta*, & num. 37. *Statutum disponit super bonis quæ defert masculis & aufert à filia, quoniam filia, non quatenus monialis est &*

mox: *At in quæstione nostra dici non potest contra libertatem Ecclesiæ, quia ex quo principale permissum est, scilicet prouidere pro conseruatione domus & agnationis; istud quod venit incidenter & secundario, prohibitum non intelligitur.*

Manicalciatensis allegatur à R. P. D. Bichio in Bononiensi Hereditatis 28. Iunij 1652. sub §. Quæ ratio. Sed is stat pro nobis & idem est ac Duardus, de quo supra num. 44.

78 MARANTA disput. 8. num. 26. & 36. opinionem hanc de vinculo iniecto ante monachatum, & ob id de exclusione fœminarum monialium *teneri communiter*.

Marianus Socinus: vide Socinus.

79 MARSILIVS in Capit. At si clerici num. 75. de Iudicijs: & in singularibus num. 303. subscribit Paulo Castrensi, quoad exclusionem Monialium, vt testatur Gaspar Anton. Thesaurus superadductus.

80 MARTA Neapolitanus in Consilijs Anno 1628. primum editis, Consil. 118. num. 14. ait veriorem & communiorem esse sententiam, quòd statutum laicorum excludat fœminas à successione in bona Clerici præsertim patrimonialia, deinde num. 15. in puncto hoc dicit: *Item hoc Statutum comprehendit personas Ecclesiasticas in capite exclusiuo, vt Moniales dicantur & sint exclusæ per masculos quando dictum Statutum iniecit vinculum ante assumptionem habitus, ita post multos relatos attestatur esse magis communem Parisius, Brunus, Bursattus &c.* Vbi manifestum est Martam seipso doctiorem factum retractasse, aut explicasse, quæ anno 1621. in contrarium attulerat in tractatu de successione legali parte 1. q. 13. art. 13. num. 1. dicens: *Effectus huius statuti non consideratur inspecto tempore quo conditur, sed considerato tempore ipsius exequutionis, quando videlicet effectum sortiri potest*: & allegatis quibusdam textibus & Alberico concluserat: *Si igitur tempore delatæ successionis filia reperiatur monialis facta, ipsa dicto Statuto ligari non potest, quoniam Statutum ante monachationem non adhuc iniecit vinculum: etenim an aliquis sit capax, tempus delatæ successionis attenditur non ante*, pro quo mirum est quod alleget Cephalum, Brunum, ac Ruinum, ac supra Alberico, quos manifestè oppositum sensisse docuimus, ac docebimus, quando statutum præcedens monachationem non excludit specificè fœminas, nec ex verbis ipsius colligitur ipsum differre suam dispositionem ad tempus delatæ successionis. Aduertendum est etiam Martam quæstione illa 13. art. 12. n. 14. exclusionem filiæ odiosam, sed sororis (qui est casus noster) fauorabilem putasse. Cum igitur standum sit vltimis resolutionibus Doctorum sicut vltimis voluntatibus, & Marta postea agnouerit ex Parisio, Bruno, & Bursato nostram hanc opin. esse magis communem, allegandus est potius pro nobis, quam contra nos, vt rectè allegat pro nobis Thesaurus: & idem esto iudicium de Martæ dictis in tract. de Iurisdict. part. 4. centuria 1. casu 4.

81 MARTINVS Laudensis de Primogenitis quæst. 30. in fine pro nostra Opinione affertur à Thesauro, sicut & Martinus Medices decision. Senens. 53. per totam adducitur ab Altogrado superius recensito.

82 MASCARDVS ad general. statut. Interpret. Conclus. 1. num. 235. *Secus si laicus sit, vel de foro seculari tempore Statuti, quia tunc à statuto vinculum iniicitur, à quo postea non eximiter per Clericatum superuenientem* & exemplificat in statuto, quo primogenitus præfertur secundogenito *quamuis postea Clericus efficiatur*: postea subscribit Abbati. *Quod si statutum disponat, quòd stantibus masculis fœmina non succedat, ligabitur ex eo filia, quantumcumque postea intret monasterium. Secus si tempore dicti Statuti fuisset monialis*: & num. 236. *Primò sublimita vt procedat limitatio de vinculo iniecto ante Clericatum in Casibus, qui habent principium & fundamentum ante clericatum, sicut in exemplo de secundogenito, & de moniali fœmina quæ excluditur. Secus est in alijs casibus qui essentiam, & principium sumunt post Clericatum.* Addit que hanc esse *bonam & necessariam distinctionem pro modo cognoscendi vinculi iniecti ante Clericatum vel post*, quo vtos esse ait Butrium & Calderinum.

83 Mazellus: vide Gerardus: Mazellus supra.

84 MENCHACA: de succes. creat. lib. 3. §. 21. num. 179. allegatur pro

opinione à Sanchez, infra recenſendo.

85 MENOCHIVS lib.4. Præſumptione 189.cum num.89. propoſuiſſet dubium an alienari poſſint bona fideicommiſſi pro dote conſtituenda filiæ, vel nepti quæ vult ingredi religionem & monialis effici, cum Bartolo, ac plurimis docet poſſe, idque confirmat num.94.ſic *Quarto accedit eorum traditio, qui dixerunt ſtante ſtatuto, quod filia nupta & dotata excludatur à ſucceſſione, ſatis dici dotatam & nuptam, quæ religionem accepta dote eſt ingreſſa.* Accepit ergo Menochius tanquam traditionem quandam, ſeù cõmunem doctrinam per manus traditam, quod filia quæ accepta dote religionem eſt ingreſſa, ſatis ſit dotata, & excludenda ſit à ſucceſſione. Neque obſtat quod idem Menochius *Conſ.* 1170. *nu.*8.dicit de attendendo tempore mortis in ſucceſſione deferenda: loquitur enim ibi de filia excludenda à ſucceſſione, ſed ſub conditione quod ſit dotata à patre ſaltem poſt teſtamentum, nam ſi non dotata, eſt habilis ad ſuccedendum: quare vt de hoc iudicetur expectanda eſt mors patris vt conſtet nũm ſaltem per teſtamentum prouiſum ſit illi de dote & lib. 4.Præſumpt.83.num.25.nihil de hoc ex ſua ſententia, ſed ſolum aliter ſoluit argumentum, dimiſſa hac opinione.

86 MERENDA lib. 23. Controuerſiarum Iuris Cap.30.num.6.*Circa ſecundam quæſtionem non eſt quod multis explicem, cum recepta opinio, & vſus quotidianus reſiſtat feminis*: poſt quæ allegatis aliquibus DD. pergit ſic. *Cum enim Statutum impediat fœminis acquirere ius ſuccendi, ſi extiterint maſculi, non poteſt allegari quod Statutum aliquid ipſis adimat, ſi tempore ſumpti habitus extabant maſculi: dum ab iiſdem maſculis excluduntur, hæc enim excluſio eſt effectus eius iuris, quod prius ipſi acquiſiuerunt, quàm illæ ſumerent habitum religioſum. Si verò maſculi non extabant tunc temporis, dicemus ſtatutum diſponere circa ſucceſſionem perſonæ ſubditæ generaliter, ac proinde non poſſunt conqueri moniales quod inde damnum ſentiant iuxta L. ſi quis nec cauſam ff. ſi certam perſonam. Omnia enim perturbarentur ſi perſonæ Eccleſiaſticæ occaſione damni per accidens venientis, impedire vellent effectum ſtatutorum à laicis conditorum ſuper rebus ſuorum ſubditorum, & proinde non poſſunt allegare ius commune l. Omnes populi ff. de iuſt. & iur.*

87 MERLINVS de legitima lib.3.tit.2. nu.21. *Infertur etiam ex prædictis quod ſtatutum excludens fœminas propter maſculos, vel propter agnatos, quod ſtatutum locum etiam ſibi vendicat aduersùm Monialem fœminam agnatam*, & cum Theſauro ſupponit eſſe *veriorem & communem*.

88 MICHELORVS de duobus fratribus parte 3. cap.8. num.2.eiuſdem opinionis adducitur.

89 MICHAEL Graſſus de ſucceſſoribus ab inteſtato q.3. num. 2. *Sed quæro numquid ſtatuto excludantur fœminæ religionem profitentes? Reſpondeo quod ſi. ita tenet Abbas, & hanc dicit eſſe communem*.

90 MIEREZ de Maioratu parte 3.q.3. num 2.eiuſdem eſt opinionis.

90 MINADOVS in repetit. comm. n. 13.& 22. & pro eadem ſolet afferri.

91 MOLINA Iuriſconſ. de Hiſpan. Primogenijs lib.2. cap. 10. num. 80. *Similiterque eam quæſtionem proponunt in Statuto excludente fœminas à ſucceſſione parentum propter maſculos, vtrum ſolùm comprehendat Monialem? in qua quæſtione communis reſolutio eſt, quòd ſi ſtatutum factum fuit poſt Clericatum, ſeù monachatum, illos non excludat; ſi verò ante factum fuit, ſic: idque in ſpecie ſic reſoluunt &c.* Et nu.81. id probat ex eo *quod hæreditas, exceptis alimentis neceſſarijs, competat filijs à iure ciuili, legibuſue Regijs, ideòque conſequens eſt, vt à principe quoad hoc ante delatam ſucceſſionem tolli poſſit ex communi opinione, de qua per Bartolum & communiter Scribentes in l. Gallus §. & quid ſi tantum ff. de liber. & poſthum. in quo non eſt facienda differentia inter Clericos ſeù Religioſos, & Laicos, cum omnes ex lege ciuili ius ſuccedendi capiant, atque adeò iure eiſdem ante delatam ſucceſſionem tolli poſſit*: poſtremò idem num.82.addit. *Quod etiam comprobatur ex eo quòd lex principis facta ob bonum publicum, quæ generaliter diſponit, nec de Clericis aliquam mentionem facit, indiſtinctè tam Clericos, quàm laicos comprehendit, niſi Clericis præiudicialis ſit: cum non potius in Clericorum, quàm laicorum fauorem ſeu odium condi ſoleat, quod ſufficit ad hoc, vt lex non dicatur Cle-*

ricis

ficis præiudicialis, vt Abb. Decius, Felin. & Scrib. in Cap. Eccles. S. Mariæ resoluunt.

92 MONTALBVS lib. 5. Fori tit. 5. num. 10. solet adduci pro hac ipsa opinione.

93 MONTERENTIVS ad Statutum Bononiense sub rubrica de Successionibus, ad §. de Clericis Religiosis, ac Monialibus, est manifestè pro statuto hoc in hoc puncto.

94 NATTA in tract. quod stantibus Masculis &c. quæst. 2. princip. num. 57. versu *Limita illam*, pro eadem opinione allegatur per Hondedeum, Mangilium, & Thesaurum.

95 NEAPOLITANVS additionator in Consuetud. Neapolit. tit. de succeff. ab intestato folio 100. littera D. & F. in hanc sententiam propendet.

96 NEVIZANVS Consil. 39. num. 16. & 17. docet non esse huiusmodi statuta contra libertatem Ecclesiæ, *quia non disponunt specifice de Clericis, aut bonis in Ecclesiasticis.*

97 PAVLVS Æmylius de Exceptionibus succeff. tit. 1. except. 1. part. 1. n. 72. & titul. 4. Except. 1. part. 1. num. 23. videndus pro eadem opinione.

Paulus Castrensis: vide supra: Castrensis.

98 PAVLVS Parisius lib. 3. Consil. 40. num. 15. *Dico tale statutum ligasse & comprehendisse dictam sororem effectam monialem, quoniam post conditum statutum ipsa effecta fuit monialis, non enim statutum loquitur de ingressis vel ingredientibus religionem &c. sed loquitur generaliter & excludit fœminas à successione fratrum extante masculo* & numero 16. *Quæ fœmina soror, si post conditum statutum assumpsit habitum, excludi debet à successione, nam statutum iniecit vinculum antequam habitum assumeret*: & num. 17. *Et etiam cum statutum prædictum concernat ius quærenaum & non quæsitum quo casu valet etiam in præiudicium Ecclesiæ & Clericorum*: & num. 24. *Quia omnibus istis obstat dictum statutum quod præfertur iuri communi, & ius municipale obseruandum est*: & ibidem addit *Communem opinionem, & iudicando, & consulendo sequendam esse, vt Monialis comprehendatur, quando post statutum conditum habitum assumpsit.*

99 PEREGRINVS lib. 1. consil. 91. n. 11. *Lex municipalis pro publico beneficio lata generaliter respiciens bonum commune, modò directè non sit lata ad onus personæ Ecclesiasticæ, valet & ligat etiam personas Ecclesiasticas*: & num. 12. *Statutum Laicorum simpliciter, & indistinctè disponens ex aliqua iusta, & honesta causa afficit personas, & res Ecclesiasticas, in ijs quæ iure communi competunt, & contraria opinio Canonistarum in quæsitis locum habet, sed in quærendis limitatur vt in his etiam clericos comprehendat.* Idem Marc'Anton. Peregrinus in Decisionibus Patauinis decis. 138. num. 4. *Sic & è contra statutum istud prodest filio masculo aduersùs fœminam professam, quia statim cum nata fuit, ex lege exclusionis onus ei fuit iunctum.*

100 PETRI de Gregorio Additio facta à Garzia Mastrillo de Dote & Paragio quæst. 13. lit. A., per Bottilierium adducitur pro hac ipsa opinione tract. de succeff. ab intest. cap. 1. theor. 13. num. 18.

101 PLOTVS consil. 93. num. 3. ad hanc ipsam rem allegatur à Thesauro, & à Redenasco; & Piagg. de consuetud. q. 11. num. 226. allegatus à Carolo de Grassis eundem adducit.

102 PVRPVRATVS in l. final. num. 153. Cod. de pactis apud Redenascum stat pro eadem.

103 RAVDENSIS, nomin. Alexand Variarum resolutionum Cap. 11. num. 9. *Nec obstat quòd statutum laicorum non adstringit clericos, nam istud est verum, sed non procedit quoad eorum bona laicalia vbi est statutum conditum, seu confirmatum à principe vibrante ensem Cæsaris in suo statu, estque honestum, non in odium Clericorum, & verba sunt vel censentur directa in ipsa bona, vel injiciunt vinculum statim à natiuitate, & antequam quis efficiatur clericus, tunc enim cum nullus sit contemptus Ecclesiasticæ qualitatis, ac iurisdictionis, nec audacia disponendi super bonis Clericorum, sed modestia laudabilis prudentia habet finem vtilitatis publicæ, nec imponatur falx in alienam messem, & præsumatur consensus Pontificis, statutum absque dubio valet*: ac nu. 20. *Et generaliter statuta laicorum condita non in odium Ecclesiasticorum, sed principaliter propter causam rationabilem, & publicam vtilitatem comprehendere Ecclesias, & pia loca tenent Doctores.*

Re-

Redenaſcus : vide ſupra : Franciſcus Redenaſcus.

104 RICCIVS in praxi Fori Eccleſiaſtici reſolut. 207. num. 8. part. 3. ſtat & ipſe pro nobis.

105 RIMINALDVS Senior in l. fin. nu. 8. verſu. & ad prædicta Cod. de pactis eiuſdem opinionis fuit, & lib. 2. conſil. 246. num. 21. vbi de primogenito.

106 RIMINALDVS Iunior lib. 1. conſ. 15. num. 79. *Ante Clericatum forenſis erat & inhabilis ad acquirendum, ex dictis decretis, & ſic iniectum iam erat vinculum incapacitatis ergo nulla vis, & iniuria fit clericatui, cum non excludatur tanquam Clericus, ſed vti forenſis, quæ qualitas eſt naturalis, illa verò Clericatus accidentalis vnde illa debet huic præualere l. 3. ff. de tutela*: Et ibidem num. 80. *Quod & in ſtatuto fœminarum excluſiuo latè proſequitur Brunus* : & lib. 3. conſ. 293. nu. 12. *Dixi & nunc repeto, tale ſtatutum comprehendere Clericos, & prodeſt ad excluſionem fœminarum &c.*

107 RIPA reſponſo 84. nu. 11. apud Theſaurum, & antea Reſponſo 6. num. 11. titulo de Lege, & longa conſuetud. ait hanc eſſe *communem Doctorum Concluſionem*.

108 ROCHVS Curtius in Cod. cum tanto, de Conſuetudine num. 689. ſed in noua impreſſione ſect. 8. num. 81. ait: *Sexta limita dictam concluſionem, vt non procedat quando conſuetudo iniecit vinculum ante clericatum, quia tunc, licet poſt conſuetudinem inductam quis efficiatur clericus, ligabitur tamen illa conſuetudine &c. Exemplũ ſi conſuetudine vel ſtatuto caueatur quòd primogenitus ſuccedat; certè ſecundogenitus factus clericus poſt ſtatutũ, vel conſuetud. ligabitur illo ſtatuto.* Quod corroborat per Abbatem, & alios dicentes. *Quod ſtatutum diſponens, quòd extantibus maſculis fœminæ non ſuccedant, excludit moniales, quæ aſſumpſerunt monachatum poſt ſtatutum &c. & eandem opinionem veram eſſe præſupponit Rota in antiquioribus ſub hoc titulo de conſuetud. deciſ. 1. & iſtam deciſionem dicit eſſe communem Aretinus in C. quod Clericis in fine, licet arguat in contrarium.* Refert deindè duas obiectiones aduerſariorum, quarum prima eſt Aretini à Salyceto ſumpta, *quòd ſtatutum ſolum iniecit vinculum tempore ſucceſſionis deferendæ*; & hanc ſoluit primò cum Paulo Caſtr. aſſerendo, *quòd ſtatutum prædictum iniecit vinculũ fœminis tempore quo naſcuntur, non autem tempore, quo ſuccedunt, quia ſtante dicto ſtatuto ius commune non habetur in conſideratione in eo loco, in quo viget &c. Excluſio enim fœminæ cauſatur propter qualitatem impotentiæ ſuccedendi, quæ præcedit ingreſſum monaſterij &c.* ſoluit ſecundo dicens : *Vel breuius poſſet negari id quod dicit Salyceus &c. quia de natura ſtatuti eſt ligare ſtatim, vt tradunt Abbas, & alij in cap. 2. ſupra eod. nec iſti verbo, ſuccedat, eſt adiecta, aliqua qualitas per ſtatutum, quæ qualitas debeat regulari ſecundum tempus ipſius verbi iuxta l. in delictis §. ſi extraneus ff. de noxalibus*.

Soluit deindè alteram obiectionem Decij dicens : *Non obſtat modò ratio Nouiorum dicentium, quod attenta dicta deciſione omnia ſtatuta laicorum ligarent clericos, quia omnes qui nunc viuunt, fuerunt nati poſt ſtatutum. Quia reſpondeo quòd aſſumptum non eſt verum, quia plerumque fiunt ſtatuta noua, vel reformationes, & ſic non omnes, qui viuunt, ſunt nati poſt ſtatuta. Vel ſecundò melius ex deciſ. Cald. quòd quando actus, de quo loquitur ſtatutum, recipit conſumationem, poſt Clericatum, tunc Clerici non ligantur.* Et dat aliqua exempla diſparitatis addens. *Sed in caſu ſtatuti excludentis fœminas dicimus, quòd actus excluſiuus fœminarum recipit conſumationem tempore natiuitatis ipſius*. Et concludit: *Stat ergo defenſata dicta limitatio* de qua ſupra dixerat. *Tamen tenendo limitationem prædictam, quæ in practica obſeruatur in hac patria maximè*: nempè Papiæ.

109 ROMANVS nomine Ludouicus in l. Stipulatio hoc modo concepta 61. nu. 18. ff. de verborum obligation., tenet *Moniales factas poſt Statutum excluſiuum excludi à ſucceſſione*.

110 ROMANA Rota olim idem tenuit in Deciſionibus antiquis, quas indicant Abbas, & Rochus Curtius ſupra relati, & ſub Iacobo Puteo, de quo vide ſupra, nomine Iacobus Puteus; & valde fauet deciſ. 99. num. 3. par. 3. & deciſ. 405. par. 5. recent. in Romana ſucceſſionis coram R. P. D. Veroſpio 15. Nouembris 1630. dum num. 30. & 31. admittit excluſionẽ fœminarum ab hæreditate eſſe ob conſeruan-

seruandam agnationem, & statuta huiusmodi *plurima per vniuersum orbem terrarum condita reperiri*, & ex Cyno hanc esse *obseruantiam ferè omnium Ciuitatum Italiæ*. Sed expresè in hac nostra Bononiensi Successionis de Zanis 17. Maij 1641. coram R.P.D. Bichio cuius Decisio in terminis est huius tenoris. *Carolo filio naturali Com. Ioannis de Zanis, & viuente patre per DD. de Campeggijs amplissimè legitimato dandam esse immissionem bonorum hæreditariorum Com. Angeli patrui, Rota censuit; Monasterio Monialium Sanctissimæ Trinitatis venienti ex persona Monialis Febroniæ sororis defuncti excluso, vigore Statuti Bonon. excluso sui fœminarum propter masculos.* Vbi cum bis nominentur *Moniales*, non potest dici Rota aut tantus Auditor non aduertisse ad hanc qualitatem, sed dicendum eum non reputasse illam pro releuanti, præsertim cum in tota illa Decisione, nusquam fiat mentio de hoc motiuo facto ab aduersaria parte, quamuis, vt dicitur in fine decisionis, *iterum atque iterum, acerrimè informante*. Quia tunc Aduocati Monasterij alias omnes subtilitates excogitarunt, & hanc de qualitate Monachatus obuiam, & patentem non ausi sunt producere, tanquam certissimi quòd ob vim, & obseruantiam statuti, nihil releuatura esset apud Romanam Rotam. Sed neque in tot Decisionibus eiusdem Rotæ vlla hactenus reperta est, in qua lis intentata fuerit contra Masculorum successionem à Monialibus illorum locorum, in quibus Statutum à Papa specificè confirmatum excludat æquè laicas, ac religiosas fœminas.

111 RVINVS, quem aduersarij non verentur contra nos allegare, manifestissimè stat pro nobis siquidem lib. 3. consil. 42. loquens de Statuto Perusino ait nu. 5. *Et Statutum hoc excludit etiam moniales dotatas, ex quo Statutum non loquitur specialiter de monialibus, sed simpliciter de filiabus, vel sororibus dotatis, quia statutum iniecit vinculum ante monachatum, & in natiuitate*: & pro hac ratione adducit Abbatem, Castrensem, Butrium, Ancharanum, Lapum, Io. Andr. Imolam & Calderinum. Meritò tamen cõtrarium dixerat de Statuto facto post monachatum, & expresè excludente personam Ecclesiasticam vt talem, nempè lib. 1. cons. 95. num. 6. ibi. *Si statutum excludit filias à successione extantibus masculis, non excludetur monialis, quæ erat professa ante statutum &c. & idem multo magis est dicendum si lex, vel statutum à iure delato specialiter excluderet iam professum*. Etsi verò lib. 1. cons. 204. vt probet Renunciationem à Monacho factam ante ingressum Monasterij iuramento vallatam, non obstare quo minus Monasterium nomine ipsius succedere possit in hæreditatem, quia in hoc attẽditur tempus delatæ successionis, & ad id num. 10. adducat doctrinam Salyceti, illi tamen firmiter non adhæret: nam ibidem dicit. *Et dato etiam quod Opinio Pauli de Castro, Romani, & Abbatis in quæstione statuti supra proximè formata, esset vera, tamen adhuc secus dicendum esset in casu nostro. Prædicti enim Dect. illam sequuntur opinionem, præsupponentes absolutè quod tale Statutum iniecerit vinculum, & effectum suum consumauerit ante delationem*. Quod pluribus probat, & postea sub finem num. 10. hoc supposito argumentatur à contrario sensu sic: *De mente ergo omnium esse videtur quòd si statutaria excluso referretur ad tempus delatæ successionis, quod monachos, vel moniales eo tempore existentes non existẽtes non excluderet, dato quod post Statutum forent ingressæ monasterium. Sed omnes, vt supra dictum est, tenent quod excluso, quæ ex renunciatione causatur, fortitur effectum tantùm tempore successionis delatæ, ergo ex mente omnium concludendum mihi videtur, quòd non operetur aliquid si tempore delationis est monachus, licet tempore renunciationis esset laicus*. Statimque subiungit aliam disparitatem inter Statutum, & Renunciationem, dicendo: *Pro qua differentia inter prædictũ statum, & dictam renunciationem facit, quod Statutum excludens fœminas superstitibus masculis tollit suitatem vt per Bartol. in l. 1. §. sciendum de suis, & leg. & per Bald. in l. maximum vitium in fin. C. de liber. præter. Renunciatio verò prædicta eam non tollit*: Ruini autem consil. 195. lib. 2. nõ facit ad rem, loquitur enim de passiua hæreditate Clerici, à qua negat excludi fœminas ob rationem eam. num. 4. *Nam in casu nostro Statutum loquitur in personam dum dicit, si quis ab intestato decesserit sine liberis &c. ex quo*

sequitur quod non comprehendit forensem, ergo nec Clericum, qui non est subditus: & quod persona Clerici, de cuius successio, ne agitur, magis etiam attendatur, quàm persona succedens, vel exclusa.

Libro autem 2. Consil. 200. loquitur in terminis de statuto Ferrariensi, quod peculiares clausulas habere supposuit ob quas suum effectum differret in tempus delatæ successionis, nec adhæret absolutæ Opinioni Salyceti num. 8. sed subdit. *Sed etiam dato quod quando statutum simpliciter extantibus masculis excluderet fœminas, operaretur etiam contra mulierem professam post hæreditatem delatam, prout voluerunt aliqui quos superius retuli. Nihilominus in casu nostro arbitror firmissimè quòd Statutum Ferrariense eum non excludat. Nam tenentes contrariam partem, mouentur solùm hac ratione, quia Statutum iniecit vinculum ante professionem in ipsa natiuitate tam ex parte masculi, quàm fœminæ &c. Quæ ratio locum habere non potest in casu de quo agitur, quoniam prædictum Statutum expressè confert suum effectum in tempus successionis delatæ, & prius non excludit fœminam, nec masculum includit.* Ponderat autem Ruinus statuti verba illa *si quis decesserit, vel decedat, tunc succedant, & præferantur fœminis quæ dictio, tunc, denotat extremitatem temporis, & significat quod postquam quis decessit, & non prius masculi præferantur* pro quo adducit quosdam textus. Quarè si Statutum simpliciter dicat præferantur, vel succedant, nec ibi apponat particulam, tunc, vel aliam, per quam exprimatur dilatio ad tempus successionis deferendæ; Doctrina de vinculo iniecto ante monachatum non est contra mentẽ Ruini. Omnibus ergo consideratis apparet Ruinum non fuisse absolutè contra nos in terminis statuti Bononiensis, immo stando, vt oportet posteriori ipsius sententiæ lib. 3. Consiliorum eum expresse state pro nobis.

112 SALAS tract. 14. de legibus disput. 14. sect. 8. cum docuisset Ecclesiasticos non teneri legibus laicorum; ponit tamen cum Rebuffo varias exceptiones, inter quas hanc. *Sexta exceptio, nisi ante Clericatum ordinatio in Clerico cœperit habere vires*, pro quo adducit non solum Io. Andr. de Clerico secundo genito, sed etiam Albert. Brunum in tract. de Statuto *exclud. fœminas*, de quibus satis supra; quare vtrique videtur subscribere quoad exclusionem Monialium à statuto præuentarum, alioquin non allegaret eos ad propositum.

113 SANCHEZ lib. 7. in Decalogũ cap. 12. cum n. 18. reprobasset distinctionem Bartoli, & aliquorum de statuto excludente ingressum, vel ingredientem Religionem, quia per expressam mentionẽ Religiosorum effectus statuti dirigitur in tempus, quo ille est ingressus religionem, tamen num. 19. limitat & ait. *Valeret tamen lex ciuilis statuens masculos in successione præferendos fœminis, nec obstaret quamuis fœminæ aliquæ effectæ essent moniales, adhuc enim ea lege ligarentur, & ipsæ postponerentur masculis. Ratio est quia lex ciuilis generaliter, & ob boni publicum edita, nec mentionem Clericorũ, aut Religiosorum faciens &c. ligat æquè illos ac laicos, vt diximus supra sed huiusmodi est lex ergo omnes ligat. Secundo quia cum tam seculares, quàm clerici ex iure ciuili ius succedendi habeant &c.*

114 SARAYNA Veronensis in Annotationibus ad Matheſilani Singularia sub num. 110. in Consilio Annotationi subiuncto num. 54. reprobat opinionem dicentium *quòd respectu successionis, tempus mortis eius, de cuius successione agitur, inspiciatur* & ait: *Immò ius erat quæsitum ipsis agnatis viuente eo, de cuius hæreditate agitur &c. Nam quoad eius exclusionem ius videtur agnatis quæsitum, siquidem eo ipso quòd nascitur fœmina, recipit inhabilitatem succedendi:* & num. 56. *Et quod dicitur tempus mortis quoad successionem inspiciendum esse, illud verum est quoad executionem, & effectum dispositionis, non quoad ipsam dispositionem*: quod latè probat vsque ad num. 62. vbi ex eo quod statutum conditum fuit *ante natiuit. Dom. Lucæ, & tempore eius natiuitatis vigebat* infert *quòd vinculum hoc statuarium fuit eidem à statuto impositum tempore quo erat laicus, & sic subditus statuentium iurisdictioni. Vnde concludi potest quod dictum vinculum, quo iam agnatis ius erat quæsitum, per qualitatem Clericatus postea superuenientem tolli non possit*, & num. 71. ac 72. attendendum esse intentionem principalem Statuti, quæ est inclusio masculorum, non exclusionem fœminarum, quę in consequentiã venit,

venit, & num.79. statuta quæ generaliter disponunt, porrigi ad Clericos. Et num.92. ac 93. discutit distinctionem de statuto loquente in personam, & in rem.

115 SEBASTIANVS Medices de legibus & statutis par.4.quæst.6.num.5. censet, *quod si Statutum simpliciter factum est contra ea, quæ Ecclesijs, vel Clericis non in priuilegium, sed vt cuilibet, ligat Clericos.*

116 SFORTIA Oddus apud Flauiū Tortum, & Redenascum lib.1.conſ.26.num.9. ait: *communem esse distinctionem in hoc articulo, quod aut Statutum iniecit vinculum post assumptionem habitus Monachalis, & Moniales non comprehenduntur sub capite exclusiuo Statuti: Aut iniecit vinculum ante assumpt. monachatus, & tunc comprehenduntur, & excluduntur stantibus masculis.*

117 SIGNOROLVS de Homodeis conſ. 6.in fine, de lege generaliter loquente, & ligante Clericos, eadem dicit, quæ Peregrinus ſupra, num.97.

118 SOCINVS Senior lib. 1. conſil. 81. colum. 4. §. *Sed restat alia pulchra difficultas*: tandem ſubſcribit opinioni Pauli Caſtrenſis, & concludit: *Si Statutum non specificè, & expressè de Monialibus, sed simpliciter, & generaliter disponit quòd mulier non succedat extante Masculo, valet, nec est contra libertatem Ecclesiasticam, quia non efficiuntur deterioris conditionis propter ingressum, cum etiam si non ingrediantur, excludantur.* Addit & approbat radicalem illam Caſtrenſis rationem. *Nam in loco vbi tale statutum viget, censetur correctum ius commune* & reliqua omnia, quæ iam ex Caſtrenſi ſupra retuli, & concludit. *In loco vbi tale Statutum viget, non censetur vigere ius commune quoad fœminas*: & item *quia non ligauit vt Moniales, sed dudum tempore natiuitatis.* Et confirmat *ex communi theorica Canoniſtarum, quòd quando Statutum iniecit vinculum ante Clericatū, tunc insequitur Clericum, & eum obligat,* datque exemplum de ſecundogenito.

Idem lib.2. conſil. 230. ad finem ait. *Tertiò & vltimò confirmatur ea clara ratione. Nam antequam dicta Catherina efficeretur de tertio ordine, erat iniecta qualitas filiæ; vnde superueniente qualitate religionis in personam matris, non debet hoc ius sibi quæsitum auferre.* Repetitque exemplum de primogenito. *Nam ante Clericatum secundogeniti erat iam acquisitum ius primogenito, & ideo non debet tolli per Clericatum secundogeniti superueniens. Et hanc decisionem sequuntur Canoniſtæ, quia stante statuto quòd stantibus masculis, filia fœmina non succedat, comprehendit etiam fœminas religiosas, quod iniectum est vinculum ante religionem assumptam*: & eodem lib.2.conſ.241. eandem distinctionem, & exempla eadem de excluſione ſecundogeniti Clerici, & fœminæ factæ Monachæ poſt ſtatutum repetit, & comprobat.

119 SOCINVS Iunior lib.3.conſ.25.num. 11.dicit ſic. *Tertiò euidentissimè demonstratur: nam quando Statutum excludit simpliciter certas personas à successione, puta filiam, sororem, matrem, aut similes fauore masculorum, non habetur consideratio cuius qualitatis sint dictæ fœminæ; sed satis est eas esse fœminas, & extare masculos propter quos excluduntur: adeo vt etiam Moniales, & sic non subditæ statutis dicantur excludi.* & cum Bruno dicit eſſe *magis veram, & communem*: & num.13. *Nec obstat quòd Statutum non potest præiudicare non subditis, quia respondetur quòd illud non procedit quando illud præiudicium venit in consequentiam permissæ dispositionis.*

120 SVRDVS, & ipſe allegatur pro aduerſaria parte, quia deciſ.20. num.7. dicit. *Non obstat autem quod statutum iniecerit vinculum ante adeptum Clericatum: respondetur enim hoc falsum esse, quia statutum tunc videtur excludere, quando casus euenit succedendi.* Sed ibi diſputat de bonis clerici, cui ſuccedēdum erat. At deciſ.160. num.7. de fœminis earumque actiua ſucceſſione aliter ſuppoſuit dicens. *Sed præter eos est decisio Anchoranæ conſ.433.col.1.num 3 vbi vult quòd vtile dominium rei Ecclesiasticæ, ligetur statuto, licet statuti vis non porrigatur ad directum existens penes Ecclesiam: quia quoad vtile competens laico nihil ad Ecclesiam: & statutum hoc casu non dicitur disponere de rebus Ecclesiæ, sed de iure personarum sibi subditarum, putà quando disponit quod succedat masculus vel fœmina, vel agnatus.* Immo eadem deciſ.20. num.8. agnoſcit diſtinctionem inter ſtatuta quæ non ſimpliciter ſed ſpecifice dirigūtur in Eccleſiaſticos, & quæ ſecus,

nam laudato Cephali conſ. 95. num. 14. ſubdit. *Vbi diſtinguit an ſtatutum ſimpliciter excludat, vel vim ſuam conferat in tempus delatæ ſucceſſionis &c. Doctores autem in contrarium citati, loquuntur quãdo ſtatutum conſumauit ſuum effectum ante clericatum.* Et conſil. 2. num. 43. dicit, *Nemo cogitur alijs benefacere, & aliud eſt tollere ius quæſitum, aliud verò denegare quærendum, & proindè non tenentur laici Statutorum beneficium Clericis impartiri,* & de ſtatuti huiuſmodi caſu ait. *Primo caſu non auferetur libertas Eccleſiaſtica, ſed denegatur beneficium, aut priuilegium, non tamen exercetur iuriſdictio in Clericos, ſed ius quærendum adimitur.* Et conſil. 192. num. 21. ad ſui fauorem adducit multos dicentes, *quod nomine dotis intelligatur etiam id quod datur puellæ ingredienti monaſterium, & eam ſic dotatam excludi à ſtatuto.* Poſtremò conſil. 343. num. 10. allegat, ſequiturque multos docentes Statutum diſponẽs de ſucceſſionibus, & excludens fœminas ob maſculos, diſponere principaliter de rebus eſto videatur loqui in perſonam, & ſic ſemper, & abſolutè ligare etiam nõ ſubditos, ſi bona de quibus diſponit, ſint laicalia: additque aliam rationem: *Quia intentio ſtatuti non eſt tam fœminam excludere, quàm maſculos vocare; quia ſi fœmina eſſet ſubdita excluderetur, ergo multò magis cenſetur excludere nẽ ſubditam, nempè quia multò minus vult vt bona trãſeant ad non ſubditam;* & nota illa verba *& id procedit multo fortius quando defunctus eſt ſubditus.* Quidquid ergo ſit de ſucceſſione paſſiua Clerici defuncti inteſtati, certè ſi agatur de Fœminarum etiam Monialium ſucceſſione actiua in bona laici inteſtati, & de quærendis non de quæſitis, Surdus ſtat potius pro excluſione Monialium, quàm contra illam.

121 TAMBVRINVS de Iure Abbatiſſarum & Monialium diſput. 8. quæſito 10. cuius titulus eſt. *Vtrum Statutum laicale fœminarum excluſiuum propter maſculos liget Moniales.* Reſpondet initio ſtatim ſic. *Licet ſit controuerſia inter Doctores, recepta tamen magis communis opinio in iudicando, & conſulendo videtur affirmatiua ſiue Rationes attendamus, ſiue numerum Doctorum, qui eam ſequuntur.* Et num. 1. ac 2. præponit rationem Pauli Caſtrenſis, de Iure Municipali à quo ſolo petendum eſt ius ſuccedendi cum reliquis, quæ ſupra ex Caſtrenſi attuli, & num. 3. addit: *& hæc ratio tanquam clara deſtruit vnicam in contrarium* &c. & num. 4. *Nam ratio ſexus quæ hunc effectum producit, adeſt illi à principio, & ſic etiam ſecundùm ſententiam eorum, qui contrariam partem conantur defendere, cum Religio ſuperueniens non ſe extendat ad caſus quì ſuam virtutem ſortiuntur ante Religionem, ſtatutum obſtat, cum ratio ſexus quæ effectum producit, adſit à principio.* Et num. 5. inculcat attendendum ſolum Statutum tanquam ius commune. Et num. 7. corroborat id exemplo de Secundogenito excluſo, non obſtante Clericatu ſuperueniente, & num. 8. Exemplo de prædijs tributarijs tranſeuntibus ad Eccleſiam cum onere reali collectæ, & ex generalitate ſtatuti nihil diſponẽtis ob odium Religionis & num. 9. quia ſtatutum non diſponit de Monialibus vt talibus, nec retrahit fœminas ab ingreſſu religionis. Ibidem ad opinionem Salyceti de attendendo tempore delatæ ſucceſſionis: ait *Clara eſt reſponſio, quod tempus delatæ ſucceſſionis, licet conſideretur reſpectu emolumentorum, tamen ad id requiritur facultas ſuccedendi, nec poteſt conſiderari illud tempus, cum facultas & ius ſuccedendi ſit ſublata ante per ſtatutum quod fieri poteſt etiam viuente patre,* Quibus latè probatis concludit: *Ex quibus ſine dubio patet quòd opinio in contrarium, tanquam ſine ratione, non ſit ſequenda, cùm iſta ſit magis communis & verior.* Confirmat tandem inde quod *verſemur in quærendis non in quæſitis, cum bona antequã acquirantur, ſint in poteſtate ſtatuentium*: & ex fine conſeruandæ agnationis, ob quem per totam Italiam ſunt huiuſmodi ſtatuta.

Theſaurus: vide ſupra: Gaſpar Antonius Theſaurus.

122 THOMAS del bene Neapolit. De Immunitate Eccleſ. tomo 1. cap. 8. dub. 11. ſect. 4. num. 4. & 5. Docet Statuto excluſiuo ligari Eccleſiaſticos ſi fiant Eccleſiaſtici poſt ſtatutum, hac etiam ratione, ne aperiatur via fraudibus.

123 THVSCVS Cardinalis tomo 7. Practicarum Concluſionum littera S. concluſione 581. num. 27. *Tertius caſus eſt quando Statutum Laicorum eſt generale & ad bonum publicum, & ita poteſt iuua-*

re

re Ecclesiasticos sicut etiam nocere, non tamen loquitur de ipsis Ecclesiasticis, vel ali si fiat statutum pro conseruatione agnationum, quod stantibus masculis fœminæ non succedant, quia sicut fœminæ quæ efficiuntur Moniales, excluduntur à laicis masculis, ita etiam filiæ laicæ excluduntur à masculis Clericis & in fine approbat apostillam ad Lapum quæ dicit: *Quòd attendi debet quia non retrahuntur mulieres à cælibatu & religione, quia omnes fœminæ excluduntur à masculis, & tantum confert quantum aufert.*

Tiberius Decianus: vide supra: Decianus.

124 Tiraquellus de iure Primogenitorum q.43.num.7. tom.1. totus est pro nobis non solum in casu Secundogeniti Clerici, sed etiam Monialis, si facti sint Ecclesiastici post conditum statutum, eo enim casu affirmat Statutum *Excludere fœminas moniales*: & num. 14. *Confestim vt masculus natus est recipit qualitatem inclusuam, & filia etiam vt nata est, impotentiam succedendi ideoque ingreditur monasterium cum illa impotentia succedendi existentibus masculis*, & paulò post: *Sufficitque quod per ingressum non efficiatur deterioris conditionis iuxta textum in l. Deo nobis §. Hoc etiam in fin. nec enim debet conqueri si non melioris efficiatur argum. l. Qui autem §. vlt. ff. quæ in fraud. credit. & propterea non est verum quòd Monialis excludatur, cum priùs esset exclusa à tempore natiuitatis suæ, id quod similiter dici potest de secundogenito Clerico & ita dicitur iniici vinculum ante clericatum, exclusio nascatur ex qualitate præcedenti Clericatum*: addit autem ius esse quæsitum hisante mortem, nec expectandum tempus delatę successionis, quod pluribus probat, & abunde soluit fallentiam Salyceti.

Tomaxius: vide supra: Balthasar Tomaxius.

Vegius: vide supra: Franciscus Vegius.

125 VILLALOBOS in commun. Opinion. verbo Statutum, adducitur pro hac opinione à Burſato & Thesauro.

126 VINCENTIVS Fusarius de Fideicommissaria substitut. q. 439 sub n. 25. ait per accidens esse quod in exclusione ab hæreditate retrahatur, quis à vita contemplatiua quando intentio disponentis illuc non ordinatur, sed ad bonũ conseruandæ familiæ: quãto magis si Statutũ non retrahat à vita contẽplatiua, eo quod excludat tã laicas, quã Moniales.

Vincentius Hondedeus: vide supra: Hondedeus.

127 VIVIVS lib. 2. comm. Opinion. verbo Statutum Exclud. num. 10. seu opin. 812. num. 14. ait hanc opinionem de Exclusione etiam Monialium esse communẽ, & pro tali eum allegant Mangilios, Molina, Redenascus.

128 VRSILLVS ad Afflictum decis. 310. num. 9. in fine idem docet, *quia versamur in bonis quærendis, & nondum Ecclesiæ quæsitis &c.*

DOCTORES PRO CONTRARIA opinione allegari soliti.

INter hos quidam falso allegantur ab Aduersarijs, alieno in puncto loquentes qui tamen in puncto nostro apertè stant pro nobis, cuiusmodi sunt, *Ancharanus, Baldus, Cephalus, Duardus, Imola, Ruinus, Surdus*, vt ostensum est supra; Quidam mutarunt postea sententiã vt *Marta*; Quidam disputando tantùm videntur contrarij vt *Aretinus*, sed tandem opinionem nostra communem fatetur; Quidam denique vt *Decius* ita inconstanter loquuntur, vt ex doctrina eorum sequatur eos, aut pro nobis potius, aut non magis pro contraria, quam pro hac allegandos, vt ex præcedẽti Cathalogo constat. Supersunt ergo perpauci alij, nempe Alexander Tartagnus, Cumanus, Rolandus, Salycetus, Sperellas. De quibus eodem ordine agemus.

1 Alexander Tartagnus de Imola libro 2. Consil. 221. num. 9. *Ex hoc quod contractus fuit celebratus post clericatum non dicitur statutum iniecisse vinculum &c. nam ius primogenituræ de quo loquitur Io. Andr. etiam viuente patre producit effectum; non mirum si in casu illo potest dici quod procedit, quia ante clericatum secundogeniti ius primogenituræ erat radicatum, & acquisitum primo: aliàs secus, vt est etiam de mente Salyceti in auth. Cassa.* & adductis verbis eius subdit. *Ecce quod Salycetus vult, quod sufficit ipsam esse monacham, tempore quo acquiritur ius: & licet tale Statutum esse factum ante clericatum, tamen non ligabit & idem consuluit Petr. de Auch. in cons. incip. in Christi nomine,*

amen,

amen, in paucis verbis & ita etiam vult Bald. Sed de Ancharani & Baldi opinione satis patet ex dictis. At eodem lib. cons. 121. num. 5 loquitur de testamento habente conditionem turpem, de qua dicit *habetur pro non adiecta, quia impeditiua est vitæ contemplatiuæ.* Libro porro 5. cons. 44. cum Butrio loquitur de monachatis ante statutum dicens: *Statutum non excludit filias iam monachatas, quæ nunquam fuerunt sub iurisdictione statuentium*, addens sic consuluisse Anton. de Butrio in ciuitate Ferrariæ & n. 16. *improbat statutū loquens in personam.* Fatendum igitur est Alexandrum licet obiter, tamen propendisse in opinionem Salyceti.

Raphael quoque Cumanus consil. 84. 2 ait. *Nam in successione intestati potissimum attenditur tempus aditionis in non suis hæredibus*: & in fine. *Cum dictum statutum laicorum non possit præiudicare, dicendum est ipsam Dominam Luciam Monalem, & eius monasterium admitti per edictum successorium.*

Rolandus de Valle lib. 2. cons. 57. vi- 3 detur sed nequaquam est contrarius, concludit enim Antonium licet Clericum, teneri tamen vi statuti ad compromissum, & soluens obiecta aduersariorum ponit responsiones, quas aliqui dare possent, & inter has hanc num. 24. & 25. vers. *Secundò responderi potest & quod si statutum iniecit vinculum ante clericatum, quod ligatur statuto*, quod etiam n. 26. per Abb. *habet locum in moniali stante statuto, quod fœminæ excludantur, quia si tempore statuti non erat monialis, sed secularis, excluditur postea:* post quæ num. 27. ait. *Verùm quia huiusmodi responsiones videntur pati aliquā difficultatē*, & inter difficultates adducit Alexandrum Salyceti sectatorem, de statuto exclusiuo fœminarum, effectum suum dirigente in tempus delatæ successionis his inquam relatis, subdit nu. 29. *Ideò transeo ad aliam responsionem, quæ non habet scrupulum.* Male igitur allegatur hoc loco Rolandus, tanquam adhærens opinioni. Alexandr. & Salyceti, cum eam nec approbet, nec reprobet, sed solutionem meliorem quærat. Idem lib. 3. cons. 35. num. 26. *quòd statutum disponens quod ingrediens monasterium non succedat, non valet, quia esset impedimentum vitæ contemplatiuæ.* At statutum Bononiæ, cùm æque laicas ac moniales excludat, non est impedimentum vitæ complatiuæ: non est igitur ad rem locus 4 iste Rolandi.

Salycetus est aduersariorū anteſignanus, qui primus doctrinam de expectando tempore successionis delatę in lucem protulit in *Auth. Cassa & Irrita.* C. de Sacrosanctis Ecclesijs num. 14. dicens. *Et ex his infertur ad statuta causa intestati concernētia, quorum aliquo cauetur, vt filijs masculis extantibus filiæ feminæ non succedant patri ab intestato, vt statutum illud non vendicet sibi locum si tempore mortis patris, filia concurrens cum masculo sit Monacha & idem si cauetur statuto vt extantibus agnatis vsque ad tertium gradum, cognati, licet intra illum gradum, non succedant. Nam cognatus intra gradum illum, & in sacris constitutus non erit Excluſus &c.* Quod firmat sic. *Et ita vidi determinari per valentissimos Doctores in persona Domini Vitalis Alidoxijs Episcopi Imolensis. Et prædicta intellige, quando tempore mortis defuncti, ille, de cuius exclusione tractatur, erat Clericus in sacris constitutus, alias si post mortem Clericus esset effectus de iure remaneret excluſus, & ei non prodesset superueniens clericatus, quia tempore delatæ successionis iam erat per statutum ligatus & excluſus. Vnde Clericatus superueniens ius alteri iam quæsitum tollere non potest.* Sed primò ego non video quomodo & vnde Salycetus colligat illam consequentiam & *ex his infertur* sub eadem rubrica multos casus admiserit, in quibus Clerici ligantur legibus, ac statutis laicorum: vt quando statuū dat formam & modum ædificandi porticum vel viam, de quo num. 12., aut quando terminat instantiam infra triginta vel pauciores dies, aut de satisdatione præstanda, de quibus num. 10. & alios quosdam casus admittit num. 8. Sed neque ex Regula, generali, quam sub finem numeri 1. dederat ibi. *Dico ergo quod statutum tunc est contra libertatem Ecclesiæ, quando per ipsum directo, vel per indirectum, aliquid disponitur, propter quod Ecclesia, seu persona Ecclesiastica, timidior efficiatur, quam libertas ex priuilegijs validis eis concessa exigit & requirit.* Imò ex his potius deducitur statutum

tutum, quod æquè excludit laicas ac Religiosas à successione, non sit contra libertatem Ecclesiæ, cum non reddat timidiores fœminas ingredientes Religionem, nec vllum priuilegium sit, quod Monialibus fœminis concedat successionem illam, quæ in iure ciuili denegatur fœminis laicis.

Sed esto quod Salycetus sibi nõ contradicat, contradicũt tamen illi innumerabiles Doctores, qui post eum ab anno 1382. vsque ad hunc 1655. de hac materia scripserunt exceptis enim Alexandro, Cumano, Decio, & Sperello nemo illi constanter & absolute adhæsit, Qui verò doctrinam de vinculo iniecto ab antiquiore statuto, & generaliter excludente à successione tã laicos quã Ecclesiasticos asseruerunt expresè, sunt plures quàm centum: immò qui Moniales excludi per huiusmodi statutum censuere, sunt saltem nonaginta & inter hos qui communem esse ac receptissimam opinionem nostram aiunt, sunt ferè quadraginta; Qui denique expresè impugnant vel improbant Salycetum, sunt *Barsatus, Castrensis, Hodierna, Hondedeus, Mangilius, Merenda, Flauius Tortus, Redenascus, Rochus Curtius, Sarayna, Tamburinus, Tiraquellus*. Quare in iudicando & consulendo nullo modo debet his præualere solitaria illa doctrina Salyceti.

Alexander Sperellus Episcop. Eugub. In decisionibus Fori Ecclesiastici: decis. 11. num. 20. hæc habet. *Quod autem dicebatur statuto excludente filias fœminas à successione ab intestato propter masculos comprehendi etiam Moniales, respondeo hanc opinionem Thesauri esse falsam & reprobatam: nam immò totum oppositum, vt nempè Moniales non afficiantur dicto Statuto, tenuit pulchrè Salycetus, Alexander, latè Cephalus, Ruinus, Brunus, Marta, Duardus, Rolandus & est communis & magis vera opinio, non obstante quod statutum prædictum iniecerit vinculum, antequam mulier efficeretur Monialis.* Et num. 23. approbat opinionem Salyceti de expectando tempore successionis delatæ, & ob id de Moniali non excludenda, quam dicit *Esse veram & in praxi receptam*.

Cæterùm Sperelli auctoritas in hoc puncto multis de causis claudicat. *Primo* enim hanc *opinionem Thesauri* appellat, quasi vnus vel primus Thesaurus eam inuenerit, ac propugnarit, cum tamen num. 5. ipsemet alios sex Doctores enumerarit; & si legisset Thesaurum ipsum lib. 2. quæst. Forens. q. 92. tota, agnouisset apud illum Doctores plures quam quadraginta pro exclusione Monialium allegatos, quibus si reliquos ex nostro catalogo adiungas, euadunt plures quam 90. immo si addas reliquos suffragatores sunt multò plures quam Centum. *Secundò* itaque miror quomodo potuerit dicere opinionem Thesauri esse *falsam ac reprobatam*, suam verò *veram & in praxi receptam*, cum pro opinione Thesauri stet non solum Centuria integra Doctorum, sed ex illis fere quadraginta numerauerim, qui asserunt eam esse *Veriorem, Communem, receptam, Constanti calculo probatam, sequendam in iudicando, & consulendo, decisam in Tribunalibus*, &c. Contrariam verò *reprobatam, periculosam, perturbationi familiarum obnoxiam, intolerabilem, & iniquam laicis* vt ex Cathalogo nostro patet, & in fine sub vnũ aspectum eos exhibebo. Sperellus autem septem tantum pro se Doctores adducat, sed non omnes ad rem.

Tertiò enim ex septem Doctoribus à Sperello pro sua opinione allegatis: duo tantum rectè allegantur: nempè *Salycetus* & *Alexander*. Reliqui videlicet Brunus, Cephalus, Duardus, Marta, Ruinus tandem stetere pro nostra opinione, & inter eos Cephalus, Brunus, Marta agnouerunt eam esse communem, Rolandus autem neque pro nobis, neque contra nos stat, vt ex verbis ipsorum demonstraui in Cathalogo.

Quartò concedit Sperellus ibidem num. 21. *Statutum quod ante Clericatum, vel professionem vinculum iniecit, personas Ecclesiasticas comprehendat: si ius agendi oritur ex facto ante Clericatum, vel ante ingressum in Monasteriũ.* Sed num. 23. malè applicat doctrinam hanc dicens. *Porrò ius succedendi oritur ex facto nempè ex morte Patris, vel Aui.* Horum enim mors, si sint Laici, non est factum personæ Ecclesiasticæ. nec ipsa mors est causa deferens ius successionis, sed aut testamentum, aut Statutum, & Ius municipale; esto expectanda sit mors intestati tanquam conditio purificanda, &

dice-

dicere quòd post mortem tantùm intestati statutum disponat, & tunc tantùm nascatur ius succedendi, est asserere sine probatione id, quod est in quæstione.

Quinto Idem D. Sperellus par. 2. decis. 135. num. 125. vtitur distinctione Calderini, de ijs quæ essentiam suam habent ante Clericatum, vel monachatum ad dignoscendum quandonam vinculum fuerit iniectum ante Clericatum, & adducit plures auctores, & illis pro se vtès dicit: *Qui omnes ponunt exempla tam statuti quod ante Clericatum iniecisse vinculum dici potest, vt de inducente primogenituram, vt valeat contra secundogenitum Clericum, vel de excludente fœminas propter masculos, vt comprehendat etiam Moniales, (licet etiam in his casibus aliqui secus senserint) Quàm etiam Statuti quod non potest dici iniecisse vinculum ante Clericatum.* Sicut ergo decis. 11. num. 24. non obstante aduersantium opinione, dixit Secundogenitum Clericum excludi à successione, ità ex dictis hac decis. 135. num. 125. non obstantibus aliquibus secus sentientibus, *Dici potest statutum excludens fœminas propter masculos comprehendere Moniales*, & iniecisse vinculum ante monachatum, cum sexus, ob quem excluduntur, habeat essentiam suam ante monachatum, nec quidquam superueniat in quod tendat exclusio. Dici ergo hoc loco posset aduersus Sperellum, sicut & Decium, & Martam, quòd Doctori qui fuit sibi contrarius, in eo non creditur, vt *l. in causa ff. de procurat.* Alexander *Cons. 185. num. 32. lib. 7.* Iason *Consil. 89. colum. penult. lib. 3.* Surdus *Consil. 2. num. 49.*

Totus igitur numerus eorum, qui firmiter, absolutè, & constanter aduersantur nobis in puncto particulari Statuti huius, resoluitur in Salycetum, Alexandrum, Cumanum, qui tanquam nulli censendi sunt, respectiuè ad centum, & amplius Doctores insignes pro nobis allegatos.

CONCLVSIONES
Pro exclusione Monialium ab Auctoritate.

I. COnclusio. Si sola Auctoritas Doctorum, & Qualitas attendatur, Excludendæ sunt omninò Moniales à successione, de qua agitur. Quia vt ex Cathalogo præmisso manifestum est, pro exclusione illarum stat plures quam *Centum Doctores*, & inter hoc præclarissimi Iurisconsulti. *Abbas, Accursius, Albericus, Ancharanus, Baldus, Bartolus, Brunus, Bursatus, Butrius, Butrigar., Castrensis, Carpanus, Caualcanus, Cephalus, Decianus, Felinus, Gail, Gulielmus de Benedictis, Hondedeus, Imola, Lodrechius, Lapus, Laurus de Palatijs, Maudellus, Mandosius, Mangilius, Maranta, Marta tandem, Mascardus, Merenda, Merlinus, Molina, Natta, Parisius, Peregrinus, Raudensis, Redenascus, Rimaldus vterque, Rochus Curtius, Ruinus tandem, Sarayna, Sfortia Oddus, Socinus vterque, Thuscus, Tiraquellus, Thesaurus.* Prætereà acerrimi propugnatores Ecclesiasticæ Immunitatis *Azorius, Bellettus, Bonacina, Carolus de Grassis, Diana, Duardus, Salas, Sanchez, Tamburinus, Thomas del Bene, Tomaxius, & ipse Gregorius XIII. Summ. Pont.*

Contraria verò ex parte stant solùm modò *Salycetus, Alexander, Cumanus, Decius* secum parum cohærens, & vt ijs quid de iure nostro cedamus, *Marta* olim, sed postea pro nobis. *Sperellus* non omninò sibi consentiens.

II. Conclusio. Si Censura & qualificario opinionum attendatur, excludendæ item sunt in casu nostro Moniales. *Non esse ab hac opinione in praxi recedendum, nec solere recedi in Consulendo, & Iudicando* expresè affirmant *Cancerius, Carolus de Grassis, Diana, Flauius Tortus, Hondedeus, Mangilius, Merenda, Parisius, Rochus Curtius, Caualcanus, Tamburinus, Thesaurus.* Esse vero *Communem resolutionem*, aut *conclusionem*, vel *receptam ab omnibus*, vel *passim probatam ab omnibus*, vel *Traditionem quandam*, vel *Canonistarum communem theoriam*, vel *constantem multorum opinionem*, dicunt in terminis *Azorius, Blanchettus, Bursatus, Cotta, Molina, Menochius, Ripa, Roch. de Curtijs, Sfortia Oddus, Socinus senior.* Et *per totam Italiam vigere* aiunt *Cynus, Iacobus Philippus Portus, Laurus de Palatijs, & Tamburinus.* Item hanc opinionem esse nixam ratione *clara, certa, indubitata, euidentissima, patente ad sensum, solidissima* affirmant *Afflictus, Arnaldus Ferron, Flau. Tortus. Mangilius, Socinus senior, Socinus iunior, Tamburinus, Redenascus,*

nascus, Vrsillus. Nec vnquam *reuocatam in dubium, & nephas esse in sua patria ab hac recedere*, attestatur *Redenascus*. Esse verò *communem & veriorem, magis communem* præter prædictos Doctores asserunt, & alij illis addendi, videlicet *Aretinus, Antonius de Butrio, Argelus, Azorius, Balthasar Tomaxius, Brunus Astensis, Carpanus, Cephalus, Decius ipse, Gabriel, Hodierna, Mandellus, Io. Bapt. de S. Seuerino, Mandosius, Marta, Merlinus, Puteus, Viuius, Vegius*. Contrariam autem opinionem, *Communiter improbatam, periculosam & perturbatricem familiarum; Intolerabilem & iniquam laicis*. Aduerterunt, *Caualcanus, Laderchius, Mandosius, Merenda, Paulus de Castro, Redenascus*. Immò *esse sine Ratione* pronunciauit *Tamburinus*; postremò esse *contra omne iuris & æquitatis debitum* pronunciauit Summus ipse ac Max. Pontifex Gregorius XIII. Quorum loca, & verba supra in Cathalogo retulimus.

TVDERTINA SVCCESSIONIS PRO BEATRICE DE ODDIS CVM FRATRE.

Responsum pro veritate.

De Statuto Tudertino excludente fœminas propter masculos, an procedat in successione clerici, quamuis contentio sit inter solos laicos; Et de bonis extrà territorium, àn & quando veniant sub Statuto, vbi præsertim accedat morientis voluntas.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quod Statuta excludua fœminarum exigant copulatiuam subiectionem personarum, & bonorum iuxtà opinionem Curiæ Romanæ.*
3 *Eadem opinio tenetur in Regno Neapolitano vbi rarus est vsus Statutorum, & consuetudinum particularium.*
4 *Loca montium, & similia iura circumscribuntur loco, & censentur Vrbis, vel Ciuitatis Metropolis.*
5 *Declaratur conclusio, de qua num. 2. vt procedat ab intestato, secùs autem condito testamento.*
6 *Quando Statutum porrigatur extrà territorium ratione voluntatis testatoris.*
7 *Vt declaratio de qua numer. 5. procedat etiam respectu legitimæ, & quod legitima possit tolli per Statuta.*
8 *An & quando fœmina exclusa, censeatur per testatorem restituta suitati, vt cesset Statutum per testamentum.*
9 *De legitima filij naturalis legitimati per rescriptum.*
10 *De duplici quæstione cadente in materia exemptionis Ecclesiasticorum ab his Statutis.*
11 *De concursu personæ ecclesiasticæ aliàs per Statutum exclusæ remissiuè.*
12 *An successio clerici defuncti inter laicos regulanda sit iuxtà Statutum, vel potius de iure communi.*
13 *De rationibus ob quas attendi etiam debeat Statutum.*
14 *Et quando istud cesset.*
15 *Quod etiam clericorum morientium voluntas reguletur à Statuto, & de ratione.*
16 *Quomodo Consulentes debeant se gerere.*

DISC. VI.

1 COndito per N. de Oddis clerico in minoribus testamento, scripto hærede filio masculo, relictis Beatrici fœminæ scutis 500., quibus, ac dote iam sibi nuptæ constituta, eam contentam esse voluit; Cùm dictus testator bona notabilis valoris possideret, partim

in territorio Tudertino eius patria, partim verò alibi, præsertim plura loca mõtium in Vrbe; Hinc dicta filia fœmina, prætensionem excitauit super legitimæ supplemento, non obstante statuto Tudertino fœminatum excluiuo propter masculos, illud etenim tripliciter non intrare prætendebatur; Primò nempè quia agebatur de successione clerici Statuto non subiecti; Secundò quia sub eo non cadebant bona extrà territorium; Et tertiò quia ob particularem institutionem de dicta fœmina factam in testamento pro omni, & toto eo, quod etiam ex causa legitimæ prætendere posset, ità censeretur eam restituisse suitati, et consequenter quod cessante statutaria exclusione, subintraret ius commune, quod, nulla data sexus discretione, filijs legitimam defert; Atque super his ex parte eiusdem fœminæ pro veritate consultus fui, ad effectum deliberandi, an deberet cum fratre litem prosequi, vel potiùs quamdam honestam oblatam concordiã amplecti.

Respondi quoad bona extrà territorium, consistentia in toto, vel pro maiori parte in locis montium Vrbis, quod licèt in discursiua ratione, non improbabiliter 2 dici posset, vt etiam hæc sub statutaria dispositione, cui subiaceant tam defunctus, quàm successores, venire debeant, vbi præsertim accedit expressè declarata voluntas morientis, ex ijs, quæ ponderantur *in Ianuen. disc.* 4., Attamen cum ageretur de causa tractanda in Statu Ecclesiastico coram Gubernatore dictæ Ciuitatis, atq; in gradu appellationis in Curia, vanum erat hoc opus assumere, cum Rota, & Curia sequatur diuersam opinionem super necessario copulatiuo concursu vtriusque subiectionis, personarum, & bonorum sub eodem Statuto, adeòut neque admittatur combinatio Statutorum vtriusque loci idem disponentium, quia nempè tam in loco personarum, quàm in loco bonorum idem adamussim vigeret statutum, cum neque id sufficiat, ex ijs, quæ cæteris relatis plenè habentur firmata *per Rot. apud Merlin. decis.* 352. & 426. *repetit. decis.* 177. *par.* 5. & *dec.* 68. *par.* 6. *recen.* ac etiam *decis.* 144. & 290. *part.* 8.; Et in individuo huius Statuti Tudertini dictum fuit *in Tudertina successionis coram Meltio decis.* 256. *part.* 11. *recen.*, & in alijs, quoniam hoc iure passim viuitur in Curia, adeout fit conclusio, quæ hodiè præsupponatur, aliamque disputationem non admittat.

Eandẽq; recepisse videtur Tribunalis Regni Neapolitani occasione agendi de 3 consuetudinibus Neapolitanæ Ciuitatis cum aliàs nulli, vel nimium rari sint huiusmodi quæstionum casus in alijs eiusdem Regni Ciuitatibus, & locis, dum ibi Statutorum vsus non habetur, sed benè aliquis licèt rarus vsus consuetudinũ, vt de illa *Baren.* in proposito successionis filiorum in dote aduertitur *sub tit. de dote disc.* 104. & 105.

Prout extrà controuersiam est hodie, vt loca montium, vel similia iura cum Principe, circumscribantur loco, ac censeantur de territorio Ciuitatis Metropolitiçæ, siuè illius, in qua eorum erectio 4 facta est, atque destinata solutio ibique fiat contractatio, quamuis effectus destinati à Principe consistentes frequentius in gabellis, alijsque redditibus publicis, sparsi essent per vniuersum Regnum, seu Principatum, vt firmatur *per Rotam apud Merlin. d. decis.* 352. *num.* 38. *repetit. decis.* 177. *par.* 5. *recen. apud Burat. decis.* 474. *num.* 1. *decis.* 144. *num.* 12. *par.* 8. *recen.*, aliàs *apud Roias decis.* 66. *num.* 10. & in alijs, & probat etiam *Rouit. super pragmat. in rubr. seu pragm.* 1. *de iurib. & exact. fiscal. num.* 66. & 80. & infrà *disc.* 40. *ex num.* 214.

Dicebam tamen, vt retenta etiam illi opinione, super vtraque copulatiua subiectione personarum, & bonorum, à qua in Curia temerarium esset hodiè recedere, siuè illam sub disputationis trutina reducere; Illa recte procederet in casu 5 mortis ab intestato, quo casu lex fingit, vt moriens censeatur suam voluntatem adaptare ad limites necessitatis, ac subiectionis, et consequenter cum lex particularis non obliget nisi intra suum territorium, dici potest quod extra illud censeatur moriens voluisse se regulare cum dispositione iuris cõmunis, cũ qua ibi procedendum est, ad instar eorũ, quæ habentur proximè infrà super alio puncto ratione clericatus, personæ morientis.

Secùs autem vbi hæc ratio cesset, quia nempè moriens expressè eius volũtatem in contrarium declaret, quod scilicèt de

cedere

cedere voluerit, atque in eius bonis succedi ad normã statutariæ dispositionis, vt in præsenti fecerat, dum ad formam Statuti, solum masculum hæredem scripserat, fœminam verò dote contentã esse voluit, solum beneuolentiæ gratia quoddam particulare legatum relinquendo, quod cõparatione successionis erat quid satis modicum; Isto etenim casu probabilius videtur, vt veniant omnia bona etiam extra territorium non in ratione auctoritatiua, seù iurisdictionali ipsius Statuti quod extrà proprij territorij vires porrigi non potest, sed in ratione voluntatis ipsius morientis iuxtà ea, quæ cæteris relatis habentur firmata *per Rot. apud Merlin. decis.* 447. *repetit. dec.* 355. *par.* 5. *recensionum.* 13. *cum seqq.* in proposito agẽdi de Statuto Vrbis 142. per quod filij in conditione positi censentur vocati, vt attendendum veniat etiam in testamento forensis, qui in Vrbe testetur, siue in bonis extra territorium, ex dicta ratione vt id non proueniat à potentia, vel operatione Statuti, sed à voluntate morientis, vt in sua materia *sub tit. de fideicommiss.*

Et quamuis in contrarium vrgeret, vt id rectè procedat in ijs, in quibus moriens liberam habeat testandi, ac disponendi facultatem, adeò vt nullo militante potestatis defectu, sola eius explicita, vel implicita volũtas attendenda veniat; Secùs autem isto casu, in quo agatur de legitima filiorum de necessitate debita, adeout neque volens pater possit eam minuere, vel alterare, cum tunc dicta ratio voluntatis in nihilo operatiua videatur.

Adhuc tamen mihi probabilius videbatur vt id obstare nõ deberet, quoniam Statutum ità operatur circa personam, illam scilicèt dispensando à dicta obligatione, quam altera lex positiua induxit, eamque constituendo in statu libertatis disponendi, cum tunc non sit disponere de bonis extrà propriam Ditionem existentibus, sed sit qualificare personam disponentis, illique istud onus, seù vinculum adimere, quod de iure positiuo fieri posse, non videtur amplius hodiè cadere sub quæstione, vt aduertitur pluries *sub tit. de legitima, & detractionibus* præsertim *disc.* 10., vbi habetur quod licèt aliqui DD. crediderint, vt legitima vtpotè de iure naturæ inducta per Statutũ tolli, vel minui non possit, attamen inter fabulas reponi meretur, cum id in *iure ciuili* dicatur per quemdam loquendi modum capiendo ius naturæ pro illo naturali instinctu, quo mouentur homines ad filiorum educationem, eisque alimenta suppeditãdũ, quorum loco legitima successit, quæ propterea ad summum iuris naturæ dici posset in filijs aliundè non prouisis, neque modum sibi comparandi victum habentibus, adeout negando alimẽta esset species necationis, secùs autem erga filios qui cum bonis proprijs, vel cum proprio labore, & industria huiusmodi prouisionem habeant, ac etiam circa quotam, vel modum, cum id totum proueniat absque dubio à iure ciuili, cui derogare potest ius municipale, quoties legitima auctoritate conditum sit, vt in dicta sua sede latiùs habetur.

Fortiùs autem hæc procedere aduertebam ex duplici circumstantia; Primò scilicet pluries insinuatæ rationis, quod huiusmodi Statuta nostris Italiæ moribus adaptata sint, atq; non corrigant ius cõmune ciuile, sed potius declarẽt quod illud ab initio in hac parte noluerint recipere; Et secundò quia etiã in loco bonorum idem viget ius, capiendo combinationem vtriusque Statuti pariter non in ratione auctoritatiua, & iurisdictionali, quando morientis voluntas incerta sit, sed in ratione benignæ interpræ-
tationis pro dicta libertate tribuenda morienti, vt cum eius filijs qui Statuto patriæ quoque subditi sint ad istius normam, etiam de bonis extra territorium disponere posset.

Quo verò ad alterum punctum agnitionis in suam, mediante dicta particulari institutione facta sub præcepto, ne aliud prætendere posset, pariter contra
S ipsam fœminam requirentem Respondi ex eisdem rationibus, & fundamentis, de quibus *dicto tit. de legit & detract. disc.* 4. vbi habetur, vt conclusio quod huiusmodi Statuta procedant ab intestato, non autem contra testamentum, per quod potest parens cessare facere statutariam dispositionem, atque fœminam à Statuto reputatam extraneam, restituere suitati, vtpotè fundata in voluntate parentis, rectè procedit ad istius limites, & quatenus ista statutariæ dispositioni aduersetur, vnde constet quod ab ea mo-

riens recedere voluerit; Secùs autem vbi cũ illa se portius conformet, quãuis iuxta Notariorum ineptas cautelas, legitimæ mentio fiat, cum id fieri soleat ad superabundantiam, atque ad maiorem testamenti validitatem, ideoque inducta ad vnum finem, operari non debent alterũ omninò diuersum, immò oppositum, neque voluntas trahenda est vltra id, quod ipsa sit.

Potissimè verò, quoniã ista cautela in proposito non incongrua fuit, ob dictam existentiam bonorum extra territorium, quorum respectu dubium cadere poterat, an ad limites iuris communis, ob filiæ præteritionem, testamentum corruere posset, nec ne, et consequenter legaliter, ac naturaliter omninò improbabile videtur, vt ista cautela talem effectum operari debeat, cum solum in ijs, quæ pendent à voluntate eius, qui poterat nihil relinquere, voluntas attendenda sit ad eius limites, & non vltra; Ad instar eorum, quæ eodem *titulo de legit. & detract.* habentur circa dispositiones, quæ fiunt cum naturalibus legitimatis per rescriptum, cum clausula *sine præiudicio venientium ab intestato* quoniam ita
9 pater habilitatus est sublato iuris ciuilis obstaculo, aliquid eis relinquere ac etiã totum, quando filiorum legitimorum, & naturalium existentia non obstet, sed nolens non tenetur, nisi ad id, quod ex causa alimentorum eum obligat æquitas canonica, quoniam si in aliquo eos instituat cum expressione pro consueta cautela *pro omni, & toto eo &c. etiam pro legitima*, non per hoc in illius necessitate constitutus censetur, vt ad supplementum actio competat, siue quod onera, & conditiones reijci valeant, quoniam qui potest nihil relinquere, multo magis potest relinquere minus, vel qualificatè, vt *eod. tit. de legitima disc.* 12.

Demum quoad tertium punctum clericatus, à n, & quando per illum cessent huiusmodi Statuta; Cum aliqui ex parte
10 eiusdem fœminæ, vel eius viri desuper consulti, multa cumulassent in hac materia non comprehensionis clericorum sub statutis laicalibus, & præsertim firmata *in dicta alia Tudertina coram Meltio decis* 256. *par.* 11. *rec.*, *& in Bonon. de Zanis coram Bichio decis.* 349. *eadem p.* 11. *repetit. inter illas Bichij decis.* 65. *& decis.* 18. *post Zuff. de legitim. process.*, & similia; Hinc proindè aduertebam, quod in hoc proposito duæ cadunt diuersæ quæstiones; Vna est vbi persona exclusa per Statutum, contendat de successione sibi alias de iure communi debita, vt statutaria exclusione non obstante, adhuc sibi debeatur, ob clericatum, vel ecclesiasticam qualitatem, ob quam Statuto excludenti non subiaceat, vt frequentius in huiusmodi Statutis exclusiuis contingere solet in fœminis, quæ reperiantur moniales; Et altera vbi successionis quæstio, sit quidem inter laicos Statuto subiectos, sed defunctus de cuius successione agitur sit clericus, vel aliàs Statuto exemptus.

De prima agunt mox allegatæ decisiones, & aliæ similes, eaque non cadebat in hac facti specie, à qua proinde
11 erant extraneæ, atque de ea agitur *dict. præced.* De altera verò in præsenti agebatur; In qua dicebam, quod licet *Rota apud Otthobon. dec.* 149. hodie in Curia recepta, & cũ qua posthæc scripta processit
12 fuit in *Vrbinaten. successionis* 11. *Maij* 1668. *deinde confirmata coram Tusco* etiam alijs sequuta sit opinionẽ negatiuã *Imolæ*, & sequacium, vt scilicet in successione clerici non intrent hæc Statuta, quamuis contentio sit inter laicos, ex illa vulgari ratione præsumptæ voluntatis morientis, quod scilicet censeatur voluisse eius successionem regulari iuxta ordinem iuris communis, cui ipse subiacebat, non autem statutarij, à quo exemptus erat.

Adhuc tamen ista opinione retenta, cessabat applicatio, stante diuersa voluntate, vt supra per testatorem explicata, dum ita illa simplex iuris præsumptio, quæ, iuxtà dictam opinionem, personis à Statuto exclusis assistit, cessat per contrariam probationem, cui sine dubio præsuptio cedit, vt admittit idem *Mantic. de coniect. lib.* 6. *tit.* 7. *num.* 10. in cuius auctoritate potissimum *in dicta decis.* 149. *Otthobon.* magnum sit fundamentum, atq; aduertitur *in alia Tudertina sub tit. de testam. disc.* 25., vbi quod etiam testamentum imperfectum, seù alias inualidum ad hanc probationem inducendam sufficit, ex regula quod etiam ex actu inutili voluntas probatur, multo verò magis illa ambigua declaratur; Vnde propterea denuò reflectendo ad resolutionem

nem, de qua in dicta alia Tudertina, intellectus illi acquiescere non potest neq; percipere eius probabile fundamentum.

Verum vbi nullo condito testamento, nullaque alia facta animi declaratione, ageretur de successione morientis ab intestato, quamuis clerici, vel alias à Statuto exempti; Adhuc mihi semper probabilior visa est altera opinio, quam eadem *decisio* 149. *Otthoboni*, fatetur esse magis communi DD. calculo receptam, multas ibi cumulando auctoritates eam firmantes; Tùm ex deficiente ratione exemptionis; Tum clariùs ex assistentia verisimilis voluntatis eiusdem morientis.

Quatenus enim ad deficientem rationem pertinet; Ponderabam quod potissimum fundamentum tenentium opinionem clericis, & ecclesiasticis fauorabilem, quando ipsi ad laici defuncti successionem concurrunt, consistit in eo quod spectandum non sit initium seu status præcedens clerici vel ecclesiastici, in quo dum esset laicus in instanti natiuitatis lex laicalis exclusionem impressisset, vt DD. laici, seù Ciuilistæ tenent, sed attenditur præsens quando successio aperitur ex deductis *dicto disc. præced.*; Ergò ex regula *quod quisque iuris &c.* siue ex altera *secundum naturam &c.* idem dicendum est in præsenti, vt attendi non debeat status, seù qualitas antiqua bonorum, sed illa de præsenti quando successionis quæstio agitur, de quo tempore, ob annihilationem prioris possessoris amplius in rerum natura non extantis, bona sunt in statu laicali, si laicis insimul contendentibus eorum successio delata est.

Item quia si bona etiam defuncto clerico, delata laicis, in quorum dominio saltim habituali, vel in facultate esse dicuntur, quinimmò etiam in actuali, post agnitionem, quæ illico hunc effectum operatur (dum Iudicis declaratio super pertinentia nihil de nouo inducit, sed quod à principio iam existeret declarat) prioris possessoris exemptionem retinerent, ità sequeretur quod deberent esse exempta etiam ab oneribus laicalibus, atque à Iudicis laici iurisdictione, cuius contrarium verius est, atque quotidiana praxis omnium Tribunalium docet; Atque ita de manifesto errore conuinci videtur ratio plenè expensa præsertim *per Surd. dec.* 20. *nu.* 10. *& seqq.* quod. s. ita esset per indirectum subijcere clericum legi laicali, cui subesse cogatur, quoniam eo defuncto, atq; annihilato, eiusq; dominio resoluto, quoties eius voluntas nõ resistat, nil defuncti interest, an vna, vel altera lex in eius successione seruetur.

Tunc etenim ista ratio considerabilis esset, (vt alibi quoque aduertitur) quando Statutum ita personam exclusam inhabilitaret, vt neque ex testamento bona obtinere posset vt (ex. gr.) contingit in legibus, & Statutis forensium inhabilitatiuis, quoniam ità esset adimere clerico libertatem aliàs sibi competentem de eius bonis disponendi, atque lex laicalis ita ligaret ipsum clericum adhuc viuentem, illum priuando dicta libertate, eumque cogendo ad disponendum cum personis à Statuto volitis, Cessante autem ista ratione, non videtur quæ probabilitas id suadere possit.

Vrget etiã pro alia opinione probabilius voluntas morientis, quoniam ex deductis *sub tit. de dote disc.* 22. *&* 143. ac alibi, quãuis clerici non subiaceant Statutis laicalibus subiectione passiua, non tamen eis prohibetur eorumdem Statutorum vsus in ratione actiua, & priuilegiatiua, qualis videtur iste, vt potius agnati succedant pro conseruatione bonorum in familia, cũ id (ex insinuatis pluries) magis adaptatum sit huius regionis moribus naturalibus, qui per clericatum non amittuntur, nec mutantur; Atque notoria praxis docet, quod etiam clerici, æquè ac laici amant propriam agnationem, & familiã, vt aduertitur per eumdem *Surd. conf.* 554. *num.* 14. *& seqq.*, (et vtinam non magis); Et consequenter ista ratio præsumptæ voluntatis pariter corruit, immò retorquetur; Vnde propterea extensor dictarum decisionum *Vrbinaten.* tenaciter hanc diuersam tenet opinionem, dũ in eisdẽ ita proprium testamentũ ordinat; Atq; de me ipso quoq; fateor, quod vbi agnatos in gradu successibili haberem, potius istos vellem successores, quam proprias sorores moniales, vel cognatos in gradu longè proximiori, ita generaliter impellente natura ex Italiæ moribus, vt in dies docet fideicommissorum, ac maioratuum ordinatio præsertim in casu, de quo *sub tit. de fideic. disc.*

25.

25., *cum eius annotationibus in supplemento*, quoniam si quæ ratio fauore proximiorum de sanguine adaptabilis est, eatenus intrat, quatenus fictè, seù artificialiter cognati proximiores fiant agnati, & non aliàs, vt ibi ponderatur, ideoque opinio, quam Rota tenet, plausum alibi non habuit, neque retineri potest, sed ab ea recedi debere sperandũ est, cũ ipse naturalis discursus, atq; cõmunis vsus nimiùm aduersentur; Neq; ecclesiastica immunitas in hoc aliquid commune habet, nisi quatenus lex laicalis, clerici morientis voluntatem prohibeat vtsupra.

Ex his autem patet, quod in omnibus respondi contra eum qui meã operam,
16 requisierat quãuis in contrariũ vrgerẽt pecunia per eam tradita, magis verò nimia benuolentia ergà virum, vt ita facilis redderetur concordia cum fratre atque accerrimæ præparatæ liti occurreretur, vt sequutum fuit; Vtinam verò frequẽter per huius facultatis professores id practicaretur, quodq; modici turpis lucri gratia ad lites etiam indebitas præsertim inter coniunctos, nõ adhortarentur, atque prouocarent eos, qui eorum consilium petunt.

TVDERTINA SVCCESSIONIS PRO CATHARINA DE PISENTIS.

Responsum pro veritate.

De eodem Statuto Tudertino, excludente matrem, ab intestata successione filij, ob remotiores agnatos, an valeat; Et àn statuta disponentia de successione ab intestato, procedant in successione intestabilis; Et quid in hoc operetur voluntas patris pupilli, de cuius successione agitur.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Statutum excludens matrem iniquum, & irrationale.*
3 *Loquens de successione intestata, non procedit in successione intestabilis.*
4 *Contrarium eius de quo num. 2. & quod hæc statuta non sint odiosa.*
5 *Et contrarium eius de quo num. 3. vt procedant, etiã in successione intestabilis.*
6 *De vsu loquendi in hac materia attendendo.*
7 *De rationibus, ob quas verior sit opinio de qua num. 5.*
8 *Magis legis præsidio digni sunt intestabiles, quàm testabiles.*
9 *De prouisionibus circa intestabiles.*
10 *De ratione ob quam in verborum sensu grammaticali immorandum non est.*
11 *An statuta disponentia fauore agnationis prosint fœminis agnatis.*
12 *Fœminæ agnatæ veniunt ad fideicommissa etiam agnatitia defectis masculis.*
13 *Quod conclusio de qua num. 5. cesset accedente voluntate patris defuncti.*
14 *An & quando à fideicommisso in casu delicti, inferatur ad casum mortis.*

DISC. VII.

1 PETRVS, Instituto Angelo filio in pupillari ætate constituto, sub tutela, & educatione Catherinæ vxoris, & matris respectiuè, istam ei substituit in casu delicti, eamque ab initio vsufructuariam reliquit; Cumque in eadem ætate pupillari, præfati Angeli obitus contigisset, superstitibus dicta Catherina matre, & N. amita; Hinc inter istos orta est successionis controuersia, cui causam dedit Tudertinæ ciuitatis Statutum *distinctione 2. rubr. 56.*, per quod mater ab intestata filij successione excluditur per agnatos, quorum appellatione, in eodem Statuto declaratur, venire sororem, & amitam; Super qua controuersia

uersia; Aliqui ex parte dictæ Catherinæ matris consulti, responderunt eius fauore, ex duplici fundamento; Primo nempe ob dicti Statuti inualiditatem propter eius iniquitatem, ac irrationabilitatem excludendi matrem à luctuosa filij successione ex indiuiduali auctoritate
2 *Baldi conf. 58. lib. 5.*, Et secundò quod cũ illud ità disponeret de successione moriẽtis ab intestato, locum habere non deberet isto casu, in quo agebatur de successione intestabilis iuxta opinionem *Bald.*
3 *conf. 232. num. 2. lib. 4.* quam plures sequuntur plenè, ac elaboratè collecti per *Andreol. contr. 330.*, vbi profitetur cũ illo ordine litaniæ, qui pro quodã moderno nunquã mihi placito stylo introductus est sexaginta tres Auctores referre hanc opinionem tenentes, quorum plures collecti habentur apud *Gabr. de Statut. conclus. 1.* & in puncto huius statuti Tudertini *Bald. seù verius Io: de Amelia apud eum conf. 133. n. 3 lib. 4.*

Desuper autem ex parte eiusdem Catherinæ pro veritate consultus; Respondi, quod neutrũ ex his fundamentis pro meo iudicio subsistentiam haberet; Benè tamen probabilius ei successio debita esset ex altero motiuo voluntatis morientis, vt infrà; Quatenus enim pertinet ad primum, illud dixi omninò improbabile; Tum ob contrarium vsum
4 huius Statuti per plura sæcula extra controuersiam; Tum etiam ob falsum *Baldi* præsuppositum, circa illius iniquitatem vel irrationabilitatem, cum attentis huius regionis moribus, tam antiquis, quã modernis, ac medijs, verius sit contrariũ, ex rationibus pluries insinuatis, præsertim *in Perusina disc. 1.*; Vndè propterea, quãuis Rota, atq; moderni scriptores sequãtur hãc parũ probabilem antiquorum credulitatem, seù traditionem, quod huiusmodi statuta dicantur iuris correctoria, atque ab eius dispositione exorbitãtia; Attamen fatentur quod non sint odiosa *vt dicto disc. 1.* & alibi aduertitur.

Quoueró ad alterum fundamentum, (quod aliquam maiorem soliditatem habebat); Aduertebam, quod licet plures
5 dictam opinionem teneant relati *per Andreol. dicta controuersia 330.*, quorum maiorem partem referunt quoque *Menoch. conf. 569. & Castil. lib. 6. controu. cap. 154. ac alij*, de quibus infra, ex quibus probabiliter dictus Auctor, cum improbo labore transcriptoris potius quam Doctoris, dictam litaniam composuit; Attamen, vt etiam attento numero, magis communis (quæ antesignanum habet *Bartol. in l. 1. ff. ae suis & legit.*) sit in contrarium, plenè probant. *Menoch. d. conf. 569. Gabr. dicta conclus. 1. num. 1. & conf. 14. num. 15. lib. 1. Castil. dicta contr. 154. lib. 6. Thesaur. lib. 2. quæst. forens. 18. Redenasch. conf. 22. cum duobus seqq.*, atq; hanc pluries sequuta est Rota præsertim *dec. 349. num. 35. par. 6. rec. & apud Cels. dec. 125. num. 13. cum seqq.*

Clarius verò quia cum istius opinionis potissimum fundamentum consistat in communi vsu loquendi, super quo alij tenentes contrariam, nimium certant,
6 quod scilicet hic vsus debeat formiter probari, vt appellatione intestati veniat intestabilis, ita cum consuetis Legistarũ ineptijs, acriter immorando in formalitate verborum, quibus Statutum vtatur eorumque grãmaticali significatione, ob quam aliqui ex eadem formalitate tres casus constituunt seù distingunt, vt *apud Cirocc. contr. 18. n. 10.*; Id probari dicebã, dũ idẽ *Bald.* qui reputatur cõtrariæ opinionis antesignanus, in *conf. 4. lib. 2.*, agendo de hoc eodem Statuto indiuiduali, (quamuis ad alium effectum), procedit cum præsuppositio istius vsus loquendi in hac Ciuitate, vt appellatione intestati veniat etiam intestabilis.

Quãuis autẽ hæc deducerem vt currenti inepto stylo satisfaceré, immorando in auctoritatibus, earumque maiori calculo, ac etiam pondere, ob illam præsertim Rotæ, cui potissimè in hoc Principatu magis deferendum est, & ne alias mihi obijceretur solitũ obiectũ ratiocinatiorum, seù distinctionum de capite; Attamen
7 post expletas istas, improbi, ac inepti laboris partes, assumendo partem ratiocinatiuam genio magis adaptatam; Dicebam, quod pro meo iudicio, manifesta ineptia videtur huic puncto tantã disputationis dotem præbere in verborum formalitate, seù communi loquendi vsu immorando, cũ attenta verissima, sẽperque præ oculis habẽda à Iudicantibus & Consulentibus adeo frequenter insinuata propositione, in omnibus attẽdẽ i potius substantiam voluntatis, quàm ver-

verborum formalitates, vel grammaticales significationes, punctus videretur planus tali disputatione indignus.

Vt enim in præcedentibus pluries aduertitur, huiusmodi Statuta cõtinere dicũtur testamentũ legis ita ab eis ordinatum, supplendo partes eius, qui non credendo se moriturum, vel ex improuiso moriens, testatus non est, tanquam per speciem illius testamenti quod in aliquibus partibus Episcopi circa pias dispositiones pro morientibus ab intestato facere solent, vt habetur *sub tit. de testam. disc.* 24.

Si ergo lex ità occurrere voluit, atq; commiserando eum, qui ex vi morbi, vel alio casu, testari non potuit, quamuis casum præueniendo potuisset, pro eo testari voluit, multò magis, & absque dubio dicendum est, vt id agere voluerit pro ijs, qui neque volentes potuissent id & agere ob ætatẽ, vel amentiã, seù ob aliud impedimentũ naturale, dum istis obijci non potest ea negligentia, de qua illi redargui possunt; Et consequenter, absque dubio, maiori legis præsidio, ac assistentia digni sunt; Vt in proposito hypothecæ legalis non competentis aduersùs voluntarios administratores bonorũ eius, qui poterat per se ipsum eius bona administrare, benè tamen competentis aduersùs administratores legales, ac necessarios eorum, qui non possunt, ideoque legis præsidio magis dignos, habetur *in Anconitana sub tit. de credito disc.* 39. cum similibus.

Idque rectè comprobari dicebam ex pluribus Italiæ Statutis, vel consuetudinibus præsertim ex *Neapolitan. & Baren.* 9 enunciatis *sub tit. de dote discurs.* 103. & *seqq.*, & pluries etiam *hoc eodem titulo*, quod siue filij ex aliquo matrimonio superstites decedant in ætate non apta ad testandum, habeantur pro non extãtibus, adeò vt, non ex ipsorum, sed ex prædefuncti parentis persona, successio reguletur; Et clarius comprobat ipsum ius cõmune, quod facultatem præbet patri testamentum condere pro filio pupillo, vel amente mediante substitutione pupillari, vel exemplari cum similibus; Ergò planum est, vt Statuta potiùs intestabilis, quàm intestati casum cogitauerint.

Et quidem istam præcæteris inter Legistarum ineptias obseruare consueui; Tùm ob claram fallaciam præsuppositi odibilitatis huiusmodi Statutorum, in qua ipsi magnum fundamentum constituere solent; Tùm etiam ob verborum 10 formalitatem, & criticationem à Consulentium subtilitate proditam, (vt mercenario more causæ inseruirent), non solùm ob dictam propositionem, vt substantia veritatis potiùs, quàm formalitas verborum attendi debeat; Sed etiam reflectendo quod huiusmodi Statuta, vt plurimùm in Italia, ordinata fuerunt de tempore quo illa adhuc rudis erat, atque linguæ latinæ notitiam adhuc non bene recuperauerat; Vndè propterea videmus quod *Accursius*, & *Bartolus*, aliique primi nostri in hac facultate parentes, & magistri, quos adeò (et meritò) veneramur, in grauissimos errores linguæ inciderunt, circa captatoriã, siuè circa vsuras centesimas, & similia; Igitur prorsus incongruum est, leges, quæ rudi, & grossolano more, iuxtà illorum sæculorũ cõditionem compositæ fuerunt, interpretari cum verborum grammaticali criticatione, dũ potiùs eodem grossolano modo, substantia verisimilis statuentium voluntatis attendenda est, eodem modo quo in testamentis pluries aduertitur *sub tit. de fideicomm.*, & alibi; Et propterea in hac materia, omninò in iudicando, & consulendo, cauendum videtur à Consulentibus, qui vt eorum conductam operam ad cõducentis oportunitatem præberent, huiusmodi subtilitates excitare, atq; vt vulgò dici solet cum Legistarum aureo argano, leges ad suum sensum trahere, seù extendere studuerunt.

Aliqua dubitandi ratio cadere videbatur in hac facti specie super Statuti odibilitate, vel stricta intelligentia, ex 11 eo quod non ageretur de concursu matris cum agnatis masculis, in quibus actu, & habitu vrgeret ratio, seù fauor conseruationis agnationis, & familiæ, dum agebatur de concursu cum fœmina, quæ licet esset agnata, non tamen apta erat agnationem conseruare, quinimò, neque actu de facto conseruabat ob Italiæ mores, quod fœminæ nuptæ transeũt in familiam virorum, eamque assumunt, iuxtà ea quæ in proposito Statuti Vrbis 141. latè habentur *per Rot. decis.* 267. *per.* 9. *recen.*; Verùm quamuis id esset aliqua consideratione dignum, quando

agere-

ageretur de interpretatione magis, vel minus benignè facienda de lege ambigua; Id non intrabat in præsenti, quoniam punctus erat, an Statutum indefinitè loquens de successione intestati, locum haberet in successione intestabilis fauore agnatorum in genere, et sic etiam masculorum; Isto autem puncto generaliter, ac indefinitè pro affirmatiua firmato, dicta ponderatio deseruire posset in quæstione, an sub nomine agnatorum veniant fœminæ de familia, quatenùs id nō exprimatur; Sed quia in verbis ità disponitur, limitatè tamē fauore sororis, & amitæ, hinc ità intrat vulgaris regula textus *in l. ille aut ille ff de legat. 3.*, quod in claris, & expressis non intrant præsumptiones, & argumenta, vel interpretationes.

Ac etiam quia (vt pluries habetur in sua materia *sub tit. de fideicommiss.*), quidquid aliqui contradicant, verius, magisq;
12 receptum est, vt etiam in fideicommissis, & primogenituris expressè agnatitijs, defectis masculis, fœminæ veniant, quoniam verè agnatæ sunt, quamuis nuptæ, quinimò quamuis moniales ex ibi deductis, idque in specie fauore fœminæ decisum habetur *apud Cels. dict. decis. 125.*, atque difficultas cadit contrà aliam fœminam agnatam, de qua *dicta decis. 267. par. 9. recen.*

Adhuc tamen, his non obstantibus, in hac facti specie pro matre respondendū esse censui, ex fundamento, de quo in alia *Tudertina disc. præcedenti*, & alibi, quod
13 s. cum huiusmodi statuta contineant fictam suppletionem voluntatis eius, qui intestatus, vel intestabilis obijt, dum lex præsumit, vt ità eius successionem regulari voluerit, hinc proindè cum perpetuò cedat præsumptio veritati, huiusmodi Statuta cessant, vbi de contraria morientis voluntate constat, vt etiam pluries aduertitur *sub tit. de legitim. & detraction.*, vbi pariter de huiusmodi statutis fœminarum exclusiuis propter masculos, vel agnatos; Ideoque cum in hac facti specie constaret de voluntate patris pupilli, (quæ etiam in ipsius pupilli successione attendenda est) de vxoris, ac respectiuè matris prædilectione, non solum illam relinquendo vsufructuariam, ac filij tutricem, & educatricem, sed etiā eam illi substituendo in casu delicti, hinc proindè ità eius voluntas clara fauore matris desumi videbatur.

Quamuis enim regulariter, substitutio in casu delicti, strictè ad eius limites intelligenda veniat, neque ab illa inferri possit ad substitutionem in casu mor-
14 tis, vt pluries habetur in dicta sua materia *sub tit. de fideicomm.*, ideoque inferri non posset ad compendiosam, quæ sub se contineret pupillarem; Attamen id nimium cōsiderabile mihi videbatur; Vel ex recepta propositione pluries in dicta sua materia insinuata, vt hæc substitutio in casu delicti nimium sit considerabilis etiam pro casu mortis, tanquam vna ex coniecturis voluntatis testatoris; Vel quod ità admittenda esset ea suppletio, de qua præsertim *in alia Tudertina eodem tit. de fideicommiss. disc. 115.*, quasi quod minus dictum, quàm volitum; Vel demùm quod ista sit circomstantia, ob quam ex duplici assistentia legis, & voluntatis defuncti, quam mater habeat, ità per quamdam speciem limitationis, recipienda potiùs veniat dicta prima opinio *Baldi*, his omnibus simul, ac vnitim ponderatis.

FLORENTINA

SVCCESSIONIS

PRO

ELISABETHA DE MARVSCELLIS

CVM

PETRO FRANCISCO DE CASTELLIS

Casus decisus per Magistratum Florentiæ pro Petro Francisco.

De Statuto Florentino excludente sorores, vel alias fœminas proxi-

miores propter agnatos remotiores, etiam vsque ad sextum, vel respectiue octauum gradum; An intelligendum veniat de agnatis lineæ inferioris, vel etiam de illis lineæ superioris; Et de alijs ad eiusdem Statuti materiam; Et præsertim an sit fauorabile, vel odiosum. Et de aliquibus differentijs inter collaterales lineæ superioris, & illos lineæ inferioris, siue inter patruum, & nepotem ex fratre.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De hæreditate putatiuo non bene conficiente inuentarium remissiuè.*
3 *Quod super notorijs, & certis non debeant fieri allegationes.*
4 *Interpretatio Statutorum pendet ex eo an sint fauorabilia, vel odiosa.*
5 *De ista quæstione an sint fauorabilia, vel odiosa, & de varijs opinionibus.*
6 *Statuta debent intelligi ad litteram, & non admittunt extensionem.*
7 *De verbo* cippus *quid significet.*
8 *De differentia inter collaterales lineæ superioris, & inferioris.*
9 *Patruus, vel auunculus non succedit cum nepote ex fratre, vel sorore.*
10 *Inter plures nepotes ex fratribus prædefunctis non intrat repræsentatio, sed omnes succedunt in capita etiam si adsit amita à statuto exclusa.*
11 *Nepotes ex fratre defuncto succedunt tũ patre, vel matre.*
12 *Patruus, vel auunculus non succedit cum patre, vel matre.*
13 *Nepotes ex fratre vtrinque excludunt nepotes ex fratre consanguineo, vel vterino.*
14 *In feudis Regni Neapolitani succedit nepos ex fratre, sed est sub quæstione vt in patruo.*
15 *Gratia extendens successionem ad quartum gradum intelligitur de linea inferiori.*
16 *Statutum fauore fratrum suffragatur filijs fratrum, sed non patruis.*
17 *De consuetudine Neapoli super collateralibus remotioribus.*
18 *Vbi lex est clara non curantur ratiocinia, & absurda.*
19 *Idem de voluntate testatoris.*
20 *De nouis reformationibus Statutorum Florentiæ.*
21 *Exclusa sorore, censentur excluse eius filij, & vlteriores.*
22 *Fœmina est agnata, & succedit in agnatitijs.*
23 *Quod quædam subtilitates à ratione deuiantes non debeant attendi.*
24 *Statuta vocantia agnatos, sunt potiùs fauorabilia.*

DISC. VIII.

1 DEfuncto ab intestato Octauio de Castellis, cuius nimium pinguem hæreditatem adiuit Elisabetha ex germana sorore neptis; Petrus Franciscus agnatus sexto gradu æquali, vtpotè ab Antonio communi proauo descendens, ex dispositione Statuti Florentini, hanc successionem sibi potiùs debitam petijt; Introductaque causa coram eiusdem Ciuitatis quodam Magistratu per M. Ducem deputato, eaque pendente, ex parte dictæ Elisabethæ (ità causæ grauitate meritò exigente), per vniuersam Italiam alicuius nominis Scribentes consulti fuerunt, præsertim verò in Vrbe expetitum fuit cõsilium quatuor Aduocatorũ, mediante eorum congressu, iuxtà laudabilẽ stylum habito præuijs discursibus qui in scriptis à singulis editi fuerũt; In hoc autem congressu scissa fuerunt vota; Duo etenim crediderunt potiores esse partes dictæ Elisabethæ, dictamque statutariam dispositionem non obstare; Alter autem senior, magnusq; Aduocatus, & ego hic omnium iunior, in contrario fumus voto, nimiam difficultatem contra eam habentes; Adhuc tamen agentes pro dicta Elisabetina, ex prudenti consilio petierunt, vt omnes pro ea singulariter ad causæ oportunitatẽ scribere deberemus, ne aliàs duorum abstentio à scribendo, malam impressionem causæ præiudicialem produceret, cumque iusta esset petitio, deneganda non erat.

Duo igitur Responsa desuper à me data fuerunt; Vnum pro veritate in forma discursiua pro congressu vt supra; Et alterum

rerū more Aduocati ad causæ oportuni-
2 tatē, vltrà aliud Responsū pro eadē post decisam causam datum, quod fuit super puncto nō bene cōsecti inuētarij, de quo *sub tit. de hærede, & hæreditate disc.* 17.

Quatenùs igitur pertinet ad secūdum Responsum ad causæ oportunitatem, postquam (vt ignaro vulgo, atque pragmatico mori satisfieret) inanis chartarum repletio facta fuit cum allegationum cumulo, super notoria, & præsupponenda conclusione, quod attenta dispositione iuris communis nouissimi, per quod sublata sexus, ac agnationis, seù cognationis differentia sola gradus proximitas attendenda est, successio debita esset Elisabethæ in tertio, non autem actori in sexto gradu existenti; Vt Statuti obstaculum remoueretur, ad quod difficultas restringebatur, assumpsi quæstionem super huiusmodi Statutorum natura, seù qualitate, an scilicèt fauorabilia, vel
4 odiosa censenda sint, cum ex hoc pendeat eorum interpretatio, an ea stricta, & rigorosa, vel potiùs lata, & benigna esse debeat.

In hoc autem, DD. de more nimium variant, pluresque habentur opiniones relatæ *per Soccin. iun. cons.* 1. *num.* 46. *lib.* 1., *& Rot. decis.* 53. *par.* 3. *recen.*; Prima
5 scilicèt, vt censenda sint fauorabilia, vel saltim non odiosa odio irrationabili, vt potè ordinata fauore agnationis, quam sequitur *Rota* ex relatis *per adden. ad Buratt. decis.* 6. *&* 288. *& dicta dec.* 53. *p.* 3.; Altera est de directò contraria, vt sint omninò odiosa, & exorbitantia, quam sequuntur plures relati *per Rotam dicta decis.* 53. *par.* 3. *recen. num.* 2.; Tertia est distinguens, vt censenda sint odiosa, quoad caput exclusiuum ex relatis *eadem decis.* 53. *num.* 3.; Quarta demùm distinguens inter masculos æquales gradu, & alios inæquales; Siuè inter fœminas, quibus debita sit legitima, et alias, quibus non sit debita, vt primo casu dicenda sint fauorabilia secùs autem in altero, cum exorbitans videatur, vt remotior, ac inæqualis, proximiorem excludere debeat, ex deductis *per Molin. de primogen. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 15. *cum seqq. Giouagnon. cons.* 66. *n.* 12. *lib.* 1., *& dicta dec.* 53. *num.* 4. apud quos concordantes; Quinta distinguens inter fœminas agnatas, & non agnatas vt eadem *decis.* 53. *n.* 5.; Et sexta

an Statutum exprimat, necnè rationem agnationis vt eadem *decis.* 53. *num.* 6.

Secundam igitur, seù quartam opinionem distinguentem, dicendo veriorem, ac probabiliorem, ità inferebam, quod versaremur in Statuto omninò odioso, ac exorbitanti, vt adeò proxima neptis ex sorore, per nimium remotum, perèque extraneum transuersalem excludi deberet; Atque hoc posito inferebam ad con-
6 clusionem, de qua plenè *Giouagnon. dicto cons.* 66. *lib.* 1. *Rot. decis.* 68. *num.* 3. *&* 4. *p.* 6. *rec.* cum alijs infrà *in Fanen. disc.* 15., quod scilicèt huiusmodi Statuta intelligenda sint ad litteram, ac de personis, de quibus loquuntur in verbis, denegata extensione, etiam ex identitate, vel maioritate rationis; Ideoque dum loquitur de sorore morientis, extendendum non esset ad casum controuersiæ, in quo agebatur de nepte ex sorore iam defuncta.

Item quod idem Statutum intelligendum esset de collateralibus lineæ inferioris, non autem superioris, ex duplici pōderatione; Primò quod Statutum in
7 parte inclusiua agnatorum vocat eos, qui sint eiusdem cippi, qualis dicitur ille, qui sit communis excludenti, et excluso vtpotè ab vtriusque patre, vel auo, ex ijs, quæ super huius vocabuli significatione habentur *sub tit. de fideicomm.* præsertim *disc.* 33., vbi de subdistinctione familiæ contentiuæ in proximā, et remotam; Et secundò ob magnam differentiam, quam lex constituit inter transuersales lineæ superioris, & illos lineæ inferioris, istos
8 magis diligendo, ac priuilegiando in hac materia successionis; Siquidem ius commune admittit nepotes ex fratre, quamuis tertio gradu distantes vna cum parentibus, ac etiam cum germanis fratribus ad intestatam successionem, & tamen non admittit patruos, quamuis in eodem tertio gradu constituti sint, ex relatis *per Cyriac. controu.* 405. *num.* 34.

Neque vim argumenti tollere potest responsio, vt id proueniat ex beneficio repræsentationis, cuius ratione nepotes, qui sunt in tertio gradu occupare dicūtur secundum eorum patris, quoniam istud quoque beneficium denotat maius priuilegium; Ac etiam quia, etiam eo non intrante, adhuc eadem prælatio cōceditur, quoniam si moriente aliquo ab intestato, nullis extantibus parentibus,

vel germanis fratribus, vndè propterea ceſſet hæc fictio, ob quam remotior fiat proximiori æqualis, adhuc ex magis cõmuni, & recepta opinione, ſucceſſio debetur ſolum nepoti, non autem patruo, iuxtà opinionem quam tenẽt *Bart.*, *Bald.*, *Nicol. de Vbald.*, *Marta*, & alij relati per *Cyriacũ dicta controu.* 405. *n.* 34. *& ſeqq.*, & latiùs per *Vrſin. de feud. par.* 2. *quæſt.* 8. *art.* 1. *num* 2. reiecta contraria opinione *Salyceti*, & aliorum, quos refert, & ſequitur *Mantic. de tacit. lib.* 23. *tit.* 30. *nu.* 35. *& tit.* 32. *num.* 17. *& ſeqq.*

Atque vbi nulli ſuperſunt fratres, ſed ſolum nepotes ex pluribus fratribus prædefunctis, (quidquid antiquiores acerrimè certauerint, adeo vt iſta fuerit vna ex magis inuolutis quæſtionibus, quæ in iure habentur,) hodiè forſan vbique, præſertim verò in Rota, & Curia Romana, ac etiam in Tribunalibus Regni Neapolitani, receptum eſt, vt non intret fictio repræſentationis, ſed omnes ſuccedant in capita ex plenè relatis *per Theſaur. deciſ.* 162. *Franch. deciſ.* 24. *num.* 10. *Prat. obſeru.* 11. *Buratt. & adden. deciſ.* 352. *deciſ.* 600. *par.* 5. *recen.*, *deciſ.* 180. *&* 178. *par.* 6. *& deciſ.* 178. *par.* 7. *recen.*, & ſæpiùs; Idque Rota ampliauit quamuis adeſſet amita per Statutum excluſa *vt in Romana de Mareſcottis* 27. *Februarij* 1637. *coràm Buccabella*, *&* 18. *Iunij* 1646. *coram Veroſpio*, & in alijs.

Et tamen ſi iſto caſu ſuperſint parentes, adhuc iſti nepotes ex fratribus cum parentibus admittuntur ad ſucceſſionem iuxta magis communiter receptam opinionem, ſuper qua *Marin. in addit. ad Reuerter. deciſ.* 418., multos refert, atque ità in fine refert deciſum per S. Conſiliũ et tamen ſine dubio patrui, vel auunculi non admittuntur ad ſucceſſionem cum patre vel matre, etiam ſi ſint eiuſdem lateris, quamuis eadem ſit gradus proximitas, ergò magna differentia eſt inter collaterales lineæ ſuperioris, & illos lineæ inferioris.

Prout nullis extantibus germanis fratribus, vndè propterea dicta fictio repræſentationis ceſſet, adhuc in patruis, vel auunculis nõ intrat diſtinctio vnicitatis, vel duplicitatis vinculi, an ſcilicet ex vno, vel ex vtroque latere coniuncti ſint, cum iſtam differentiam lex conſideraueri ſolum in fratribus, & fratrum filijs, quamuis ceſſet neceſſitas repræſentationis vt ſuprà, quia nempè ſuperſiut nepotes ex fratre vtrinque, & nepotes ex altero fratre conſanguineo iuxta caſum, de quo *in Romana hæreditatis de Spatis ſub tit. de fideic. diſc.* 57., quoniam ex magis communi, & recepta opinione potior eſt conditio nepotum ex fratre germano, cum quibus alij nepotes non concurrunt iuxta authoritates relatas *dicto diſc.* 57. *de fideic. num.* 7.

In ſucceſſione itẽ feudorũ Regni Neapolitani, quę reſtricta eſt per illius Conſtitutiones ad tertium gradum, extra controuerſiam veniunt nepotes ex fratre, et tamen in patruo, qui eodem gradu attinet, eſt ſub quæſtione, vt pater ex deductis *per Vrſin. de feud. dicta par.* 2. *quæſt.* 7. *art.* 1. *Bilott. concluſ. feudal.* 23. *Rouit. dec.* 94.; Et quamuis hodie ex moderna gratia, ſucceſſio extenſa ſit ad quartum gradum ciuilem, intelligitur tamen in linea inferiori, non autem ſuperiori, vt in ſua ſede, cum ſimilibus.

Et in ipſamet materia ſtatutaria, excluſio fœminarum propter fratres iuxta ſententiam *Bart. in l. liberorum ff. de verbor. ſignific.* canonizatam plene *per Rotam in Romana ſucceſſionis de Girona* 23. *Ianuarij* 1574. *coram Robuſterio*, ſuffragatur etiam nepotibus ex fratre, quãuis id nõ ſit extra aliquã dubitationẽ ex deductis infrà *in Viterbien. diſc.* 16.; Sed extra quæſtionem eſt, vt patruus non veniat ex deductis *per Gabriel. de ſtatutis concl.* 7. *&* communiter; Idemque habemus in materia Conſuetudinũ Neapolis de quibus mẽtio habetur infrà *in Beneuẽtana diſc.* 26. quod ſcilicet data gradus inæqualitate inter maſculos & fœminas, intrat concluſio ſolum fauore maſculorũ lineæ inferioris, non autem ſuperioris cum ſimilibus.

Quamuis autem cum his, ac ſimilibus floribus, alijſque generalibus propoſitionibus atq; cũ ſuperflua copioſa allegationum congerie, ignaro vulgo grata, curaſſem, more Conſulentium conductitio iure ſcribentium, Reſponſum ſiue Informationem exornare, adeout ob dictas ſimilitudines, ea fortè aliquem habuerit plauſum.

Attamen reflectendo ad veritatem (liberè vt dictum eſt, tam oretenus in congreſſu, quàm in ſcriptis in diſcurſu

inſi-

insinuatam) ego contrarium credebam probabilius, vndè propterea resolutio iusta visa fuit ex vulgari regula textus *in l. ille aut ille ff. de leg.* 3. quod scilicet in claris, & expressis nõ intrant quæstiones, & argumẽta; Ac etiam ex propositione desumpta ex textu *in l. non omnium ff. de legibus*, quod vbi lex est clara, non curãtur absurda, & an ratio naturalis resistat, nec ne, cum ista sit præcipua legis prærogatiua, vt quamuis dura, seruari debeat, nimium attendendo rationẽ etiã supra doctrinas, vbi agatur de interpretatione legis dubiæ.

Quod etiam habemus in materia fideicommissorum aliarumque vltimarũ voluntatum, quod scilicet magnũ reputatur absurdorum argumentum pro coniectura seù interpretatione ambiguæ voluntatis, vbi verò ea est clara, istud argumentũ negligitur vt præsertim aduertitur *sub tit. de fideic. disc.* 30. & in illius causæ decisionibus ibi relatis, cum similibus.

Cum igitur in nouis reformationibus editis, tam ad maiorem declarationem antiqui Statuti, quàm etiam respectiuè pro extensione fauoris agnatorum vsq; ad octauum gradum §. *& nulla mulier, vel eius filij, & §. sequen.* incipien. *alij verò omnes*, generaliter disponatur vt sorores per agnatos transuersales intrafestum, & omnes aliæ fœminæ, alijque per eas coniuncti excludantur per agnatos vsque ad octauum gradum, neque cum eis concursum prætendere possint, quod clarius explicatum habetur in earumdem reformationum publicatione, quæ materna lingua populo facta fuerat; Hinc proinde, *(pro meo iudicio)*, contemptibiles remanent iuristarum subtilitates, atque, vt vulgò dicitur *stiraturæ*, quæ per scribentes pro hac parte, pro ingeniorum varietate deducebantur, cũ id in verbis claris decisum esset, nõ solũ de sororibus, sed etiã de omnibus alijs mulieribus, ac descendentibus per eas.

Et nihilominus, vbi etiam id explicatum non esset, idem quoque dicendum veniret ex regula, quod infecta primitiua, infecta dicitur deriuatiua, et consequenter quod exclusio fœminæ proximioris secum trahat exclusionem eius filiorum, ac descendentium iuxta magis communem, ac probabilem opinionem, de qua alijs relatis *apud Surd. cons.* 85. *Rota dec.* 405. *par.* 5. *rec.* & habetur infrà *in Interamnen. disc.* 14.

Prorsus enim improbabile, ac humano discursui contrarium videtur, vt remoti agnati excludere deberent germanam sororem, quę non solum habet prærogatiuam maioris proximitatis primi
22 gradus, sed etiam alteram agnationis, quoniã fœminæ licèt non prorogent familiã, attamen donec viuunt, illam conseruant; Ideoque cessante concursu masculorum, ex magis communi, & recepta sententia succedunt etiã in fideicõmissis, ac maioratibus agnatitijs vt pluries habetur in sua materia *sub tit. de fideic.*, et tamen, quod nõ debeant excludi fœminæ ex fœmina, quæ sunt gradu remotiores, & extraneæ à familia, & agnatione; Ideoque huiusmodi simplicitates à naturali ratione, ac humano discursu adeò
23 aberrantes, *irrisione dignæ videntur*; Multo verò magis eadem *irrisione digni* sunt, non quidẽ ipsi; Consulentes, qui eas deducunt, vtpote excusabiles, vt sibi commissas partes, ingenium acuendo, explicent eo quo possunt modo, sed Iudices qui Consulentium auctoritatem ita incœca fide sequuntur, quoniam repugnantia est nimis clara; Potissimè quia, licet in quadam physica possibilitate dari possint collaterales lineæ inferioris vsq; ad octauum gradum, attamen ex magis communi, & frequenti contingentia id moraliter est impossibile; Ideoque dictæ ponderationes de linea *inferiori* vel superiori percutientes gradus magis proximos, *in* quibus sint verificabiles, non videbantur ad rem adaptabiles in gradibus adeò remotis.

Clarius verò dum (pro meo pluries insinuato sensu) ex ratione ponderata præ-
24 sertim *in Perusina disc.* 1. & in alijs, magis efficax argumentum, quod *in* ista statutaria materia fauore fœminarum deduci soleat super huiusmodi Statutorũ exorbitantia, & odibilitate, corruit, nullamque habet probabilitatem, cum potius, nostris moribus attentis, contrarium dicendum sit, ideoq; sit potius fauorabile, vt formiter discusso articulo, relatisque omnibus opinionibus, ac singulis respondendo, firmatur *dicta decis* 53. *par.* 3.

par. 3. recent., cum qua processum est in aljs relatis *per add. ad Burati. dicta dec. 6. & 228.*

FLORENTINA SVCCESSIONIS DE FRANCESCHIS

PRO

MARIA LVCRETIA, ET MARIA MAGDALENA

CVM

PHILIPPO FRATRE.

Responsum seù Discursus.

De Statuto Florentino excluſiuo fœminarum propter maſculos, an contententur ſola ſubiectione perſonarum, non curata illa bonorum, ſiuè àn vtriuſq; Statuti combinationem admittat.

Et vbi ſucceſſio complectatur bona in diuerſis Principatibus exiſtentia, qualis dicatur huiuſmodi ſucceſſionis forus competens, etiam reſpectu bonorum alibi exiſtentium; Et incidenter de legibus, ſcriptis, vel non ſcriptis, quæ in Ciuitate, ac Regno Neapolitano habeantur ſuper fœminarum excluſione, ab inteſtata ſucceſſione.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *De fructibus an veniant in iudicio petitionis hæreditatis remiſſiuè.*
3 *Ad materiam tex.* in l. hæres abſens.
4 *De foro abſentis, cui dandus ſit actor.*
5 *De foro rei ſitæ, & an hæres conueniatur in loco implementi.*
6 *Vbi de ſucceſſione ſit quæſtio, atque bona ſint in pluribus Principatibus vel locis, quis ſit forus magis competens.*
7 *De eodem vt attendatur caput hæreditatis, & quomodo.*
8 *Paganus non habet duplex patrimonium neque hæreditatem.*
9 *Declaratur quomodo, & quando procedat, & de pluralitate ſucceſſionum.*
10 *De frequentia Statutorum, & praxi ſtabilita concluſionis ſuper diuerſo modo ſuccedendi.*
11 *Fortius vbi ſunt plures Principatus diuerſi.*
12 *An quilibet faciat confiſcationem in ſuo.*
13 *Obſeruantiæ eſt deferendum in interpretatione Statutorum.*
14 *De ratione ob quam non placeat opinio exigens ſubiectionem bonorum.*
15 *Quid in hoc Statuto Florentino.*
16 *Præſcriptio nunquam datur cum mala fide.*
17 *De legibus Ciuitatis, & Regni Neapolis ſuper excluſione fœminarum.*
18 *Conſtitutiones, & pragmaticæ Regni dicuntur ius commune.*
19 *Dos ibi ſuccedit loco legitimæ.*
20 *De conſuetudine Neapolis ſuper excluſione fœminarum.*

DISC. IX.

1 IVXTA ſeriem in hac eadem cauſa recenſitam *ſub tit. de Hæred. & Hæredit. diſc. 9*; Defunctus ab inteſtato in ciuitate Florentina patria originaria, prius Franciſco patre, deindeque Iulio filio, ſuperſtitibus Philippo filio, ac fratre reſpectiuè, ac Maria Lucretia, & Maria Magdalena filiabus, & reſpectiuè ſororibus; Cum Philippus, ad normam Statuti Florentini fœminarum excluſiui, ne dum per fratres, ſed etiam per vlteriores agnatos ex deductis *in* alia *Florentina diſc. præced.*, hæreditaria bona in ipſa patria, eiuſque ditione exiſtentia, ex-

tia omnem controuerſiam obtinuiſſet, ſieraque verò alia ad eaſdem hæreditates pertinentia exiſterent in Vrbe, vel Statu Eccleſiaſtico, ac etiam in Ciuitate ſeù Regno Neapolitano, nec non in Ciuitate ſeù Dominio Veneto, eorumque poſſeſſionem, ac fruitionem de facto, tanta ſororum exiſtentia, obtinuiſſet; Cerciorque factus de pluries inſinuata opinione, quam Vrbis, ac etiam Neapolis Tribunalia retinent ſuper copulatiuo concurſu vtriuſque ſubiectionis perſonarum, & bonorum, in huiuſmodi Statutis excluſiuis neceſſario, quodque propterea reſpectu bonorum in his Principatibus exiſtentium, ad limites Iuris cõmunis æqualis ſororum conditio eſſet; Hinc proinde, cum prę ſuppoſito quod Rota Florentina, aliaque illius Ciuitatis Tribunalia diuerſam ſequantur opinionem, vt ſola perſonarum ſubiectio ad id ſufficiat etiam pro bonis extra territorium, multo verò magis vbi in bonorum loco eadem lex vigeret; In iudicio *l. diffamari* quod vulgo *iactationis & iactationum* dicimus, eaſdem ſorores ſuper vniuerſæ ſucceſſionis iudicio etiam reſpectu bonorum in dictis alijs; Principatibus exiſtentium coram Iudice qui ibi dicitur *Quartariorum*, alijſque dictæ patriæ Tribunalibus prouocauit; Quare ex eaſdem ſororum parte ſuper quatuor conſultus fui; Primò nempè ſuper fori competentia, &, an iuſtè petere poſſent remiſſionem cauſæ ad Tribunalia Principatuum, in quibus reſpectiuè bona poſita ſunt; Secundo in meritis negotij principalis, an ſcilicet dictũ patriũ Statutum afficiat reſpectu dictorum bonorum in diuerſis Principatibus exiſtentium; Tertiò quid de fructibus hoc medio tempore à fratre perceptis; Et quartò, an eiſdem ex aliquibus prudentialibus motiuis huiuſmodi litis proſequutionem negligentibus, obſtare poſſet aliqua preſcriptio; Iſtaque occaſione requiſitus fui de notitia legum Ciuitatis, ac Regni Neapolitani ſuper fœminarum excluſione.

De tertio puncto fructuum habetur actum *dicto diſc. 9. de hæred. & hæredit.*; Quatenus verò pertinet ad primũ ſuper competentia fori; Cum aliqua Reſponſa quæ deſuper hincindè data erãt cõmunicata eſſent, in quibus deducebatur vniuerſa ferè materia cõpetentiæ fori ſuper facultate conueniendi hæredem, cũ aliqua tamẽ cõfuſione caſuũ, ſeù quæſtionũ, vt hodiernus ſtylus frequenter docet; Hinc proindè, ad veritatem eruendam, tollendaque æquiuoca, cum quibus mihi videbatur quod procederetur; Pro genio, & conſuetudine aduertebam ad plurium caſuum, ſeù quæſtionum diſtinctionem.

Primus enim caſus eſt vbi agatur de terminis, ac materia *textus in l. hæres abſens ff. de iudic.*, quia nẽpè quæſtio non ſit 3 ſuper hæreditate vel ſucceſſione, ſed creditor hęreditarius, vel alter qui aliquod ius habere prætendat in bonis aliàs, quã iure hæreditario, conueniat eum, quem non dubitetur eſſe hæredem, in foro defuncti, quamuis ipſe alibi moretur, diuerſumque forum habeat iuxta caſum de quo *ſub tit. de iuriſdict. & foro competent. diſc. 86.* vbi de materia; Id autem nimium extraneum erat à præſenti controuerſia, ideoque extrà propoſitum deducebantur auctoritates iſtum percutientes.

Alter caſus eſt vbi agatur contra debitorem abſentem à Ciuitate, vel Prouincia, ſeù Principatu, conueniendum in 4 loco contractus deſtinatę ſolutionis, ſiuè habentem plures foros, an, & vbi conueniri debeat, ſiue ad quem Iudicem pertineat dare curatorem abſenti ex deductis *per Virgil. de legit. perſonarum cap. 14. num. 30.* & alios relatos *per Amat. reſolut. 33. num. 6. & ſeqq. & per totum*, qui allegabantur, ſed pariter id extra caſum controuerſiæ, & conſequenter doctrinæ erant extra propoſitum.

Quales erant quoque aliæ, cum magna congerie deductæ ſuper tertiò caſu ad 5 materiam *textus in l. fin. C. vbi in rem actio*, de qua poſt antiquiores *Barboſ. in dicta l. hæres abſens §. proinde num. 15. & 16. Carleual. de iudic. tom. 1. diſput. 2. num. 149 & ſeqq. Amat. dicta reſolut. 33. num. 18. & ſeqq.*, vbi licet agatur de foro rei ſitæ, an ſit competens etiam contra abſentem, qui alibi forum originis, vel domicilij ſortiatur; Atque de hoc tertio caſu agitur *eod. tit. de iuriſd. & for. compet. diſc. 75.*, vbi in ſpecie de hærede originario, ac domiciliario Vrbis, an conueniri poſſit in Ciuitate Senarum pro adimpemento voluntatis teſtatoris ibi

faciendo; Omnia verò prædicta vtpotè extranea à casu quæstionis, inanem charzarum repletionem continebant, vt indies hanc miseriam experimur.

Casus igitur proprius, ac præcisus quæstionis erat, (de quo tamen minus agebatur, quàm de alijs), vbi contentio sit de ipsa successione, vel hæreditate, quę habeat bona in diuersis locis, vel diuersis prouincijs, vbi scilicet illa tanquam indiuidua tractari debeat, ne continentia causæ diuidatur, ob vnicum, ac indiuiduum punctum successionis directæ vel obliquæ, et quis sit forus, vel Iudex magis competens ad notata *per Bart. Dec. Curt. & alios in l. fin. Cod. de edict. diu. Adr., de quibus Peregr. de fid. art. 53. nu. 1. & seqq. Molina de primog. lib. 2. cap. 13. num. 73. Salgad. in labyr. par. 1. cap. 4. num. 27.* cum alijs de quibus *eodem tit. de iurisd. & for. compet. disc. 74.*

Verùm pariter quæstio tractata per DD. vbi supra, non omninò percutiebat casum præcisum, cū ipsi contendentes ità inter se, diuersi fori supponantur, vndè quilibet prętēdat trahere causam ad forū suum, suè impugnet gesta in foro electo per emulum in alio foro, quem oppositor dicat quoad se incompetentē; Et nihilominùs etiam isto casu magis communiter concluditur, ac probabilius est, illum dici digniorem, magisque competentem forum, vbi (vt Hispani dicunt) est caput hæreditatis ex deductis *dicto disc. 86. de iurisdict. for. compent.*

Atque his stantibus, multò magis, ac extrà controuersiam põderabam pro ratione dubitandi, quod iste forus Florentinus quoad omnes videretur magis cõpetens, non solum ob dictam rationem, quod ibi defunctus tanquam in patria
7 originaria vixisset, ac obijsset, ibique adessent bona stabilia antiqua constituēntia caput hæreditatis, (cum alia in diuersis Principatibus sparsa, accidentaliter quæsita essent occasione industriæ, & negotiationis,) sed etiam quia omnes contendentes, tam origine, quàm domicilio erant eiusdem fori, vndè propterea casus remanere videbatur planus quod iste forus, potissimè præuentus, declinari non posset, cum ità cessaret ea ratio dubitandi, quæ cadit quando contendentes diuersum respectiuè forum sortiuntur.

Posita verò dicta competentia nil obstare videbatur diuersitas Principatuum, in quibus bona hæreditaria sparsa erant, quoniam cum in pagano non detur plu-
8 ralitas hæreditatum, ac patrimoniorum, quæ solum in militibus concessa est, vt habetur pluries deductum *sub tit. de bon. red. & hæredit.*, & in auctoritatibus de quibus proximè infrà, hinc proindè in vnica successione, vel hæreditate, diuersi Iudices dandi non sunt, sed vnus inter plures alios trahere debet, atque inter plures est magis competens ille, qui habeat circumstantias isto casu concurrentes.

His tamen non obstantibus, contrarium dixi mihi probabilius videri, quoniam dicta regula exclusiua pluralitatis
9 hæreditatum, vel patrimoniorum in pagano (quidquid sit ad alios effectus, & præsertim concursus creditorum, de quo in sua materia *sub tit. de credito*), ad hunc effectum successionis, rectè intrat, quando illa eodem iure communi, quod vbique pariformiter seruetur, veniat regulanda, vt cõtingebat sub antiquo Romano Imperio, quod non existente tanta Principatuum, ac iurium municipalium diuersitate, vbique vna, & eadem erat lex; Secùs autem vbi etiam in eodem Principatu diuersa vigeant Statuta, iuxtà quæ, attenta opinione, quam sequitur Rota, & Curia, quodlibet Statutum operatiuum solum remanet in bonis intra proprium territorium existentibus, non autem extra, quoniam tūc moriens reputatur multiplex homo, atque tot dicuntur successiones, quot sunt loca, seù territoria, in quibus respectiuè Statuta vigeant, vt cæteris plenè relatis habetur apud *Capyc. Latr. decis. 137. num. 49. apud Merlin. decis. 353. num. 35. & decis. 828. num. fin. apud Roias decis. 157. num. 8. decis. 228. num. 38. cum seqq. par. 8. & decis. 131. num. 21. & seq. par. 9. recen.* & in alijs, ex quibus patet, quod in eodē Statu Ecclesiastico, in quo potissimum nimium frequens est hic Statutorū vsus,
10 diuersa est successio bonorum in vno, vel altero loco existentium; Quod etiam in dies praxis docet in Ciuitate Neapolis, quod alius est succedendi modus in bonis existentibus intrà Ciuitatem, eiusque territorium; Alius verò in bonis existentibus intrà Regnum, quoniam prima species regulatur iuxtà cõsuetudines

Ciui-

Ciuitatis, & altera iuxtà Conſtitutionem Regni vt infra, quod etiam frequenter contingit præſertim in Hetruria, vbi pariter fortè frequentius, quàm in reliquis Italiæ partibus quilibet etiam paruus locus habet propria Statuta.

Multò igitur magis vbi agatur de Principatibus omninò diuerſis, ac inde-
11 pẽdentibus quorum vnus ab altero dependentiam non habeat, adeout dici non poſſit quod ſint diuerſa mẽbra eiuſdem corporis diuiſam operationem habentia, quoniam quilibet Principatus *in ſe ipſo* reputatur integer Orbis ſtans de per ſe, ſiuè integrum Imperium cum proprio Imperatore, cum eadem proportione, cum qua ius commune intra limites Romani Imperij diſponit; Et cõſequenter multò magis vnus, & idem reputatur multiplex homo, qui in vno Imperio poſſit eſſe ſeruus, & in altero ingenuus, atque in vno capax, & in altero
12 incapax, vt pluries aduertitur præſertim *in Romana confiſcationis ſub tit. de Regalibus in ſupplemento* occaſione agendi de quæſtione, an ſub confiſcatione ſequuta ex delicto in vno Principatu, cadant bona extantia in altero; Ideoque cum fingendæ veniant tot diuerſæ hæreditates, quot ſunt patrimonia in diuerſis territorijs, vel Principatibus exiſtentia, ceſſat ratio connexionis, atque quilibet forus cognoſcit de proprio patrimonio, vndè contentio ſolum cadit inter plures Iudices, vel foros eiuſdem Principatus, eo modo quo de iure communi inter plures Iudices eiuſdem Imperij.

Ea quoque conſideratione accedente, quod cum Statutorum, ac iurium municipalium interprætatio nimium pendeat ab obſeruantia, quæ dicitur omnium humanorum actuum, ac etiam legum
13 optima interpres ex generaliter deductis *per Rotam deciſ.* 199. *num.* 12. *&* 13. *& deciſ.* 256. *num. fin. par.* 10. *deciſ.* 323. *n.* 13. *p.* 11. *rec.*; Et in ſpecie huius Statuti Florentini excluſiui fœminarum *Monach. deciſ. Florent.* 46. *num.* 2. *cum ſeqq.*; Siuè pendeat à moribus locorum, & populorum, omninò incongruit, vt alibi hæc interprætatio fieri debeat vbi ignota eſt obſeruantia illius legis, ignotique ſunt illius populi, vel loci mores.

Atque hinc magis me confirmo in proprio ſenſu (quamuis iuxtà hodiernũ rerum ſtatum præſertim in Vrbe, & Statu Eccleſiaſtico, ac etiam in Regno Neapolitano minus receptum) vt locus de-
14 functi vbi caput eſt hæreditatis, vniuerſam ſucceſſionem regulare deberet, quodque perſona trahat omnia bona eo modo quo trahit mobilia, vel iura, & actiones iuxtà deducta *hoc eodem titulo diſc.* 19., cum ità ex huiuſmodi leguleicis diſtinctionibus, & ſubtilitatibus, ab humana ratione, humanoq; diſcurſu extraneis, magnæ reſultent confuſiones.

Et his ſtantibus non reſpondi ad ſecundum punctum, an ſcilicèt Statutum Florentinum contentum ſola ſubiectione perſonæ capiat omnia bona vbique exiſtentia, quamuis extra eius Ditionem,
15 iuxtà teſtimonium *Salycet. in l. cunctos populos Cod. de Summ. Trinit. num.* 14. cuius tamen contrarium, agendo de eodem Statuto, dicit *Thuſc. litt. S. concluſ.* 658. *num.* 16., ſed ſuper eo me referebam ad verſatos in regione, quibus in his materijs deferri debet.

Alter punctus preſcriptionis erat planus pro negatiua ob veram malam fidẽ
16 reſultantem à lite, ſtante diſpoſitione iuris canonici *in cap. fin. de præſcript.*, vbique etiam in laicalibus principatibus, atque vt noſtri dicere ſolent, etiam in terris Imperij recepta, vt *ſub tit. de credito*.

Quouerò ad particulare quæſitum, quænam leges peculiares in Ciuitate, ac Regno Neapolitano vigerẽt *in hac materia* inteſtatæ ſucceſſionis ſuper exclu-
17 ſione fœminarum propter maſculos; Reſpondi quod vbi huic maſculo non obſtaret obiectum deficientis alterius ſubiectionis perſonæ, cuius requiſitum quoque eſt magis neceſſarium in excludente, quamuis non in excluſo, vt in alijs hoc *eodem titulo* pluries aduertitur, tunc quoque debita eſſet ſucceſſio vniuerſalis, cum obligatione tamen dandi ſororibus dotem; Diſtinguendo ſiquidẽ Regnum à Ciuitate; Quatenùs pertinet ad Regnũ, in quo vſus non habetur particularium Statutorum, ſed ſolum aliquis nimiũ rarus adeſt Conſuetudinũ, viuitur eodem iure Conſtitutionum, & Capitulorum, & Pragmaticarum conſtituentiũ ius, quod ibi, et meritò, dicendum non eſt municipale, ſed commune, vt præ-

sertim aduertit *Rouit. decis. 78. num. 5.*;
18 Istoque iure attento, stantibus masculis æqualis gradus, fœminæ excludũtur per Constitutionem Regni, quæ incipit *In aliquibus*; Et quamuis illa in verbis loquatur de successione paterna; Attamen ex recepta Sapientum Regni interpræ-tatione, capit etiam materna, non autem fraterna ex deductis *apud Franch. decis. 171. Fab. de Ann. cons. 45.* & communiter; Debent tamen fœminæ dotari de paragio, quod succedit loco legitimæ, quæ per dictam Constitutionem sublata non
19 est, ideoque dos etiam ante matrimonium, et quatenus istud neque sequatur, mortuo parente, non potest esse minus legitima, eaque transmittitur, atque producit fructus sicut legitima ex deductis in sua materia *sub tit. de dote*, & etiã sub altero *de legitim. & detract.*, & insinuatur quoque *sub tit. de feud. disc. 108.* vbi de paragio debito in bonis feudalibus.

In Ciuitate autem adsunt Consuetudines in scripturam redactæ cum diuersitate, de qua *hoc eodem tit. in Beneuentana disc. 26. & sub tit. de dote disc. 103.*,
20 eamdem continentes exclusionem imò latiorem, nam etiam excludunt à successione fraterna; Remanente quæstione, an dotatio requiratur ex qualibet hæreditate, vel successione vt requiritur attenta dicta Constitutione Regni; Vel sufficiat vnica, super quo variæ habentur opiniones, quoniam negatiuam, vt vnica non sufficiat, sustinet *Ann. allegat. 70. 81. & 117.*; Affirmatiuam autem esse magis communem, & receptam patet ex deductis *per Franch. & adden. decis. 87. Molfes. ad consuet. par 4. quæst. 2. num. 16. Hodiern. controu. 24. in princ.* & alios.

ANCONITANA SVCCESSIONIS PRO MARIA NEROTTA CVM THOMASIIS.

Casus disputatus coram A.C., postea concordatus.

De Statuto Anconitano excludente cognatos propter agnatos intra quartum gradum, an suffragetur fœminis agnatis.

Et de actiua, & passiua successione naturalium tantùm, seù eorum dẽ legitimatorum per rescriptum, an in istis intrent iura agnationis actiuè, & passiuè.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quomodo se gerere debeãt Aduocati.*
3 *Statutum nõ egreditur gradus express.*
4 *Quando Statutum debeat strictè, & quando largè interpretari.*
5 *An, & quando fœminæ dicantur agnatæ in Statutis, vel fideicommissis.*
6 *Quod sub hoc Statuto non veniant, & de ratione.*
7 *De Statuto Asculano remissiuè.*
8 *Quod generaliter masculinum non comprehendat fœmininum.*
9 *Naturales tantùm habent ius cognationis non autem agnationis.*
10 *Ius successionis est reciprocum, seù vicissitudinarium.*
11 *Cum cognatis datur successio indefinita.*
12 *Procreati ex damnato coitu, neque habent ius cognationis.*
13 *Sed vxor eis succedit.*
14 *Quod in motiuis adhibenda sit prudentia.*
15 *An procreati ex vxorato, & soluta, dicantur ex damnato coitu.*
16 *An legitimati habeant iura agnationis.*
17 *De distinctione inter bona antè, & post legitimationem.*

18 *An*

18 *An legitimatio tribuat ius agnationis successione passiua, non pro actiua.*

19 *De materia successionis spuriorũ, & naturalium, seù legitimatorum remissiuè.*

DISC. X.

AD intestatam successionem Cyriaci Thomasij filij naturalis Nicolai, concurrebant, Ioanna consobrina ex latere materno, & altera Ioãna etiã consobrina ex latere paterno, cuius iura repræsentabãt Franciscus, & Thomas de Thomasijs agnati sexto gradu attinentes, ipsiq; etiã ex propria persona ex Statuti Anconitani dispositione successionem prætendebant; Quarè introducta causa coram A. C. inter dictos Thomasios duplici titulo vt supra venientes, et Mariam defuncti vxorem, tam ex persona propria, quàm ex illa dictæ Ioannæ consobrinæ ex latere materno, plures desuper habitæ fuerunt disputationes, absque determinatione, ob subsequutam concordiam, quam dictæ Mariæ (pro qua scribebam) consului; Tum ob aliquam difficultatem in parte vt infrà; Tum etiam, quia pauperi viduæ non expediebat cum viris potentibus litem in iudicio ordinario tractandam substinere; Ad quod ex debito
2 charitatis, cum prudentialibus motiuis Aduocati reflectere debent, non autem cogitãdo ad solum punctum iuris in abstracto semper ignorãdo factam, siuè ad proprium turpe lucrum, mordicùs litem substinere, cum supplantatione clientum.

In disputationibus autem prædictis duo fuerunt puncti, siuè inspectiones; Primò nempè regulando successionem cum iure statutario; Et secundò quatenùs Statutum non intraret, vndè propterea procedendum esset cum dispositione iuris communis, cui, & quomodo ista successio debita esset.

Quoad primum; Exclusio dictorum de Thomasijs erat plana, cum Statutum exclusiuũ cognatorũ propter agnatos restrictum esset intrà quartum gradum, vltrà quem extrà omnem quæstionem est, vt illud non operetur, neque eius extensio admittatur, vndè propterea, tanquam extrà casum Statuti, perindè, ac si istud in rerum natura nõ existeret,
3 subintrat ius commune, cuius dispositione, seù ordine attento, absolutum pariter est, vt in concursu dictarum mulierũ existẽtium in quarto gradu, venire non possent dicti agnati existentes in sexto, dum hodiè attento iure nouissimo, sublata sexus, ac agnationis antiqua prærogatiua, illa gradus tantùm attenditur.

Et quamuis in meo pluries insinuato sensu, qui in regionis moribus fundatur huiusmodi Statuta potiùs nostro iuri Romanorũ conformia, quã correctoria, sint ideoq; fauorabilia cẽsenda veniant; Nihilominùs id rectè procedit pro benigna
4 eorũ interpretatione, & nè admittantur illi merè legulei irrationabiles rigores, de quibus infrà *disc.* 15. cum similibus, nõ tamen, vt extendi possint vltrà gradus, intrà quos statuentes id agere voluerũt, quoniam Aliud est interpretari, vel agere de comprehensione casus minus dubitabilis, Et Aliud est extendere vltrà casus, & gradus expressos; Idque vbi etiam ageretur de successione personæ verè legitimæ, & naturalis, quæ ius agnationis habeat, multò magis dum agebatur de naturali, & legitimato per rescriptum, in quo dictum ius agnationis, vel non intrat, vel est ambiguum vt infrà casus erat planus.

Hinc proindè Scribentes pro eisdem (cedendo prætensioni ex persona propria), eam restringebant ad illam Ioannæ agnatæ, intra quartum gradum existentis, ideoque ad formam Statuti excludentis dictam alteram Ioannam cognatam; Non obstante quod esset fœmi-
5 na, quoniam transcribendo penè ad litteram (iuxta modernam ineptiam) deducta *per Rotam in Romana supplementi legitimæ 22. Iunij 1643. coram Cerro impress. decis. 491. par. 9. rec.* dicebant, quod etiam fœminæ de familia dicuntur agnatæ, in quibus verificetur dispositio statutaria, ex firmatis in dicta decisione occasione Statuti Vrbis 141.

Et quamuis notæ essent decisiones posteriores reuocatoriæ *coram eodem Cerro impressæ eadem p. 9. rec. dec. 267. & 383.*, in quibus firmatur, vt dictum Statutum intelligẽdum sit de masculis, non autem de fœminis; Attamen præueniendo responsionem, replicabant, casum esse diuersum, cum ibi contentio esset inter duas germanas sorores, in quarum vtra-

que eadem agnatitia qualitas concurrebat, et consequenter cessante ratione successiuę conseruationis, quæ non intrat nisi in sexu masculino, admittebant quod probabiliter à dicta priori resolutione fuisset recessum; Secus autem in hac facti specie, in qua agebatur de excludendo cognatam, ideoque sufficere debebat, vt verificaretur casus Statuti etiam attenta littera; Cum pariter extrà controuersiam hodiè receptum sit, vt subsidiariè, atque cessante concursu masculorum de agnatione, fœminæ dicantur agnatæ succedentes in fideicommissis, & primogenituris, quamuis agnatitijs, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Dunozett. dec.* 853 *dec.* 133. *par.* 9. *rec. decis.* 40 *post Censal. ad Peregr.* & pluries in sua materia *sub titulo de fideicommiss.*

His tamen non obstantibus (etiam cũ sensu veritatis, qualem ab initio quoque Iudex agnouit, & declarauit), contrariũ dicebam verius, quamuis ageretur de successione verè legitimi, & naturalis, adeout non intraret difficultas, de qua
6 infra super iure agnationis, multo magis ea vrgente; Siquidem absque necessitate alicuius ratiocinij super generalibus, dicebam quod idem Statutum in specie decidit quæstionem, vt sub nomine agnatorum, fœminę quamuis agnatæ non veniant, dum postquam vocauit patruos, eorumque filios, vocantur amitæ, quæ sunt agnatæ, atque filijs patruorum absque dubio proximiores, dum tertium illę occupant gradum, consobrini autem quartum, vt in proposito arguunt *Alex. cons.* 45. *num.* 8. *lib.* 7. *Soccin. iun. cons.* 23.
7 *num.* 55. *lib.* 1. & alij relati *per Rub. tom.* 2. *sing. fol.* 35. occasione agendi de Statuto Asculano.

Verùm vbi, (ista particulari circumstantia cessante,) agendum esset de generica dispositione Statuti intra certum gradum excludentis cognatos propter agnatos; Adhuc omnino verius esse dicebam, vt id intelligendum esset fauore
8 masculorum, per quos agnatio conseruatur, quoniam in hac statutaria materia, in qua non intrat illa præsumpta morientis voluntas, ob quam ex benigna interpretatione, in vltimis voluntatibus, masculinum concipit fœmininum, ista conceptio admittenda non [illegible], tanquam ex cessante voluntate statuentium fundata in ratione conseruationis agnationis ex auctoritatibus relatis *in dictis decis.* 267. & 383. *par.* 9. *rec.*; Ideoque potius intrat conclusio opposita, quam habemus in contractibus correspectiuis strictè intelligendis, vt masculinum non concipiat fœmininum ex deductis *sub tit. de emphyt. dis.* 15. & *in annotationibus ad eumdem in supplemento*, ac admittitur in sua materia *sub tit. de fideicõmiss.*; Declarando tamen istam conclusionem vt procedat, vbi agatur de contractu onerõso, & correspectiuo strictè intelligendo, secus autem, vbi ageretur de simplici voluntario fideicommisso, quod non expectato casu mortis, per actum inter viuos ordinatum esset ex ibi deductis.

Et fortiùs quia potissima ratio, ob quã in dicto meo pluries insinuatò sensu, huiusmodi Statuta fauorabilia censenda sint, atq; latè, & benignè interpretãda, consistit in eo, quod ita restituant illud ius, quo Romanum Imperium regebatur, quando in Italia sedem habebat, & cum quo in ista regione ob leges Longobardorum, ac alias viui continuatum fuit, imitando etiam in hoc legem Sacræ scripturæ Testamenti veteris, et consequenter ad dicti antiqui iuris limites fauore agnationis iunctæ cum sexu; Vndè propterea dicta ratione cessante, de plano intrat ea propositio, quæ generaliter apud pragmaticos magis recepta est, vt in huiusmodi Statutis, stricta, & rigorosa interpretatio facienda sit, ideoque incongrui remanent dicti termini vltimarum voluntatum.

His autem sic stantibus, atque per Iudicem in ipsa prima disputatione sine dubio admissis, restricta fuit difficultas ad ordinem succedendi iuxta dispositionẽ Iuris cõmunis; Ista verò attenta, vbi de successione legitimi, & naturalis ageretur, tunc planum erat quod vtriusque consobrinæ æqualis esse deberet concursus ob gradus æqualitatem, non curata diuersitate lateris, vtpotè hodie iam sublata; Verum scribens pro Maria habente iura Ioannæ cognatæ, dicebam quod huic tantùm successio debita esset, non autem alteri Ioannæ coniunctæ ex latere paterno, ex regula quod naturales tantum, habent solum iura cognationis, non autem agnationis, ideoque sicuti naturales non concurrunt in successione agna-

torum,

torum, ita neque isti in eorum successione concurrere debent ratione iuris vicissitudinarij *ad textũ in l. si spurius ff. vnde cognati §. vulgò quæsitus Instit. de succes. cognat. DD* communiter plenè cõgesti *per Mathesilan. de succes. ab intest. membr. 3. artic. primo in princ. Paleot. de noth. & spur. cap. 39 num. 4. Peregr. de iur. fisci lib. 3. tit. 18. n. 26. Lup. de illegit. commentar. 1. §. 2. n. 4.* & cęteri collecti *per Lucidor. in tract. de illegit. cap. 13 num. 5.*, vbi dicit hanc regulam certissimam; Quodque ius successionis sit vicissitudinarium, vt cui non succedimus, neque ille nobis succedat, & è contra *Couarr. de succes. ab intest. post num. 13. vers. decimatertia conclusio, Peregrin. de iur. fisc. lib. 3. tit. 18. num. 29. Surd. dec. 293. num. 1. cum seqq. Buratt. dec. 520. nu. 1. & 7.* vbi concordantes.

Pro ista difficultate euitanda Scribentes in contrarium dicebant; Primò quod littera supra allegatorum iurium tollentium in naturalibus tantùm ius agnationis, procedit in matre, & fratribus tantùm, ideoque id trahendum non est ad vlteriores, de quibus lex non loquitur, vt motiuare videtur *Capra cons. 1. n. 21.*, ideoq; post matrem, & fratres; Vel quod tanquam in casu omisso, omnium æquè coniunctorum æqualis esset conditio; Vel quod potius nulli succederent; Verùm hæc responsio friuola erat, quoniã verius est, vt cognatorum indefinita sit successio cum naturalibus *per Mathesilan. vbi supra num. 10. Paleot. dicto cap. 39. num. 4. Pereg. de iur. fisc. dicto lib. 3. tit. 18. num. 25. & de fideic. art. 22. nu. 85. Lup. de illegit. commentar. 1. §. 2. num. 14.*

Replicabant tamen vt id procederet in naturalibus tantùm, vel etiam in spurijs simplicibus, non autem in illis, qui ex damnato coitu procreati sunt, quoniam isti neque iura cognationis habent, vt ex professo probant *Capr. cons. 108. num. 105. & seqq. & cons. 136. num. 19. Cepoll. cons. ciuil. 1. num. 6. lib. 1.* ac admittunt alij proximè supra allegati, et in his terminis versari dicebant, dum agebatur de adulterino vtpotè procreato per virum vxoratum, quamuis ex muliere soluta.

Motiuum, vbi etiam esset verum, non tamen suffragatur Parti, pro qua deducebatur, sed potius ei nocebat, atque confirmabat intentionẽ huius Partis, quoniam tali casu, sublatis tam agnatis, quã cognatis, prima successionis causa fuisset ipsius vxoris iuxta doctrinam *Bald. in l. si qua illustris C. ad Orficianum num. 6. Lup. de illegit. commentar. 1. §. 2. num. 15.* & 17.; Ideoque id arguebat iudicij imbecillitatem; Idque in ijs, qui magis ingenioſi sunt, vel conclusionum, ac doctrinarum copiam profitentur, frequentius contingit, quoniam vt ingenij, vel doctrinarum ostentationem faciant, non reflectunt, an expediat, nec ne motiuum deducere; Ideoque in Aduocatis potissima pars est illa iudicij, eligendo motiua, quæ expediant, non autem totum id, quod in mentem venit.

Et nihilominus, neque de iure motiuum subsistebat, quoniam licet apud DD. non leuis quæstio sit, an procreatus ex coniugato, & soluta, adeòvt obstet solum macula adulterij ex parte viri, dicendus veniat ex damnato coitu, vt patet ex plenè relatis *per Peregr. de iur. fisci lib. 3 tit. 18. num. 35. & seqq.* vbi varias adhibet distinctiones, & conciliationes; Nihilominus quia de consuetudine violatio thori maritalis per accidentalem concubitum cum fœmina soluta, vbi nõ accedat qualitas concubinatus, non est punibilis, hinc proindè filij ita procreati dicendi non sunt ex damnato coitu, adeò vt iure cognationis quoque priuati remaneant *vt Paleot. dicto tract. de illegit. c. 42. Lup. dicto commentar. 1 §. 50. n. 152.*, vbi procedit cum dicta distinctione inter formalem concubinatum, & accidentalem seù casualem concubitum, idque in praxi, & communi vsu receptum videtur.

Maior autem difficultas pro æquali concursu dictæ fœminæ agnatæ, resultare videbatur ex legitimatione, per quam natalium macula ablata erat, dum ita cũ ordine legitimorum procedendum videtur ex regula, quod legitimati pro legitimis habendi veniunt; Verùm dicebam quod difficultas esset considerabilis, quando præsupposita sufficienti probatione filiationis quoad patrem, legitimatio fuisset pura, & plenaria, secus autẽ vbi (vt in præsenti) ad normam Constitutionis Pij IV. qualificata per clausulam *sine præiudicio venientium ab intestato*; Quamuis enim ex veriori, magisque

que recepta ſententia, iſta non ſit ſimplex diſpenſatio, vt alia opinio credit, ſed vera legitimatio ex plenè firmatis *per Rotam dec. 35. p 8. recent.*, quæ reputatur in materia magiſtralis ſæpius canonizata, vt aduertitur *in Nouarien. diſc. 28.* & pluries *ſub tit de teſtam. & de fideic.*; Artamẽ habet hanc reſtrictionẽ ſeù qualificationẽ, intra cuius limites operatiua eſt quoties agatur de ſucceſſione ab inteſtato, ſecùs autem de teſtamentaria ex deductis *dicta deciſ. 35. p. 8. & apud Roias deciſ. 316.* cum alijs de quibus locis proximè citatis, et conſequenter legitimatio non obſtabat Ioannæ cognatæ, cui eadem legitimatione ſecluſa, integra ſucceſſio debita eſſet.

Motiuabat Iudex, an id procedere ſolum deberet in bonis quęſitis antè legitimationem, in quibus cognatis ab inteſtato venientibus aliquod ius in ſpe quæſitum dici poſſet, ſecus autem in obuentis poſt legitimationem; Sed quamuis cũ diligẽtijs tũc per Scribẽtes hinc indè adhibitis, non reperti eſſent DD. ad hãc reflexionẽ deſcendentes, vndè propterea
17 pũctus viſus eſt nouus, attamen nõ videbatur intrare, cũ hęc diſtinctio inter bona prouenientia ante, vel poſt legitimationẽ, de qua *apud Lup. d. commentar. 1. §. 2. n. 17.*, percutiat ſolũ bona obuẽta à patre pro excluſione vxoris, ac etiam ad effectũ ſucceſſionis teſtamentariæ, attamen dicebam, quod in propoſito diſtinctio non intraret, dum ob dictam clauſulam indefinitè adiectam in hac parte exceptuata, legitimatio habetur pro non extante, perinde ac ſi conceſſa non eſſet.

Dicta etenim diſtinctio inter bona, quæ antè vel poſt legitimationem delata ſunt, de quà *Lup. commentar. 3. §. 1. n. 58.*, non percutit ea bona, quæ per ipſum naturalem legitimatum quæſita ſint, atque remanſerint in hæreditate, ſuper qua ſit controuerſia, ſed percutit ea bona, quæ ex parentum, vel coniunctorum ſucceſſione obueniant, vbi naturalis tantùm per puram, & amplam legitimationem etiam in præiudicium venientium ab inteſtato fuerit legitimatus, vt ſcilicet hæc habilitatio non habeat oculos retrò, neque ſuffragetur pro ſucceſſionibus iam apertis, & delatis ante legitimationem ob ius tertio quæſitum, cui in dubio non cenſetur quod Princeps derogare voluerit, niſi dicatur, iuxta diſtinctiones de quibus præſertim *diſc. 148. ſub tit. de Regalibus* ad materiam poteſtatis tollendi ius tertij, & alibi, ideoque motiuum non intrabat.

Ponderabam ego potuiſſe motiuari ex parte dictę agnatæ, (quamuis motiuatum non eſſet,) vt dicta clauſula præſeruatiua iurium venientium ab inteſtato
18 rectè procederet in ſucceſſione actiua ipſius legitimati, non autem in paſſiua, & ſic quod ipſe legitimatus in præiudicium legitimorum, parenti, & alijs non ſuccederet, non autem è conuerſo, quoniam quoad ipſum legitimatio habetur ac ſi eſſet pura, vt aduertunt *Angel. con. 250. num. 8. Alciat. conſ. 14. lib. 9. Horat.* eum referens *dicto conſ. 83. num. 46.* *Martin. Lauden. de legitimat. num.* *inter tract. magn. tom. 8. par. 2. fol. 95.* *pan. ad ſtatut. Mediol. tom. 1 cap.* *num. 131. & ſeqq. Paſchal. de patr. pot. par. 2. cap. 4. num. 262. in fin.* Idque ex pluribus rationibus confirmari videtur. Primò nempè vt inducta ad fauorem re torqueri non debeant in odium; Secundò vt adiectio huius clauſulæ prouenit ex dicta Conſtitutione Pij IV. reguletur à Regula Cancellariæ reſpiciente dictum effectum; Et tertiò melius ex voluntate ipſiuſmet naturalis, qui curauit legitimationem obtinere, ſiuè eadem ab alio obtẽta vſus eſt, dũ ità voluit de ea agnatione ſe facere, atque agnatos etiam ad ſucceſſionem admittere; E' conuerſo autem, obſtabat dicta regula viciſſitudinis, x inæqualitatis, quoniam iuſtum non eſt vt nobis ſuccedant illi, quibus nos non ſuccedimus; Adhuc tamen iſta difficultas tolli videbatur ex quadam ſpeciali natura huius ſucceſſionis illegitimorum, in quibus iſta claudicatio, ſeù inæqualitas dignoſcitur in parentibus, & ſic quod iſta non eſſet ſucceſſio iure quaſi contractus reciproci, & correſpectiui, ſed eſſet potiùs iure ſolius voluntatis ipſius naturalis iure cuiuſdam impliciti teſtamẽti à lege ſubintellecti, quod faciendo ſe legitimare, voluerit agnoſcere agnatos in ſuos ſucceſſores, quamuis è conuerſo ipſi eum non agnoſcerent; Non tamen deſuper maturum iudicium efformari potuit, cum formalis diſputatio deſuper habita non fuerit; Verum hæc difficultas vltrà alias conſiderationes pru-

den-

dentiales me impulit ad conſulendum, & facilitandum concordiam.

De alijs autem ad baſtardorum ſucceſ-
17 ſionem, vel capacitatem ſuccedendi pertinentibus habetur actum *ſub tit. de teſtament. diſc.* 52. *& ſeq & diſc.* 74. vbi etiã de legitimatis, *& ſub tit. de fideicommiſſ. diſc.* 68. *&* 69.

MASSANEN.

SVCCESSIONIS

INTER

LAVRENTIVM, ET NICOLAVM DE ZORA.

Reſponſum pro veritate.

De Statuto Plumbini excludente fœminas propter maſculos, an procedat in bonis in defunctum obuentis à matre, in excluſionem ſororis vtrinque coniunctæ, ſi maſculus ſit conſanguineus tantùm. Et de ſucceſſione morientis in captiuitate, àn in ea attendi debeat tempus mortis naturalis, vel potius illud captiuitatis, iuxta fictionem *l. Corneliæ*.

SVMMARIVM.

1 FACTI ſeries.
2 *An ſtatutum excludens ſorores propter fratres procedat in bonis obuenientibus à matre.*
3 *De ſucceſſione parentum, & an detur diſtinctio bonorum obuenientium ab vtroque latere.*
4 *Quod cauſa immediata attendatur, dantur exempla.*
5 *Quomodo decidenda ſit quæſtio de qua num.* 2.
6 *Quod ſtatuta aliorum locorum attendi debeant prò interpretatione.*
7 *&* 8 *De fictione* l. Corneliæ, *vt moriens apud hoſtes cenſeatur mortuus præambula hora captiuitatis.*
9 *De diſpoſitione* l. fœminæ, *vt procedat etiam in patre.*

DISC. XI.

1 VIVENTE Paſqualino patre, Iacobus in Turcarum ſeruitutem redactus eſt, eoque ob mortem patris interim ſequutę, in dicto ſtatu naturaliter defuncto; Stante Statuto Plumbini excludente fœminas propter maſculos, nè dum à parentum, ſed etiam à fratrum ſucceſſione; Hinc orta eſt controuerſia inter defuncti fratrem conſanguineum ex ſecunda vxore ſuſceptum, ac ſororem vtrinque coniunctam ſuper eius ſucceſſione in eiuſdem Iacobi bonis maternis, quæ liti cauſam dabant (cum paterna, vel aliundè quæſita non adeſſent;) Quare deſuper per vtramque partem concorditer meo voto prò veritate expetito.

Ad fauorem ſororis vtrinq; coniunctæ, in excluſionem fratris conſanguinei ex ſecunda vxore ſuſcepti, probabilius reſpondendum eſſe cenſui, quoniam Statutum non explicat, àn fratres ex vno tantùm latere coniuncti excludant, nec nè ſorores quamuis germanas, & ex vtroque latere, vt faciunt Statutum 146. Vrbis, & alia conſimilia, et quo caſu intrat quæſtio de qua præſertim *apud Roias deciſ.* 399. *&* 413., vbi refert opiniones
2 hinc indè ſuper æquitate ponderata per *Caſtrenſ. in Authentica itaque mortuus ſub num.* 2. *C. communia de ſucceſſ. de qua Gabr. conſ.* 6. *lib.* 1. *nu.* 5. *& ſeqq.*, & alij relati in dictis deciſionibus; *Coram Roias*; Ex quibus patet fortè magis communem, ac veram eſſe in contrarium, quam tenent alij ibidem deducti, ex ea probabili ratio-
3 ne, quod in materia ſucceſſionis non attenditur cauſa, ſeù perſona mediata, ſed immediata, vt præſertim habemus in celebri quæſtione, an inter patrem, & matrem filio ſuccedentes facienda veniat iſta ſeparatio bonorum, ſpectata origine, quod ſcilicet pater ſuccedat in ijs, quæ obueniunt ex eius latere, & mater è con-

conuerso in illis lateris proprij iuxta opinionem *Bart.*, quam plures sequuntur relati *per Thesaur. decis. 27.*, quoniam contraria opinio magis communis, ac verior reputatur, atq; præsertim in Rota, & Curia recepta est iuxta plenè firmata *per Rotam apud Merlin. dec. 126. & 218.* quarum primam, quæ in materia reputatur magistralis, plenè reassumunt *addent. ad Buratt. dec. 433.*, quidquid parum maturè innuat *de Marin. resolut. 162. lib. 1. in fine*; Ac etiam vt infra habetur ad ma-
4 teriam textus *in l. fœminæ* cum concordan. *& sub tit. de renunc.* in proposito renunciationis factæ bonis paternis, seù maternis, vt non excludat renunciantem à fraterna successione, quãuis eius bona à dictis parentibus obuenerint, quoniam non dicuntur amplius paterna, sed fraterna, cum similibus.

Attamen quidquid sit de dicto articulo, super quo adhuc occasio non dedit formalem in foro habere disputationem, ideoque omninò maturum iudicium pro veritate efformari non potuit, po-
5 tissimè quia pro meo sensu verius videtur istam esse quæstionem interpretationis voluntatis statuentium, ideoque potiùs facti, quàm iuris pro singulorum Statutorum tenore, vel interpretatiua obseruantia decidendam.

Aduertebã quod iuxtà ponderationes, de quibus in proposito Statuti Bononien. habetur *decis. 167. & 206. par. 6. rec.*, quæ sunt eædẽ *apud Merlin. dec. 564. & 581.*, quod dicta æquitatiua consideratio *Castrens.* & sequacium, rectè intrat, atque recipienda est pro huiusmodi Statutorũ interpretatione, quãdo ad hanc speciem nõ descendatur, quia nempè simpliciter Statutum disponat vt in successione fratris, frater superstes excludat sororem, vt passiuam interpretationem recipiat à iure communi, et consequenter intelligendum veniat data æqualitate vinculorum eodem modo, quo regulariter huiusmodi Statuta intelligenda veniũt, data æqualitate gradus, non autem quod coniunctus ex latere paterno tantùm excludat germanam sororem, in ijs, quæ à matre obueniunt, quoniam nimis asperum, atque ab humana ratione alienum videtur, vt filius secundi matrimonij qui primæ vxori exosus est, in istius bonis, excludere debeat filiam ex ea superstitẽ; Ideoque consideratio causæ mediatæ rectè intrat pro interpretatione, quando Statutum simpliciter disponat, ad hanc speciem non descẽdendo; Potissimè quia istam æquitatem agnoscunt aliqua Statuta ad dictam speciem descendentia vt
6 præsertim patet ex dicto Statuto 146. Vrbis, quoniam licèt fratrẽ cõsanguineũ tantùm præferat etiam germanis sororibus vtrinque coniunctis; Attamen excipit bona obuenientia à matre, vel eius latere; Ideoque licèt istud Statutum in auctoritatiua ratione legis attẽdendum non veniat, nisi in suo territorio; Attamen etiam alibi considerabile est pro interpretatione tanquam doctrina magistralis, vt de quadam cõsuetudine Neapolitana aduertitur *sub tit. de legit. & detraction. disc. 3.* & alibi pluries, ex ibi insinuata conclusione de legibus aliorum locorum pro interpretatione casus dubij attendendis.

Motiuabatur ex parte fratris consanguinei, quod in omnem euẽtum, sibi medietas bonorum maternorum debita esset tanquam iam effecta de bonis, ac patrimonio Pasqualini patris, à cuius hereditate, & successione non dubitabatur
7 quod ipse tanquam masculus sororem excluderet, dum respectu eiusdem parentis ista discretio non intrat, eo quia ob fictionem *l. Corneliæ*, dictus Iacobus, qui naturaliter post patrem obierat, fingebatur mortuus præambula hora *captiuitatis* ex claris iuribus, de quibus *sub titulo de benef. disc. 16.*, occasione agendi an beneficij vacatio ad effectum reseruationis ratione mensis, regulanda sit ex tẽpore mortis naturalis; Licèt enim ibi probabilius firmetur, vt id non procedat in beneficialibus, ac spiritualibus, vtpotè nullam iuris ciuilis subiectionem patiẽtibus; Secùs tamen est in materia successionis in qua cum iure ciuili proceditur; Ideoque cum attento eo tempore, pater supereſſet vna cum dicta sorore vtrinq; coniuncta, iuris communis dispositione attenta, æqualis fuit eorum successio; Verùm absque necessitate subtiliùs examinandi hũc punctum, et an dicta fictio *l. Corneliæ* operatiua sit, vbi extrema nõ sint habilia, quibus cessantibus retrotractio regulariter nõ intrat, (quod pariter
8 in specie practicè, ac in foro disputare adhuc occasio non dedit); Cessabat omnis

diffi-

difficultas ex dispositione textus *in l. fœminæ Cod. de secund. nupt.*, quod scilicèt
9 dum pater erat binubus, posita etiam eius æquali successione, adhuc istam portionem reseruare tenebatur ad fauorem dictæ vnicæ filiæ ex primo matrimonio superstitis, dum hodiè extrà controuersiã, præsertim in Rota, & Curia frequentius, ac etiam in alijs Tribunalibus recepta est opinio, vt dispositio dicti text. *in l. fœminæ*, & concordantium, quamuis matrem binubam in verbis percutiat, attamen locum quoque habeat in patre, in quo tamen quandoque aliqua maior excusationis ratio dari solet de facili in matre admittenda, vt infrà pluries ad hanc materiam secundarum nuptiarũ aduertitur.

REATINA
SVCCESSIONIS
PRO
CHRISTOPHORO, ET ALIIS DE LEONIIS
CVM
LVDOVICO, ET ALIIS DE TOSTIS.

Casus variè decisus per Rotam.

De Statuto Reatino vocante proximiores consanguineos, an intelligendum sit solùm de agnatis, qui sub hoc vocabulo veniant; Et quatenùs sic, quid de bonis obuenientibus à matre, vel à latere materno.

SVMMARIVM.

1 Facti series.
2 Resolutiones causæ.
3 *De verbo* consanguineus *cui conueniat, & de duplici significatione.*
4 *Quod regula est, vt conueniat solum agnatis in sensu ciuili.*
5 *In materia successionis attendendum est ius ciuile.*
6 *Defertur vsui loquendi, & quod istud Statutum vtatur hoc verbo in sensu canonico, seu naturali.*
7 *De distinctione patrimoniorum vtriusq; lateris paterni, & materni.*
8 *De alio casu controuersiæ.*
9 *De casu mixto ob existentiam matris, vel aui.*
10 *Transuersales præter fratres, & fratrum filios, non concurrunt cum ascẽdentibus.*

DISC. XII.

1 OB mortem Hieronymi de Tostis ab intestato, orta est controuersia inter illos de Leonijs auunculos, & illos de Tostis consobrinos, super successione, stante Statuto Reatino *lib. 2. de succession. ab intestat. Rubric. 19.*, vocante consanguineos, sub quorum nomine prætendebant agnati, quamuis vno gradu remotiores, quod ipsi solum venirent, ideoq; ità cessaret ordo iuris communis, quo attento non dubitabatur de potioritate auunculorum; Introductaque causa *in Rota coram Celso sub die 15. Februarij* 1658. pro agnatis prodijt resolutio, post-
2 modum reuocata *sub diebus 21. Iunij, & 10. Decembris 1660. coram eodem*, in quibus pro auunculis responsum fuit vt patet inter *decisiones Cels. decis. 248. 327. & 336.*; Incertumque est an causa vlteriorem progressum habuerit, cum ego in ea solùm scripserim post editam primam resolutionem super illius impugnatione tanquam alijs defensoribus adiunctus iuxtà frequentem stylum.

Disputationis igitur punctus erat super significatione dicti vocabuli *consanguineus*, an accipiendum esset in ciuili, & propria significatione pro solis agna-
3 tis iuxtà opinionem *Baldi cons. 269. num. 2. lib. 2.* de qua *apud Peregr. de fideicom. art. 22. num. 35. Marta de succes. part. 2. art. 6. num. 25. & seqq. Fusar. quæst. 364. num. 7., & cons. 49. in princ. & sub titde*

præeminent. disc. 13.; Et in terminis Statuti *Rot. decis.* 349 *part.* 6. *& decis.* 102. *par.* 7. *recen.*

Vel potiùs recipiendum esset in sensu canonico, & naturali, significante omnes coniunctos, iuxtà opinionem *Bart. in l. cum quidam ff. de acquir. hæred.* cum concordãtibus *apud Buratt. & add. decis.* 750. *Rota decis.* 76. *num.* 3. *par.* 1. *diuers. decis.* 616. *numer.* 1. *& seqq. part.* 4. *recen.* cum alijs pro vtraque opinione insinuatis in huius causæ decisionibus, *& dicto disc.* 13. *de præeminent.*

Quando Statutum, ità simpliciter cõsanguineos ad intestatam successionem vocaret, absque circumstantijs, quæ limitationem inducerent, adeò vt ageretur de statuendo regulam generalem, ac in abstracto, tunc ego admittebam quod
4 regula esset in sensu ciuili iuxtà opinionem *Baldi*, quodque propterea prima resolutio iam edita probabilis esset, vt etiam admittitur *dicto titulo de præeminen. disc.* 13. *& sub titulo de fideicommiss. disc.* 34.

Potissimùm verò vbi agitur de interprætandis huiusmodi Statutis, ex triplici ratione; Primò nempè quod in materia successionum receptum est vt procedi
5 debeat cum dispositione iuris ciuilis, quoties de contraria statuentium voluntate non constet, vt occasione cõputationis graduũ aduertitur infrà *in Firmana successionis disc.* 17.; Secundò quod ità Statutum inane, ac fatuum remaneret, si aliquam iuris communis alterationem non *induceret*; Et tertiò fortiùs quoniam, ex pluries insinuatis, huiusmodi Statuta in Italia prodierũt fauore agnationis, atque ad conseruandum regionis mores, cum quibus etiam sub Romano Imperio, quando in Italia sedem habebat, ac etiam posteà sub Longobardis, & alijs ità viuebatur; Nimiùm huiusmodi mores comprobante adeò frequenti agnatitiorum fideicommissorum vsu, vt etiam aduertit *Rota decis.* 53. *par.* 3. *rec.*, quæ videtur in hac materia magistralis super puncto, quod huiusmodi Statuta potiùs fauorabilia, quàm odiosa censenda sint.

Verùm in hac facti specie, cõtrarium probabilius mihi videri respondi, post editam primam decisionem, quam in hac parte parùm probabilem credidi,
6 Ideoque probabiliores visæ sunt posteriores resolutiones; Tum ob præsuppositum, ac etiam in facto posteà iustificatum loquendi vsum particularem loci, quem non dubitatur attendi debere, ac præualere vsui generali, iuxtà auctoritates deductas in duabus posterioribus *decis.* 327. & 336.; Tum etiam clarius, quia ipsummet Statutum in pluribus partibus in eisdem proximè allegatis decisionibus ponderatis, pro synonimis habet, seù pariformiter explicat agnatos, & cognatos sub isto consanguineorum vocabulo; Ac etiam quia in ipsomet speciali puncto intestatæ successionis denotat, quod statuentes verè nimium confuso, & grossolano modo huiusmodi Statuta ordinantes, rationem nõ habuerunt agnationis, dum fœminas etiam, ac attinentes per eas pluries interfecant, ideoque cessat tertia ratio superius ponderata, quæ in hac materia videtur potissima.

Hinc proindè aliqua maior dubitandi ratio ex eiusdem Statuti contextu resultabat super distinctione patrimoniorũ, an. s. Statutũ ità distinguere voluerit
7 bona lineæ paternæ, ac maternæ, perindè acsi essent duæ diuersæ hæreditates, ad quas respectiuè vocarentur coniuncti de quolibet latere tanquam duo diuersa genera; Vndè propterea inter personas ipsorum generum non intraret proximitatis, vel gradus concursus, qui solum attendendus esset discretiuè inter personas cuiuslibet generis, iuxtà ea, quæ de pluribus lineis ab initio vocatis habentur *sub tit. de fideicomm. disc.* 17. & 18., ac etiam pluries *sub tit. de iurepatr.*, & alibi; Et de hac patrimoniorum distinctione pro vtriusque paterni, ac materni lateris diuersitate habetur *apud Bald. cons.* 104. *lib.* 2. *& apud Rot. dicta decis.* 349. *par.* 6. *& decis.* 102. *par.* 7. *recen.* vbi concordantes, & insinuatur alibi *hoc eodem titulo*.

Verùm probabiliter ista distinctio in duabus posterioribus decisionibus neglecta fuit, quoniam, benè perpenso Statuti tenore, videbatur, quod in hac parte solum percuteret casum exclusionis fœminarum in concursu masculorum coæqualis gradus, & nè masculi vnius lateris tantùm, excluderent fœminas in bonis prouenientibus ab altero latere, in quo ipsi masculi extranei essent, & earum

por-

portiones, quatenus masculi ex eodem latere non adessent, ad limites iuris communis præseruatæ remanerent, vel masculis eiusdem lateris accrescerent, vt alibi super huiusmodi patrimoniorum, seu laterum distinctione *hoc eodem titulo* aduertitur, istosque terminos percutere videntur auctoritates in prima decisione super ista distinctione deductæ præsertim *Baldi in l. vnica Cod. quando non petent. part. num. 26.*, & aliorum, de quibus *apud Bellon. iun. de iur. accrescen. cap. 7. quæst. 61. num. 19. cum seqq.*

Isto autem medio tempore, inter primam, & posteriores resolutiones, super hoc eodem Statuto Reatino, aliam habui disputationem coram A. C. inter Gabrielem Omegnam, & Ioan. Baptistam
8 Ciocchium; Cum etenim Gabriel nuptui tradidisset Catharinam Carolo dicti Io. Baptistæ fratri, sequuta vtriusque coniugis morte de tempore epydemiæ, ac paulò post, illa duorum filiorum superstitum in infantili ætate, vndè propterea Gabriel pulsaret Io. Baptistam in solidum obligatum pro restitutione dotis, excipiebat ipse quod dos prædicta effecta fuerat proprium patrimonium dictorum infantium, qui matri superuixerant, quodque propterea regulando successionem ex persona illorum, non curata bonorum origine, ex pluries insinuata regula attendendi causam immediatam, non autem mediatam, sibi tanquam consanguineo successio debita esset, iuxtà firmata in dicta prima iam edita decisione, cum qua procedendum esse dicebant Scribentes pro reo conuento.

Verùm huiusmodi exceptione reiecta, contrarium iudicatum fuit cum relaxatione mandati exequutiui, canonizati etiam per Signaturam Iustitiæ cum solita clausula, *sine præiudicio exequutionis*; Et quidem meritò, non solum ob dictas difficultates vrgentes contra dictam decisionem, quas ego scribens pro Actore deducebam, (cum donec reuocatio decisionis sequatur, pro inferiorum Tribunalium stylo, sit labor inanis), sed potissimùm ob mixturam casus, um Statutum agit de consanguineis
9 collateralibus cum præsuppositio quod non adessent ascendentes, ideoque intraret conclusio, de qua *in Sutrina*, seu *Nepesina dis. 3.*; Ac etiam quia, vbi etiam cum dicta iam edita decisione procedi debuisset ob distinctionem patrimoniorum, seu laterum, de qua supra, adhuc pro Gabriele auo materno contrà Io. Baptistam patruum responderi debuisset, dum agebatur de bonis, ab isto latere, seu linea obuentis.

Fortius autem quia non vrgebat sola consideratio obuentionis bonorum ex eo latere, sed agebatur de dote constituta filiæ ab eodem Gabriele, ad quem de iure reuertere debuisset, iuxtà expressam dispositionem textus *in l. dos à patre Cod. de iure dot.*, cuius dispositio ità cessabat ob breuem superuiuentiam viri cū filijs ex consuetudine *Martini* pluries insinuata in sua materia *sub tit. de dote*, quæ exorbitans reputatur, ideoque facilius dicta separatio admittēda veniret.

Cessante autem Statuto, ac procedendo cum terminis iuris cōmunis, patruus
10 ex veriori sententia, de qua *apud Honded. consil. 12. lib. 2. num. 13. Thesaur. dec. 5.*, vbi in specie, cum alijs cōcordantibus *apud Rotam in Perusina successionis 23. Ianuarij 1654. coram Verospio*, concursum prætendere non poterat cum auo, quoniam collateralium concursus cum ascendentibus non datur, nisi fratribus, vel eorum filijs, non autem alijs; Atque iste est vnus ex casibus, in quibus intrat prærogatiua lineæ inferioris, quod licèt nepos ex fratre, & patruus eodem tertio gradu attineant, attamen id, quod vni conceditur, alteri denegatur, vt aduertitur infrà *in Florentina dis. 8.*

BONONIEN.

SVCCESSIONIS DE MAZZOCHINIS

PRO

PETRONIO MAZZOCHINO

CVM

DOMINICO DE NIGRIS.

Discursus pro veritate.

De Statuto Bononiæ præferente agnatos cognatis, an intelligatur indefinitè de omnibus agnatis, vel potiùs de solis existétibus intra quartum gradum, ad quos in præcedenti capitulo restricta est exclusio fœminarum.

SVMMARIVM.

1 *Facti series, & de dispositione Statutorum Bononiæ.*
2 *De Doctoribus tractantibus in specie de hoc Statuto.*
3 *Consulentibus in oppositum in eodem casu non est deferendum.*
4 *De intellectu Statuti restringendi ad quartum gradum.*
5 *Et quod censantur repetitæ qualitates Statuti præcedentis.*
6 *Quod non sit standum in formalitate verborum.*
7 *Quod hæc Statuta sint potius fauorabilia.*
8 *De moribus Bononiensium in fideicommissis.*
9 *Quomodo Statuta, & leges populorum debeant interpretari.*
10 *De distinctione patrimoniorum vtriusque lateris.*
11 *Quando repetitio intret, necnè.*
12 *Dispositio fauore agnatorum intelligitur de masculis.*
13 *De conclusione, vt Statuta intelligenda veniant data æqualitate gradus.*
14 *In hac materia deferendum est obseruantiæ.*

DISC. XIII.

1 DIsponente Statuto Bononiæ *lib. 4. Rubr. de succeſſ. ab inteſtato §. Agnati nanque*, vt in inteſtata ſucceſſione, agnati intra quartum gradum, ſecundùm ius ciuile computandum, omnibus fœminis, quamuis agnatis præferantur; Cum in alio §. *ſequenti* incipiente *Et etiam prædicti agnati*, indefinitè diſponatur agnatos præferri cognatis tranſuerſalibus; Hinc facto caſu inteſtatæ ſucceſſionis Nicolai Mazzochini, orta eſt controuerſia inter Petronium agnatum in ſexto, & Io. Dominicum cognatum in tertio gradu attinentes, cui nam ſucceſſio debita eſſet, prætendente Io. Dominico cognato proximiore, qui ſine dubio attenta nouiſſimi *iuris communis diſpoſitione potiora iura habebat*, quod ius ſtatutarium, cui innitebatur agnatus, non progrederetur vltrà quartum gradum; Quarè deſuper conſultus; Cum pro mea notitia caſus non eſſet adhuc particulariter deciſus per Rotam Romanam, ſed de illo in obiectum agerent
2 *Decian. conſ. 17. lib. 1.* qui tenet partes agnati in quocumque gradu exiſtentis, & *Giouagnon. conſ. 66. lib. 1.*, qui nominatim reſpondendo *ad Decian. dicto conſil. 17.*, contrarium plenè ſubſtinet, atque in fine refert, quod licèt illa controuerſia per concordiam ſopita fuerit, attamen id prouenit ex alijs punctis; Super hoc autem modicã rationem habiſſe putet de dicta auctoritate *Deciani*.

Reſpondi quod, vbi cum dictis auctoritatibus procedendum eſſet, neutri deferri deberet, cum ambo eſſent Conſulentes ad cauſæ oportunitatem, ideoque vtriuſque auctoritas eſt ſuſpecta; Ad
3 inſtar duorum teſtium inuicem pugnantium, quorum quilibet de directo affectatè deponat ad oportunitatem *ſui inductoris* reſpectiuè, vt vterque poni mereatur ad partes, et conſequenter quod punctus examinandus eſſet ex integro, perindè ac ſi iſti Auctores non adeſſent.

Procedendo autem hoc modo, attentiſque pariter auctoritatibus; Probabilior dici poſſe videbatur ea pars, quam ſuſtinet *Giouagnon.*, eò quia ſuper intel-

lectu

ſecto conſimilium Statutorum, idem tenuerunt plures relati per eundem *Giouagnon. dicto conſ. 66. num. 18.*; Ac etiam quia ſuper hoc, idem ſentire videntur *Alex.*, *Grat.*, *Monterent.*, & alij relati ab eodem *Giouagnon. poſt num. 19.* verſ. *ſexto hæc opinio*, vt ſcilicèt dictum Statuti capitulum ſubſequens, vtpotè continens verba dupliciter repetitiua; Primò ſcilicèt verbum *etiam*; Et ſecundò verbũ *prædicti*, intelligendum ſit ad limites capituli præcedentis, cuius reſtrictio intra quartum gradum repetita cenſeretur.

Magis autem ſtringere videbatur auctoritas *Rotæ in Bonon. hæreditatis de Beraldis* 10. *Martij* 1597. *coram Litta impreſſ. poſt eumdem Giouagn. conſ. 1. eodem lib. 1. num. 59.* vbi *in §. Nec poteſt prætendi num. 66.*, conſiderando dictum verbum *prædicti*, firmat, quod ſit repetitiuum orationis præcedentis cum ſuis qualitatibus; Quamuis enim dicta deciſio malè *per Giouagnon.* dicatur punctualis, quodque decidat caſum præciſum, dum percunt terminos diuerſos, an ſcilicet ſub nomine agnatorum veniant fœminæ de familia, atque decidatur negatiuè, ſtante quod in capitulo præcedenti agitur de agnatis maſculis, qui repetiti cenſentur; Attamen dum indefinitè firmatur, vt dictum verbum cauſet repetitionem cũ omnibus eius qualitatibus, ità poſita generali repetitione, ea in omnibus danda videtur.

E conuerſo autem, negligendo ea, quæ per vtrumque Conſulentem hinc inde plenè deducuntur ſuper explicatione ſeù 6 grammaticali ſignificatione dictionis *etiam*, ac alterius dictionis *prædicti*, cum nunquam intellectus adaptari potuerit nudæ verborum formalitati, eorumque grammaticali ſignificationi, atq; prò genio, ac ſenſu verius videatur, vt in huiuſmodi quęſtionibus interpretationis perſcrutari debeat ſubſtantia veriſimilis voluntatis; Mihi magis placebat ſenſus *Deciani*, ex generali propoſitione pluries inſinuata, quam *per Decianum* deductam *Giouagnonus* acriter impugnat, magnum 7 fundamentum conſtituendo in propoſitione oppoſita; Quod ſcilicet huiuſmodi Statuta tãquam reſtituentia illud ius antiquum, vel medium, ac nouum, cuiquo in Romana Republica viuebatur quãdo Imperium in Italia ſedem habebat, fauorabilia potius dicenda ſint, quàm odioſa, atque latè, & benignè, non autem ſtrictè, & rigoroſè interprætanda, ſpectando principaliter finem Statuti, qui eſt iuxta noſtros Italos mores, vt bona conſeruentur in agnationibus, & familijs, vt frequenter in alijs inſinuatur.

Id autem, ſi per vniuerſam Italiam æquè procedit, multo magis ac potiſſimùm recipiendum videtur in hac Ciui- 8 tate Bononiæ, quæ videtur fideicommiſſorum agnatitiorum fœcundiſſima mater, ac magiſtra, adeòut (per quemdam modũ loquendi) maiores producat cauſas fideicõmiſſarias iſta Ciuitas, quã reliquę Italię partes, vt patet ex tot Rotæ deciſionibus, & Conſulentiũ Reſponſis, quę ſuper hac fideicommiſſaria materia in cauſis Bononienſibus habentur; Atque agendo de me ipſo, dignoſcitur *in titulo de fideicõmiſſis, eiuſq; ſupplemento*, vbi patet, quod adeo per Bononiẽſes inſiſtitur in conſeruatione agnationis, & familiæ, vt præter aliarum partium morem, defectis legitimis vocentur illegitimi, qui priuatiuè ad aliarum Italiæ partium vſũ, in aliqua maiori exiſtimatione habentur, atque illegitimis quoque deficientibus, ita cordi eſt agnatio, quod ea ficta ſeù artificialis renouatio, quæ demandatur in maſculis deſcendentibus ex fœminis, reſtringi ſoleat ad immediatè procreatos à fœminis agnatis, negligendo cognatas, adeòvt ſpreto proprio ſanguine etiam deſcenſiuo per cognationem, vocentur cognati mediati ex fœmina agnata, immò etiam extranei agnationem renouaturi iuxta caſus, de quibus *dicto tit. de fideicom. diſc. 29. & ſeq.*, alioſque ſimiles.

Id autem pro meo iudicio principaliter conſiderandum venit pro congrua intelligentia, ſeù interpretatione Statu- 9 torum, quoniam vt alibi hoc eodem tit. aduertitur ac etiam pluries ponderatur *lib. 14. miſcell. rerum eccleſiaſtic. ſub tit. de matrim.* & in alijs, in propoſito interprætationis Sac. Conc. Tridentini, quando leges per conſilium, vel populum, ſeù aliam vniuerſitatem, ac adunantiam ordinantur, explicatur ſenſus omnium in compendio, ſeù in ſubſtantia, deindeque vni ſolùm committitur, qui ſit illius vniuerſitatis ſecretarius, vel miniſter, vt

ex-

extendat, idque sequi solet iuxta diuersas eloquutiones, ac phrases, quæ pro ingenij, vel styli diuersitate diuersimodè concipiantur, ideoq; manifesta ineptia videtur, iudaico more, mordicùs insistere in formalitate verborum, eorumque rigorosa grammaticali significatione, quoniam probabiliùs indagandus est sensus vniuersi populi, ex eiusdem vsu, ac moribus, siue ex ratione, quæ omnes mouere potuit, alijsque facti circumstantijs in idem tendentibus, istique mores desumendi veniunt ex communi vsu, vel stylo disponendi.

In idè nimiũ conferre aduertebã eam-
10 dem ponderationem de qua supra *in Perusina disc.* 1. *& infrà in Reatina disc.* 12. quod scilicet statuentes separare voluerũt patrimonia, seù bona distinguere obuenientia à linea paterna ab alijs obuenientibus à materna, atque reseruare fauore cognatorum ea, quæ obuenirent ab eorum materno latere, agnatis autem id, quod prouenit à latere paterno agnatitio, ideoque vnum, & alterum genus ita inuitatum dicitur generaliter, ac pro regula, quo casu non curatur de gradibus, *vt ex Baldo*, & alijs ibidem allegatis firmatur *per Rotam dec.* 349. *par.* 6. *rec.num.* 15. *cum seqq.*

Et quoad repetitionem resultantem à dictis verbis repetitiuis; Aduertebam ad propositionem pluries insinuatam *sub*
11 *tit. de fideicom.* super eius regulari exclusione, vbi potissimùm aliqua diuersitatis ratio dignosci valeat, quod ad rem benè conferre dicebam, dum in præcedenti capitulo agitur de excludendis fœminis etiam agnatis, atque in casu fortiori diuersam rationem habente.

Exinde etiã obseruabã ad rẽ non facere dictã decisionẽ *in Romana hæreditatis de Beroaldis coram Litta*, in qua tanquã pũctuali *apud Giouagn. dicto conf.* 66. magnũ
12 fundamentum constituitur, vtpotè in casu diuerso, atq; ad diuersum effectum, vt scilicet in sequenti capitulo subintelligenda esset repetitio qualitatis masculinæ, de qua in capitulo præcedenti, et meritò, quoniam ità, & non aliàs verificatur finis, vel intentio statuentium pro conseruatione familiarum; Licet enim fœminæ de familia fiant agnatæ, non tamen conseruant agnationem, quæ in eis finem recipit, dum filij ab eis procreati paternam, non autem materniam familiam assumunt; Vnde propter in terminis Statuti Vrbis 141. quamuis *in Romana supplementi legitimæ coram Cerro* ex dicta generalitate, quod fœminæ de familia sint etiam agnatæ, firmatum esset, vt in gratiam vnius filiæ fœminæ, altera fœmina in vim dicti Statuti dote prouisa, excludi posset, vt patet *ex decis.* 491. *par.* 9. *rec.*; Attamen a dicta *decisione* recessum fuit, firmando (et melius) vt spectato fine habito per Statutũ, illius dispositio conuenire non deberet nisi agnatis masculis, vt patet *ex dec.* 267. *&* 383. *eadem parte* 9. *rec.*, atque hoc iure viuitur; Ideoque magna differentia videtur inter eam speciem repetitionis masculinæ qualitatis, de qua agitur *in dicta decis. de Beroaldis*, et istam, super restrictione gradus, cum in prima specie vrgeat ratio Statuti, eiusque finis, vel effectus, quod non verificatur in altera.

Obseruabam etiam conuinci de errore *Giouagnonum* super altero assumpto, vt Statutum intelligendum sit, data gradus
13 æqualitate, cuius contrarium in proposito est verius, quoniam licet in Statuto simpliciter exclusiuo fœminarum propter masculos, ista sit regula, attamen cessat, vbi saccedat contemplatio agnationis, vt alibi aduertitur præsertim supra *disc.* 3.

Hæc deducebam in discursiua ratione, insinuando meum sensum inclinantem pro agnato, nihil tamen præcisè determinando, nisi prius haberetur notitia obseruantiæ, cui tanquam optimæ interpreti deferendum veniret; Verum non audiui amplius actum de controuersia.

INTERAMNEN.
SVCCESSIONIS
PRO
IOSEPHO BERARDVCCIO
CVM
FILIIS FRANCISCÆ SORORIS.

Casui disputatus coram A. C. resolutus pro Iosepho.

De Statuto Interamnen. excludente fœminas propter masculos, an excludat etiam nepotes masculos ex fœmina prædefuncta; Et de differentia inter exclusionem resultantem à renunciatione, et istam resultantem à Statuto; Et an attento isto Statuto, vnica dotatio sufficiat pro omnimoda exclusione ab omnibus successionibus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Statutum excludit solum à successione dotantis.*
3 *Non obstat exclusio matris filio venienti ex persona propria.*
4 *Idem in renunciatione.*
5 *Testamentum facit cessare Statutum.*
6 *Contrarium eius de quo num. 2. in hoc Statuto.*
7 *Contrarium eius de quo num. 3. est verius.*
8 *De differentia inter exclusionem Statuti, & illam ex renunciatione.*
9 *Declaratur conclusio de qua num. 5.*

DISC. XIV.

SVPERSTITIBVS ex Catharina Iosepho filio, ac duobus nepotibus masculis ex Franciſca filia prædefuncta; Cum mater, Iosepho hærede instituto, quædã bona iure particularis institutionis pro omni, & toto eo, quod ratione legitimæ seù aliàs prætendi posset, reliquisset dictis nepotibus, isti autem aliæ iudicio non acquiescentes, iudicium coram A. C. super legitimæ supplemento instituerint contra auunculum; Hinc assumpta disputatione, Iosepho, (me pro eo scribente,) sententiam absolutoriam cum iustitiæ fundamento reportauit, cui puto quod actores acquieuerint, dum amplius de causa actum non audiui.

Tria verò erant eorumdem Actorum fundamenta pro euitando statutariam dispositionem, qua cessante de plano eorum intentio ad limites iuris communis fundata remanebat pro legitimæ supplemento; Primò nempè quod cum Statutum excludat fœminas propter dotem, 2 ista discretiuè debita esset de qualibet successione *iuxta decisiones* 390. & 429. *Merlini repetit. dec.* 247. *par.* 5. *rec. & dec.* 329. *par.* 6.; Secundò quod cum prædefuncta matre, ipsi nepotes non iure repræsentationis, sed subingressionis primum gradum iure proprio occuparent, 3 materna exclusio eis obstare non deberet, deducendo ad id probandum ea, quæ pro ratione dubitandi habentur deducta *per Rotam decis.* 405. *num.* 2. *cum seqq. par.* 5. *rec.*, ac etiam conclusionem, *de* 4 *qua sub tit. de renunciat.* præsertim *disc.* 15., vt scilicet renunciatio matris prædefunctæ non impediat successione m nepotum ex persona propria in bonis aui, vel auunculi; Et tertiò in idem, quod vbi etiam Statutum intraret, attamen illud 5 vtpotè operatiuum ab intestato, cessaret in casu testamenti, per quod aliàs cũ dicta speciali mentione legitimæ eos suitati restituerat iuxta firmata *per Gabr. conf.* 190. *nu.* 8. & 9. *Rot. decis.* 266. *par.* 1. *diuers. in Romana legitimæ* 5. *Decembris* 1659. *coram Priolo impress. post Michalor. de fratr. dec.* 60. & in alijs insinuatis *sub tit. de legitima, & detract*, ac etiam in alijs *hoc eod. tit.*

His tamen non obstantibus, (cum sensu etiam veritatis, qualem Iudex quoque agnouit), contrarium dicebam probabilius, dictaque fundamenta singulariter expendendo; Quatenus pertinet ad primum, illud ferè nullam disputationem exegit, quoniam quidquid sit de con- 6 clusione firmata in allegatis *decisionibus Merlini*, de qua præsertim *in Sutrina & Nepesina disc.* 3; In specialibus terminis

istius

istius Statuti Interamnensis, ex eius tenore, *Rota vsque ab anno 1606. in Interamnen de Paradisis coram Pamphilio*, (qui postmodùm fuit Pontifex Innocentius X) firmauit, quod vnica dotatio sufficeret ab exclusione omnium; Idemque firmatum fuit *de anno 1649. in alia Interamnen. coram Cerro impress. decis. 329. par. 10. rec. & repetit. dec. 202. post Merlin. de legitima*, adeo vt super hoc non videatur amplius cadere dubitatio.

Alterum fundamentum pariter de facili sublatum fuit ex plenè firmatis *per Rotam dicta decis. 405. par. 5. rec.*, quæ in
7 hoc articulo est magistralis vt potè solida deducens fundamenta, deducta etiam *per Surd. cons. 85.*, & alios ibi relatos, ob nimium congruam, & probabilem rationem, alibi quoque hoc *eodem titulo* insinuatam præsertim *in Florentina disc. 8.* quod vbi excluditur causa, multo magis excludi debet causatum, ideoque infecta primitiua, infecta quoque remanere debet deriuatiua; Cum etenim nepotes auo, vel auiæ coniungantur per medium eorũ matris, vtique habito illo medio pro impertinente seù extraneo, nulla remanet coniunctio ex defectu extremorum; Et consequenter prorsus improprium est, vt exclusa remanere debeat filia primi gradus, si viueret, et inclusi remaneãt remotiores contra omnem iuris scripti, ac naturalis rationem.

Neque dicta conclusio in materia renunciationis ad rem adaptabilis est, ob notabilem differentiæ rationem inter vnum casum, et alterum; Vbi enim agi-
8 tur de exclusione fœminæ ob renunciationem, tunc illa supponitur capax, & habilis ad successionem, à qua solum ex eius voluntate reddit se extraneam, eo modo, quo faciat ille, qui sibi delatam successionem agnoscere nolit, id autem non tollit vinculum sanguinis, atque pertinentiam, seù habilitatem medij, ob quod ipsius fœminæ filij remaneant sui, vel habiles, tanquam ex cessante illo accidentali impedimento personali, quod ipsi renuncianti solum obstabat; Non sic autem est in casu Statuti, quoniam istud reddit illud medium impertinens, vel extraneum, et consequenter cessat habilitas extremorum seù cessat habilitas illius medij naturalis, ob quod nepos auo, vel patruo, seù auunculo coniungatur; Istaque est potissima ratio, vltra plures alias ponderatas *apud Surd. dicto consil. 85.*, & *per Rot. dicta decis. 405. p. 5. recent.* vbi concordantes,

Ad tertium demùm obiectum, deducebam eamdem responsionem, de qua-
9 pluries in præcedentibus præsertim *disc. 6. & dicto tit. de legitima*, & *detraction. disc. 4.*; Quod scilicet, tunc testamentaria dispositio statutariam cessare facit, quando inter vtramque incompatibilitas vrgeat, ideoque pateat, de morientis voluntate recedendi à Statuto, atque suitati, vel sanguini restituendi eam personam, quam Statutum extraneam effecit; Secus autem, vbi idem moriens, Statuto voluntatem accommodando, atque ad eius limites disponendo, aliquam beneuolentiam exercere voluit cum persona exclusa, cum nunquam actus merè voluntarij vltra ipsam voluntatem operari valeant; Itaque semper mihi visa est vna ex Legistarum ineptijs, ex huiusmodi dispositionibus deducendi effectum oppositum dispontiũ volũtati, quò nil absurdius, vt aduertitur, *d. tit. de Legit. & detract.*

FANEN.

SVCCESSIONIS

PRO

ALEXANDRO MARIOTTO

CVM

ANNA BARTOLELLA

Casus variè decisus per Rotam, vt infrà.

De Statuto Fani excludente matrem ob agnatos transuersales, an procedat fauore patris, vel aui paterni.

De

De materia tex. *in l. si infanti C. de iur. deliber.* fauore patris, vt bona filij occupet iure peculij, an hodiè locum habeat.

Et de materia transmissionis successionis non agnitæ delatæ ex iure communi, vel statutario.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De punctis, vel inspectionibus disputatis.*
4 *Quod hodiè filius familias habeat hæredem, & pater non occupet bona iure peculij, sed veniat iure successorio in concursu.*
5 *Statuta strictè, & in verbis intelligi debent prohibita extensione.*
6 *Quomodo debeant se gerere Aduocati, & quando liceat calere motiua minus solida.*
7 *Potentior est causa, quàm causatum, ideoque statutum, quod excludit matrem vel alios ob transuersales, fortius præcedit ob patrem, vel auum.*
8 *Vbi Statutum expressam habet rationem, ista præualet verbis.*
9 *De propositionibus tendentibus in idem super interpretatione Statutorum.*
10 *Quod voluntas statuentis vel aliàs disponentis, regulanda sit iuxta opinionem, quam ipse habebat, vel tunc vigebat.*
11 *Quare hoc Statutum non faciat mentionem de patre, vel auo.*
12 *Interpretatio facienda est iuxta sensum prudentium, & rationalium.*
13 *De aditione hæreditatis maternæ ob retentionem dotium à patre.*
14 *Statutum non excludit fœminam nisi à successione dotantis.*
15 *Potest masculus non vti Statuto excludente, ideoque requiritur vt constet de animo vtendi.*
16 *De quæstione transmissionis successionis statutariæ, distinguuntur plures casus, an intret, nec ne.*
17 *De altera quæstione transmissionis hæreditatis non aditæ de iure communi.*
18 *Quid ad hunc effectum operetur Statutum excludens matrem.*

DISC. XV.

1 DEfuncta Lauinia vxore Francisci ab intestato, superstitibus Io: Andrea, Victoria, & Maria filijs, obijt postmodum Ioannes Andreas, superstite Andrea filio infante, quo in pupillari ætate defuncto; Cum Statutum Ciuitatis Fani *Rubrica 66.* excludat matrem propter fratrem, patruum, patruelem, & alios ibi expressos ex latere paterno approximãtes; Hinc super eius successione, (quæ in toto, vel maiori parte in dote dictę Lauiniæ cõsistebat), orta controuersia inter Annam pupilli matrem, & Franciscum auum paternum, introductaque causa *in Rota coram Albergato sub diebus 6. Aprilis 1663. & 23. Ianuarij 1664.* 2 *26. Iunij 1665. & 15. Martij 1666.*, pro Anna matre prodierũnt resolutiones, à quibus *sub die 11. Februarij 1669.* respectu bonorum dictæ Lauiniæ tantum, recessum fuit, eis firmis remanentibus in alijs bonis, atque resolutum pro Francisco auo, seù Andrea repræsentante eius iura, ac etiam prædictarum Victoriæ, & Mariæ, atque in hoc statu causa adhuc pendet.

In his autem disputationibus tres fuerunt puncti; Primò scilicet, an ad fauorem aui paterni, in cuius potestate pupillus erat, intraret dispositio textus 3 *in l. si infanti C. de bon. quæ liber.*, vt omnia iure peculij occuparet, ex eo quod existens in aliena potestate, hæredem non haberet; Secundò quatenus id non subsisteret, an eidem auo suffragaretur Statutum matris excludiuum; Et tertiò quatenus non ex persona dictarum Victoriæ, & Mariæ filiarum Lauiniæ detrahi posset materna dos, quę in dicti pupilli, vel Io: Andreę eius patris hæreditate non veniret, dum de aditione hæreditatis dictæ Lauiniæ non constabat, ideoque hæreditas non adita ad præfatam Annam extraneam transmitti non potuerit.

Primũ motiuũ quod ab alijs, antequam ego ad causæ defensionem assumptus essem, excitatũ fuit, meritò reiectum semper fuit, adeòvt ego scribens pro eodem 4

auo, seù ab eo causam habente, illud tem-
per neglexerim, quoniam quidquid ex
dispositione dicti textus *in l. si instanti*
teneant plures relati *per Fab. de Anna-*
conſ. 11., & alios de quibus infrà, omni-
no vereor, magisque recepta est contra-
ria opinio, vt ille textus correctus rema-
neat per ius nouissimum, introductiuum
peculij aduentitij, contradistincti à pro-
fectitio, per quam introductionem, fi-
lius familias in aduentitijs, patriæ pote-
statis defectu non obstante, est capax do-
minij, ac hæredem, & hæreditatem ha-
bet, ideoque in eius successione seruatur
ordo præscriptus à nouissimo iure *Au-*
thenticorum, nulla patriæ potestatis ra-
tione habita, adeòvt pater, vel respecti-
uè auus, si morientem habeat in potesta-
te, vincatur per eiusdem morientis filios,
vel parentes magis proximos, et conse-
quenter, vt auus vincatur per matrem,
ac etiam pater concursum eiusdem ma-
tris, & fratrum vtrinque pati teneatur
ex relatis *per Apont. & Martam* infrà
allegan. *Fab. de Ann. d. conſ. 1. & per alios.*

Quo verò ad secundum punctum iuris
statutarij, Rota processit cum vulgari
regula textus *in l. commodissimè ff. de libe-*
ris & posthum., vt Statuta iuris correcto-
ria, atque ab eius dispositione exorbi-
tantia tanquam odiosa strictissimè intel-
ligenda sint in solis personis, & casibus
ibi expressis, atque, (vt nostri dicunt) in
ijs, quæ oculis corporeis legi possunt;
In omissis autem intret dispositio iuris
communis, nullatenus admissa extensio-
ne de casu ad casum, ac de persona ad
personam, quamuis rationis identitas vel
maioritas accederet, iuxta firmata *per*
alex. conſ. 97. num. 9. lib. 2. Dec. conſ. 688.
num. 2. Onded. conſ. 95. num. 65. lib. 1. Gio-
nagn. conſ. 66. num. 19. lib. 1. Rot. apud Se-
raph. dec. 496. nu. 2. dec. 329. num. 12. par.
2. rec. & in alijs, quæ in decisionibus ha-
bentur.

Quamuis autem, ex tertio motiuo, de
quo infrà per vltimam resolutionem 11.
Februarij 1669., ex hac parte victoria
repertata fuit, atque ità præcedentes re-
solutiones super dispositione statutaria
inanes remanserunt, prudensque consi-
lium sit Aduocatorum, inhærendo vesti-
6 gijs Iudicum, proponere motiua quæ il-
lis magis placent, quamuis ipsis Aduo-
catis parum fundata videantur, quoties
ex alijs credant iustitiam fouere, vt plu-
ries insinuatur præsertim in casu de quo
sub tit. de feud. disc. 11. iuxta vulgatū
dicterium, *habeatur intentum, & non*
curetur de modo; Attamen dictæ reiec-
tiones non placuerunt, nimiumque dis-
plicuit quod in hac parte firmæ remane-
rent; Non quidem ex motiuo affectionis
causæ, vel clientis, qui ità obtinebat in-
tentum, sed ex altero motiuo iustitiæ
pro casibus *futuris*, cum id pro meo iu-
dicio, ad solam veritatem reflectendo,
omninò improbabile videretur, vt etiã
aliquibus ex Iudicibus videbatur, quorũ
tamen votum non præualuit.

Contrariũ etenim verius videbatur, vt
statutaria dispositio intraret, ex ea vius,
& cõuincenti ratione, *de qua disc. præced.*
quod omne ius, sẽper potẽtius est in cau-
7 sa, quàm in causato, ac etiã ex alia regula,
Si vinco vincentem te &c., ideoque si fra-
ter, patruus, & patruelis à patre, vel
auo respectiuè geniti gradu remotiores,
atque in iure successorio longè minus
ius habentes, excludunt matrem, multò
magis eam excludere debent pater, vel
auus, vt ex his rationibus firmant in
specie *Castr. conſ. 175. num. 3. vers. tunc ad*
partem lib. 1. Abb. conſ. 73. num. 6. vers.
non enim est lib. 1., qui agunt de consi-
mili Statuto Senen. *Dec. conſ. 332. num. 3.*
in fin. Gabr. conſ. 14. num. 32. & conſ. 15.
num. 2. lib. 1., *Brun. de Statut. artic. 12.*
quæst. 15. sub num. 198. vers. & hanc opi-
nionem, & quæst. 16. sub num. 216. vers.
secundus casus, *Phanut. de Statut. n. 183.*
& seq. Mart. Medic. decis. 77. num. 21.

Clariùs verò vbi ratio agnationis, quæ
in huiusmodi Statutis, quamuis non ex-
plicata implicitè adesse dicitur, in eo ex-
pressa sit, vt in præsenti, cum tunc ca-
sus nullum dubium habere videatur, vt
in specie aduertit *Castrens.* vbi supra; Atq;
ad euidentiam comprobare videtur
ipse naturalis discursus; Vbi etenim Sta-
tutum expressam habet causam, *seù ra-*
8 *tionem*, tunc ista principaliter attendẽ-
da est, non curato cortice verborum; Eo
modo, quo attenditur anima in corpo-
re, cum tunc non dicatur extensio, sed
intensio, seù enucleatio eius, quod iam
sub ratione inest, quamuis appareret
latear, ex ijs, quæ cæteris relatis habe-

tur

tur *apud Mascard. de Statutorum interpræt. conclus. 4. num. 167. cum seqq.*

Ad quod conferre dicebam pluries enunciatam propositionem, à Iudicantibus, & Consulentibus principaliter, ac perpetuò præ oculis habendam, vt non cortex, & figura verborum, sed substantia veritatis, seù verisimilis voluntatis disponentis attendi debeat, cum etiam in Statutis procedatur eo modo, quo in testamentis, aliisque morientium, seù viuentium dispositionibus proceditur; Ac etiam quia, vt pluries insinuatur præsertim latius, ac particulariter *in Perusina disc. 1.*, pro meo sensu, prorsus erroneū est assumptum, vt hæc Statuta iuris correctoria, & exorbitantia dicenda veniãr, quoties conseruationi bonorū in agnatione prospiciant, vtpotè regionis vsui, nostrisque moribus magis adaptata.

Quia verò per Scribentes in contrarium, ac etiam in decisionibus, magnum constituebatur fundamẽtum in eo, quod Statutum, patris, vel aui nullam faciat mentionem, nec in parte dispositiua, neque saltim in conditionali, vt facit Statutum Senen., de quo agunt *Abb. & Castr.* vbi supra, quodque ab eodem Statuto disponatur, vt in casibus omissis seruari debeat ius commune.

Hinc proindè adhibendo eã genialẽ partẽ ratiocinatiuã, quæ tamen ineptis pragmaticis adeò exosa est, aduertebam quod, vt pluries habetur *sub tit. de fideicommiss.* & alibi; Ad regulandam, vel interprætandam aliquam dispositionem, attendendum est quid verisimiliter disponens crediderit, vel opinatus sit, quamuis eius opinio, vel credulitas erronea sit, vndè propterea habemus, quod ad regulandam transactionem, an ex iusta causa, & cum probabili dubietate sequuta sit, attendi debet illa opinio, quæ tunc retinebatur, quamuis deindè illa reprobata fuerit, passimque de præsenti contraria retineatur, vt *apud Otthobon. decis. 28. ex num. 11.*, & aduertitur præsertim in casu de quo *sub tit. de fideicomm. disc. 173.* cum similibus.

Cum igitur, attento iure antiquo, & & medio *Digestorum*, & *Codicis*, filius familias non haberet hæredem, sed omnia, pater, vel auus occuparet iure peculij, atque vsque ad ius nouissimum *Authenticorum* sub ipso *Iustiniano* conditū mater in successione filij extranea reputaretur in concursu patris, vel aui ad textum *in l. 2. §. obijcitur ff. ad Tertulian. §. sed & filiæ, & §. pater verò instit. eodem*, cum concordantibus benè præsertim ponderatis *per Barbos. in l. quæ dotis num. 67. & 68. ff. solut. matrimon.*; Quinimò nõ desunt volentes, vt etiam hodiè, dicto nouissimo iure non obstante, infantis successio non detur, sed omnia pater, vel auus occupet iure peculij, dum contraria opinio, de qua supra magis recepta est ex sensu modernorum, qui materiam magis esplanarunt; Hinc proindè nimium probabile videtur, quod statuentes ijs antiquis temporibus legum ciuilium proximis, quando illę adeo (vt de præsenti) explanatæ non erant, cum isto sensu, istaque credulitate processerint, vt .s. existentibus patre, vel auo, opus non esset ità statuere super exclusione matris à successione filij, dum iste successionis casus non daretur, cum aliàs nulla probabilis ratio suadere valeat, cur statuentes ob remotiores agnatos matrem excludere voluerint, atque patrem, vel auum, quorum in iure antiquo, & nouo, longè melior causa erat, ità negligere.

Si enim in testamentis, & contractibus, aliisque humanis dispositionibus habemus, quod oportet interprætationem facere eo modo, quo viri sapientes, ac rationales interprætarentur, cum disponentes præsupponendi non sint homines bestiales, ac irrationabiles, multò magis id dicendum est in Legislatoribus; ideoque huiusmodi improbabiles, ac leguleici rigores, qui in ista statutaria materia adhiberi solent, perpetuò nauseam mihi fecerunt, vbi præsertim humana ratio, atq; cõmunis vsus regionis in contrarium vrgeãt; Potissimè autem vbi ius statutarium non sit omninò nouum, sed importet reuersionem ad ius antiquũ, cũ quo ista regio viuebat de tempore, quo Romanum Imperium in Italia sedem habebat, ità corrigendo, seù verius declarando animum non acceptandi ius nouissimum in *Græcia* editũ pro illis Græcorum moribus, seù verius, (vt aliàs aduertere *consueui*), pro adulatione, quam *sagacissimus Tribonianus* facere voluit ergà sexum muliebrem in gratiam Theodoræ dominantis, et quæ in sensu Histori-

ſtoricorum magis, quàm Iuſtinianus imperabat.

Quo verò ad tertium punctum reſtrictum ad hæreditatem Lauiniæ vltimi morientis auiæ; Ille tres habebat inſpectiones; Vnam ſcilicèt potiùs facti, quàm iuris, an conſtaret, quod Io. Andreas filius maternam hæreditatem adiuiſſet, & quatenùs de expreſſa aditione non conſtaret, an ea reſultaret ex retentione dotium facta per dictum Franciſcum virum, ac patrem reſpectiuè; Altera erat ſuper tertia portione, quæ ſecluſo Statuto ad limites iuris communis nouiſſimi ad dictum Io. Andream, & ſucceſſiuè ad Andream eius filium ſpectabat, cum aliæ duæ ſpectarent ad dictas Victoriam, & Mariam filias fœminas; Et tertiò ſuper iſtarum fœminarum portionibus præfato Io. Andreæ maſculo debitis ex eodem Statuto fœminarum excluſiuo propter maſculos.

Super prima inſpectione, cum de explicita aditione non cõſtaret, vndè propterea pũctus reſtringeretur ad alteram aditionem reſultantem à retentione dotium facta per patrem, & virum reſpe-
13 ctiuè, deducebantur eadem, quæ habentur deducta *ſub tit. de hæred. & hæredit. diſc.* 13. pro aditionis excluſione, dum actus retentionis ad ius, vel titulum propriũ ipſius viri referri poterat; Alijs etiam facti circumſtantijs concurrentibus, quæ nimiùm pro iſta excluſione cooperabantur.

Quouerò ad tertiam inſpectionem ſuper tranſmiſſione dictarum duarum portionum de iure ad fœminas pertinẽtium, & quæ in vim Statuti excluſiui ma-
14 ſculo delatæ erant, vltima deciſio huic parti fauorabilis, principale fundamentum conſtituere videtur in eo, quod ſtatutaria diſpoſitio non intraret, cum ea intelligenda veniat quoad ſolam ſucceſſionem dotantis, et quatenùs fœmina dotata ſit ab eo, de cuius hæreditate agitur, iuxtà firmata *deciſ.* 175. & 179. *poſt Merlin. de legit.*, & habetur ſupra *diſc.* 3. & in alijs; Verùm iſtud fundamentum mihi debile videbatur ex eiſdem conſiderationibus, de quibus *d. diſc.* 3.

Solidius autem erat alterum motiuũ, quod cum Statutaria excluſio pendeat ab animo maſculi, qui poteſt ille hoc beneficio vti, atque fœminas quamuis
15 excluſas admittere ad æqualem ſucceſſionem iuxtà terminos iuris communis, vt *deciſ.* 146. *num.* 6. & 7. *par.* 10. *rec.*, & *in Vrbinaten. ſucceſſionis* 28. *Iunij* 1647. *coram Bichio* inter ſuas *deciſ.* 320. *nu.* 32. *Otthobon. deciſ.* 173. *num.* 24., in quibus concordantes, idcircò requiritur talis aditio per actum poſitiuum, vt per eam declaretur animus vtendi hoc Statuto ex relatis *per Altograd. conſ.* 82. *num.* 25. *lib.* 1. cum alijs, de quibus infrà.

Dicta verò declaratione non accedente, vndè propterea intret inſpectio trãſmiſſionis; Aduertebã quod licèt Moderni pro conſueto ſtylo, vnum caſum cum altero cõfundendo, materiam inuoluere videantur, attamen tres caſus diſtinguẽ-
16 di veniunt, cum quorum diſtinctione congrua congruis applicando, benè conciliantur ea, quæ inuicem pugnare videntur.

Primus enim caſus eſt, vbi ex maſculo, cui Statutum in ſucceſſione aduersùs fœminas prælationem concedit, ſuperſit alter æquè maſculus, vndè propterea vigeat eadem ratio excluſionis, atque verificetur vtrumque extremum à quo, & ad quod ob eamdem qualitatem æquè militantem in tranſmittente, ac in tranſmiſſario, et tunc concors videtur opinio pro tranſmiſſione.

Alter caſus eſt, vbi ex maſculo ſuperſunt etiam hæredes ſanguinis, ſed diuerſæ qualitatis, quia nempè filiæ, vel neptes fœminæ, et tunc intrat maior difficultas ob varietatem opinionum quarum vna tribuitur *Cyno*, & altera *Salyceto*, iuxtà caſum diſputatum *apud Franch. deciſ.* 32. vbi modernus additionator *de Luca*, plura colligit ſuper vtriuſque opinionis ſectatoribus, magiſque fortè recepta videtur opinio pro tranſmiſſione, dum vrget ratio ſanguinis, ac ſuitatis ex *ijs*, quæ in terminis fortioribus ſucceſſionis feudalis habentur *ſub titulo de feud. diſt.* 13.; Verùm de hoc formiter agere non oportuit, cum non verſaremur in caſu, ideòque deſuper nullum iudicium efformari potuit.

Tertius demùm eſt caſus, vbi maſculus decedat ſuperſtite hærede, qui extraneus ſit ei, de cuius ſucceſſione agitur, et tunc licèt non deſint tenentes partes trãſmiſſarij, ex deductis *apud Surd. deciſ.* 138. & *Grat. in addit. ad deciſ.* 235.; Attamen

magis

magis communis, ac rationabilis videtur cõtraria opinio ex relatis *per Altogr. d.conſ.82.num.16.& ſeq.lib.1. Bottiglier. de ſucceſſ. theor.2. num.44.& ſeq. Cirocb. contr.42.nu.26.cum ſeq.*, atq; ſentire viſa eſt *Rota apud Caualer. deciſ. 504. num. 10. & in dicta Vrbinaten. coram Bichio* inter ſuas *deciſ.320. in fine*; Iſtaq; opinio videtur omninò probabilior, neglecta præſertim *dicta deciſ.138. Surdi*, quæ in eius caſu ob aliquas circumſtantias à probabilitate aliena non videtur, dum commodum tranſmiſſionis redundabat ad fauorem agnatorum, ideoq; verificabatur Statuti ratio, ſiuè implebatur eius finis, ſed iſta circumſtantia ceſſante, nulla ſuppetere videtur congrua ratio cui hæc opinio innitatur, ideoque dicebam quod deciſio eſt bona, ſed mala eſt ratio per Extenſorem aſſignata.

Quarè maior difficultas reſidere videbatur in tertia portione, quæ ad limites iuris communis maſculo debebatur ex perſona propria; Circa quam aduertebã quod quidquid ſit de terminis generalibus tranſmiſſionis, quando iſta ſit vnica, à primo ſcilicèt tranſmittente in primũ tranſmiſſarium, ſuper quo multa habentur deducta *in d. deciſ.320. Bichij*, quæ videtur in materia magiſtralis; Inhærendo commendabili Curiæ ſtylo, immorandi ſtrictè ſuper puncto præciſæ controuerſiæ, quatenùs ſcilicèt primus hæres non aquita ſucceſſione, eam tranſmittat in eius filium, qui deindè infans, ſeù aliàs decedat, vndè intret quæſtio ſecundæ tranſmiſſionis ad eius matrem, quæ morienti, de cuius ſucceſſione agitur, extranea eſt, ſuperſtite auo paterno iuxtà materiam text. *in dicta l. ſi infanti.*

Et tunc licèt *Apont. conſil.19.*, cum eius auctoritate ſimpliciter non examinata materia, neque habita notitia contrariæ deciſionis, pertranſit *Martæ de ſucceſſion. part. 1. quæſt. 24. artic. 4. num.2. cum ſequ. & deciſ. 21.* teneat pro matre; Attamen in eodem indiuiduo caſu, in quo ſcripſit *Aponte*, in oppoſitum magiſque neruosè ſcripſit *Fab. de Anna conſ.1.* qui *conſil.2.* teſtatur ità fuiſſe deciſum; Ideòque rectè intrat propoſitio *Franch. deciſ 260. num.5.*, quod vbi allegantur Cõſilia, oportet videre deciſiones; Atque, quidquid ſit de puncto iuris in abſtracto, & in ratione diſputatiua, iſta videtur longè æquior, iuxtà quam Tribunalia procedere conſueuerunt cõtrà tranſmiſſionem, contra quam etiam deciſum fuit *apud Theſaur. deciſ. 88. & per Rotam in d. dec.320. Bichij*, quoniam vbi ceſſat motiuum æquitatis, nullatenus hæc aſpera opinio pro tranſmiſſione recipienda eſt, vtpotè fundata in quodam irrationabili leguleico rigore, vt latè proſequitur *Altograd. conſ.81.& 82.lib. 1.*, & conferunt deducta *per Altogr. iun. controuerſ. 13. numer. penult.* quoniam eſſet dare fictionem fictionis cum repugnantia æquitatis; Licèt enim fallax dignoſcatur fundamentum deductum ex *dicta l. ſi infanti*, cui plures innituntur; Attamen Aliud eſt vt filius familias habeat hæredem, atque in eius hæreditate attendatur ordo ſucceſſorius; Aliud verò an intret hæc tranſmiſſio, vbi æquitas repugnet.

Et quamuis vrgere videretur deciſio *Rotæ in Hortana ſucceſſionis 5. Nouembris 1601. coram Panphilio*, in qua pro tranſmiſſione ad fauorem matris contrà patrem reſponſum fuit, et quæ deciſio maiorem in hoc propoſito difficultatem inferebat; Attamen ea particularem habebat circumſtãtiam, ob quam probabilis dici poteſt, quod ſcilicèt de culpa redargui poterat pater tanquam legitimus adminiſtrator filij, quod fraudulenter hæreditatis aditionem non fecerit, vt facere tenebatur; Id autẽ in præſenti dici non poterat, dum Io. Andreas filius per plures annos ætate maior, vxoratus, ac Iuris vtriuſque Doctor ſuperuixerat, & quamuis non in formali ſtatu patrisfamilias, in eius tamen figura.

Clariùs autem combinando dictam ſtatutariam diſpoſitionem, ob quam dicebam omninò de plano intrare, ac recipiendam eſſe opinionem, de qua *Fab. de Ann. d. conſ.1.& 2.* cum alijs allegatis cum ità conſtaret quod cauſa matris non eſſet ità fauorabilis, vt eſt, attenta ſola iuris communis diſpoſitione, in cuius terminis hinc indè allegati loquuntur, quodque propterea Statutum, ad hunc effectum nimium conſiderabile, ac operatiuum eſſet; Ideòque licèt de ſtricto iuris rigore fallaciam contineret dictum argumentum duplicis tranſmiſſionis nimiùm ponderatum *apud Fab. de Ann. d. conſ.1.*, quod ſcilicèt ità eſſet dare trãſ-

18

miſſio.

missionem transmissionis, dum data etiã non agnitione Ioannis Andreæ filij, per istius mortem nepos effectus est primus; Attamen æquitas, ac statutaria dispositio hũc rigorem omninò suffocare debẽt, ac propterea probabilis visa est resolutio.

Verùm in meo sensu ea in totum debuisset esse talis ad formam Statuti, quoniam, vt supra, omninò improbabilis videtur intellectus illi datus.

VITERBIEN.

HÆREDITATIS

PRO

CARDINALI GVALTERIO

CVM

LAVRENTIO CHISIO.

Casus decisus per Rotam vt infrà, posteà concordatus.

De Statuto Viterbij excludente fœminas propter masculos, & cognatos propter agnatos, an procedat solùm data gradus æqualitate, et an ista admittatur fictè ratione repræsentationis, vel subingressionis; Et de casu mixto faciente cessare Statutum, ob existentiam personæ nõ exclusæ.

Et incidenter de alio Statuto Viterbien. prohibente mulieri disponere extrà filios.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Renunciatio paternis, & maternis non capit fraterna.*
4 *De reciproca non attendenda de linea ad lineam.*
5 *De Statuto vt pater non possit disponere extrà filios.*
6 *De motiuis excludentibus Statutum exclusiuum.*
7 *Quomodo debeant se gerere Aduocati.*
8 *De linea masculina, cui data sit prælatio quomodo attendi debeat, & qui dicantur de eadem linea.*
9 *Statutum exclusiuum intelligitur data gradus æqualitate.*
10 *De repræsentatione, vel subingressione, an detur ad hunc effectum.*
11 *Expenditur decisio* in Romana succes. sionis de Girona coram Robuttero, *& de vnica, vel duplici fictione.*
12 *De eodem, & quarè illa nunquam controuersa fuerit.*
13 *Expenduntur auctoritates in ea deductæ circa repræsentationem.*
14 *De eodem, & de differentia casuum.*
15 *De auctoritate Consulentium suspecta.*
16 *Nepos ex fratre primogenito excludit patruum in primogenituris, & feudis indiuiduis.*
17 *Quid in successionibus diuiduis.*
18 *De fauorabili, vel odiosa intelligentia Statutorum.*
19 *De casu mixto, qui faciat cessare Statutum in totum.*
20. & 21 *De eodem.*
22 *Ponderatur ratio an persona omissa, quæ facit cessare Statutũ, & inducit mixturam, sit etiam fœmina collateralis.*

DISC. XVI.

1 PIoggio Chisio ab intestato defũcto, superstitibus, Francisco, & Laurentio ex altero Laurentio germano fratre nepotibus, Victoria germana sorore, ac Hieronyma ex Ludouico altero fratre prædefuncto nepte; Contrà Franciscum, & Laurentium possessores bonorum patrui, cum quo pro communi viuebant, iudicium super successione instituit Hieronyma ex fratre neptis; Et introducta causa *in Rota coram Buccabella sub die* 27. *Nouembris* 1638. restricta
2 disputatione ad bona extrà territorium, ad fauorem actricis prodijt resolutio, quæ habetur impressa *decis.* 290. *par.* 8. *recen.*, quæ reputatur magistralis super puncto, vt census circumscribantur loco fundi censiti, quoties ibi destinata etiam

sit solutio, ac etiam de locis montium; Assumptaque postea disputatione quoad bona etiam intrà territorium *coram Roias* subrogato, pariter pro actrice responsū fuit *sub die 26. Aprilis 1641. vt ex dec. 291. eadem par. 8.* repetit. inter illas *Roias decis. 135.*, neque respectu dictæ Hieronymæ, causa vlteriorem progressum habuit, quia forsan concordia ei finē dedit; Cumque ad causam admissa quoque fuisset Victoria soror, eius fauore quoque sub diebus 10. *Iunij 1639. & 19. Maij 1643.* prodierunt resolutiones, quæ habentur inter illas *Roias decis. 66. & 206.*; Postmodum verò causa diù siluit, vsque quò Cardinalis Gualterius hæres institutus à Iulio Gualterio Victoriæ prædefunctæ filio, causam reassumpsit *coram Taia* subrogato, datoque dubio super immissione ex interdicto quorum bonorum *sub die 2. Maij 1664.* affirmatiua prodijt resolutio, quæ ansam dedit honestæ concordiæ litem terminanti.

In hac igitur vltima disputatione, in qua solum scripsi pro Cardinali actore (cum de tempore præcedentium adhuc scholaris essem in Neapolitano gymnasio), tres fuerunt puncti, quamuis non de omnibus agat decisio desuper edita; Primò nempè super dictæ Victoriæ renunciatione; Secundò super detractionibus, inter quas potissima erat illa bonorum maternorum, ob fideicommissum ab ipsa ordinatum; Et tertio Statuti excludiui fœminarum propter masculos, respectu bonorum existentium in territorio, cum in illis extrà territorium. Scribentes pro Reo darent manus victas.

Super primo puncto, satis modica fuit difficultas, ob hodie planam conclusionem, de qua in sua materia *sub tit. de renunciat.*, vt renunciatio facta bonis paternis, & maternis, non comprehendat materna, quamuis à parentibus obuenientia, ob regulam attendendi causam immediatam, vt in vltima decisione.

De altero pūcto detractionū, super quo decisio nimium se diffundit, habetur actum *sub tit. de legit. & detract. disc. 16.*; Et quoad fideicommissum à matre ordinatum, illud euitabatur; Tum ex regula quod reciproca ordinata inter filios intelligenda est discretiuè in qualibet linea *iuxta decis. 1023. Seraph.*, & in sua materia *sub tit. de fideic.*; Tum etiam ob aliorum eiusdem Ciuitatis Statutum, quod prohibet marri (excepta decima parte) 5 disponere de bonis extra territorium, & de quo Statuto agit *Castrens. conf. 427. lib. 1.* atq; mentionem faciunt *Dec. in cap. Ecclesia de constitutionib. nu. 252. & Zabarell. conf. 144.*, ideoque interebatur, quod fideicommissum desuper ordinari non potuerit, ex ijs, quæ occasione consimilis Statuti Vrbeuetani vel Consuetudinis Neapolitanæ, ac Bituntinæ habentur *sub tit. de dote disc. 103. cum seqq.*

Quo verò ad tertium punctum Statuti excludiui fœminarum propter masculos, de tribus ex hac parte replicabatur ad eius dispositionem euitandam; Primò 6 quod, cum Statutum excludat sorores propter fratres, vel alios de linea masculina, intelligendum veniat de eadem linea, de qua non erat Laurentius reus conuentus vtpotè de linea Laurentij eius patris, & sic diuersa ab altera, de qua erat Victoria de linea Francisci eius patris, cum linea constituatur ex proprio stipite cuiuslibet; Secundò quod huiusmodi Statuta intelligenda veniunt data gradus æqualitate, ideoque fœmina proximior in secundo gradu excludenda non est per masculum remotiorem in tertio gradu existētem; Et tertiò quod cum superesset dicta Hieronyma neptis ex fratre prædefuncto, de qua Statutum non loquitur, ideoque excluſa non erat, vt iam firmatum fuerat *in dicta decis. 135. coram Roias repetita dec. 291. par. 8. rec.* eiusdem Hieronymæ fauore edita, & quæ de stylo Tribunalis erat præsupponenda, ita intraret casus mixtus, cuius ratione, Statutum in totum cessaret, etiam respectu personæ excluſę.

De primo, & secundo motiuo agit decisio, non autem de tertiò, quia forsè satisfacta Rota de duobus primis, non credidit necessarium agere de altero; *De* omnibus autem magis *disputatum fuit* inter eiusdem Cardinalis actoris Aduocatos post editam decisionem in congressibus habitis, tàm pro noua disputatione habenda super iam demandata decisionis reuisione, quàm pro consilio, an expediret amplecti concordiam, cuius magna causa fuerunt excitatæ difficultates iuxta nimium verè commendabilem 7 Romanæ Curię professorum ingenuitatē

pro-

promouendi difficultates contra clientem, summoque studio procurandi litiũ terminationes contra propria commoda; Quare dicta tria motiua singulariter expendendo.

Quatenus pertinet ad primum diuersitatis lineæ; Quamuis illud firmatum esset ad fauorem Hieronymæ neptis *in dictis decis.* 135. *Roias num.* 21., cum qua fauore Victoriæ quoque processum est in alijs decisionibus *coram eodem Roias*, ex propositione quod vbi fit mentio lineæ, intelligitur de effectiua, nõ autẽ de contentiua, atque cum eodem sensu processum fuerit in vltima resolutione *coram Taia*; Nihilominus ego, (reflectendo ad veritatem,) non modicam desuper habebã difficultatẽ ex defectu applicationis dictæ propositionis, quæ vera est in suis casibus, in quibus loquũtur auctoritates ad id desuper inductæ nempè *Soccin. cons.* 53. *lib.* 3. & *Rota dec.* 417. *p.* 1. *rec.* quoniam *Soccin.* loquitur de patruo excludere volente defuncti germanam sororem, ideoque in ea diuersitas rectè verificabatur, cum lineæ patrui stipes non esset ille, qui erat stipes lineæ defuncti, ac fororis, ideoque diuersitas linearum erat certa; Idemque in casu, de quo agitur *dicta dec.* 417 *par.* 1. *rec.* vbi de linea masculorum descendentium per fœminam quæ non facit lineam, sed dicitur finis lineæ, cum ista constituatur per patrem, non autem per matrem, ideoque dictæ auctoritates percutiunt casus diuersos.

In casu autem de quo agitur, Laurentius senior pater Laurentij iunioris Rei conuenti, ac Poggius defunctus, ipsaque Victoria soror, ex cuius persona actor veniebat, omnes erant ex eadem linea effectiua Francisci communis patris, quę per necessè attendenda est in Statuto disponente de successione fratris morientis absque propria prole, et consequẽter Laurentius iunior dicti Laurentij filius erat de eadem linea effectiua dicti Fraheisci communis stipitis, ideoque istud motiuum apud me magnam habebat difficultatem.

Quo verò ad secundum, super gradus inæqualitate; Scribentes pro reo conuento non negabant regulam pluries *hoc eodem tit.* & in alijs insinuatam, vt huiusmodi Statuta quoties non habeant amplitudinem verborum, vel rationem aliquam vnde limitatio resultet, intelligenda veniant data gradus æqualitate, non autem per masculos inæquales, vt præsertim aduertitur *disc.* 3.; Dicebant tamen quod cum ageretur de filio superstite fratre prædefuncto, iste occupabat locum patris ex beneficio repræsentationis, qua de plano intrat fauore neporum ex fratre in successionibus intestatis, cũ difficultas versetur in successione fideicõmissaria, vt ex eo pinguiori beneficio subingressionis, ob quod etiam in fideicommissaria successione remotior fit proximiori æqualis ex pluries deductis *sub tit. de fideic. præsertim disc.* 17. & 18., atque ita cessabat inæqualitatis obiectum.

Ad id autẽ, probandũ, vltra generalia quæ locis proximè citatis, ac alibi plurimè habẽtur super hac vtraq; repræsẽtationis & subingressionis legali fictione; In specie huiusmodi Statutorũ deducebam firmata *per Rotã in Romana successionis de Girona* 23. *Ianuarij* 1574. *coram Robusterio*, & in *Vrbeuetana hæreditatis* 28. *Maij* 1599. *coram Litta*; Ideoq; in dictis congressibus, qui occasione reuisionis vt supra habiti fuerũt, principaliter examinatæ fuerũt istæ decisiones, quæ maiorẽ timorem inferebant, ob stylum nimium deferendi decisionibus præsertim antiquis.

Posterior decisio *Vrbeuetana*, de facili euitabatur ex facto, dum præcipuum eius fundamentum consistit in litera clara Statuti, per quod soror tam per se tres, quàm per fratrum filios excludit; ideoq; ad rẽ nõ faciebat, vndè propterea difficultas restringebatur ad alteram decisionem *in Romana de Girona coram Robusterio*, pro qua autem enitanda ponderabam, quod inter Statutum antiquum Vrbis, de quo ipsa loquimur, & istud Viterbiense, aliqua possit assignari ratio differentiæ; Illud enim vocat fratres dispositiuè; Istud autem loquitur cõditionaliter; Istaque differentia notabilis esse videtur, quoniam in primo casu, vna tantum fictio intrat repræsentationis vel subingressionis; In altero autem duplicem fictionem admittere oportet, contra iuris regulas, Vnam scilicet fingendo, vt masculi in conditione positi censeantur vocati; Et alteram, vt remotiores ex dicto repręsẽtationis vel subingressionis beneficio, efficiantur proximiores; Istud autẽ inconueniens duplicis fictionis in specie obser-

obseruat *Faber de error. pragm. decad. 29. error. 1.* cum quo pertransit *Robles de re. præsent. lib. 3. cap. 1. num. 20. cum seqq. & num. 30.* vt in causæ decisione.

Præterea aduertebam mirandum non esse, quod dicta decisio successiuis temporibus impugnata non fuerit, neque de ea amplius actum sit, quamuis aliquo
12 æquiuoco vt infrà laboraret, dum paulò post illam editam prodierũt sub Gregorio XIII. Statuta noua, per quæ huiusmodi quæstio litteraliter tollitur, disponendo in fratrum filijs idem, quod Statutum antiquum de fratribus disponebat; Vbi etenim id non contigisset, non improbabiliter ea impugnari potuisset; Siquidẽ principaliter se fundat in doctrina *Bart. in l. liberorum ff. de verborum signif. num. 12.*, vbi loquitur de nepote directo succedente in locum patris, atque ità
13 primum locum occupante in successione aui, ad exclusionem filiæ, et sic de repræsentatione in linea descensiua in quibus terminis loquuntur *Fulgos. cons. 77.* & cæteri sequentes *Bart.* in eadem decisione allegati; Atque in eodem sensu loquuntur *Faber. & Robles vbi supra*, procedentes cum eadem doctrina *Bart.*; In eisdemque terminis disputat quæstionem *Brun.* dictæ doctrinæ impugnator *de Statuto exclusiuo art. 12. num. 202. cum seq.*, (licèt paucos habeat sequaces;) Nemo autem ex allegatis in eadem decisione descendit ad istam distinctionem inter lineam descensiuam, & collateralem, quam individualiter excitat *Brunus vbi supra num. 206.*, quamuis illam omittendo, atque terminos quodammodo confundendo, pertranseat ad alterã quæstionem, ân sub nomine fratrum veniant patrueles.

Et quamuis in eadem decisione allegentur *Aretin. cons. 162. Alex. cons. 88. lib. 1. & cons. 36. lib. 6. Dec. cons. 484. Soccin. cons. 252. lib. 2. Roland. cons. 68. lib. 1.* & alij, qui loquuntur in his terminis concursus nepotis, ex fratre prædefuncto cũ patruo pro successione defuncti fratris vel
14 patrui respectiue, & sic in propriis terminis repræsentationis in linea collaterali; Attamen omnes percutiunt terminos diuersos, nemo autem percutit illos præsentis quæstionis excepto *Gabr. cons. 1. lib. 2.* scribendo in eadem causa in qua decisio prodijt; Siquidem *Alex.*, & *Decius*, ac alij loquuntur in terminis quæstionis inter nepotem, & patruum de qua *Bald. cons. 30. lib. 1.*, vbi scilicet vocato per Statutũ fratre vel proximiore, frater superstes, denegando beneficium repræsentationis, ac proximitatem fictã, prætendat succedere in totum priuatiuè ad nepotem ex altero fratre prædefuncto iuxta *Baldi* sententiam, quam ipsi negant, & sic ad diuersum effectum, quoniam; *Aliud* est admittere repræsentationem, vt remotior eius beneficio admittatur ad æqualiter succedendum cũ proximiore; *Aliud* verò vt ex eodem beneficio, remotior proximiorem excludat, *in* quibus terminis loquuntur *Aretin. dicto cons. 162. & Soccin. d. cons. 252. lib. 2.* scribentes pro nepote in duabus famosis successionibus feudalibus, in Regnis Siciliæ vltrà, & citrà; Verùm de istis auctoritatibus dicebam nullam in proposito habendam esse rationem; Tum quia ipsi succubuerunt atque contrarium pro patruo iudicatum fuit, vt testantur *Milanen. decis. 8. num. 224 & 269. Rauden. cons. 1. num. 66. & sequen. Vrsin. de feud. par. 2. quæst. 4. art. 1. num. 9.*, dum tunc magis recepta erat opinio vt repræsentatio, quę pẽr Feudistas datur in linea directa, non procedat in collaterali, vndè propterea re-
15 ctè quoad istas auctoritates intrat consideratio *Franch. dec. 260. num. 5.* & canonizata *per Rotam in Lauden. Census 23. Iunij 1666. coram Taia in fine*, quod quãdo allegantur Consilia, oportet videre decisiones super eis editas; Tum etiam quia ibi agitur de successione feudorum iuris Francorum, quæ sunt indiuidua & non conueniunt nisi vbi personæ cum ordine primogenituræ, itaut difficultas intret ratione indiuiduitatis, ob quam, atq; ob peculiarẽ primogenituræ naturam, primum locum obtinet linea non
16 curato gradu; Atq; ex hac ratione prouenit apud modernos, vt magis communis opinio sit pro nepote ex fratre primogenito ex deductis per *Rouit. dec. 51. Vrsin. d. art. 1. per tot.* plenè & elaboratè *Marcian. iun. disput. 1. cum sequen.*, qui licèt extrà causæ necessitatem euagando, ingeniosè conetur probare, vt etiam ex sola dispositione iuris communis, beneficium repræsentationis operatiuum, sit nedum quoad exclusionem nepotis in-

simul cum patruo, sed etiam quoad eiusdem patrui exclusionem, Nihilominus si bene ponderentur Nouellæ Iustiniani, ac auctoritates *Mantic.* & aliorũ per ipsũ deductæ, contrarium videtur verius, quoniam cum hoc beneficium introductum sit ex quadam æquitate, ista semper exerceri debet sine alterius detrimento, cum aliàs iniquitatem potius contineret; Ideòque vera ratio dictæ opinionis consistere videtur in individuitate, ac in natura primogenituræ, in qua primum locum occupat linea ex ijs, quæ deducta habentur *sub tit. de feud. disc.* 13. & latius *in decisione Siciliæ* ibidem registrata, & *sub tit. de fideicommiss. disc.* 16. & alibi.

Vbi verò agitur de materia diuidua, 17 tunc iuridica, ac rationabilis videtur *decis.* 21. *Capicij*, quæ indebitè impugnatur *in dicta decis. de Girona*, cum eam à Sac. Consilio canonizatam esse etiam in temporibus, quibus hæc posterior opinio ad fauorem nepotis retinebatur, obseruet in specie *Vrsin. dicta par.* 2. *quæst.* 4. *art.* 5. & 6., vbi multas ponderat differentias inter repræsentationem in linea descensiua, & alterã in linea collaterali; Ac etiã quia magna differentia est inter repræsentationem ad solum effectum includendi cumulatiuè, & ad alterum effectum excludendi, vt obseruat etiam *Rota dec.* 417. *par.* 5. *rec.* vbi admittitur, vt etiam in Statutis intret prima species, quoties Statutum non esset ita conceptum, quod ex verbis vel alijs circumstantijs eius ambigua dispositio diuersam mereretur interpretationem, cũ non minùs in ambiguis statuentium dispositionibus, quàm in illis testantium vel contrahentium, coniecturata voluntas inquirenda sit.

Hæc super istos puncto discurrebam, deduci posse, loquendo more Aduocati, cum probabili spe, quod admittenda essent, stante opinione, cum qua communiter proceditur super stricta intelligentia huiusmodi Statutorum, vtpotè 18 exorbitantium; Verum quia in proprio sensu, hæc Statuta potius fauorabilia reputanda videntur, vtpotè ad antiquum ius Romanorum reuersiua, nostrisque malis moribus adaptata, ex ijs, quæ habentur *in Perusina successionis disc.* 1. & in alijs; Hinc proindè magis placebat opinio Rotæ firmata in allegata *Romana de Girona*, ideoque tam ob affectionem erga propriam opinionem, quàm etiam ob auctoritatem dictæ decisionis, libenter consului concordiam, quodque suscipi non deberet futuræ disputationis alea, vt secutum fuit.

Et quoad tertium motiuum in decisione desuper edita non tactum, eo quia Rota satisfacta de motiuis in prioribus decisionibus canonizatis, de illo nõ curauit; Quod scilicet cum superesset dicta Hieronyma fœmina ex masculo prædefuncto, de qua Statutum nullam habet mentionem, & quę propterea tanquam in casu omisso, atq; per Statutum non cõsiderato, admissa fuit in allegatis *decisionibus* 291. *per.* 8. *rec.*, & 135. *apud Rotas*, ita resultaret quod versaremur in casu mixto, ideoque ista mixtura personę non 19 excluſæ faceret in totum cessare Statutum, etiam respectu personæ excluſæ iuxtà *consil. Collegij Perusini inter cons. Angeli* 210., cum quo cæteri transeunt, vt omnium latius, & melius *Gabr.* de *succeſſ. concluſ.* 4. *num.* 10. *cum sequen. Marta de succeſs. legal. par.* 2. *quæst.* 3. *art.* 2. atque hanc opinionem tenuit *Rota, in Bonon. de Bernaldis apud Giouagn. conſ.* 1. *lib.* 1. *dec.* 59. *par.* 1. *rec.* & *deciſ* 43. *par.* 7. & habetur *in Nepesina seu Sutrina ſucceſſionis diſc.* 3.

In discursu autem, qui super hoc motiuo in congressibus habitus fuit, Collegæ non negabant veritatem conclusionis, sed dubitabant de effectu ob auctoritates *Ruini conſ.* 39. *num.* 2. *lib.* 3. *Brun. in tract. extantibus maſculis art.* 6. *num.* 136., & aliorum, de quibus plenè *Giouagn. conſ.* 2. *num.* 28. & *ſequen.* & *conſ.* 3. *lib.* 1., quod scilicet vbi persona excludens est in pari gradu cum excluſa, & cum altera non excluſa, vnde resultet mixtura, tunc vel excluſa nõ admittatur vel si admittatur, faciat partem ad fauorem excludentis; Ponendo exemplum de fratre excludente sororem dotatam, quod si adsit etiam soror indotata, ista quidem succederet, sed non per hoc aperit locum sorori dotatæ, & excluſæ facienti partem ad fauorem masculi; Et de quo etiam in terminis Consuetudinum Neapolis habetur *apud Rouit. conſ.* 28. & 29. *lib.* 2. *Apont. conſ.* 61. *Capyc. Latr. deciſ.* 61. *Montan. controu.* 1. *Bottiglier. de ſucceſſ. ab inteſt. theorem.* 16. *num.* 9 & 10.

Pro

Pro isto obiecto euitando, (quatenus in prosequutione causæ, illud esset deductum); Dicebam in congressu, quod dupliciter responderi posset; Primò iuxta stylum simplicium pragmaticorum, quod allegatæ auctoritates non percuterent casū controuersiæ, cum loquantur vbi persona excludens est in pari gradu cū exclusa, nō descendentes ad casum vbi duo obstacula concurrant, vnum mixturæ, et alterum inæqualitatis gradus, suppiendum cum fictione repræsentationis.

Et secundò neotericè, assumendo prouinciam probandi, quod hæc *Ruin. & sequacium* opinio non videatur tuta, cū ipsi moueantur ex eo quod conclusio desumpta *ex dicto cons. Collegij Perusini* fundetur solum in ea ratione, quod eatenus persona exclusa non admittitur, quatenus excludens admittatur, itaut ista exclusa ab alia persona per Statutum omissa, cesset dicta ratio, quam ipsi vnicam præsupponunt.

Istud autem præsuppositum detegitur fallax, cum non sit ista vera ratio conclusionis, sed potius altera, quod Statutum loquens in casu simplici, non habeat locum in mixto vt potè omisso, in quo proindè, ipso Statuto de medio sublato, ac si non ad esset, intrat indefinitè dispositio iuris communis, cum eadem sit ratio totius quoad totum, ac partis quoad partem, vt benè ratiocinatur *Rotæ. cons. 29. num. 6. & per tot. lib. 2. ex Ann. alleg. 117.* & alijs quos allegat, ista que est ratio, quam probauit *Rota in supra allegatis decisionibus 59. par. 1.*, & clarius *dec. 43. p. 7. rec.*; Ideoq; cum causa disputanda esset in eodem Tribunali, dicebam quod procedendum esset cum ratione per ipsum Tribunal canonizata, non autem cum subtilitatibus Consulentium, quorum, vt potè ad pecuniam, vel affectionem scribentium, auctoritas semper est suspecta; Verùm defuit occasio id disputandi, atq; maturius examinandi, ob subsequutam vtsupra concordiam, quæ stantibus prædictis difficultatibus, ab omnibus concorditer consulta fuit.

Ponderabam quoq; quod facilius hæc admittenda essent ob particulares facti circumstantias, quod scilicet persona non exclusa, & à Statuto admissa, esset etiam fœmina, & remotior; Durum enim, atque ab humana ratione alienum esse videtur, vt soror excludi debeat à successione fratris, ad effectum vt eius exclusio impingueret portionem alterius fœminæ remotioris; Verùm videbatur, quod in sensu supra allegatorū, hoc absurdum cessaret, quoniā dicta neptis non exclusa contenta esse debebat sua portione, soror verò exclusa faceret partem ad fauorem excludentis.

Adhuc tamen non cessabat durities, quod soror primi gradus excluderetur per masculos remotiores in secundo gradu existentes, & quod fœmina remotior succederet, vndè posita istius remotioris admissione (in sensu etiam veritatis) credebam iustas dictas resolutiones pro sorore; Difficultas tamen mea erat contra vtramq; vt ex benigna in meo sensu, huiusmodi Statutorum interprætatione æqualiter excludi deberēt, ex ijs quę super hoc puncto habentur *in dicta Nepesina disc. 3.*, diuersaque ratio est in matre, cuius causa in hoc est proximior, ac fauorabilior.

FIRMANA SVCCESSIONIS PRO MANARDIS CVM PICCVCIIS.

Casus variè decisus per Rotam.

De Statuto Amandulæ excludente cognatos propter agnatos vsque ad secundum gradum, an requiratur, vt cognatorum mater sit dotata per eum, de cuius successione agi-

tur; Et de graduum computatione, an facienda sit de iure ciuili, vel canonico.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De punctis controuersiæ.*
4 *Quid disponat hoc Statutum.*
5 *Quod debeat sufficere vna dotatio.*
6 *Vt secunda pars Statuti esset independens à prima.*
7 *In testamentis non est immorandum in formula verborum, vel superficie scripturæ, sed in substantia voluntatis.*
8 *Idem in Statutis, & de ratione.*
9 *De alijs Statuti interpretationibus.*
10 *Rubrica habet vim legis, vel deseruit pro interpretatione.*
11 *Obseruantiæ nimium est deferendum pro interpretatione.*
12 *In computatione graduum attenditur dispositio iuris ciuilis.*
13 *Quando secus, vt attendatur ius canonicum.*

DISC. XVII.

1 CVm Mandricardus Manardus, scriptis hæredibus tribus filijs, vnicæ filiæ dotem in certa summa reliquisset, atque fratres, dicta sorore nupta, & dotata, pro communi viuerent, defunctoque vno eorum superstitibus Cæsare, & alijs filijs, isti conuixerint cum patruis, eisque vno post alterum ab intestato absque prole defunctis, dicti nepotes possessionem antiquam pro communi continuantes, totum possederint pacificè continuato spatio annorum viginti circitèr; Postmodùm Piccucij filij Mariæ Ioannæ prædefunctæ Raphaeli vltimo defecto, prætendentes vt ipsis ad formam iuris communis intestata successio tanquam nepotibus ex sorore æquè debita esset, ac nepotibus ex fratre, iudicium immissionis in interdicto *quorum bonorum* instituerunt coram A. C., à quo prodijt rerum conuentorum absolutoria; Introductaque per appellationem causa *in Rota coram Beuilaqua*, datoque dubio, àn actoribus
2 danda esset immissio *sub die* 14. *Martij* 1664. negatiuè responsum fuit; Reproposita verò causa 13. *Iunij* 1668. recedendo à decisis, affirmatiua prodijt resolutio, aduersùs quam concessa noua audientia, pendet disputatio soliti dubij, an standum sit *in* primò, vel *in* secundò loco decisis.

Quamuis autem Rei conuenti cum tribus motiuis actores repellere curarent, de quibus omnibus disputatum fuit coram A.C.; Primò nempè de renunciatione; Secundò de fideicommisso à dicto Mandricardo ordinato (vt
3 supponebatur) omnia controuersa bona absorbente; Et tertiò de Statuto loci cognatorum exclusiuo propter agnatos; Attamen Rota suspensis duobus primis, ijsque alijs disputationibus reseruatis, de solo puncto intestatæ successionis, ac Statuti respectiuè disputare voluit, de dicto autem alio puncto fideicommissi habetur *sub tit. de fideicom. disc.* 105.

In his autem disputationibus; Cum Statutum duo capitula, vnum post alterum contineret, quorum primum excludit fœminas propter masculos sub conditione dotis, etiam in modica summa,
4 de bonis eius, de cuius successione agitur; In altero autem subsequenti demandetur exclusio cognatorum propter agnatos vsque ad secundum gradum; Hinc proindè vnicus quæstionis punctus, super quo Rota variauit, erat an ista posterior pars Statuti esset dependens, & consecutiua à præcedenti, ita vt intelligenda veniret eodem themate retento, quod scilicet fœmina, à qua cognati descendunt, dotata esset de bonis eius, de cuius successione agitur, vel potius esset independens, adeòut dicta dotatio repetita non censeatur.

Credebant actores euitare difficultatẽ cum solo facto, in quo supponebatur, quod fratres, vltrà summam dictæ sorori à patre relictam, aliam de proprio dedissent pro dote, ideoque satisfactum esset Statuto, quod non exigit integram dotationem, sed aliquam partem etiam modicam; In huius autem facti verificatione, certamen erat causæ Patronorũ, cum de his Aduocati non se ingerant.

Vbi verò dictum factum non assisteret;

fet; Quatenùs pertinet ad Aduocatorum partes super dicti Statuti interprætatione, mihi pro reis conuentis scribenti
5 (etiam in sensu veritatis) probabilior videbatur prima resolutio, quoniam, vt dictum est, Statutum duas habet partes, in quarum prima agitur de exclusione fœminarum propter masculos, et tunc cum Statutum exigat illarum dotationẽ saltim in parte, opportet illius formam implere, quatenùs explicitè id exigat; Secùs autem vbi verba sint ambigua, adeò vt intret quæstio, an vnica dotatio pro exclusione ab omnibus successionibus sufficiat, vel requiratur, vt sequatur de bonis, de quibus in specie est quæstio, et sic de qualibet successione, cum tunc, quidquid, distinguendo super verborum formulis, & an per alternatiuam, vel copulatiuam, habeatur in sæpiùs enunciatis *decis.* 390. *&* 429. *Merlini*, & in alijs, pro meo sensu omninò verius videtur oppositum, vt vnica dotatio sufficere debeat, vt aduertitur *in Sutrina, & Nepesina dis.* 3. & in alijs, quoniam lex ciuilis in mulieribus, vnicam semper cõsiderat dotem in numero singulari; Idẽque comprobat communis vsus, ac etiam naturalis discursus, ideoque dicta opinio nullam probabilitatem habere videtur, cum ità eisdem fœminis, quando in familia numerosa multarum successionum casus daretur, oporteret multas dotes constituere, vt alibi aduertitur.

Verùm quidquid sit de hoc, inane opus videbatur punctum disputare, quoniam ob prædecessum sororis, ac etiam ob non existentiam patrui, adeout iuxta receptam opinionem *Azonis*, nepo-
6 tes, exclusis fratribus, vel sororibus, venirent in capita, non autem intraret repræsentatio, idcircò dictæ fœminæ persona extranea erat à quæstione, dum actores veniebant tamquam cognati ex persona propria in cõcursu agnatorum, et consequenter non agebatur de prima parte Statuti, in qua fit mentio de fœminis, quibus dos congruit, ità sexu exigente pro conseruanda hone state, ac pro publico bono, sed de secũda parte, in qua generaliter, ac indefinitè agitur de vtroque agnatorum, & cognatorum genere complexiuo masculorum, quibus terminus dotationis incongruit, ideoq; omninò improbabilis videbatur posterior intellectus in secũda decisione præstitus, quod scilicèt hæc secunda pars Statuti esset dependens, & consecutiua precedẽti, ac propterea intelligenda veniret eodẽ dotationis themate, seù præsuppositio retento, cum isto secundo casu cesset illa ratio, ob quam Statuta facientia fœminas à successione extraneas, illas de dote prouidere curant, dum etiã lex antiqua, vel noua, quæ eamdem exclusionem demandabat, de dotatione sollicita erat, ac etiam quia inhumanum esset, vt fœminæ à successione excluderentur, eisque non daretur prouisio.

Pro ista verò interprætatione, visa, vel altero modo facienda, plura per Scribentes hinc indè dicebantur, ac in vtraque decisione ponderantur, attenta ver-
7 borũ formalitate, & àn vna pars ab altera distincta esset per separatam periodũ, seù orationem, necnè; Et ad quem effectum considerabantur illæ frigiditates Iuristarum, de quibus habetur pluries *sub tit. de fideicomm.*, super puncto, an & quando oratio adiecta prohibitioni alienationis, vel exclusioni delinquentium, stet dependenter, vel independenter, seù principaliter, vel famulatiuè, ponderando, an adsit punctus, vel littera maiuscula, quæ vnam orationem ab altera distinguat, cum similibus considerationibus, quas pro meo sensu semper pueriles censui, congruas Ludi magistris cum pueris grammaticam addiscẽtibus, quoniam in testamentis, quæ scribuntur, vel per ipsos met testatores litterarum ignaros, vel per Notarios, siuè alios eamdem imperitiam habentes, siuè ad id non aduertentes, insistitur in substantia dispositionis, vt etiam litterati experiuntur, quando scribunt negotia, ideoque prorsùs improprium est ex huiusmodi formalitatibus, voluntatem, vno vel altero modo regulare.

Fortiùs verò idem dicendum est in Statutis, quæ retroactis barbaris, ac in-
8 doctis sæculis ordinata fuere, quando etiam in magnis Ciuitatibus, loquendi, ac scribendi modus, ad modernam politiorem formam redactus non erat, multò magis in huiusmodi paruis oppidis, & locis, in quibus etiam hodiernis temporibus stylus grossolanus connaturalis videtur, ideoq; prorsùs improprium est, cũ huiusmodi verborum formalitatibus, &

gram-

grammaticorum rigoribus procedi debere, cum omninò veriùs procedendum sit cum sæpiùs insinuata propositione, vt neglecto verborum cortice, attendi debeat substantia voluntatis, quæ stantibus pluries insinuatis Italiæ moribus, ea est, conseruandi bona in agnatione, ac regulandi successiones in ea forma, cum qua in hac regione regulabantur, priusquam iuris nouissimi inuentio, ac vsus sequeretur, præferēdo agnatos cognatis.

Ac etiam quia, dum in parte præcedenti excluduntur non solùm fœminæ dotatæ, sed etiam earum filij, ista secun-
9 da pars omninò superflua, seù fatua esset, cum soli filij primi gradus fœminarum sint illi, qui veniunt sub nomine cognatorum excludendorum intrà secūdum gradum, ideoque non videbatur ad quid oporteret repetere hanc secundam partem, nisi vt ea esset omninò discreta à præcedenti, magisque ampla, & complexiua totius generis cognatorum, quā discretionem clarè comprobare videtur pleraque argumenta etiam ex sensu litterali desumpta, & præsertim ampliora verba denotantia etiam intestabilium successionem ob illa verba *propriè, vel impropriè*; Potissimè verò attenta Rubrica dictam discretionem clarè ostendente, dum profitetur de quatuor diuersis disponere, nempè de Testamentis, de Substitutionibus, de Successionibus ab intestato, Et quod mulier dotata non succedat; Ergo discretus est casus successionis ab intestato generalis, à casu particulari exclusionis fœminarum propter dotem; Receptaque propositio est, quod Rubrica vbi habet orationem perfectā, pro lege habenda est, multò verò magis
10 illa attendi debet pro legis, seù nigri interpretatione, ex deductis *per Fenzon. ad Statut. Vrbis* 151. *numer.* 8. *&* 9. *Rot. apud Gregor. decis.* 5. *num.* 2. *apud Roias decis* 359. *num.* 14., & frequenter.

Quia verò vbi agitur de materia interpretationis legis, vel alterius dispositionis ambiguæ, optima, omniumque melior interpres est obseruantia, in-
11 qua in secunda decisione magnum constituitur fundamentum; E' conuerso autem agnati rei conuenti acriter insistebant, quod ista inconcussa esset in contrarium; Hinc proindè eisdem Reis consului, vt curando quæstionem dirimere cum facto, cuius motiua semper certa, & solidiora sunt; Quatenùs hac [illegible] suppositā iustificatio sequatur, pro certo sperandus videtur recessus à secunda resolutione, cum ità obseruantia accedente, omnis difficultas cesset.

In prima disputatione Rotali, ac etiā corā A.C., prætendebant Scribentes pro actoribus, quod data etiam dictæ secundæ partis Statuti dependentia, adeout
12 motiuum dotationis non intraret, adhuc tamen, non erant in gradu, de quo Statutum loquitur vtpotè restrictum ad secundum gradum, ex recepta regula, de qua *ex Baldo in l. si auiæ Cod. de successor edict.*, *Marescott. lib.* 2. *var. cap.* 8. *num.* 23. *Honded. conf.* 4. *n.* 3. *lib.* 1. *Grat discept.* 67. *num.* 1. *Altogr. conf.* 47. *lib.* 2., vt etiam in terris Ecclesiæ in materia successoria, graduum computatio fieri debeat iuxtà ordinem iuris ciuilis, cum ordo præscriptus à iure canonico percutiat solum materiam matrimonialem; Atq; hoc posito, resultabat quod attenta persona defuncti, actores erant in tertio gradu, ipsique contendentes tanquam consobrini inter se erant in quarto.

Verùm istud motiuum nullam penitùs probabilitatem habebat; Tum quia idem Statutum in alia parte disponit, quod vbi fit mentio graduum, intelli-
13 gendum veniat iuxtà ordinem iuris canonici, ideoque versabamur in claris, & expressis, in quibus cessant omnes quæstiones, & argumenta; Tùm etiam quia receptum est, vt etiam præsumpta, seù adminiculatiua diuersæ voluntatis statuentium probatio in hoc proposito sufficiat ex doctrina *eiusdem Bald. in l. fin. vers. Sed si statutum C. de successor. edict.* cum cōcordantibus *per Honded. d. conf.* 4. *num.* 49. plenè *Altogr. dicto conf.* 47. *lib.* 2.; Istaq; voluntas videbatur non solum adminiculatiua, sed clara, quoniā iuxtà dispositionem iuris ciuilis, sufficiebat dicere, quod fratres excludant sorores, dum intrà istos restringuntur duo gradus de iure ciuili, ideoque non esset verificabilis alter casus magis genericus concursus cognatorum, & agnatorum nisi inter consobrinos, vel nepotes, & auunculos, et sic attento ordine, seù cōputatione iuris canonici.

NVCERINA

SVCCESSIONIS

PRO

FRANCISCO MORONO

CVM N.

...us disputatus coram Prælato Iudice commissario, incertus est exitus.

Statuto Gualdi vocante fratres, & fratrum filios ad successionem fratris, exclusis fœminis; An attendenda veniat inter ipsos fratres distinctio vnitatis, vel duplicitatis vinculi; Et an sub generica exclusione fœminarum, veniat etiã mater.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De Doctoribus tractantibus quæstionem hinc indè.*
3 *Ità sufficit eos indicare absque superfluo cumulo allegationum.*
4 *Quomodo ista quæstio decidi debeat, & num. 12.*
5 *De Statuto Vrbis vocante fratres per copulatiuam.*
6 *Secùs vbi vocat per alternatiuam, quæ denotat prælationem.*
7 *Concurrunt omnes vbi contemplata est agnatio.*
8 *De eodem concursu in fideicommissis.*
9 *Vbi latus maternum non est excluſum vtrinque coniuncti præferuntur.*
10 *De ratione, cui innititur opinio fauorabilis consanguineis.*
11 *De historia legali in materia successionis.*
12 *De eodem, de quo num. 4. quomodo quæstio debeat decidi.*
13 *Declaratur conclusio, de qua num. 6. circa copulatiuam, vel alternatiuam.*
14 *Mater non venit sub generica exclusione fœminarum, sed indiget nota speciali.*
15 *De hoc Statuto particulari eiusque dispositione, & interpretatione.*
15 *De reduplicatione coniunctionis vtrinque, annuncat vnicam coniunctionem.*

DISC. XVIII.

1 SEquuta morte eius, qui fratres vtrinque coniunctos, & consanguineos tantùm habebat, ítante Statuto Gualdi, seù alterius loci istius Nucerinæ diœcesis ad intestatam fratris successionem vocante fratres, eorumq; filios cum exclusione fœminarũ; Hinc orta est controuersia, an ex hac statutaria dispositione resultaret æqualis concursus fratrum consanguineorũ, qui de iure sine dubio non intrat cum vtrinque coniunctis, pro quibus in causa pendente corã Prælato in gradu appellationis ego semel scripsi, incertumque est quid in causa sequutum sit, forsan concordia ei finem dedit, dum amplius de illa actum non audiui, neque iurium alterius Partis cõmunicatio sequuta est; Vndè propterea iudicium maturum desuper efformari non potuit.

In dicta igitur vnica informatione desuper edita, duas efformabam inspectiones; Vnam generalem, seù in abstracto, àn ille ordo, qui per ius commune statutus est inter fratres vtrinque, ac illos ex vno tãtùm latere, procedat etiam in huiusmodi Statutis, vel potiùs sola coniunctio ex eodem paterno latere sufficiat; Et alteram in concreto, quid scilicèt in casu istius Statuti dicendum esset.

Quatenùs pertinet ad primum; Quãuis DD. in hoc nimiùm certare videantur, atque per classes diuidi, adeout præ cæteris inter modernos, doctus, nimiùmque elaboratus *Cyriac. controu.* 353. relatis *Mandell. conf.* 85. *Mart. conf.* 84. *Menoch. conf.* 187. *Surd. decis* 239., & alijs quæstionem tractantibus pro opinione præferente fratres vtrinque ad normam iuris communis, quadraginta duo Doctores colligat, quibus addi possunt deducta pro eadẽ opinione *per Michalor. de fratr. par.* 3. *cap.* 14. *num.* 16.; Econuersò autem, pro altera admittẽte æqualem concursum etiam consanguineorũ, quam ipse in terminis Statuti Mantuani veriorem firmat, & iuxtà quam decisum testatur, referat maiorem numerum quinquaginta octo Doctorum, pluraque deducat fundamenta præsertim *num.* 26. &

2

segq.

seqq. reassumat legalem historiam in hac materia successoria insinuatam supra *in Perusina disc.* 1.

Attamen, loco omnium, dicta auctoritate *Cyriac.* insinuata, vt ità ostenderetur notitia agētium de materia, quodque nimium facilè esset, transcriptoris partes gerendo, chartas allegationibus implere, (genio, tamē ac stylo id nimiū prohibētibus); Aduertebā, pro meo sensu erroneum videri, cum huiusmodi generalitatibus, vel cum arithmetico DD. numero, in ista quæstione procedere, atque
4 cuicumque casui applicare auctoritates, vni, vel respectiuè alteri opinioni assistentes, cum verius videatur, istam esse pariter quæstionem facti, ac voluntatis potius, quàm iuris, ad instar ferè omnium quæstionum, quas in vltimis voluntatibus, & præsertim in materia fideicommissaria habemus, quodque propterea cum eadem methodo procedendum sit, desumendi scilicet decisionem ex singulorum Statutorum tenore, ac particularium casuum qualitate, seù circumstantijs, cum ità auctoritates, quæ saltim pro notabili parte pugnantes videntur, potius diuersæ, quàm contrariæ remaneant, cum congrua earum applicatione, super qua totus est punctus, benè reflectendo ad circumstantias, de quibus singuli agunt; Vndè propterea *Cyriac.*, *Surd.*, & alij vt supra benè loquantur in terminis illius Statuti Mantuani, vel similis, non tamen generaliter cuicumque Statuto applicari debent, & è contra; Quarè plures casus, vt decet, distinguendo.

Aut enim Statutum vtranq; fratrū speciem explicitè distinguit, vt facit Statutum 146. *Vrbis*, ac etiam illud præsentis controuersiæ, et tunc subdistinguendum est; Aut eos copulat, vndè propterea omnimodam æqualitatem inter eos denotat, vt facit Statutum *Vrbis*, et tenenda sit opinio, quam substinent *Ciriac.* vbi supra & alij per eū relati, vt aduertit *Rota decis.* 118. *post Fenzon. ad Statut.* vbi allegantur *Gabr. conf.* 6. *lib.* 1. & alij; Aut verò loquitur per alternatiuam, et tunc diuersa opinio tenenda sit, cum alternatiua denoter prælationem, seù ordinem per prius, & per posterius vt in his terminis *Ruin. conf.* 28. *num.* 4. *lib.* 3; Et generaliter de hac operatione alternatiuæ habetur pluries *sub tit. de fideic.*
6 etiam *sub tit. de feud.* ad materiam Baronum *disc.* 89 & alibi.

Aut verò dictas species non distinguit, nullumque alium discretiuum loquendi modum inter eos tenet, et tunc principaliter inspiciendum sit, an maternum latus extraneum à successione efficiatur, nec ne, quia nempè habita explicita, vel
7 implicita contemplatione agnationis, mater, ac alij per eius latus attinentes excludantur, & pro concursu æquali consanguineorum cum vtrinque coniunctis respondendum veniat; Adstar eorum, quæ in fideicommissis agnitis
8 in hac eadem quæstione habentur in magistrali *decis.* 91. *Otthobon.* alijs relatis *sub tit. de fideic. disc.* enim Statuta dicantur continere sensum legis, hinc proindè meritò materia, cum fideicommissaria regulata videtur.

Aut verò maternum latus extraneum effectum non est, et tunc probabilior altera opinio videatur, quoniam vt pluries
9 aduertitur *dicto tit. de fideic.*, cognatorum inclusio seù mixtura, destruit agnationis contemplationem, et consequenter cessat potissima ratio, cui innititur opinio admittentium hunc æqualem concursum, neglecta vinculi inæqualita-
10 te, quod scilicet maternum latus tanquam extraneum seù impertinens in cōsideratione non habetur, ac si non esset, ideoque istius vinculi *prærogatiua* nullatenus remaneat considerabilis.

Historia verò legalis, quæ *ex Valer. Torasser.* & alijs in his terminis expendi-
11 tur *per Ciriac. vbi supra*, & insinuatur *dicto disc.* 1., benè considerabilis est, pro Statuti interpretatione in casu dubio, vt scilicet facilius reuersio fiat ad *nostros* Italos mores, atq; ad illud ius, quo Romanum Imperium regebatur, dum erat in Italia, neglecto altero nouissimo condito in Græcia, quod (nescitur quo spiritu) primi Interpretes, primique in hac facultate nostri parentes ita mordicùs receperint; Sed vbi ista ratio cessat, non videtur subesse probabile fundamentū, ob quod à iam recepto successionis ordine recedere teneamur, cum plerique ex tenentibus dictam opinionem pro concursu æquali, procedant, vel cum terminis feudalibus, vel cum illis fideicommissi

missi agnatitij; ita præsupponendo extraneum, ac impertinens latus maternũ, prò vt in vtraq; feudali, & fideicommissaria successione extraneum remanet.

Et in summa, vt procedendo cum pluries insinuata regula in huiusmodi quæstionibus voluntatis necessaria, quod
12 principaliter immorandum sit in substantia verisimilis voluntatis, inspiciendus veniat finis, seù effectus à Statuto volitus, quoniam si ille est (vt frequentius esse solet), iuxta nostros mores pro conseruatione bonorum in agnatione seù familia, ità sufficiat impleri hunc finem, qui æquè habetur in consanguineis tantum, ac in vtrinque coniunctis, secus autem è conuerso; Adeò vt ista voluntate assistente, (pro meo iudicio, negligendà veniat dicta distinctio inter copulatiuam, & alternatiuam; Ea etenim considerabilis videtur in ambiguo, secus autem vbi de contraria expressa, vel coniecturali voluntate pro-
13 babiliter constat, quoniam ex pluries deductis *sub dicto tit. de fideic.* ac etiam *sub tit. de credito disc.* 55., & alibi frequenter, copulatiuæ tribuitur virtus alternatiuæ, & è conuerso, alternatiua vim copulatiuæ habet, firma semper remanente dicta propositione attendendi potius substantiam voluntatis, quàm corticem seù figuram verborum.

His autem ita generaliter prænotatis, atque descendendo ad alteram inspectio-
14 nem super applicatione in concreto; Dicebam probabilius videri, vt seruari deberet ordo iuris communis ad fauorem fratrum vtrinque coniunctorum, dum nullibi legebatur exclusa mater, quę sub generica exclusione fœminarum, ex magis communi, & recepta opinione non venit, vtpotè indigens nota speciali, ex ijs, quæ post *Bald. cons.* 197. *lib.* 4. & alios habentur relata *per Menoch. lib.* 4. *præsumpt.* 39. *num.* 21. & *cons.* 197. *nu.* 4. & 958. *nu.* 2. *Mart. de succes. par.* 2. *q.* 3. *art.* 10. *num.* 7. & 10. *cum seqq. Molphes. ad consuet. par.* 4. *quæst.* 44. *num.* 1. *cum seqq.*, & conferunt, quæ habentur *in Sutrina*, *seù Nepesina disc.* 3., de matre existente in medio, vt cessare faciat statutariam dispositionem.

Clarius verò attento ipsius Statuti tenore, dum specialem mentionem facit de matre, quam certis ibi expressis casi-
15 bus excludit, ideoque facilius intrat dicta conclusio, quod ea sub generali fœminarum exclusione non veniat; Ac etiam quia Statutum loquitur de fœminis eiusdem cippi, de quo sine dubio mater dici non potest; Et quod magis, discretiuè agendo de fratribus vtrinque coniunctis, propter istos, explicitè mater excluditur à successione reseruata sola legitima, in concursu autem consanguineorum relinquitur sub silentio, atque inter eosdem fratres adhibetur alternatiua, quæ his alijs circumstantijs accedentibus, benè considerabilis remanet, pro consueta operatione prædicta, inducẽdi inter alternatos ordinẽ per prius, & per posterius, ideoq; probabilius videbatur, vt in hac facti specie, iuxtà ordinem iuris communis, pro fratribus vtrinque respondendum esset.

De notabili autem casu in Italia ni-
16 mium raro, in Lusitania verò, alijsque regionibus, in quibus magis in vsu est matrimonia contrahere cum coniunctis, frequentiori an scilicet coniũctio vtrinque reduplicata, vincat vnicam, agit in specie *Souzadeci. s.* 1.

ANCONITANA SEV BERGOMEN. SVCCESSIONIS PRO CÆCILIA IOANELLA.

Responsum pro veritate.

De Statuto Bergomi excludente sorores ob agnatos; Et an ciuilitas, vel subiectio Statui retineatur per eos, qui decedunt extra patriam, seù territorium, à qua diù absen-

res fuerunt; Et an mobilia, & nomina debitorum existentia extra territorium, sequantur personam defuncti, nec ne ad hunc effectum comprehensionis sub Statuto.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De Statutis Bergomi, & Brixiæ.*
3 *Sufficit subiectio bonorum, & personæ excludentis, non curata subiectione personæ exclusæ.*
4 *Per absentiam occasionalem non amittitur ciuilitas naturalis, neque contrahitur domiciliaria.*
5 *Potest haberi duplex ciuilitas, & an attendatur subiectio morientis.*
6 *Quod statutum non operetur in bonis extra territorium.*
7 *Restringuntur agentes de quæstione an mobilia, iura, & nomina debitorum circumscribantur loco, & quomodo.*
8 *Distinguuntur species bonorum ad effectum huius quæstionis.*
9 *Vniuersitas mercimonij reputatur iure stabilium, vt circumscribatur loco, & de ratione.*
10 *Rationes negotiationis videndæ sunt in loco, in quo gesta est.*
11 *Quæ bona mobilia circumscribantur loco, & quæ non.*
12 *Quid de pecunia numerata.*
13 *Et quid de iuribus, & actionibus.*
14 *De nominibus debitorum.*
15 *Quod ista sit quæstio facti, & quomodo decidenda.*
16 *An sub confiscatione veniant bona extra territorium.*
17 *Quomodo decidi debeat quæstio de qua num. 7. & 15.*

DISC. XIX.

1 CVM Siluester Ioanellus Bergomensis, qui diuturno spatio annorum 40. circiter vixerat in Ciuitate Anconæ, mercaturam exercendo, atque testamentum condiderat, in quo in quadam eiusdem Ciuitatis Ecclesia sepulturam elegerat, obisset in Ciuitate Recanatensi occasione nundinarum, ab intestato (ob testamenti caducationem per hæredem in eo scripti prædecessum), superstitibus Cæcilia germana sorore, & duobus consobrinis; In Ciuitate autem Bergomi adsit Statutum, seu Pragmatica excludens 2 ab intestata successione fratris sororem ob agnatos intra quintum gradum, præterquam in tertia parte, quæ illi præseruatur, iuxta consimile Statutum Brixiæ de quo loquitur *Fulgos. cons.* 84. Hinc proindè, inter sororem, & patrueles, orta controuersia, super ea pro veritate consultus fuit.

Cumque testator, tam in patria (de qua erant contendentes) quàm in dicta ciuitate Anconæ, alijsque pluribus locis, bona possideret, præsertim verò quam plura sparsa in varijs locis nomina debitorum ex causa mercimonij quod exercebat; Hinc proindè, Respondendo distinguebam causam in plures inspectiones, iuxta dictorum bonorum qualitatem; Primò nempè quoad bona stabilia existentia in territorio Bergomen., in quo dictū Statutū viget; Secundo quoad bona stabilia vel æquipollentia, vt sunt census, & loca montium existentia in dicta ciuitate Anconæ, vel in Vrbe, & alibi; Et tertiò circa merces, & bona mobilia, ac etiam nomina debitorum.

Quatenùs pertinet ad primam; Respondi fauore agnatorū contra sororem, cum ita de plano vtraque subiectio verificaretur, dum tam defunctus, quàm omnes de successione contendentes, ac etiam bona subiacebant Statuto; Et nihilominus aduertebam vt sufficeret quod con- 3 curreret ciuilitas agnatorum excludere volentium, ac subiectio bonorum, quamuis deficeret ciuilitas fœminæ excludendæ, quoniam vbi fœminarum exemptio non prouenit ratione ecclesiasticæ qualitatis, vndè intrent difficultates de quibus supra *in Bononien. disc.* 5., non curatur an ipsę sint Statuto subditæ, nec ne, dum sufficit subiectio masculorum excludentiū, in quorum gratiam, ac fauorem principaliter Statutum prodijt, quamuis fœminæ, vel aliæ personæ exclusæ sint forenses, vt reprobata contraria sententia, quam tenent *Calderin. cons.* 34. *de testam.*, & *Ancharan. cons.* 157. *num.* 4. & alij; Sequendo alteram magis communem, cuius sequaces plenè referunt *Thesaur. lib.* 2. *quæst.* 4., & *Surd. cons.* 343. & in locis

locis proximè citandis firmauit pluries *Rota*, &præsertim benè *decis.582. n.11. cum seqq. par.5. rec. & decis.364. num.9. & seqq. ead. par. 5. Add. ad Gregor. decis.255. lit. B. in fin.*, & fuit dictum *in Senogallien. successionis* 28. *Iunij* 1669. *coram Albergato* edita in casu de quo *hac eod tit. disc.* 23. ex ea congrua ratione quod potestas adest ratione bonorum, ac adest fauor familiarum subditarum, & quia si excluduntur fœminæ de loco magis dilectæ, multò magis aliæ minus dilectæ.

Neque dubitandum erat de subiectione, seu ciuilitate defuncti, cum pariter esset de territorio Statuti ratione originariæ ciuilitatis, quã semper retinuerat, ibi possidendo plura bona, & supportando publica onera, non obstante diuturna absentia ab ipsa cum animo, & credulitate decedendi extra patriam, & in loco, in quo diu vixerat, vt electio sepulturæ in testamento contenta, aliæque dispositiones denotabant, quoniam 4 cum dicta mora fuisset occasionalis ex causa mercaturæ, ob quam ista industris natio Bergomensis per Italiam, aliasque partes plurimum sparsa videre solet, id circo id non tollit naturalem, veramque ciuilitatem, nedum respectu eorum, qui nati in patria ab ea discedendo, ex ista vel altera occasione, alibi vitam ducant, sed etiam respectu filiorum, qui extra patriam originariam nascantur, ex iis, quæ habentur, *sub tit. de Regalibus in alia Anconitana disc.* 104. ac etiam pluries *sub tit. de præeminentijs* vbi de hac materia ciuilitatis; Quinimò etiãsi defunctus verũ domicilium in dicta ciuitate Anconæ cõtraxisset, vndè propterea illius ciuis factus esset, quoniã non implicat retentio duarum ciuilitatum, quarũ vna sit ratione originis, & altera ratione 5 domicilij ex deductis *dicto tit. de Regal. disc.* 104, cum tamen posita subiectione concurrentium, & bonorũ, de non subiectione defũcti ratio haberi nõ soleat, nisi pro eius voluntate regulanda iuxtà ea, quæ habentur *in Tudertina disc.* 6. Vnde propterea istorum bonorum respectu nulla cadere videbatur probabilis ratio dubitandi.

Quòd verò ad bona stabilia, vel æquipollentia, vt sunt census, & loca montium existentia in dicta ciuitate Anconæ, ac in Vrbe, alijsque Status Ecclesiastici partibus; Pro sorore respondi, non 6 quia in puncto iuris ego ità sentirem, cũ probabilius mihi videatur, vt vniuersa successio ex persona defuncti, & ex capite hæreditatis pariformiter pro omnibus bonis regulanda sit iuxta motiuata *in Ianuen. disc.* 4.; Sed cum controuersia tractanda esset coram Gubernatore Anconæ, & successiuè per appellationem in Curia, manifestè imprudens cõsilium esset cum dicta diuersa opinione procedere, dum nimium recepta est alia opinio *eodem disc.* 4. insinuata super copulatiuo concursu vtriusque subiectionis personarum, & bonorum, adeout vbi ego (quamuis diuersum habeam sensum) in Vrbe, vel Statu Ecclesiastico iudicare deberem, ità quoque iudicarem.

Difficultas igitur restringebatur ad bona mobilia, & nomina debitorum, ab scilicet circumscriberentur loco, vel 7 potius sequerentur personã defuncti, vndè propterea caderent sub Statuto; In hoc autem, vt patet ex deductis *per Tiraquell. de primog quæst.* 48. & 49. *Franch. dec.* 93. *vbi adden. Rouit. pragm.* 1. *de iurib. & exact. fiscal. num.* 74. & *seqq. Michalor. de Fratr par.* 3. *cap.* 7. *Bellon. iun. de iure accresc. cap.* 10 *quæst.* 2. *ex num.* 115. *Merlin. de legit. lib.* 3. *tit.* 1. *quæst.* 18. *n.* 95. & *seqq. Buratt. dec.* 474., cum alijs apud eos, videtur quod DD. in varias abierint sententias, vndè propterea reputatur inuoluta quæstio, ob magnam opinionum verietatem; Hinc proinde vt planius procedi posset, hanc inspectionem subdistinguebam in plures bonorum, et iurium species; Primò nempè in ipsam tabernam seù fundacum mercium cum eius annexis, & dependentibus, sub qui- 8 bus veniunt nomina debitorum ex causa mercium minutatim venditarum, habita fide de pretio, vt vulgò dicitur ad credentiam, siue ex causa pecuniarum anticipatè solutarum pro mercium vendendarũ pretio; Secundò in alia nomina debitorum stantia de per se independẽter à fundaco; Tertiò iura & actiones; Quartò mobilia domi retenta; Et quintò circa pecunias, quæ domi, vel in bancis vel depositis publicis, aut priuatis retinerentur.

Quoad fundacum, seù mercimonium cum annexis vt supra, dixi probabilius

videri, vt circumscriberetur loco, et consequenter non caderet sub Statuto; Tum ex huius Anconitanæ Ciuitatis vsu reputandi huiusmodi negotia inter stabilia occasione æstimi, seù collectarum; Tum etiam quia, vt pluries alibi aduertitur, præsertim *sub tit. de vsur. disc.* 15. & 16., huiusmodi mercimonia constituunt vniuersitatē, quę iure stabilium fructiferorū reputari solet etiam ad effectum fructuum recompensatiuorum iuxta termi-
9 nos textus *in l. curabit C. de act. empti*; Ac etiam quia pro eodem negotio retinentur libri, qui pro iure, & interesse pluriumita contractantium, non possunt, nec debent à loco remoueri, adeò vt id prohiberi possit, ibique videndę sint rationes, ex ijs, quæ habentur *sub tit. de iurisdict. & foro compet. disc.* 73.; Et consequenter situatio seù circumscriptio loci videtur certa, secum trahens exigentias, quæ reputantur partes, ac membra ipsius vniuersitatis, vt aduertitur præsertim *sub tit. de empt. & vendit. disc.* 34., vndè si in alijs quamuis remotis partibus adessent merces destinatę pro hoc negotio, istius loci censerentur; Tùm ratione vniuersitatis, seù corporis vniuersalis ad se trahentis omnia membra; Tum etiam ratione destinationis, quæ in hac materia totum facit, vt habetur *sub tit. de legatis disc.* 7.

Quo verò ad bona mobilia independentia à præfato mercimonio, cuius pars, vel membra dici non possent; Subdistinguebam inter illa, quæ de sui
11 natura destinata sunt, vt in eo loco permaneant, et quæ non sequuntur personā domini, & possessoris, vt sunt mobilia lapidea, ænea, lignea, ac etiam mobilia grossa, lanæ, lini, vel serici, tanquam supellectilia domus, in qua ità fixè habitetur, vt tunc pariter pro circumscriptione loci respondendum sit; Potissimè verò in hac facti specie, quod tam attentis præfata diuturna habitatione, quàm electione sepulturæ, alijsque dispositionibus, excludebatur animus discedendi, potiùsque includebatur animus diuersus continuandi habitationem in loco, ibiq; decedendi; Secùs autem in altera specie mobiliū, quæ personam potius sequuntur vt sunt, gemmæ, aurum, argentum, & similia.

Quo verò ad pecuniam numeratam, pariter distinguebam; Aut est iure peculij, seù præsidij, vt in loco certo per-
12 petuò maneat; Vel sit destinata in emptionem stabilium, vel censuum; Siuè sit membrum mercimonij, et tunc circumscribatur loco, Aut est vsualis, et sequatur personam iuxtà distinctionem, quę habetur *eodem tit. de legatis* præsertim *discurs.* 5. & 6. in quæstione, an, & quando sub legato mobilium veniat, nec nè pecunia numerata, quæ domi, vel in bancis retineatur.

Circà iura, & actiones, dicebam vi-
13 dēdum esse, ad quid competant; Si enim ad bona stabilia, istorum iure censentur, ideoque si ad feudalia, feudorum iure censenda veniunt, vt in sua materia *sub tit. de feud.*, et est conclusio plana.

Demùm quoad nomina debitorum, in quibus maior opinionum discrepantia dignosci videtur; Aduertebam, quod
14 licèt magis communis opinio videatur, vt attendi debeat locus contracti debiti, ac destinatæ solutionis, vel saltim iste secundus; Attamen, cum frequentius adijci soleant pacta, vt debitores vbique desuper conueniri valeant, quod implicitū est sub formula obligationis cameralis, ob quam receptum est, vt electio fori competat, quodque etiam de iure localitas pręcisè non attendatur, vbi creditor offerat deducere id, quod interest, ex deductis *sub tit. de credito discurs.* 92., siuè quod mora incursa per debitorem hunc effectum operetur; Hinc proindè his circumstantijs accedentibus, probabilius mihi videbatur, vt certi loci circumscriptio non intraret, sed quod personā creditoris potiùs sequi deberent, vtpotè animo potiùs, quàm corpore, seù localiter possessa.

Considerabam prætereà, vt ista quæstio, in qua DD. adeò discordant, at-
15 que pro consueto mihi exoso stylo aliquas ponderant formalitates, ex legum dispositione, siuè inductione, vel antiquorum traditionibus desumptas, potius facti, & voluntatis, quàm iuris dicenda veniat, ideoq; decidēda sit cū regulis, vel distinctionibus insinuatis *dicto disc.* 5. & 6. *de legatis* occasione agendi, an & quādo pecunia, vasa aurea, & argentea, gemmæ, merces, & similia veniant sub lega-
16 to mobilium; Siuè iuxtà eas ponderationes, quæ habentur *in Romana confiscationis*

tionis sub tit. de Regal. in supplemento, vel *sub tit. de iudicijs*, occasione agendi de materia cõfiscationis, quæ in vno territorio, vel Principatu sequatur, àn capiat bona, & iura in alio territorio, vel Principatu existentia.

Si enim casualiter, (ità exigente negotiatione, vel alia occasione) habeat quis in diuersis locis pecunias in bancis,
17 vel penes campsores ad vsum, vel merces, aliaque mobilia, seu etiam nomina debitorum in dies exigenda, absq; certo fine, vel particulari destinatione, Et tunc probabilius ista sequi debeant personam potiùs, quàm locum, quidquid nostri varient, cum reuerà hæc personæ cohærere videantur; Secùs autem vbi, studiosè, ac appensatè, ac certum finem, seu effectum, pecuniæ deponantur in bancis aliarum Ciuitatum, vel Principatuum, ibique studeatur habere etiam aurum, argentum, gemmas, & alia mobilia prætiosa, necnon, vt pecunia non remaneat omninò otiosa, quod ibi ea traficetur super cambijs, vel aliàs ad aliquod honestũ, sicè in honestum lucrũ detur, animo ibi habendi quoddam separatũ peculium pro præsidio in casu infortuniorum, quæ in propria patria, vel in loco domicilij contingere possent, vt conideratur indicta confiscationis materia; Cum enim animus, vel destinatio in his totũ faciat; Hinc proindè circumscribuntur eo loco, in quo possessor esse voluit, vt ibi existãt; Ideòque erroneum semper censui procedere cum generalitatibus, sed quod sit quæstio facti, ac propterea in singulis casibus pro eorum circumstantijs, & facti qualitate, vt suprà decidenda.

ROMANA
SEV
SPOLETANA SVCCESSIONIS
PRO
PAVLO MORICONO
CVM
ALPINIA, seù FRANCISCA.

Responsum pro veritate.

De ciuilitate, quæ requiritur in persona excludẽte, ad effectum vt Statutum exclusiuum ei suffragari valeat, quando adesse dicatur, necnè; Et in specie Statuti Vrbis excludẽtis matrem, & sororem propter fratres.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Ad effectum Statuti requiritur ciuilitas excludentis.*
3 *Qualis debeat esse ciuilitas.*
4 *De acquisitione ciuilitatis domiciliariæ.*
5 *Possunt haberi duæ ciuilitates.*
6 *Mora occasionalis non inducit domicilium.*
7 *Aliud est acquirere ciuilitatem, aliud verò acquisitam amittere.*
8 *De eodem.*
9 *Quando facilius, vel difficilius intret retentio duarum ciuilitatum.*
10 *De alio casu super eadem conclusione, de qua num. 5. & 8.*

DISC. XX.

1 SVper intestata successione Fabij Moriconi de Mõte Leone Spoletanę diœcesis indubitati domiciliarij Vrbis, vbi totus, vel maior eius assis consistebat, orta est controuersia extraiudicialis inter Paulum germanum fratrem, & Alpiniam matrem, siuè Franciscam istius interim defunctæ filiam, & hæredem;

Præ-

Prætendente etenim Paulo ad normam Statuti Vrbis 146. sibi, exclusa matre, & sororibus, successionem debitam esse; Replicabatur quod Statutum non intrabat ex defectu subiectionis, quæ copulatiuè requiritur tam bonorum, quàm personæ
2 excludentis licèt non adesset illa personæ exclusæ, vt pluries in alijs aduertitur præsertim *in Ianuen. disc.* 4., ex eo quod dictus Paulus origine esset pariter de dicto oppido Montis Leonis, quodque licèt diuturnum incolatum in Vrbe habuisset spatio annorum viginti circiter, ac etiam ex priuilegio Populi Romani ciuilitate potiretur; Attamen eam, siuè ex priuilegio, siuè ex domicilio quæsitã amiserat, dum per plures annos antequã iste successionis casus contingeret, vxore ducta in patria, ibi viuebat, et consequenter quod ciuilitas ficta, seù accidentalis Vrbis non suffragaretur ad hunc effectum, pro quo necessaria est ciuilitas effectiua, cum domicilio vero, & personali, vel saltim interpretatiuo, retinendo domum apertam, & familiam, ac etiã supportãdo onera publica more aliorum
3 ciuium, & subditorum ex deductis *per Barbos. de Episcopo alleg.* 4. *Giurba obseru.* 75. & 76. cum concordantibus *per Rotam apud Roias decis.* 332. & 333. *decis.* 292 *num.* 8. *par.* 6. *recen.*

Super hoc autem, ex parte dicti Pauli, vel eius interim defuncti hæredum pro veritate consultus, pro eo probabilius respondendum esse censui, duas Responsi constituendo partes; Primò scilicèt super requisito veræ domiciliariæ ciuilitatis, quàm admittebam ad hunc effectum necessariam esse; Et secundò, an ea posita, seù quæsita, per dictum discessum cessasset, seù amissa esset.

Quatenùs pertinet ad primum; Ciuilitatis probatio videbatur plana, non solum ob initium certum resultans ex dicto priuilegio, per quod ità declaratus fuit animus, cuius declaratione accedẽte, cessat quæstio, in qua DD. adeò se inuoluere videntur, tam super requisito
4 temporis decennalis, quàm super alijs signis, vel argumentis in proposito ponderari solitis, cum hæc procedant in ambiguo, non autem in claris, ex ijs, quæ habentur deducta *sub tit. de præeminen. disc.* 36. & *seq.* vbi habetur actum de ista materia ciuilitatis; Sed etiam accedebant, longæua habitatio per duplicatum decennium, aliæque probationes, ea præsertim, quod in quodam Vrbis Collegio, in quo ex fundatione nonnisi ciues Romani admitti possunt, ipse admissus fuerat, pluriumque annorum spatio vixerat; Ideoque dubitandi ratio solum cadebat, an eadem iam contracta, & quæsita ciuilitas, amissa fuisset per dictum discessum.

In hoc autem dicebam, quod nisi efficacia huiusmodi desertionis argumenta in facto concurrerent, verius pro non
5 desertione respondendum erat, ex vera, & recepta conclusione, de qua *apud Buran. & adden. decis.* 811., & pluries *dicto tit. de præeminen.* vbi est sedes huius materiæ ciuilitatis præsertim *disc.* 37., quod scilicèt duæ ciuilitates etiam veræ, vna, scilicèt originis; et altera domicilij, sint inuicem compatibiles, rectèque possit eadem persona esse duorum locorum ciuis, tam ad effectum onerum, quàm etiã honorum, ac priuilegiorum, aliorumque proficuorum effectuum; Idque præsertim in exteris Romanam Curiam frequentibus, quotidiana praxis docet, quoniam curant ciuilitate Romana detenta, etiam cum effectiua adeptione publicorum officiorum, & munerum Ciuitatis, et tamen retinent alteram propriæ patriæ; Quamuis etenim, vt pluries in eadem propria sede aduertitur, mora in
6 Vrbe occasionalis ratione Curialitatis quamuis per longissimum tempus, ciuilitatem non inducat iuxtà notissimas decisiones *in Firmana codicillorum coram Otthobono decis.* 89 *num.* 9. & 145. *nu* 31. & *decis.* 312. *num.* 17. *par.* 9. *recen.* cũ alijs in dicta sua sede, attamen id procedit in dubio, secùs autem contraria probatione accedente.

Posita verò ciuilitate iam legitimè cõtracta, & quæsita; Dicebam non obstare moram alicuius temporis extrà Vrbem in patria originaria, ducendo ibi vxorem, atq; acquirendo aliqua bona, quoniã
7 huiusmodi, ac similia argumenta ponderantur per DD., benèque conferunt, ad effectum probandi incolatum, atque ità acquirendi fictam, seù artificialem ciuilitatem domiciliariam, non autem vt exindè inferri posset ad desertionem ciuilitatis iam contractæ, præsertim vbi huiusmodi actus sint potiùs connaturales,

les, nouum, ac diuersum animum non redolentes vtpotè gesti in patria originaria, cuius ciuilitas rectè compatibilis est cum domiciliaria, vtramque eodem tempore retinendo, iuxtà casum præcisũ, de quo habetur actum *in Britinorien. dicto tit. de præeminen. disc.* 37. vbi de originario Florentino, qui domiciliariã ciuilitatem in Statu Ecclesiastico benè contraxerat, deindèq; occasione Senatoriæ dignitatis in patriam reuersus fuerat, Quamuis .n. in eo casu aliqua haberetur difficultas, vndè propterea ad omnẽ bonum finem obtenta fuit Apostolica dispensatio; Attamen id prouenit ex rigore Constitutionum Apostolicarum cum verbis nimium effrœnatis requirentibus verum, ac effectiuũ domicilium, atq; excludentibus quamcumque fictam ciuilitatem, secùs autem ad alios effectus, in quibus ista particularis ratio non vrgeat.

Et consequenter, (vt mox allegato discursu aduertitur), Aliud est ponderare huiusmodi adminicula ad effectum acquirendi nouum domicilium; Aliud verò ad effectum inducendi illius desertionem, atq; ciuilitatis iam contractæ amissionem; Potissimè verò dum in facto supponebatur quod idẽ Paulus singulis annis ad Vrbem accedere solitus erat, ibiq; morari per aliquod tempus, atq; domũ apertam retinere, vt de facto in eadem viuendo cum vxore, & filijs obijt.

Facilius autem dicta præsumptio retentionis, seù non desertionis domicilij Vrbis admittenda venit, cum sit merè fauorabilis, ac priuilegiatiua nullum præferens onus, cui subiaceant ciues, non autem forenses, vt contingit in paruis Ciuitatibus, & locis, in quibus soluuntur collectæ, aliaq; ciuica onera supportantur, quo casu facilius intrat præsumptio desertionis ratione inuerisimilitudinis, quod quis duplicia onera ciuica in duobus locis velit supportare.

Hinc proindè, in plerisque consimilibus controuersijs, & præsertim in vna *Fauentina* pro Augustino Maiolo cum Theresia etiam Maiola, in qua occasione cuiusdam renunciationis, cuius mẽtio habetur in sua materia *sub tit. de Renunciat. disc.* 14., incidenter actum fuit de Statuto Fauentino excludente sorores propter agnatos, an scilicèt Dominicus patruus, qui neptem, ac respectiuè sororem excludere volebat, esset, necnè ciuis Fauentinus, ad effectum, vt ei Statutum suffragari possit; Cum objceretur, quod dicti Maioli origine Mediolanenses, occasione mercaturæ effecti essent ciues Fauentini ex ciuilitate eorum patri donata per Ciuitatem, sub expressa conditione domicilij, ideoq; suffragari non posset, stante domicilij desertione, aliud habendo in Ciuitate Rauennæ; Replicabam de eisdem, de quibus supra, quod scilicèt incolatus in dicta Ciuitate Rauennæ esset accidentalis, seù occasionalis ratione mercaturæ, ac etiã ob dictam ciuilitatis duplicitatem rectè compatibilẽ, præsertim, dum in filijs eius, qui hanc ciuilitatem ex priuilegio obtinuerat, ea erat potiùs naturalis, seù originaria, quàm accidentalis, & acquisita.

PARMEN.
HAEREDITATIS
PRO
CATHARINA SPANA
CVM N.

Responsum pro veritate.

De Statuto Parmensi excludente fœminas propter masculos, sub conditione dotis, qua non data, vel non oblata, fœminæ ad successionem reintegrentur; An dotatio, seù oblatio fieri possit per masculorum creditores, vel hæredes extraneos.

SVMMARIVM.

1 *Actu seri . .*

2 *De Statuto continuante possessionem defuncti in hæredem.*

3 *An*

3 *An Statutum reintegrans fœminam intrà certum tempus non dotatam, exigat interpellationem, & moram.*

4 *Non sunt adhibendæ diligentiæ non profuturæ.*

5 *Ius excludendi fœminas à successione non transmittitur ad extraneos.*

6 *Quod negatur hæredibus, multò magis creditoribus.*

7 *Quando ius Statutariæ exclusionis transmittatur.*

8 *Quando dicatur pœna, vel conditio.*

9 *An creditoribus cõpetat purgatio moræ, nè debitor incurrat pœnam, & priuetur bonis.*

DISC. XXI.

1 RE tenta eadem facti serie enunciata *sub tit. de hærede, & hæredit. disc. 26.*, occasione agendi de Statuto continuatiuo possessionis defuncti in hæredẽ; Disponente Statuto Parmen. exclusiuo fœminarum propter masculos, vt fœminis dos dari, vel offerri debeat infrà sex menses à die interpellationis, sin minùs ad successionem reintegrentur; Cum in hac facti specie Cæsar, antequam Catharina soror nubilis efficeretur, plura contraxisset debita, ob quæ bona hæreditaria patris distracta fuerunt, ipseque à sorore interpellatus, respondisset non habere modum dandi, vel offerendi dotẽ ex carentia bonorum, ideoq; elapso termino, ad formam *Statuti*, fœmina prætẽderet se ad successionem reintegratam esse, atque tanquam cohæres vindicare vellet à tertijs possessoribus bona pro sua virili, ac etiam iuuari beneficio alterius Statuti continuatiui in possessorio; Rei conuenti, qui bona emerant, ac etiam eis adhærentes creditores tãquam necessarij defensores, ac principales interessati prætendebant ipsos admittendos esse ad moræ purgationem mediante congruæ dotis oblatione; Quarè introducta desuper causa, (vt credo), in Consilio Parmen., duo erant puncti,

2 Vnus ordinis circa beneficium Statuti continuatiui possessionis; Et alter in meritis negotij principalis, atque de primo habetur *dicto disc. 26. de hærede, & hæredit.*

Quatenùs igitur pertinet ad alterum punctum negotij principalis, an scilicet factus esset locus reintegrationi fœminæ tanquam per restitutionem fuitati, vel iuri cõmuni ob nõ impletam in termino conditionem, sub qua Statutum eam excludere voluit, & non aliàs; Non oportebat assumere quæstionem, de qua *supra*

3 *in Perusina de Benincasa disc. 2.*, an Interminus à Statuto præfinitus curreret ipso iure, adeò vt dies interpellet pro homine, & sufficiat ad inducendam moram, vel potiùs necessaria sit formalis interpellatio iudicialis, quoniã quæstio cessabat ex facto tripliciter; Primò quia Statutum (vt supponebatur) expressè demandat interpellationem; Secundò quia illa iam sequuta erat in forma iuris, ac ser. ser.; Et tertiò quia non oportet spectare fictionem, vbi habetur veritas, dum masculus interpellatus ad dandam, vel offerendam dotem, declarauerat non posse implere ex carentia bonorũ, ideoq; intrabat recepta propositio pluries insinuata sub diuersis materijs, & de

4 qua cæteris relatis habetur *apud Rich. decis. 484. num. 1.*, quod non oportet adhibere, vel expectare illas diligentias quas iam certò constat esse inanes, & nõ profuturas.

Hinc proindè, vnicus disputationis punctus erat, an masculi excludentes creditores, sub quorum nomine veniebant etiam emptores, ac possessores bonorũ; Vel quia successerint in iura creditorũ cum prætio dimissorum; Vel quia essent euictionis creditores, moram nomine debitoris purgare possent, atque dotem congruam ad formam Statuti dare, vel offerre etiam post lapsum termini.

In hoc autem, scribendo pro fœmina, atq; substinendo negatiuã; Quamuis occasio non dederit inuenire tractantes, qui ad hos præcisos terminos descendãt; Attamen arguendo à fortiori iuxtà legale argumentum deductum *ab Authen. multò magis &c.*; Dicebam planam videri dictam negatiuam, dum ex firmatis

5 *apud Ruinum cons. 74. lib. 2.*, istud ius personale non trãsmittitur ad hæredem extraneum, in quo cesset Statuti ratio, seù finis, vel effectus ab eo contemplatus, vt etiam in proposito transmissionis huius prælatiuæ successionis statutariæ non admittendæ, quando in trãsmissario

non

non concurrat eadem qualitas, vel ratio, quæ in transmittente, vel saltim ratio sãguinis, habetur suprà *in Fanen. disc.* 15., quoniam, vt ibi aduertitur, hæc est facultas in animo latens, quæ ab alio explicari non potest, dum masculus potest nolle hoc beneficio vti, atque fœminam ad coæqualem successionem admittere.

Multo igitur magis vbi id, quod negatur hæredi, negandum est creditori, qui longè minus ius in huiusmodi bonorum, ac iurium acquirendorum agnitione habet, quoniam fideicommissum vel legatum purificatum, ac delatum, quamuis non agnitum, transmittitur ad hæredes; Prout etiam transmittitur ius petendi legitimam vel eius supplementum; Atque in plerisque casibus ratione sanguinis vel anni ad deliberandum, siue ex capite restitutionis in integrũ, est transmissibile ius hereditariũ, et tamẽ hæc denegãtur creditoribus, quibus ius nõ datur nisi ad bona ia effecta de dominio debitoris, qui potest in eorum præiudicium non agnoscere ex ijs, quæ ad materiam textus *in l. qui autem ff. quæ in fraudem creditor.* habentur pluries *sub tit. de credit.* præsertim *disc.* 137.

Quamuis autem, quando hoc Responsum dedi, ex præmissis conclusionibus, ac rationibus in iure veris, hæc deducerem, etiam cum aliquo sensu veritatis (super qua tamen in huiusmodi controuersijs seù causis extrà Curiam ad instantiam vnius ex partibus absque formali disputationis trutina non de facili maturum
7 iudicium efformari potest); Attamen ex aliquo interuallo, ad hæc reflectendo, aliqua exorta fuit difficultas considerabilis; Præmissa, siquidem rectè procederent quando masculus nec verbis, nec factis eius animum declarasset, adeò vt ambiguum remaneret, an voluisset sororem ad æqualem successionem admittere, atque non vti beneficio Statuti iuxta casum de quo *in dicta Fanen. disc.* 15.; Secus autem in hac facti specie, dum successionem masculus in totum agnouerat, distrahendo omnia bona, etiam pro virili fœminæ, vndè propterea, ex hoc actu, qui in ista portione geri non poterat citrà ius, & nomen hæredis, resultauit aditio iuxta terminos textus *in l. gerit & l. pro hærede ff. de acquirend. hæred.* de quibus pluries in sua materia *sub tit. de hæred.*; Et consequenter, data acquisitione non intrant amplius termini dicti textus *in l. qui autem ff. quæ in fraudem creditorum* cum in iam quæsitis debitor creditoribus præiudicare non possit, ex deductis in locis citatis *sub tit. de credito*, adeo vt ista reintegratio, quæ fœminæ conceditur, redolere videretur potius speciem pœnæ, & caducitatis iuris iam quæsiti propter moram in non adimplendo, et consequenter vt intraret conclusio *de qua sub tit. de emphyt.*, vt creditor admittatur ad moræ purgationem.

Et quamuis, vt aduertit in specie *Ruin. dicto conf.* 74. *lib.* 2. & habetur in hac eadem causa *dicto disc.* 26. *sub tit. de hærede*, verè ac propriè ista non dicatur caducitas formalis seù pœnalis, qualis
8 dicitur illa, quæ consistat in amissione rei propriæ, sed potius detectio non implementi conditionis potius suspensiuæ, quàm resolutiuæ cum retrotractione ad suum initium, vt etiam plenè comprobat *Camerat. respons.* 5. *& seqq. lib.* 1., occasione agendi de eodem Statuto continuatiuo, atque aduertitur *sub tit. de testam. disc.* 73. vbi de distinctione conditionis suspensiuæ, & resolutiuæ, ac etiã *sub tit. de Matrim. disc.* 14. ad materiam *conf.* 116. *Oldradi*, & an contrauentio causet impedimentum iuris quærendi, vel amissionem iuris quæsiti, quasi quod ista sit conditio suspensiua, quæ in substantia insit ab initio, ac se opponat principio acquisitionis, quamuis ex interuallo eius purificatio detegatur, dum non est facere de nouo sed detegere; Attamen *inspecta* veritate naturali, ac de facto, ista dicitur fictio, vel subtilitas legalis, operatiua quidem ad effectum vt excludatur illa reiectio, quæ in ijs, quæ sunt formaliter pœnalia de iure intrat, non autem impedit quin verè dicatur tolli id, quod iam obtineatur iuxta deducta *in Venusina coram Coccino decis.* 493 *p.* 4 *rec. tom.* 2. cum alijs, de quibus *dicto disc.* 73. *de testam. & sub dicto tit. de matrim. disc.* 14.

Hinc propterea, purgatio moræ admittenda videtur, quando æquitas suadeat, quoniam aliud est agere de substinendo validitatẽ dispositionis, & ne tanquam formaliter pœnalis improba dici
9 valeat, atque pro non scripta habenda sit; Aliud verò agere ad effectum impedien-

pediendi amissionem lucri iam quæsiti, atque priuationem illorum bonorum, quæ naturaliter, & de facto acquisita, & possessa fuerunt, præsertim fauore contendentium ex causa onerosa, adeòvt congruere videantur ea, quæ fauore creditorum habentur *in Farsen. sub tit. de empbyt. disc.* & cum similibus; Defuit tamen occasio hucusque hunc punctum præcisum disputare, ideoque maturum iudicium desuper efformari non potuit, incertusque est huius causæ exitus, dum post vnicum responsum, de illa amplius actum nõ audiui, quod in causis, quæ extra Curiam disputantur, vt plurimum contingit.

BONONIEN.
SVCCESSIONIS
DE MARESCOTTIS
PRO
CORRADINO, ET NICOLAO
CVM
CATHARINA DE PAZIIS.

Responsum.

De Statuto Bononiæ excludente matrem etiam à legitima propter fratres, an locum habeat vbi defunctus, condito testamento, instituat fratrem, cui substituat extraneum qui succedat adhuc viua matre.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Quod statutum tollat legitimam parentum vel filiorum in totum.*
3 *Referuntur agentes de hoc Statuto in specie.*
4 *Statutum cessat in casu testamenti.*
5 *Declaratur quando id procedat.*
6 *De intelligentia Statutorum eorumque extensione.*
7 *Non sufficit existentia personæ excludentis, nisi ea succedat.*
8 *De congrua interpretatione huius Statuti Bononiæ.*
9 *Declaratur conclusio de qua num.* 7.
10 *De regula* cessante causa &c. *quando procedat.*
11 *Quod fideicommissarius habeatur etiam ad effectum Statuti tanquam primi hæres.*
12 *An fideicommissarius succedat testatori vel grauato, distinguitur.*
13 *Quando Statutum non suffragetur extraneo substituto.*

DISC. XXII.

1 ALexander Maria de Marescottis, scripta hærede vsufructuaria matre, hæredem instituit Clementem Mariam fratrem, cui sine liberis decedẽti, substituit Corradinum, & Nicolaum aguatos; Cumque factus esset substitutionis casus, adhuc superstite matre, ista pretensionem excitauit, ea postmodum defuncta prosequutam per Catharinam filiam, super legitima sibi de iure debita, ex triplici fundamento; Primo quod Statutum Bononiæ *Rubric. de succes. ab intestat. §. ipsi quidem fratres*, excluuum matris propter fratres, non possit tollere legitimam de iure naturæ debitam; Secundò quod, cum loquatur de successione ab intestato, locum non habeat condito testamento; Et tertiò quod in omnem euentum, defecto fratre, tanquã ex cessante ratione Statuti, in concursu remotorum transuersalium, ad legitimam reintegrari deberet.

Quare desuper ex parte substitutorum consultus, pro ipsis probabilius de iure respondendum esse censui; Siquidem statutaria dispositio super exclusione matris, etiam à legitima, est litteralis; Et quamuis aliqui crediderint Statutis hanc potestatem denegari, ex eo quod legitima sit de iure naturæ; Attamen in fo-

ro

ro, id inter fabulas reponi meretur, etiã circa legitimam filiorum, quorum aliquod maius ius esse videtur, dum quoad eos, concors est DD. sensus, vt ea sit de iure naturæ; Multo magis quoad illam parẽtum, in quibus id est sub quæstione, vt patet ex deductis in sua materia *sub tit. de legit. & detract. disc.* 10., & in specie istius Statuti agunt *Grat. cons.* 21. *lib.* 1. *Bero cons.* 133. *in fine & cons.* 177. *n.* 1. *lib.* 2. *Rot. Bonon. dec.* 11. *& Rot. Romana decis.* 272. *num.* 10. *par.* 5. *rec.*, Multò verò magis, dum istud Statutũ neque tollit legitimam in totum, sed eius loco subrogat vsumfructum, ideoque ità satisfacit illi iuri naturæ, quod impropriè à DD. in hoc proposito ponderatur, cũ circa quotam, vel modum, extra omne dubium sit, vt totum pendeat à mero iure positiuo; Ideoque primum fundamentum verè leuissimum, nullaque ponderatione dignum erat.

Minus subsistere dixi alterum, vt Statutũ procedat ab intestato, ideoq; cesset condito testamẽto, & super qua propositione, iuxta consuetam ineptiam, allegationibus columnę implebantur per aliquos ex parte matris consultos, quoniam conclusio est vera, sed fallacia clara est in applicatione; *Vt* enim alibi *hoc eodem tit.* aduertitur, & in specie huius Statuti *in dicta decisione* 11. *Bonon. & dicta dec.* 272. *num.* 11. *par.* 5. *rec.*, id procedit, quando testator, recedendo à statutaria dispositione, facit suam, & successibilem illam personam, quam Statutum extraneam, ac insuccessibilem fecerat, ita recedendo à statutaria dispositione; Secùs autem vbi, cum ista se conformet, quoniam tunc ea facilius procedit.

Vt enim pluries in alijs habetur, huiusmodi Statuta continere dicũtur fictum, seù præsumptum testamentum eius, qui testari noluit, vel non potuit, quasi quod ita eius successionem regulari voluerit; Cumque sine dubio, nè dum in legali, sed etiam naturali sensu, ac ratione, maior sit virtus, ac operatio expressi, & veri, quam taciti, & præsumpti; Hinc proindè prorsus fabulosum esse dicebam hoc motiuum fundatum in ea (pro meo sensu) inepta propositione, quæ per ora pragmaticorum volitare solet, vt huiusmodi Statuta intelligi debeant in verbis, quodque tantùm disponant, quantum sonent, neque admittenda sit extensio ab identitate, vel maioritate rationis, sed solum attendenda veniant in ijs, quæ oculis corporeis legi possunt, vt præsertim patet ex adductis *in Fanen. disc.* 15. ac in decisionibus in ea causa editis.

Alicuius autem considerationis videbatur tertium motiuum cessantis rationis Statuti, stante conclusione de qua in alijs *hoc eodem titulo* præsertim *in Sutrina disc.* 3. *& dicto tit. de Legitim.* pluries præsertim *disc.* 4., vt nõ sufficiat existentia personæ excludentis de facto, nisi exclusionis effectus ad eius commodum cedat, non autem alterius extranei, vel remotioris à Statuto non contemplati, (quidquid in contrarium teneant plures locis supracitatis relati,) quoniam spectãda est ratio Statuti, seù finis, vel effectus ab eo consideratus; Vnde propterea *Monterent. ad hoc statut. Bonon. eodem tit. §. filiabus litt. A. verb. vniuersa*, benè obseruat, quod si moriens pro parte instituat personam excludentem à Statuto contemplatam, & pro parte extraneum, in hac ratà fœmina exclusa, cui de iure debita sit legitima, istius supplementum petet; Atque his Scribentes pro matre addebant vulgarem regulam cum eodem inepto stylo copiosissimè exornanam, quod cessante causa, cessare debet effectus.

Verùm pariter dixi fallaciam consistere in applicatione conclusionis in suo casu veræ, malè autem applicatæ; Procedit enim quando persona excludens non vult, vel non potest successionẽ obtinere, adeòvt Statuti ratio, vel finis non impleatur; Tunc etenim admittebam verius esse vt illud non intret; Secus autem vbi persona à Statuto prædilecta, successionem obtinuit, quam deindè amisit per mortem naturalem, vel ciuilem, ob quam eam amplius retinere non poterat, quoniam tunc successionis effectus iam impletus, seù consumatus est; Et consequenter vbi agatur de Statuto simpliciter excludente absque illa reintegratione, de qua *in dicta Perusina disc.* 2. duę inter ãt in proposito receptæ propositiones; Prima scilicet quod semel exclusus, perpetuò remanet exclusus, ab eo tamẽ casu successionis, in quo exclusio sequuta est; Et secunda, quod dicta regula *cessante causa, &c.* non procedit quando effectus est iã

consumatus, iuxta theoricam *Bart. in l. fin. sub num. 2. ff. ad Tertullian.* cum concordantibus collectis *per Merlin. de legit. lib. 3. tit. 1. q. 3. n. 1. & seqq. & q. 23. n. 2.* & passim.

Et quamuis in contrarium ponderatur conclusio, de qua *dec. 582. par. 5. rec. num. 26.*, vt fideicommissarius reputetur verus, ac primus hæres morientis, ac si ab initio scriptus esset; Attamen pariter fallacia consistebat in applicatione, iuxta adeo frequens, & quotidianum vitium pragmaticorum immorandi in sola littera doctrinarum; Dicta enim conclusio est vera, sed procedit in casu oppositio, quando scilicet moriens hæredem scribat ipsam personam excludentem, cui substituat excludentem, aduersùs quam facto casu restitutionis, detractionem prætendere non poterit sub prætextu quod recessum fuerit ab ordine Statuti, quoniam si poterat directè, & ab initio in totum excludere eum, quem primò honorauit, ac vocare substitutum, manifestæ ingratitudinis species esset, id obijcere, ideoque prætensio irrationabilis remaneret, quod nil commune habet cum casu controuersiæ. 11

Licet enim substitutus, primo testatori, non autem grauato succedere dicatur, atque ex illius, nõ autem istius iudicio successionem obtinere; Attamen non exinde inferri posse dicebam ad effectum, de quo agebatur, quoniam si defunctus purè instituisset fratrem, qui deindè moriens, alterum sibi placitum hæredem scripsisset, vel ab intestato de iure communi, vel statutario habuisset, nihil aduersùs eum persona iam exclusa prætendere posset; Igitur multò minus aduersùs illum successorem, quem prudenter moriens destinauit, inhærendo eidem rationi per Statutum consideratæ, dum vt pluries aduertitur *sub tit. de fideic.* & alibi præsertim *sub tit. de feud.* ad materiam Bullæ Baronum, fideicommissarius, ex quodam ordine necessario inducto per testatorem, succedere dicitur grauato, cuius proximitas attendenda est, dicitur autem primi, non autem secundi hæres, ad effectum onerum, & ne teneatur seruare factum grauati. 12

Tunc autẽ aduertebã quod probabilis dubitandi ratio cadere posset, quando substitutio facta esset in fraudem, quia 13

nempè moriens instituisset personam à Statuto vocatam, quam purè, seù aliàs ita grauasset, quod in effectu commodũ exclusionis non esset suum, sed extranei, ità eludendo legalem obligationem sub pallio Statuti, eius fine vel ratione non impleta; Secùs autem vbi sincerè, ac citrà fraudem, persona excludens instituta est, eique sine prole decedenti detur alter substitutus rationabilis, ac iuxta mentem eiusdem Statuti, ita illius rationem, seù finem prosequendo, cum tunc nulla probabilis dubitandi ratio cadere videatur.

SENOGALLIEN.
SVCCESSIONIS
PRO
LIVIO PIISSIMO
CVM
CHRISTOPHORO, ET ALIIS DE FONTINIS.

Casus decisus per Rotam pro Liuio.

De Statuto Oppidi Corinaldi excludente fœminas, & coniunctos per eas, propter masculos, quomodo intelligatur, & quos casus comprehendat; Et an sufficiat subiectio personæ excludentis, quamuis non adsit subiectio personæ excludendæ.

SVMMARIVM.

1 FActi series.
2 Resolutiones causæ.
3 *Planum est vt proximiores excludant remo-*

remotiores absque distinctione agnationis & cognationis.

4 *De duplici subiectione requisita ad effectum Statutorum.*

5 *Declaratur vt subiectio personæ intelligatur in excludente non autem in exclusa.*

6 *Quid disponat hoc statutum, & de distinctione inter descendentes, & trasuersales.*

7 *In Statutis non datur extensio.*

8 *Quod hæc Statuta sint potius fauorabilia & benignè interpretanda.*

9 *Declaratur ad quos effectus hæc benigna interpretatio capienda sit.*

DISC. XXIII.

1 INtestatâ successionẽ Hippolyti Fontini defuncti in oppido Corinaldi patria originaria, ab eo Iudice sibi decerni obtinuerunt agnati, octauo, ac respectiuè nono gradu transuersali attinentes; Habita verò de his notitia per Liuiũ quarto cognationis gradu attinentem, qui in patria diuersa viuebat, iudicium petitionis hęreditatis contra eos instituit cum subsequuta sententia, 2 à qua introducta per appellationẽ causa *in Rota coram Vicecomite, sub die 27. Iunij 1668.* eius fauore resolutio prodijt, ad cuius normam expedita sententia, & commissa causa in eadem *Rota coram Albergato*, conformes resolutiones prodierunt *sub diebus 28. Iunij 1669., & 27. Iunij 1670.*, expeditaque tertia sententia, Signatura rescripsit cum solita clausula *sine præiudicio executionis trium conformium*, vnde propterea actor intentum obtinuit.

Non dubitabatur de bono iure actoris, attentis terminis iuris communis nouissimi, per quod, sublata differentia agnationis, & cognationis, ac sexus, sola gradus proximitas attenditur, cum iura sint litteralia, ad quorũ normã procedũt omnes DD. sine cõtradictione, adeòut, nimiũ displiceret, quod in aliquibus ex dictis 3 decisionibus (dum in eis loquendum est magistrali stylo) super principio adeo notorio, ac præsupponendo, iura, & auctoritates, ac decisiones allegarentur, quod etiam in ipsismet Aduocatorum Responsis, vel Informationibus inutile, ac nauseatiuum videtur; Ideoque in effectu disputationes fuerunt super iure statutario loci indefinitè excludente propter masculos fœminas, ac descendentes per eas absque vlla gradus restrictione.

In hoc autem, scribens pro Liuio actore, duo deducebam fundamenta; Primò nempè quod ipse non esset huic 4 Statuto subiectus, ideoque sub eo non compræhensus, ex conclusione, quę iuxta opinionem in Rota, & Curia receptam hodie tanquam vulgaris præsupponenda etiam venit, pluries insinuata, vt ad effectum huiusmodi Statutorum duplex subiectio copulatiuè requiratur personarum scilicet, ac bonorum; Et secundò quod vbi etiam hæc subiectio concurreret, adeòvt inter ciues, ac subditos contentio esset, adhuc Statutum non compræhenderet casum, vtpotè vltra personas, vel gradus ab eo consideratos.

Primum fundamentum, quamuis more Aduocati à me cõprobatum cum pluribus allegationibus desumptis *ex decisionibus 353. & 390. Merlin.* & alijs, quas in ista conclusione habemus, neglectum tamen fuit, & metitò, quoniam vt pluries in alijs hoc eodem titulo aduertitur, *præsertim disc. 19.*, requisitum subiectionis personæ, ex probabiliori sententia, in qua Rota, & Curia hodie residet, per- 5 cutit personam excludentem, non autem exclusam; Et consequenter, cum agnati, quatenus essent intrà gradum à Statuto consideratum, essent ciues, ac subditi, nil referebat quod cognatus esset forensis, cum spectandus veniat effectus, seù finis Statuti, vt scilicet bona in eo territorio existentia conseruẽtur in eiusdem loci agnatione, & familia, vt in eisdem decisionibus firmatur, concordantes pro stylo cumulando.

Alterum verò fundamentum erat solidum, ideoque (reflectendo ad solam veritatem) resolutiones iustæ, beneque fundatæ visæ sunt, quoniam hoc Statutum duas habet partes; Vnam nempè in linea descensiua, seù directa; Et alteram in trãsuersali; In prima indefinitè dispe- 6 nit, atque propter masculos omnes fœminas, & quoscumque per eas descendentes excludit, nulla data gradus restrictione, vel discretione; In altera verò se continet intra fratres, eorumque filios masculos

culos excludentes matrem, ac sorores, & descendentes ab eis, quos gradus non egreditur, vndè propterea planum remanet, vt in omissis intret dispositio iuris communis, potissimè verò vbi non vrgeat identitas, vel maioritas rationis,
7 cum longa differentia sit inter lineam directam, & transuersam; Et nihilominùs attenta magis communi opinione, quam Rota sequitur, etiam in casu identitatis, vel maioritatis rationis, nõ admittitur extensio vltra personas, vel gradus expressos ex pluries insinuatis præsertim *in Fanen. disc. 15.*

Scribentes pro agnatis reis conuentis transcribendo deducta in magistrali *decis. 53. par. 3. rec.* sæpius in alijs canoni-
8 zata, cum longa allegationum congerie, insistebant in propositione mihi nimiũ grata, vt huiusmodi Statuta agnationis fauore edita, censeri debeant potius fauorabilia, quàm odiosa, ideoque largè, ac benignè potius, quàm strictè, ac rigorosè interprætari debeant.

Admittebam ego propositionem, quã negare, nec poteram, nec volebam, vtpotè à me sæpius inculcatam, ac declamatam; Dicebam tamen fallaciam esse in applicatione, illa enim ad duplicem effectum rectè procedit; Primò scilicet
9 ad illum validitatis Statuti cum sola confirmatione in forma communi, vel cum sola confirmatione præsumpta ob longissimi temporis obseruantiam, quæ in forma communi tantùm reputatur, ad effectum vt desideranda non veniat illa confirmatio in forma specifica, quæ necessaria est in Statutis, verè à iure exorbitantibus, quæ odiosa censenda sunt.

Et secundò ad alterum effectum interprætationis, quando ista cadat, in casu scilicet ambiguo, ac etiam ad illum intentionis, seù comprehensionis iuxta casum, de quo *in dicta Fanen. disc. 15.*, non autem ad effectum omninò nouæ, ac formalis extensionis, cum apud omnes extrà controuersiam sit, vt ista non detur eodem modo, quo in vltimis quoque voluntatibus receptum est ex pluries deductis *sub tit. de fideicommiss.*; Potissimè verò vbi non vrgeat rationis identitas, seù æquitas, sed potius ista etiam attenta cõmunis vsus resistat, vt in præsenti, quod isti agnati erant in gradu adeo remoto, quod tanquam cum extraneis matrimonium in ijs præsentim, qui in nono gradu præsupponebantur, contrahi potuisset, adeovt singulare in Italia videatur Statutum Florentinum, de quo supra *disc. 8.* quod iuxta nouas reformationes præfert agnatos vsque ad octauum gradum, sororibus, ac descendentibus ex eis.

FOROLIVIEN.

BONORVM

PRO

FRANCISCA SAXIA

CVM

ANTONIA SORORE.

Casus disputatus coram A. C., resolutus pro Francisca.

De Statuto Foroliuien: deferente successionem filiorum patri in exclusionem sororum, an suffragetur patri binubo; Vel potius intelligi debeat iuxta dispositionem iuris, vt moriens, proprietatem filijs primi matrimonij, quamuis fœminis, reseruare teneatur; Et incidenter de altero Statuto continuatiuo possessionis in hæredem:
Et an filij censeantur veri proprietarij ab initio.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiue.*

2 *Proprietario finito vsufructu debetur manutentio, & de ratione.*

3 *Statutum continuatiuum suffragatur ve-*
nienti

nienti contra iudicium defuncti.

4 *Declaratur conclusio de qua num. 2.*

5 *De eodem Statuto de quo num. 3.*

6 *Quod parens binubus non dicatur simplex vsufructuarius.*

7 *In idem, & de rationibus id comprobantibus.*

8 *An Statutum deferens successionem parenti binubo intelligendum veniat ad limites text.* in l. fœminæ.

9 *De hoc Statuto Foroliuij, eiusque dispositione & intelligentia.*

10 *De differentia inter patrem, & matrem ex eodem Statuto.*

DISC. XXIV.

DEfuncto Carolo Saxio, duabus superstitibus filiabus, Antonia scilicet ex prima, & Francisca ex secunda vxore, cum secundam filiam hæredem vniuersalem instituisset, primæ verò ab ipso viuente nuptæ, & dotatæ quædam bona reliquisset; Hinc ista prætensionem excitauit super præcipua; & necessaria successione in bonis eius matris obuentis in patrem per mortem alterius filiæ ex Statuto Foroliuiensi *libr. 5. Rubrica 32.* deferente filiorum successionem patri, vel alteri descendenti masculo, quia nempè illud non tolleret dispositionem textus *in l. fœminæ Cod. de 2. nupt.* vt bona in parentem binubum obuenta ex successione filiorum primi matrimonij, sint præcipua filiorum eiusdem matrimonij absque participatione illorum secundi; Cumque in hac Ciuitate vigeat alterum Statutum continuatiuum possessionis defuncti in hæredem, insinuatum etiam *sub tit. de hærede disc. 26.*; Hinc dicta Antonia instituit coram A. C. iudicium manutentionis, quæ tamen decreta fuit Franciscæ pro se alleganti eamdem statutariam ciuilissimam possessionem, ac etiam naturalem, quam de facto habebat, idque canonizatum fuit per Signaturam Iustitiæ, rescribendo de appellatione cum clausula *sine præiudicio executionis.* commissa causa in deuolutiuo in Rota, vbi pendet; Atque in disputationibus desuper habitis, duæ fuerunt inspectiones, Vna ordinis, super manutentione hinc inde petita; Et altera iustitiæ in meritis negotij principalis.

Quatenus pertinet ad primam; Per vtranque partem deducebatur idē Statutum cōtinuatiuum possessionis defuncti in hæredem, vnde quæstio erat cui esset adaptabile; Dicebant etenim Scribentes pro Antonia actrice, cum præsupposito quod intraret dicta dispositio dicti textus *in l. fœminæ*, quod cum parēs
2 binubus succedat in solo vsufructu, reseruata filijs primi matrimonij proprietate, ità ab ipso instanti mortis alterius filiæ, illa portio, de qua erat controuersia, delata fuit ipsi actrici, ac propterea in vim dicti Statuti, ex tunc, mortua sorore, etiam patre viuente, possessionem habuerat proprietatis, quæ defuncto vsufructuario tanquam ex cessata seruitute, iure consolidationis, ac per remotionem obstaculi, ad se trahit vsumfructum, ideoq; manutentio ei competeret iuxta firmata *in Recanaten. corā Cerro dec. 120. & 172. p. 9. recen.*, & in sua materia *sub tit. de seruitut.* ad materiā vsusfructus.

Contrarium probabilius dicebam ego scribens pro Francisca (etiam in sensu veritatis per Iudicem quoque agnitæ) quoniam Statutum continuat possessionē defuncti in hæredem venientem ex eiusdem defuncti iudicio, non autem in illum, qui eiusdem iudicium impugnat, atque iure fideicommissi, seu alio proprio indepēdenter à defuncto veniat, ex deductis *decis. 176. & 195. Otthobon. & in Leodien. dominij 10. Ianuarij 1650. coram Cerro*, vbi de filio impugnante testamentum paternum ratione præteritionis, vt ei tanquam venienti contra defuncti iudicium hoc Statutum non suffragetur.

Admittebam igitur conclusionem supra deductam per Scribentes in contrarium super manutentione debita ei, qui esset hæres in proprietate vltimi defuncti, cui vltimus in solo vsufructu successisset; Dicebam tamen id rectè procedere, quando certum esset, quod vltimo
4 defunctus aliud ius in bonis non haberet nisi illud simplicis, ac formalis vsusfructus, omninò contradistincti à proprietate, ideoq; redolens nudam seruitutem, quæ supponit dominium, ac possessionē, nedùm ciuilem, sed etiam naturalem penès proprietarium, quadam nuda detentatio-

tatione facti remanente penès vsufructuarium, qui transmittere non potest in eius hæredem possessionem, quam nō habebat, vt in proposito huius Statuti continuatim substitui in alia *Forolivien. donationis* pro sororibus de Numajis cū
5 *Pontirolis sub tit. de donationibus in supplemento*, quod scilicèt hæres donatoris iuuari nō posset contra donatariū huius Statuti beneficio in bonis donatis in vita, cum trāslatione possessionis mediante clausula constituti, ac reseruatione vsusfructus, quoniā ità defunctus non possidebat, atque donatarius, contra ipsum, quamuis viuentem obtinere deberet manutentionem, ideoque non potest plus operari fictio, quàm veritas; Nisi ageretur de vitio intrinseco ipsius donationis, quod influeret in ipsas clausulas tanquam accessorias, super quibus dubietas cadat, an intrent, ac suffragentur, nec nè, vt pluries aduertitur *sub tit. de iudicijs*, vbi de his interdictis possessorijs.

Negabam verò dictæ conclusionis, seù theoricæ applicationem ad factum, ex deficiente præsupposito existentiæ proprietatis penès filios primi matrimonij, adeout parens binubus habere dicatur eam nudam facti detentationē, quam importat ille formalis vsusfructus, qui merè personalem seruitutem redolet; Tum quia, vel certum vt infrà, vel saltim nimium dubium, ac disputabile erat, in ordinario iudicio petitorij decidendum, an dispositio textus *in l fœmine* intraret, necnè, stante Statuto, ideoq; erat præsupponere id, quod principaliter disputabatur.

Tum etiam quia, licèt in iure dicatur, vt parens binubus huiusmodi bonorum proprietatem filijs primi matrimonij reseruare teneatur, ipseque solo vsufructu contentus existat, attamen iste est mo-
6 dus loquendi, spectato effectu, eo modo, quo pro vsu loquēdi dicitur vsufructuarius hæres grauatus restituere fideicommissū, quamuis verè sit dominus; Ac etiā dicitur mulier in lucris dotalibus, cum similibus, cum sit vsusfructus causalis redolens tam dominium, quàm possessionem sub obligatione restituendi, seù reseruandi filijs per quamdam speciem fideicommissi euentualis à lege inducti, ideoque dicitur dominus cum vero dominio, euentuali tamen resolutioni subiecto, dum possunt alij filij præmori, ipseque obtinere bona pleno iure, non ex noua assequutione, sed ex continuatione tanquam, per remptionē obstaculi, dum vt pluries in alijs aduertitur præsertim infrà *disc.* 34. ista dicitur successio necessaria fauore filiorum, qui superint de tempore mortis patris binubi; ac etiam quia receptum est ex clara ejusdē
7 textus dispositione, vt ipse parens possit inter *ipsos met* filios gratificari, vnum præeligendo, & alios excludendo; Et consequenter cum incertum sit, an ipsi filij superuiuere debeant, et quatenus superuiuant, quis nam eorum habeat proprietatem sit obtenturus, implicat, quod interim penès eos esse possint dominium, ac possessio proprietatis; Ac etiam quia vt alibi hoc eodem titulo aduertitur, si ità esset, sequeretur, quod viuente etiam parente, possent filij hanc proprietatem alienare, siuè illa per eorum creditores exequi, ac subhastari posset, vt etiam ponderatur in proposito lucrorum *sub tit. de dote in Romana de Sforijs* n. 140. ideoque verius videtur, vt id remaneat in terminis spei, ac necessariæ successionis euentualis, ad instar vocati ad fideicommissum, vel ad feudum, seu emphyteusim ex pacto, & prouidentia, cum similibus.

Quo verò ad alteram inspectionem iustitiæ in meritis negotij principalis; Quæstio est inter DD., an Statuto deferente parenti successionem filij, aliqui
8 pinguiori, ac speciali modo, vltrà quod ius commune defert, ità censeatur derogatum dictæ dispositioni textus in *l. fœminæ C. de 2. nupt.* cū concordātibus; Vel potiùs ad eius limites intelligendum veniat, firma remanente obligatione reseruandi proprietatem filijs primi matrimonij; In hoc autem variæ habentur opiniones, dum partes filiorum contra parentem substinent *Salycet.* (qui benè loquitur) *in d. l. fœminæ* §. *illud*, quem refert, & sequitur *Dec. cons. 87. num. 3. & cons. 396.*; E' conuerso autem, partes parentis plenè alijs relatis substinet *Bar. sett. cons. 12. num. 15. cum seqq.*, vbi lepidè fundamenta deducit.

Assumpta verò non fuit formalis disputatio huius quæstionis, in solo puncto iuris, ac in abstracto, ità inhærendo cōmendabili Curiæ stylo abhorrenti superfluas

ſuas euagationes, ac ſtrictè immoranti ſuper caſu, ſeù puncto præciſo, qui diſputatur, dum Statutum deſcendit ad hanc ſpeciem, atque conſiderat caſum tranſitus parentis ad ſecunda vota, ideoque punctus erat ſuper huius Statuti intelligentia; Credebam tamen quod in dicta quæſtione generali, ſeù in abſtracto, probabilior eſſet prima opinio *Salycetti, & Decij*, quodque motiua *Burſat.* eſſent parùm ſolida, quamuis adhuc occaſio non præbuerit id formiter diſputare, ſed quod ſecùs dicendum eſſet in iſto caſu.

Statutum ſiquidem *dicta Rubr.* 32. §. 4. incipien. *Si verò prædicti deſcendentes* cõſiderat caſum patris, vel alterius aſcẽdentis maſculi ſuccedentis filio, & tranſeuntis ad ſecunda vota, eumque grauat ad reſeruandam proprietatem fratribus tantùm, non autem ſororibus, non ſolum quia agendo de fratribus adijcit taxatiuam, *tantùm*, ſed etiam quia adijciuntur alia verba negatiua ſororum ibi, *Non autem ſororibus*.

Replicabant Scribẽtes in contrariũ, id rectè procedere, vbi ex primo matrimonio ſupereſſent filij maſculi, qui ità prælatiuè ad fœminas à Statuto vocantur, non autem eis non extantibus, cum tunc tanquam in caſu omiſſo ſubintret, diſpoſitio iuris communis; Verùm replicatio tollebatur; Tum quia idem Statutum ſupponit non exiſtentiam maſculorum, quodque caſus ſucceſſionis contigerit in alia fœmina, dum vtitur vtroque genere maſculino, & fœminino ibi, *non autem ſororibus defuncti, vel defuncte*, qui caſus contingere non poterat niſi cum præſuppoſito non exiſtentiæ maſculorum, quibus extantibus, nulla eſt fœminarum ſucceſſio, iſtudque motiuum nimium captiuauit intellectum Iudicis; Tum etiã (et iudicio meo clarius) ex altero Statuto *Rubr.* 34. vbi agendo de matre binuba ſuccedente alicui ex filijs, mandatur eadem reſeruatio proprietatis, ſpecificato ordine fauore maſculorũ quatenùs adſint, ſin minus fauore fœminarum, deindèque agendo de patre, mandat ſeruari *Rubr.* 32.; Iſta etenim diſcretiua clarè tollere videtur motiuũ caſus omiſſi, dum ſtatuentes ad id cogitarunt, atque vbi voluerunt, dixerunt, ergò noluerunt vbi non dixerunt.

Ponderando probabilem differentiæ rationem, quoniam pœnæ ſecundò nubẽtium litteraliter impoſitæ ſunt mulieribus, non autem viris, ideoque eſt ſub quæſtione, an quod de matre dicitur, locum habeat in patre, atq; negatiuam ſubſtinet *Facchin. lib.* 3. *controu. cap.* 64.; Et quamuis in Rota, & Curia recepta ſit opinio, vt etiã patrem cõprehendant, vt infrà *diſc.* 33., & in alijs; Attamen negari non poteſt id eſſe in quæſtione, quæ præſertim dubia erat de tempore Statuti, ideoq; ſtatuentes quamdam mediam viam eligendo, ità magis benignè cum viro, quàm cum muliere agere voluerũt, illum in vno, & non in altero caſu grauando; Et ſic quod generaliter, ac in abſtracto probabilis eſſet opinio *Salyceti*, ſed quod in caſu iſtius Statuti verius eſſet contrarium.

FIRMANA SVCCESSIONIS PRO VINCENTIO, ET ALIIS DE MANCINIS CVM FRATRIBVS VTERINIS EX PRIMO MATRIMONIO.

Reſponſum pro veritate.

De Statuto Firmanõ prohibente matrimonia cum forenſibus, an attendendum ſit in ſucceſſione matris binubæ, quæ vnum virum habuit ciuem, & alterum forenſem; Et an filij ex viro forenſi procreati, ei ſuccedant in bonis exiſtentibus in territorio.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Qualem confirmationem habeat hoc Statutum.*
3 *Ciuitates subditæ Status Ecclesiastici non tandunt Statuta.*
4 *Statutum inhabilitans forenses est fauorabile.*
5 *In quibus sufficiat confirmatio in forma communi.*
6 *Declaratur, & de differentia inter Statuta exclusiua fœminarum, et illa forensium.*
7 *De invalidis Statutis prohibentibus, vel restringentibus matrimonij libertatem.*
8 *Quando lex laicalis in materia matrimonij manus opponat.*
9 *Quod conceditur priuatis, conceditur statuentibus.*
10 *Aliud est pœna, aliud autem conditio, seù qualitas.*
11 *Lex positiua potest tollere successionem, vel legitimam in totum.*
12 *De prohibitione dandi feuda in dotem.*
13 *De impedita libertate matrimonij per legem laicalem.*
14 *De eadem conclusione, de quæ num. 4.*

DISC. XXV.

1 CLaudia, primis nuptijs cum Alexandro forensi, posterioribus autem cũ Euandro ciue cõtractis, eaque decedẽte ex vtroque matrimonio relictis filijs, inter istos orta est quæstio intestatæ successionis in bonis in territorio Firmano existentibus, controuersiæ causam præbente eiusdem Ciuitatis Statuto *lib. 4. rubr. 82.* prohibente mulieribus matrimonia contrahere cum forensibus sub pœna amissionis bonorum illi Communi applicandorum, ac etiam forenses ad intestatam, vel testatam successionem inhabilitante; Istius etenim Statuti vigore, filij secundi matrimonij prætendebant, quod eis tantùm in maternis bonis successio debita esset, exclusis fratribus vterinis ex primo matrimonio susceptis tanquam forensibus; Quarè de. super pro veritate ex parte excludere volentium consultus.

Cõtra eos pro æquali omniũ successione respondendũ censui, ex potissimo fundamento inefficaciæ Statuti vtpote in hoc non habentis (vt in facti notula supponebatur) puram, ac plenam confirma-
2 tionem Apostolicam in forma specifica, dum confirmationes Eugenij IV., Pauli IV., & Sixti V. impressæ initio voluminis eorumdem Statutorum, præseruatiuã libertatis ecclesiasticæ, aliasque clausulas continent, denotantes non in omnibus intentionis fuisse confirmandi huiusmodi Statuta probabiliter edita de tempore, quo, Sede Apostolica in Gallia existente, seù aliàs temporum conditione exigente, illa Ciuitas quamdam libertatis imaginem habere videbatur, dum (vt alibi pluries aduertitur), etiam iuris communis dispositione attenta, multò verò magis in Statu Ecclesiastico per Ægydianam Constitutionem per Summos Pontifices Sixtum IV., & Paulum III. confirmatam, atque ad vniuersum Statum Ecclesiasticum extensam, subditis Ciuitatibus prohibitum est condere
3 Statuta sine Apostolica licentia, vel confirmatione; Vbi verò ista in forma cõmuni existat, non suffragatur in ijs, quæ sint contra ius, vt generaliter *apud Burat. decis. 6. & 129. Gregor. decis. 267.*, & in alijs pluries, & in individuo huiusmodi Statutorum forenses inhabilitantium. *Grat. discept. 245. num. 37. cum seqq.*

Quamuis enim, vt aduertitur *sub titulo de alienation. & contractibus prohib. discurs. 39.* huiusmodi Statuta prohi-
4 bentia alienationes in forenses potiùs rationabilia censenda veniant ex rationibus ibi ponderatis, ac etiam *sub titulo de Regal. disc. 77. & 83.* ac alibi; Atque conclusionem habeamus pluries in præcedentibus insinuatam, de qua *per Add. ad Burat. dicta decis. 6.*, *& in Spoletana successionis 19. Iunij 1651. coram Celso* inter suas *decis. 125.*, & in alijs, vt in ijs, quæ non sunt odiosa odio irrationabili, confirmatio in forma communi sufficiat; Attamen id firmatur occasione Statutorum excludentium fœminas propter ma-
5 sculos, vel cognatos propter agnatos, in quibus nõ solum vrget dicta ratio, quod censenda non sint odiosa odio irrationabili, sed potiùs fauorabilia, ob fauo-
6 rem,

rem, ac probabile motiuum conseruationis bonorum in familijs, & agnationibus; Sed etiam quia licèt aduersentur iuri nouissimo, attamen assistentiam habent iuris antiqui, & noui, ad quod, dicto iure nouissimo potiùs non acceptato, quàm destructo, redeunt, ideoque iuri contraria verè dici non merentur; Secùs autem in hac specie Statutorum, quoniam licèt irrationabilia dicenda nõ sint, sed rationis, & æquitatis potiùs probabile motiuum habẽa ex deductis *dicto disc.39. de alienat & contract.*, nullam tamen habent iuris communis tam antiqui, quàm noui, vel nouissimi assistentiam, dum omni iure attento, quilibet vir ingenuus, Romanique Imperij nõ hostis, absq; Iudicum discretione, habilis, & capax reputatur in vniuerso Imperio bona acquirere, ac retinere, omnesque eiusdem imperij subditi quadã mutua ciuilitate vbique ad hunc effectum donati videbantur, cum huiusmodi prohibitiones, ac restrictiones post dicti Imperij scissuram ex tot Principatuum diuisione, magisque ex factionarijs dissensionibus prodijsse videantur; Et consequenter dicebam quod dicta conclusio, quæ dictum diuersum casum percutit, huic adaptabilis non esset.

Quatenus verò iste potestatis defectus non concurreret; Dum agebatur de Statuto Ciuitatis subditæ Sedis Apostolicæ, quoties istius pura, & simplex confirmatio in forma specifica accederet, etiam in ea parte, in qua matrimonia cum viris forensibus prohibentur, dixi quod attendi deberet; Licet 7 enim iuxta plene deducta *per Ciriac. contr.*449.*num.*2. *cum seqq.* in his specialibus terminis huiusmodi laicalia statuta matrimonij libertatem prohibentia sub aliqua pœna, inualida censeantur, vt etiam aduertitur *sub tit. de testam. disc.* 73. *& sub tit. de matrimon. disc.*14.; Attamen vbi confirmatio Apostolica in forma specifica supponitur, per quam specialis approbatio resultare dicitur, 8 cessat potestatis quæstio, quæ in laicis dignoscitur disponẽdi super spiritualibus.

Eatenus enim laicali potestati conceditur super hac materia statuere, quatenus dispositio versetur circa nudam temporalitatem, quæ tamen matrimonij libertati non aduersetur, minusque ipsam spiritualitatem tangat, quia nempè non simpliciter, ac indefinitè inhabilitet, vel priuet bonis temporalibus contrahentes matrimonia sine certa solemnitate, cum tunc, tam ex sacrorum Canonum dispositione, quàm clariùs ex illa Sacri Concilij Tridentini, eorum inualiditas sit extra controuersiam; Sed vbi indirectè, non per viam pœnæ formalis, sed per viam denegationis lucri, seù inductionis certæ qualitatis ad acquirendum necessariæ, ità statuat, absque eo quod dicta libertas simpliciter impedita remaneat; Putà præscripta tali qualitate ratione loci, temporis, vel generis personarum, quia intra ipsam qualitatem, seù permissionem, congrua libertas sit exercibilis, iuxta distinctionem, de qua in proposito validitatis, vel inualiditatis conditionum, quæ ab homine adiectæ fuerint, habetur *dicto disc.*73.*de testam. & disc.*14. *de matrim.*

Illud enim quod priuatis per actum inter viuos, vel per vltimam voluntatem disponentibus conceditur, viro publico, qualis est Princeps, vel alter, qui legis condendendæ potestatem habeat, nõ 9 est denegandum, quoniam hic omnium nomine, atque de omnium consensu ita disponere dicitur, testamenta, vel contractus pro omnibus ordinando, ex pluries insinuata conclusione quod Statutum dicitur testamentum legis; Ideoque sicuti testatori, vel aliàs disponenti conceditur vocare solum innuptas, nuptas autem excludere, non in odium, vel pœnam ma- 10 trimonij, sed ex altero probabili motiuo, quod licet non expressum, in dubio præsumendum est, ita adijciendo qualitatem necessariam pro emolumento obtinendo ex deductis *dicto disc.*73. *de testament. & disc.* 14. *de matrim.* ac etiam *disc.* 44. *de fideic.*, ita non videtur quid prohibeat, id à Statuto fieri posse, dum ità benè libertas exercibilis remanet intra omnium ciuium, ac subditorum genus.

Et quemadmodum lex positiua auferendo solum illud beneficium, quod ipsa met concessit, fœminas generaliter, ac pro regula extraneas facere potest, at- 11 que ad successiones, ac bonorum acquisitiones inhabilitare, parentes quoque

à legitimę, vel alimentorum onere absolvendo, cum illud non à iure Diuino, vel naturali præciso ex obligatione iustitiæ naturalis, sed ab ipsa lege positiua manet, ex iis quæ habentur in alijs *hoc tit.* ac pluries *sub altero de legit. & detract.* ad materiam huiusmodi Statutorum, fœminas, etiam à legitima excludentium; Ita non videtur quid prohibeat easdem cum certa qualitate, & non aliàs habilitare ad acquirendum, ac retinendum, quoniam qui potest totum denegare, ac non concedere, multo magis dare potest diminutè, vel qualificatè; Vt etiam occasione prohibitionis legum laicalium dandi 12 in dotem feuda sine Principis consensu, aduertitur *sub tit. de feud. disc.* 20. & *sub tit. de dote disc.* 146. vbi etiã *disc.* 149. habetur de hac materia dandi in dotem bona forensibus; Ideoque punctus est, nè laicalis potestas se ingerat in huiusmodi spiritualitate validitatis .I. vel inualiditatis matrimonij, siuè in illius directa, ac 13 præcisa prohibitione, ne illud absque eius licentia contrahatur, aut aliàs prohibendo, vel impediendo, quoties prouisio non sit circa temporalitatem libertatis consensus, & occurrendi coactionibus; Aut quod indirecta prohibitio mediante priuatione, vel inhabilitatione bonorũ temporaliũ, directæ, ac præcisæ coactionis vim habeat, eumdemq; operetur effectũ, quia nẽpè indefinita sit, secus autẽ vbi discretè ad certũ genus, locũ, vel modum restricta, vndè propterea libertas congruè exercibilis remaneat.

Clarius verò, data sufficienti potestate, quamuis laicali, Statutum istud seruari debuisset, quoniam non agebatur de illa 14 parte, in qua pœnaliter matrimonium cum forensi prohibetur, non per viam subtractionis lucri, & emolumenti, sed per viam pœnæ, quæ dupliciter talis remanet vera, & formalis; Primò nempè priuando bonis iam quæsitis, & possessis; Et secundò illa fisco seù Communi applicando; Sed agebatur de altera parte excludendi (matrimonio iam soluto) filios ex eo procreatos, non quia ex illo matrimonio procreati sint, atque in eiusdẽ matrimonij odium, vel pœnam, sed quia generaliter forenses, ac inhabiles, cum de huiusmodi inhabilitatione, quoties cessaret defectus iurisdictionis iuxta deducta apud *Bichium dec. sf.* 466. hodie dubitandum non sit iuxta magistralem *dec. sf. in Lucana maioratus coram Coccino dec.* 251. *par. 8. recent.* cum alijs *dicto disc.* 39. *de alien. & contract.*

BENEVENTANA REINTEGRATIONIS

PRO

IO: DOMINICO, ET ALIIS DE MORRA

CVM

GOFFREDO ETIAM DE MORRA

Casus disputatus coram A.C. postea concordatus.

De Consuetudine Neapolitana Capuanæ, & Nidi, seù more nobilium, super successione in dote mulieris. Et de alijs Cõsuetudinibus, vel Statutis in eadem successione dotis remissiuè, præsertim de Barensi, Vibeuetano et Bononiensi.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De præscriptione statutaria remissiuè.*
3 *De consuetudine Neapolitana* Capuanæ & Nidi.
4 *Etiam exteri possunt ex pacto eis se supponere.*
5 *De Statuto Beneuentano conformi dictæ Consuetudini.*
6 *De duplici limitatione dictæ consuetudinis.*

7 *Impugnatur limitatio in muliere vidua.*
8 *Prohibitio facta mulieri ita capit vxoretam, ac viduam.*
9 *De quæstione an mulier, quæ primas nuptias contraxit more nobilium, possit contrahere secundas more Magnatum.*
10 *De Magnatibus diuersis à nobilibus.*
11 *Nobiles Ciuitatis magnæ præcedunt illos Ciuitatis paruæ.*
12 *De alia limitatione vt prohibitio percutiat prohibitionem per vltimam voluntatem, non autem per contractum.*
13 *In Curia defertur decisionibus.*
14 *Declaratur limitatio de qua num. 12.*
15 *De alijs Consuetudinibus, & Statutis, necessariam successionem inducentibus.*

DISC. XXVI.

CAmillus, & Iulia coniuges, Lucretiæ filiæ in matrimonio collocatæ, dotem constituerunt scutorum 3500., cum pacto in eius constitutione adiecto, vt matrimonium contractum censeretur more nobilium, siuè iuxta Consuetudines Sedilium Capuanæ, & Nidi Ciuitatis Neapolis; Lucretia verò sine prole decedens, postquam testamentum condiderat, in quo Goffredum instituerat hæredem, morti proxima, per donationem inter viuos eidem donauit dictæ dotis residuum scutorum 1500. à dotantium, præsertim Iuliæ hæredibus, ac bonis assequendum, vna cum fructibus decursis, notabilem summam importantibus, pro quibus omnibus mandatum ab A.C. obtinuit, aduersùs quod per Signaturam commissa fuit causa in Rota cum clausula suspensiua *coram Meltio*, atque prætendente actore, vt ob appellationem non interpositam, vel non prosequutam, adesset res iudicata, super ea datum fuit dubium, ac præparatæ disputationes, quę impeditæ fuerunt ex subsequuta concordia super ista, & alijs controuersijs emanata.

In disputationibus autem habitis, tam coram A.C. quàm in Signatura, & præparatis etiam in Rota, plures erant puncti, quorum aliqui consistebant in facto, duo verò iuridici pertinebant ad Aduocatos; Primò nempè respectu fructuum, 2 super præscriptione resultare ex Beneuentanæ Ciuitatis Statuto ob silentium 20. annorum, an .s. præsumptio, quæ ex hoc Statuto resultat, sublata remaneret ex contrarijs præsumptionibus, quæ ex parte actoris deducebantur, & de hoc habetur actum in sua materia *sub tit. de credito disc.* 129. *& seq.* vbi de præscriptione statutaria.

Quo verò ad sortem ab eodem Statuto ad instar illius Vrbis exceptuatam; Punctus erat in Consuetudine prædicta regiſtrata inter Consuetudines generales Neapolis cum commentarijs *Napodan.* compilatas iuxta compilationem *Salerni* post Consuetudinem, quæ incipit *Si quis, vel si qua &c. pag.* 132., per quam, disponitur, vt mulier absque prole decedens disponendi facultatem non habeat, nisi de medietate dotis; In altera verò medietate, necessaria sit successio dotantium, vel eius hæredum.

Et quamuis ista Consuetudo, vtpotè localis, non egrediatur Neapolitanam Ciuitatem, eiusque nimium breue territorium, et consequenter locum non habeat in alijs Regni Ciuitatibus, & locis; Multo verò minus in hac Beneuentana quæ est de pleno dominio Sedis Apostolicæ tanquã non comprehensa in Regni inuestitura, adeovt neq; Constitutiones, & Pragmaticæ, quæ sunt leges generales, seù ius commune Regni, ibi vigeant, iuxta ea quæ habentur *sub tit. de iurisd. disc.* 4 60., Attamen Scribentes pro actore, eius obstantiam in genere non negabant, stãte pacto adiecto, cum possint forenses ex conuentione (quæ in Regno nimiùm frequens est inter nobiles) eis se subijcere, quoniam tunc attendendæ veniunt, non in ratione auctoritatiua tanquam leges, sed in ratione conuentionali, & ex pacto inter Partes ita relatiuè inito, vt in specie *apud Theodor. alleg.* 1. *num.* 43. *Galeot. lib.* 2. *controu.* 30, *num.* 59. *Rouit. dec.* 100. *n.* 5. *Merlin. lib.* 2. *contr.* 49. *n.* 8.; Et generaliter de voluntaria subiectione alicui Statuto habetur *sub tit. de cred. disc.* 116. Omnisq; difficultas cessabat, quoniam in eadem Ciuitate adest Statutum, quod 5 idem disponit, vt cessantibus limitationibus, supponitur *per Rotam in alia Beneuentana Dotis dec.* 876. *par.* 4. *diuers.*

Verùm actoris fundamentum consistebat

ſtebat in duplici limitatione, quarum vtraque firmatur *in dicta decis. 879.*; Prima nempè vt dicta Conſuetudo procedat, quatenus mulier decedat ſuperſtite viro, ſecus autem vbi eo defuncto in ſtatu viduitatis; 6 Et ſecundò vt procedat circa diſpoſitiones per vltimam voluntatem, non autem per actum inter viuos, dum Conſuetudo vtitur verbo *diſponere* quod de ſui regulari natura ad vltimas voluntates refertur.

Circa primam limitationem, (etiam cum ſenſu veritatis), dicebam quod in 7 dicta antiqua deciſione procedente cum terminis generalibus Cõſuetudinis *Martini* proceſſum fuerat cum æquiuoco manifeſto ſuper illius interpretatione, dum in contrarium illam interpretati ſunt ſapientes eius commentatores præſertim *Anton. de Alex. & Frecc.* relati *ſub tit. de dote diſc.* 103., occaſione agendi de eadē Conſuetudine prohibente mulieri morienti cum filijs diſponere de dote, præterquam de decima parte, dum ibi quoque eadem difficultas excitata fuit, quæ reuerà nullum habet probabile fundamentum, ex tribus rationibus, quas ponderabam; Prima nempè ob rationis identitatem, vt bona redeant vnde venerunt, vt generaliter de Statuto adi- 8 mente mulieri poteſtatem diſponendi de dote, vt procedat tam in coniugata, quàm in vidua ob paritatem rationis æquè vigentis in nuptis, ac in viduis *Roia in Fanen. nullitatis apocæ 13. Martij & 26. Iunij 1648. coram Roias inter ſuas deciſ. 359. & 378.*; Secundò attenta ſcaturigine huius particularis Conſuetudinis ab altera generali, quæ in eadem Ciuitate habetur ſuper adempta facultate generaliter omnibus tam viris, quàm mulieribus diſponendi de bonis antiquis aliàs, quàm ex propria acquiſitione obueniẽtibus, niſi de medietate, ex deductis *eodem diſc. 103. de dote*, cum dos tradita à parentibus vel coniunctis inter bona antiqua recenſenda veniat; Et tertiò quia vt *eodem diſc.* 103. aduertitur, manife- 9 ſta fatuitas eſſet tot inſignium DD. adeo diſputantium quæſtionem ibi inſinuatam, an mulier quæ primas nuptias contraxit iuxta ſtas Conſuetudines Capuanæ, & Nidi, quæ vulgò dicuntur more nobilium *alla noua maniera*, poſſit in præiudicium filiorum primi matrimonij, vel dotantium, efficax vidua, contrahere ſecundas more magnatum, qui iuxta probabiliorem opinionem a contradictionibus non immunem, idem importat, ac exemptionem ab huiuſmodi Conſuetudinibus vt ſeruetur ius commune,

Quaſi quod magnates, tanquam nobiles 10 totius Regni, atque conſtituentes ſeu repræſentantes Regni nobilitatem, diuerſi ſint à nobilibus dictę Ciuitatis eiuſque Sedilium, qui dicuntur ſolum nobiles ex nobilitate priuata vnius Ciuitatis, eo modo quo diſcretiuè in omnibus alijs eiuſdem Regni Ciuitatibus ſunt alij nobiles in propria patria abſque aliqua differentia, niſi ea quã de iure tribuit qualitas reſidentiæ Regis, eiuſque Tribunalium, quod operatur, vt Regiæ ſeu metropolitanæ Ciuitatis figuram faciat, quod prælationem inducit, ex propo- 11 tione, quod ciues magnę ſeù Regiæ Ciuitatis præferuntur ciuibus aliarum Ciuitatum eiuſdem Principatus ex deductis *apud Capyc. Latr. deciſ. 181. num. 17., & ſub tit. de præeminent. diſc. 35 n. 18. & 19.* vbi in ſpecie, ſemper tamen remanet nobilitas priuata vnius Ciuitatis, non autem publica totius Regni, qualis eſt ſolum illa ordinis magnatitij, ideoque iſte ordo noluit huiuſmodi ciuicis conſuetudinibus agnoſcere ſe ſubiectum.

Aliqua verò maior difficultas reſidebat in altera limitatione, quæ ex eorum- 12 dem Regnicolarum *ſeù Commentatorum* communi ſenſu eſt recepta, vt ſcilicet ſtante verbo *diſponere*, intelligenda veniat per actus vltimæ voluntatis, non autem inter viuos iuxta auctoritates relatas *eodem diſc. 103. de dote*.

Adhuc tamen (eodem ſenſu veritatis retento), dicebam ex facti qualitate, limitationem non intrare, idque ludex primæ inſtantiæ rectè agnoſcebat, tam- 13 ſuper vna, quàm ſuper altera limitatione, ſed ob auctoritatem *Roiæ in dicta deciſ. 879. par. 4. diuerſ.*, auſus non eſt, pro Curiæ ſtylo in contrarium iudicare, vt probabiliter ſperabam iudicari debuiſſe ab eodem Tribunali non ligato à proprijs reſolutionibus, à quibus recedendi liberum habet aditum; Quoniam vt latius *eodem diſc. 103. de dote* aduertitur (eadem ibi deducta, in iſta cauſa prius diſputata deducendo) iſta facultas diſponendi inter viuos, non autem per vltimã vo-

14 voluntatem, intelligenda venit discrete inspecto fine seu ratione differentiæ inter vnam dispondendi speciem, & alteram, non autem in sola formalitate verborum, et sic vbi adsit iusta causa, quæ per illos DD. explicari solet, seu restringi ad quatuor species, nempe vt nupta viuat, vt casta viuat, vt libera viuat, & vt sana viuat, ex quibus patet quod dispondendi facultas inter viuos, ad necessariã, vel saltim iustam, & congruentiæ causã restricta est; Et quidem meritò, Tum ex eadem suprainsinuata ratione fatuitatis, qua laboraret disputatio adeo acriter habita inter illos Sapientes, an contractis primis nuptijs iuxta Consuetudines, contrahi possint secundæ more magnatum; Tum etiam ex regula generali desumpta ex textu *in l. fin. Cod. de vsur.*, quod lex nunquam dicitur imposita verbis, sed rebus, quodque vt pluries hoc eodem titulo aduertitur, etiam in Statutis, & legibus procedendum est cum eadem proposition, quam habemus in vltimis voluntatibus, & contractibus, vt non cortex & figura verborum, sed substantia veritatis attendi debeat, cum aliàs diceretur lex de vento ita de facili cum hac formalitate eludibilis, ei fraudem faciendo, et quæ fraus in hac facti specie videbatur euidens; Tùm ob statum morti proximum, in quo actus initus erat, vt aduertitur *d. disc. 103. de dote*; Tum etiam quia, dum idem erat iam hæres vniuersalis scriptus in testamento, incongruus remanebat iste nouus actus, alium non habens finem, nisi illum fraudandi legem.

De similibus autem Statutis, & Consuetudinibus inducentibus in dote successionem necessariam, præsertim fauore filiorum tanquam per speciem legitimæ adauctæ, vt propterea fideicõmissi onere grauari non possint; Et præsertim de Cõsuetudine Barẽsi & Bituntina, ac de Statuto Vrbeuetano, & de altero Bononien. habetur actum *eodem tit. de dote disc. 104. cum duobus seqq.* vbi de materia.

ROMANA

VEL

SENEN. SVCCESSIONIS

PRO

ALEXANDRO DE BORSELLIS

CVM

ARIADENO.

Responsum pro veritate.

An morientis ab intestato auersio ex iusta causa, & tali, quæ ad exhæredationem sufficeret, apta sit excludere ab intestata successione personam aliàs ad eam vocatam, vt locus aperiatur remotiori, vel æquali; Et àn voluntas eiusdem morientis desumpta ex eius testamento, quod caducatum sit, vel aliàs inutile remaneat, pro eadem exclusione sufficiat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Collaterales ingrati excluduntur ab intestata successione.*

3 *Contrarium verius.*

4 *Frater occidens fratrem, non excluditur ab eius successione sed reputatur indignus.*

5 *De differentia inter incapacem, & indignum.*

6 *Indignus in odiosis habetur pro succedente, dantur similia.*

7 *De ratione, ob quam ingratus excluditur, ob voluntatem scilicet morientis.*

8 *De testamento tempore pestis.*

9 *De differentia inter probationem voluntatis dispositiuæ, & declaratiuæ.*

10 *De eodem de quo num. 7.*

11 *An exclusus ex testamento excludatur ab intestata successione ob caducationem testamenti.*

12 *De beneficio repræsentationis quando competere non debeat.*

DISC.

DISC. XXVII.

1 DEfuncto in Vrbe ex morbo epydemiali Petro de Burſellis Senen., ſuperſtitibus Alexandro fratre, & Ariadeno ex altero fratre prædefuncto nepote, qui ſupponebatur defuncto nimium exoſus ex aliquibus cauſis in iure expreſſis, ex quibus licitum eſt parenti filios, & deſcendentes exhæredare; Cum de iure æqualis eſſet fratris, ac nepotis ex altero fratre ſucceſſio ex beneficio repræſentationis; Hinc ex parte Alexandri fratris ad integram ſucceſſionem aſpirantis, conſultus fui, an ex dicta cauſa præfatum Ariadenum excludere poſſet, vt ita integram ſucceſſionem obtineret.

Reſpondi diſtinguendo Reſponſum in duas inſpectiones; Vnam ſcilicet ſuper puncto ſeù quæſtione generali iuris in abſtracto; Et alteram in concreto, ob huius caſus particulares circumſtantias ex parte requirentis præſuppoſitas.

Quatenus pertinet ad primam; Dixi quod regulariter contra ipſum 2 requirentem potius reſponderi debuiſſet; Quamuis enim *Angel. in §. ingratitudinem Auth. de nupt. num. 64. & Salicet. in l. fratres C. de inoffic. teſtam.*, credant vt illæ cauſæ, quæ in iure ſufficiunt ad filiorum exhæredationem, ſufficere quoque debeant ad excluſionem venientium ab inteſtato, vt etiam tenet *Corſett. ſingular. 142.* quod incipit *ingratitudo*, vbi allegantur *Iacob. de Aren. & Io. Andr.*, & alij.

Attamen contrarium eſt verius magiſque communiter receptum per textum *in l. cognatis ff. vndè cognat.* vt 3 tenent *Gulielm. de Cun. in dicta l. fratres Cod. de inoffic. teſtam. vbi Bart. nu. 6. Bald. num. 11. idem Angel. num. 6. in fin. Caſ. n. 9.* (qui nominatim reprobat Salicetum,) *Aretin. in l. 3. §. filius num. 8. & 9. ff. de liber. & poſthum.* ac firmant *Amanell. de clar. aquis ſingul. 147. Ioannes Legier. de primog. lib. 3. quæſt. 6. num. 9. Mandoſ. de ingratitud. cap. 113. Menoch. conſ. 256. num. 12. Vaſquez de ſucceſſ. creat. lib. 3. §. 3. limit. 24. num. 179. Molin. de primog. lib. 1. cap. 9. nu. 15. Gomez. var. reſol. tom. 1. de ſucceſſ. contra teſtam. cap. 11. num. 37. Paſchal. de patr. poteſt. par. 2. cap. 5. num. 101. & ſequen.*, apud quos habetur reſponſio ad textum *in dicto §. ingratitudinem*.

Idque adeò verum, quod ſi frater occidat fratrem, de cuius ſucceſſione agatur, non per hoc ſucceſſione priuetur 4 tanquam incapax, ſed benè reputetur illa indignus, vt ab eo tanquam indigno Fiſcus auferat, ex ijs, quæ *poſt Peregr. de iure fiſci*, & alios ibi relatos colligit *Michalor. de fratr. par. 3. cap. 56. num. 29. & ſeqq. & num. 54. & ſeq.*

Iſta etenim differentia dignoſcitur inter incapacitatem, & indignitatem, vt primo caſu intret omnimoda exclusio, perindè ac ſi ea perſona non eſſet in rerum natura, vndè propterea locus ex- 5 ritur vlterioribus ſucceſſoribus, eo modo, quo habemus de profeſſis in Religione incapaci, tam in communi, quàm in particulari, ſeù aliàs de iure ad ſuccedendum inhabilitatis, ac etiam in ijs, qui voluntariè ſe faciunt tales per renunciationem, quæ dicitur meré realis, & extinctiua, iuxtà deducta in *ſua materia ſub tit. de renunciat. diſc. 1. cum plurib. ſequentibus*; Indignitas autem eſt priuatio, quæ ſupponit habitum, quoniam ille ſuccedit, atque acquirit bona, quæ tamen ab eo fiſcus aufert tanquam ab indigno, ipſo indigno adhuc re- 6 manente hærede in partibus odioſis, ac præiudicialibus, eodem modo quo filius ingratus remanet ſuus, ac in poteſtate in præiudicialibus, quamuis in honorabilibus, ac priuilegiatiuis omne ius patriæ poteſtatis amiſerit; Et è conuerſo in patre turpi, vel criminoſo cum filio; Sanè in Religioſo profeſſo expulſo tanquam incorrigibili, cum ſimilibus.

Quo verò ad alteram inſpectionem facti, ſeù applicationis; Reſpondi, quod probabiliores viderentur ipſius fratris partes pro dicti nepotis ingrati, ac exoſi excluſione, quoniam ſupponebatur iu- 7 ſtificari per tres teſtes, quod defunctus, dum à propria domo ad lazarettum, iuxtà miſerrimã epydemialis calamitatis conditionem, ducebatur, expreſsè coram eis declarauerat, vt dictus Ariadenus nepos nullam participationem in eius bonis habere deberet, tanquam ſibi exoſus, & ingratus; Quamuis enim dicti teſtes non ſufficerent ad concludendum teſta-

testamentum, seù vltimam voluntatem
8 inclusiuam, & ademptiuã, cum etiam de eo tempore ex decreto Alexandri VII. edito ad omnem ambiguitatem tollendam, quinque testes requirerentur; Attamen dicebam quod in hoc proposito, etiam duo, quinimò vnus iunctus cum adminiculis sufficere deberent, iuxtà di-
9 stinctionem pluries insinuatam *sub tit. de testamen. & sub altero de fideicommiss.*, ac alibi, inter nouam, ac dispositiuam voluntatem, et inter declarationẽ voluntatis ambiguæ, vt primo casu desiderandus veniat numerus sufficiens testium tanquam in testamento, seù noua vltima voluntate, secùs autem in secundò.

In hoc autẽ posteriori casu versari credebam, quoniam sub quæstione est inter DD. vt supra, an solum odium, seù causa ingratitudinis ad huiusmodi exclusionem sufficeret, pleriſque affirmatiuam
10 vt supra tenentibus ex sola ratione præsumptæ voluntatis morientis, quam alij diuersam sententiam sequentes negant, ex eo quod vbi id in animo habuisset, curasset decedere cum testamento, in quo personam exosam excluderet, atq; aliàs præsumptio est, quod decedere voluerit cum eo testamento quod lex pro se ordinauit; Igitur est quæstio ambiguæ voluntatis, quæ benè remanet capax declarationis, ideoque intret dicta secunda pars distinctionis.

In ea etenim quæstione, quam pluries disputaui præsertim *in vna Perusina* plenè tractata *apud Gabr. conf.* 129. *lib.* 2. &
11 *per Rotam apud Carill. decis.* 82. & 125. *repetit. decis.* 82. & 129. *par.* 8. *recen.*; An scilicèt testamentum, quod ratione caducationis, vel ex alio accidenti effectũ non habuit, sufficiat, nec nè ad excludendum ab *intestata* successione illum coniunctum, quem constat, quod moriens noluit habere successorem; Quamuis reprobata opinione *Angel. conf.* 206. & sequacium, magis recepta sit altera pro venientibus ab intestato, quamuis in testamento exclusis, vt firmatur *in dictis decis.* 82. & 125. *Carilli* canonizantibus firmata *per Gabr. d. conf.* 129.; Attamen fundamentum constituitur in benigna interpretatione voluntatis; Vel quia exclusio venientis ab intestato non habeat causam odij, sed illam maioris benevolentiæ ergà testamentarium, aut etiam illam modicæ benevolentię, non autem formalis auersionis, & odij positiui; Vel quod morti proximus, sequendo Christi præcepta, odia remittere voluerit, siuè quod signa reconciliationis accedãt, cum similibus considerationibus circa præsumptam voluntatem, quæ proindè benè declarationem admittit.

Fortiùs autem aduertebam id recipiẽdum esse in hac facti specie, quod atten-
12 to Iure Antiquo, cum cuius præsuppositio procedit textus *in dicta l. si cognatis*, successio soli fratri, attenta proximitate gradus per veritatem, seù naturam debita esset; Nepotes autem ex fratre prædefuncto, admittuntur ad coęqualem successionem ex quadam æquitatiua fictione, quã Ius Nouissimum introduxit mediante beneficio repræsentationis, ideoque cum istud sit beneficium fundatum in quadam æquitate, ab ista quoque regulandum veniat, et consequenter admitti debeat opinio *Salyceti* magis quàm altera communior, vtpotè fundata in dispositione textus *in dicta l. si cognatis*, qua attenta, iste nepos etiam non exosus, nullum concursum cum fratre prætendere potuisset.

NOVARIEN.

SVCCESSIONIS

Responsum pro veritate suppressis nominibus.

An legitimati per rescriptum ad instantiam, vel de consensu patris, cum clausula, *sine præiudicio venientium ab intestato*, habeant primam causam intestatę successionis, in exclusionem filiorum legitimorum fratrum, vel filiorum naturalium patris.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Legitimati cum clausula, sine præiudicio &c. non excludunt venientes ab intestato.*
3 *De eodem, & de ratione, & num. 10.*
4 *Legitimatio cum dicta clausula est vera legitimatio, non autem dispensatio.*
5 *Non autem in parte excepta etiam si à patre sit obtenta.*
6 *Declaratur conclusio, de qua num. 2. & 3. quando procedat.*
7 *Ad quid adijciatur, & operatiua sit dicta clausula, sine præiudicio &c.*
8 *De eodem respectu ipsius patris.*
9 *Considerandum est an de voluntate ipsius patris adiecta sit.*
10 *Ponderatur ratio, de qua num. 3. quando procedat, & quomodo ista quæstio decidi debeat.*

DISC. XXVIII.

Facto casu mortis ab intestato cuiusdam diuitis viri in hac Ciuitate, vel diœcesi, superstitibus quibusdam filijs naturalibus, qui ad instantiã eiusdem patris legitimati fuerunt per Collegiũ Scriptorum Archiuij Vrbis cum cõsueta clausula, *sine præiudicio venientium ab intestato*, et germana sorore legitima, & naturali; Orta est dubitatio, cui nam intestata successio debita esset; Quarè ex parte filiorum legitimatorum desuper pro veritate consultus fuit quidam huius Curiæ in parte doctrinali doctissimus, ac verè insignis Aduocatus enunciatus *sub tit. de seruitut. disc.* 74. (quo in hac parte doctrinali nõ cognoui maiorem); Ipseque iuxtà eius stylum in dicta sola parte, cum auctoritatibus tamen benè stringentibus, ac præcisis, non autem vagis, respondit contrà requirentes, cum magno, & accurato labore, cumulando plusquam quinquaginta DD. hanc opinionem tanquam veriorem firmantes, quorum plures refert *Merlin. de legit. lib. 1. tit. 2. quæst. 9. num. 3. cum seqq. Rota decis. 572. par. 5. recen. & dec. 35. par. 8.*, atq; ex eis multi descendunt ad istos præcisos terminos legitimationis ab eodem patre procuratæ.

Cum autem habito hoc Responso, dicti filij legitimati, vel eorum defensores in partibus, non acquiescerent dicto Responso, atque alterius Aduocati huius Curiæ iudicium audire cuperent; Hinc desuper ego, quamuis tunc iunior, dictoque Respondente longè inferior, desuper consultus; Respondi quod agendo de articulo in genere, siuè in abstracto, absque alia facti circumstantia, idem dicendum venire mihi videbatur, quoniam hæc videtur opinio, nedùm frequentior DD. calculo recepta, sed etiam melioribus munita rationibus, in quibus pro genio, ac stylo principaliter insistere cõsueui, quoniam, vt aduertitur *sub titul. de legit. & detract.* occasione agendi an filijs legitimatis debita sit legitima; Siuè àn illa, quam pater eis relinquat sub aliqua conditione, vel onere, consueta legitimæ priuilegia habeat pro conditionum, vel onerum reiectione; Quamuis reiecta sententia volentium, vt hæc species legitimationis ità qualificatę importet solum simplicem dispensationẽ, verior, magisq; recepta sit, opinio vt importet veram legitimationem, vt plenè discusso articulo firmatur *in dicta decis. 35. par. 8. recen.* vbi concordantes, pluries in alijs canonizata; Attamen id intelligitur in alijs, quàm in expressis, seù exceptuatis, in quibus habetur pro non extante, & acsi concessa non esset.

Neq; obstare dixi quod ad instãtiam eiusdẽ patris legitimatio obtenta fuisset, quoniã cum ipse ità qualificatã obtinere curauerit, negligendo illã obtinere purã, & generalẽ à Principe supremo, vel altero, qui refrœnatam nõ haberet potestatẽ à Constitutione Pij IV., ità censetur noluisse quod actus præiudicaret venientibus ab intestato, quos potiùs vocare voluerit; Ex ea ratione pluries hoc eodẽ titulo insinuata, quod moriẽs ab intestato censetur voluisse testari cum eo testamento, quod lex communis, vel municipalis pro eo fecit, vt in specie ratiocinatur præsertim *Galuan. cons. 18. num. 28. & seqq.*

Verùm aduertebam, quod cum ex proximè insinuata ratione, in casu quo legitimatio ab ipso patre procurata esset, seù aliàs de eius mandato, vel volun-

lun-

luntate serio obtenta, punctus reducatur
6 ad quæstionem ambiguæ voluntatis, ideoque potius ad factum, quàm ad ius, adeòque reflectendum esset, an facti circumstantiæ dictam præsumptam voluntatem tollere possent, atque contrariam suadere; Vt scilicet patris voluntas, obtinendo legitimationem, ad id directa fuerit, vt tollendo legis obstaculum, filios haberet successores; vt est nimium probabile, cum etiam per eos dicta macula ablata, agnatio, & familia conseruetur, vbi potissimum legitima proles desit, vt comprobat frequens Italiæ vsus notorius, probando scilicet quod pater, sequuta legitimatione, notabiliter immutasset tractatus cum filijs, eos publicando suos, ac retinendo domi ad mensam, eosque tractando in vestitu, famulatu, ac alijs eo modo, quo veri legitimi tractari solent, diuersimodè à bastardis, pro communi vsu, atque procurando vt conuersarenter inter nobiles, vel ciuiles eius sphæræ, aliaque peragerent, legitimis, non autem naturalibus congrua, pro facti qualitate, ac regionis more; Potissimùm verò ex differentiuo modo ab eodem patre tento ante, & post legitimationem respectiuè; Multò verò magis vbi cum amicis animum habendi dictos filios in successores explicasset, seù alia gessisset hanc voluntatem probantia, vel adminiculantia.

Ista etenim legitimatio, quamuis ità qualificata, ex veriori, magisque recepta sententia, est verè talis, non autem sim-
7 plex dispensatio vt supra; Clausula verò prædicta ex Constitutione Pij IV. potiùs adijci solita, principaliter operatiua est *in ijs*, quæ dependent à voluntate alterius, quam ipsius patris, qui filios legitimare voluit; Putà pro successione in fideicõmisso maiorum, vel feudo, seù emphyteusi pacti, & prouidentiæ, cum similibus; Et nihilominus etiam in istis, quoties voluntas fideicommittentis, vel primi acquirentis non resistat, sed assistat, dicta clausula operatiua non est, neque obstaculum præbet, vt aduertitur plu-ries *sub tit. de fideicomm.* præsertim *disc.* 68.; Vndè propterea isto casu, tam in patre, quàm in ipso legitimante, qui sit Principe inferior, dictamque facultatem ità limitatam habeat, concurrere videtur etiam defectus potestatis.

In bonis autẽ *liberis*, atq; ad liberam ipsius patris dispositionem, de alio non quæritur, nisi de eius voluntate, qua accedente *ista clausula nullius operationis est*; Adeout dicta volũtate assistente, legitima, quæ legitimatis relinquatur,
8 consueta priuilegia obtineat, eodem modo quo illa legitimorum, vt aduertitur *sub tit. de legit. & detract. disc.* 12.; Atque in summa, aliud isto casu non operatur nisi quod præseruet patrem ab ea necessitate, qua de iure præmitur relinquendi filijs legitimis legitimam liberã, cum honorabili titulo institutionis, vt scilicèt ad id inuitus cogi non possit; Sed eius voluntate assistente, nil differre videntur *isti legitimati à legitimis*; Et cõsequenter congruere videntur ea, quæ habentur *sub tit. de testamen. disc.* 26. 27. & 75. in materia testamenti patris inter filios, quod sufficiat sola probatio naturalis, & non requiratur solemnis.

Potissimè verò quia, vt plurimũ præsertim personæ idiotæ, siuè sint nobiles, siuè populares, huiusmodi legalium sub-
9 tilitatum ignaræ, ad huiusmodi qualitates, & clausulas aduertere non solent; Quinimò vt sæpissimè ego expertus sum neque legere, vel audire curant quid in priuilegio legitimationis cõtineatur, sinè an à Papa, vel ab Archiuio, aut ab alio Magistratu inferiori obtineatur, quoniam cogitatur solum ad substantiam faciendi actum legitimationis; Atq; vbi obtinetur à Curia Romana priuilegium in charta pergamena, non distinguitur in partibus, an illud sit Papæ, vel alterius inferioris, sed quotquot vident huiusmodi chartas à Romana Curia venientes, reputant bullas, & Breuia Papalia etiam simplicia monitoria A. C., quæ Breuia vulgò dicuntur, ac reputantur; Quinimò non desunt Rabolæ forenses, qui istam eorum correspondalium simplicitatem cõfirmant, & fouent, magnas pecuniarum summas ità extorquendo, seù verius furtum, ac rapinam committendo, ex eo quod essent Breuia, vel Bullæ Apostolicæ, vt insinuatur *sub tit. de iudicijs* in relatione, & praxi Curiæ.

Hinc proindè, ratio superius ponderata, quod quando pater non curat obtinere legitimationem puram, sed obtinet ità qualificatam, ità eius voluntatem explicare dicitur, non præiudicandi ve-

nientibus ab inteſtato, quodque ità decedendo, cenſeatur condere teſtamẽtum eo modo quo lex communis, vel muni-
10 cipalis illud ordinauit, eſt vera in abſtracto, ſed punctus eſt in concreto, ſeù in applicatione, quoniam rectè procedit quando conſtat quod pater ità ſciens, & volens hac ſpeciem legitimationis potiùs, quàm alteram obtinere ſtuduit, ſiuè quod ea directè, ac principaliter per eũ obtenta non ſit, ſed obtenta per ipſos filios naturales, vel alios eorum coniunctos, qui ſtudioſè patris ſimplicem conſenſum obtinuiſſent, abſque eo quod ipſe veriſimiliter cogitaſſet ad effectus exindè reſultantes; Vel quia habens filios legitimos, & naturales, conſtet hanc legitimationem obtinuiſſe ad alios effectus, reddendi ſcilicèt eos capaces illorũ munerum, & officiorum, quorum aliàs eſſent incapaces, & cum quibus prudens pater ipſos prouidere poſſet, retenta de facto inferiori qualitate filiorum naturalium diſcretorum à verè legitimis; Secùs autem vbi prolem legitimam non habens, obtenta legitimatione continente huiuſmodi reſtrictiones, potiùs ex ſtylo legitimantis, quàm ex eius voluntate, illos legitimos declarauerit, ac tractauerit, atque ab alijs recognoſci, & tractari curauerit, decedere verò inteſtatus potius à caſu, quàm electione prouenerit; Et in ſumma iſta eſt quæſtio facti ex iſtius qualitate, & circumſtantijs decidenda, non autem cum regulis, & doctrinis generalibus iuxtà conſuetã pragmaticorum ineptiam; Super his autem circumſtantijs, an illę aſſiſterent, nec nè, iudicium dari non potuit, cũ conſilium ità ſuper quęſtione in abſtracto ſuppreſſis nominibus petitum fuerit.

ROMANA HAEREDITATIS DE ARMANNIS.

PRO

ANNA,

CVM

IOACHINO, IO: BAPTISTA, ET ALIIS DE ARMANNIS

Caſus diſputatus coram Prælato, credo, reſolutus pro Anna.

De excluſione matris à ſucceſſione filij pupilli, eo quia non curauit infrà annum illi prouideri de tutore Et àn detur in hac materia purgatio moræ; Et de eiuſdem matris excluſione ob tranſitum ad ſecunda vota, non redditis prius rationibus tutelæ, per eam adminiſtratæ, quando, & quomodo id procedat.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Quando mater priuetur ſucceſſione filij ob non petitum tutorem.*
3 *De eadem priuatione ob non redditas rationes.*
4 *Datur purgatio moræ ſuper obligatione & pœna, de qua num. 2.*
5 *De concluſione, de qua num. 3.*
6 *Pœnæ ſecundo nubentium ſunt abrogatæ præter fauorem filiorum.*
7 *An filij religioſi in hoc propoſito conſiderentur.*
8 *De eadem concluſione, de qua num. 6.*
9 *Quod purgatio, de qua num. 4. non procedat de iure ciuili.*
10 *Contrarium verius.*
11 *Quando ius canonicum admittatur etiam in terris Imperij.*
12 *De adimplemento poſt terminum, an ſufficiat.*
13 *Quod pœnæ, de quibus num. 2. & 3. procedant etiam fauore extraneorum.*

14 *De-*

14 *Declaratur, & de differentia inter vnum, & alterum casum.*

DISC. XXIX.

1 DEfuncto Ioanne Baptista Lupo Annæ viro, superstite Veronica vnica filia pupilla, Anna mater, nullum actum iudicialem gerendo circà tutelæ acceptationem, illam de facto per annum, & menses exercuit, tam circà pupillæ educationem, quàm bonorum administrationem, deindèq; formiter eamdem tutelam in iudicio acceptauit, adimplendo solemnitates cum interuentu, & consensu Ioachini, & Ioannis Baptistæ eius fratrum; Valensque postmodùm ad secunda vota conuolare, curauit eidem pupillæ de tutore prouideri, rationes etiam suæ administrationis exhibendo, quamuis ob aliqua impedimenta, priusquàm secundæ nuptiæ sequerentur dicta redditio non omninò completa esset; In hoc autem statu sequuta morte dictæ Veronicæ in eadem pupillari ætate; Cum Anna tanquàm mater hæreditatem peteret, se opposuerùt prædicti Ioachinus, & Ioannes Baptista pupillæ auunculi, quibus aliàs tanquàm proximioribus, matre de medio sublata, dicta intestata successio debita esset, prætendendo illam excludere ex duplici capite.

Primò ex quo infrà annum non curauerit pupillæ de tutore prouideri, vndè propterea ipsius successione priuatur, quatenùs tamen illa in eadem ætate decedat, secùs si post illam completam, quando testari potest ad text. *in l. 2. §. si mater ff. ad Tertull.* §. *penult. Instit. eod.* 2 DD. communiter, de quibus *Cancer. par. 1. var. cap. 7. de tutelis num. 53.*, vbi de ampliatione, etiamsi de facto interim ipsamet mater administrasset, quia non per hoc pupillæ consultum dicitur *Guttier. de tutelis par. 1. cap. 16.* & per alios, de quibus infrà.

Et secundò ob transitum ad secunda vota non redditis prius rationibus tutelæ per eam triennio circitèr administratæ ad text. *in l. omnem Cod. ad Tertull. Auth. eisdem Cod. de secundis nuptijs*, & in corpore vndè sumitur; Vndè introducta causa coram Vicario, seù Prælato deputato.

3

Scribens pro Anna (cum sensu etiam veritatis) improbabilem dicebam huiusmodi prætensionem; Quatenus enim pertinet ad primam exclusionis causam, ob neglectam tutoris petitionem; Cum post tres vel quatuor menses anni decursi eadem Anna re integra tutelam acceptauerit, omniaque adimplenda impleuerit, hinc proindè quæcumque mora per eam desuper contracta, purgata remansit, & quæ moræ purgatio (quicquid de stricto rigore iuris ciuilis in contrarium dixerint *Salicet. in l. sciant num. 7. & 8. Cod. de legitimis tutoribus*, & cæteri 4 *per Cancer. dicto cap. 7. num. 56. Montan. de tutelis cap. 18. num. 22. Merenda controu. Iur. lib. 24. cap. 4 n. 17.*); Verius est vt de canonica æquitate intret vt per *Alex. & Bart. in d. l. sciant*, & cæteri *per Gabr. de tutelis conclus. 1. num. 22. Guttier. de tutelis par. 1. cap. 16. post nu 68.* vbi hanc dicit opinionem benignam, & veram, *Galganett. eodem tract. lib 3. q 28. num. 38. Surd. dec. 48. num. 8.* benè *Spada conf. 305. num. 8. cum sequen. lib. 3.*, vbi quod contraria opinio *Saliceti*, & sequacium procedit de stricto iure ciuili, secùs autem de æquitate canonica in hac materia purgationis moræ admittenda; Accedente præsertim iusta causa simplicitatis, seù ignorantiæ muliebris, ac etiam alia circumstantia, vt ius pupillæ interim effectum non sit deterius, stante bona administratione de facto per eamdem matrem gesta, adeòvt adesse solum videretur quædam culpa iuris in negligendis solemnitatibus, quarum ignorantia de facili in muliere admittenda est, vbi nulla cõcurrat culpa vera, seù malitia de facto, quæ ad huiusmodi pœnæ incursum attendenda videtur, vt per *Spad. vbi supra, & Gratian. discept. 668. num. 7.*

Quoueròad alterum exclusionis caput, ob non redditas rationes, difficultas tollebatur ex solo facto, in quo per causæ Patronum de redditione docebatur; Scribentes autem pro oppositoribus replicabant, quod neque per hoc satisfactum esset, ob non sequutam reliquatus restitutionem, dum ista per allegata iura copulatiuè demandata est; Verùm 5 hoc obiectum pariter de facili dupliciter tollebatur; Primò nempè ex motiuo illiquiditatis causatæ ex eorumdem oppositorum culpa, & facto, dum per aliquas

eorum

rum oppositiones malitiosè protra-
ctas, peritus aliquas partitas controuer-
sas certificare non potuit, quas tutrix
credebat non debere, ideoque prætendi
non poterat mora pœnæ inductiua, à
qua incertitudo, seù illiquiditas semper
excelat *ad text. in l. 2. Cod. de vsuris Af-
flict. & ibi Vrsill. dec. 205. Duran. dec. 346.
in fin.* & passim.

Et secundò quia hæc est vna de pœnis
perius nouissimum secundò nubentibus
6 inflictis; Istæ autem pœnæ generaliter
fauore libertatis matrimonij abrogatæ
sunt, illis tantum firmis remanentibus,
quæ concernant fauorem filiorum ex
primo matrimonio superstitum *Sanchez
de matrimonio lib. 7. disput. 87. num. 39.
Capyc. Latr. dec. 22. num. 1. Rota dec. 479.
n. 9. p. 1. rec. dec. 116. 181. 223. 267. &
503. par. 5. rec.* & in alijs frequenter; Id-
7 que adeò verum, quod etiamsi filij prio-
ris matrimonij superfint, sed sint Religio-
si de Religione incapaci in communi
& in particulari, adhuc dictæ pœnæ ces-
sant ob non existentiam filiorum capa-
cium, ad quorum commodum pœnæ
prædictæ cedere possint; Solaq; difficul-
tas est, vbi sint Religiosi de Religione
capaci, quo casu adest aliqua inter Scri-
bentes discrepantia, vt liquet ex deductis
*in Romana successionis de Comitibus de-
qua disc. sequ.*

Et in terminis indiuidualibus istius
pœnæ amittendi filij pupilli succession-
8 nem ob transitum ad secunda vota, antè
redditionem rationũ tutelæ administra-
tę, & restitutionẽ reliquatus plenè *Capyc.
Latr. dec. 131.*; Ideoq; cũ in præsenti nul-
lus ex primo matrimonio superstes esset
filius, ad cuius commodum cederet suc-
cessio, à qua mater excluderetur, sed id
opponeretur per collaterales, quorum
nihil interest, an mater vidua permanse-
rit, vel binuba effecta sit, hinc proindè
indebitè huiusmodi pœna obijciebatur.

Aduersùs istas responsiones replica-
bant Scribentes in cõtrarium circa mo-
ræ purgationem, quod cum illa proue-
niat ex æquitate canonica, attendenda
non erat in Vrbe, vbi ex Statuto seruan-
9 dum est ius ciuile, quo attento dicta æ-
quitas intrare non debet allegando in id
Peregr. consil. 20. aliàs *Aldouin. apud eum
num. 15. lib. 4.*; Verùm leuis erat replica-
tio, quoniam vbi ius partis effectum non
est deterius, purgatio moræ re integra
admittitur etiam ex intentione iuris ci-
uilis, vt benè *Mantic. dec. 270. num. 5.*
vbi cõcordantes; Et nihilominus vbi etiã
ex sola æquitate canonica resultaret, ad-
huc magis communis, & recepta opinio
est, vt etiam in Terris Imperij, & vbi vi-
10 uitur cum iure ciuili, ista æquitas ad-
mittenda veniat, vt relatis opinionibus
hinc indè, verius firmat *Fulgin. de em-
phyteusi tit. de solutione canonis q. 6. n. 7.*
vbi quod etiam Iudei admittuntur ad
moræ purgationem; Idque vltra rationes
per Fulgineum & alios deductas, ex eis
probari videtur, quod nullibi de iure
ciuili huiusmodi purgatio prohibita re-
peritur; Vbi autem aliquid est dubium
de iure ciuili, seù ab eo non est defini-
11 tum, sed expressè definitum est à iure
canonico, tunc istud tanquam in ca-
su omisso suppletiuum attendendum est,
etiam, vbi cum iure ciuili viuatur, vt be-
nè *apud Merlin. decis. 671.* aliàs *decis. 30.
num. 34. cum sequen. par. 7. rec. decis. 206.
p. 6.* & in alijs nõ curata dicta auctorita-
te *Aldouini apud Peregr. vbi supra*, cum id
solùm deducatur pro ratione dubitandi,
& iuxtà illas superfluas, & incidentes di-
ficultates, quæ ex stylo Consulentium
ad reddenda Consilia copiosa, deduci so-
lent.

Omnemque difficultatem in proposi-
to cessare dicebam, quoniam quæstio
12 de admittenda, nec ne, purgatione mo-
ræ, procedit vbi res esset *in fieri*, quia
nempè morosus velit illam purgare, al-
ter autem, cuius interest purgationem
non sequi, illi se opponat, atque impe-
diat; Secùs autem vbi ille, cuius interest
adimplementum in tempore sequutum
vel non sequutum esse, post elapsum ter-
minum scit & patitur illud sequi, cum
tunc videatur ità moram remisisse *ad
text. in l. post diem ff. de l. commissoria.
Mantic. dicta dec. 270. n. 14. & 16. Greg.
& Adden. dec. 75. & 148. Romana locatio-
nis 10. Iunij 1661. corã Verospio* impress.
post collectar. Bondeni dec. 88. & sæpius.

Replicabant ijdem Scribentes quoad
alium punctum cessationis pœnarum se-
cundò nubentium fauore extraneorum
de auctoritate *Franch. dec. 167., Guttier.
d. cap. 16. n. 117. Surd. cons. 175. n. 15. Sce-
13 cin. cons. 39. num. 11. & sequen. lib. 1.* ad
probandum, quod huiusmodi pœna etiã

ho-

hodiè non sit correcta, dicendo præsertim quòd in dicta *decis.* 479 *n.* 9. *par.* 1. *rec.* id ex cursu calami firmetur, se fundando *in consilio Aretini* 40. communiter reprobato ex deductis *per Guttier. vbi supra num.* 123. *& seqq.*

Verùm hæc replicatio laborabat æquivoco manifesto; Allegati enim & alij, nō loquuntur de ista pœna priuationis successionis ob non redditas rationes tutelares, & non restitutum reliquatum antè transitum ad secunda vota, sed loquuntur de alia pœna ob non petitum tutorem intra annum, ad quam pœnam incurrendam nil commune habent secundæ nuptiæ, quoniã siuè illæ contrahantur siuè non, ea incurritur, cũ ius Digestorũ, à quo id prouẽit, huiusmodi distinctionem non dederit, neque super secundis nuptijs aliquam fecerit prouisionem, vndè propterea non benè ab vno casu ad alterum inferebatur; Præsertim quia eodem Digestorum Iure attento, dari non poterat casus alterius pœnæ ob non redditas rationes tutelares antè transitum ad secunda vota, cum tunc, etiam mater, & auia comprænderentur sub generali inhabilitatione mulierum ad tutelæ munus publicum exercendum, vtpotè habilitatæ solùm per ius nouissimum Authenticorum; Ideoque credo, quod cum iustitiæ fundamento pro matre sententiarum fuerit, nisi aliqua concordia controuersiam terminauit, dum post binas disputationes, non audiui amplius de causa actum.

ROMANA SVCCESSIONIS DE COMITIBVS PRO COM: MARCO ANTONIO DE MARSCIANO.

Casus disputatus coram A. C. & in Rota, & concordatus.

An dispositio textus *l. fœmina C. de secundis nuptijs* super necessaria successione reseruanda per matrem binubam filijs primi matrimonij in bonis obuentis à successione filij defuncti, locum habeat solum in successione immediata, vel etiam in mediata.

Et an dicta necessaria successio procedat fauore illorum filiorum, qui sint religiosi professi.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *De primis decisionibus huius causæ in materia renunciationis.*

3 *De læsione in transactione.*

4 *Quando transactio obliget successores.*

5 *De punctis disputatis.*

6 *Ascendentes secundi gradus succedunt cum fratribus.*

7 *Quod dispositio* l. fœminæ, *non procedat in successione mediata.*

8 *De distinctione inter medium directum, & transuersum.*

9 *Impugnatur conclusio de qua num.* 7. *ac etiam distinctio de qua num.* 8.

10 *Dispositio* l. fœminæ *procedit etiam fauore nepotum, & quando.*

11 *De ratione in quà fundata est* l. fœminæ.

12 *De eodem, & quare non subsistat distinctio de qua num.* 8.

13 *Filij religiosi professi habentur pro non extantibus ad effectum* l. fœminæ,

14 *Distinguitur inter Religionem capacem, & incapacem.*
15 *Impugnatur distinctio.*
16 *An Monasterium habeat ius vindictæ, & querelæ prò iniuria Monaci.*
17 *Monasterium succedit directè, & immediatè iuxta opinionem Canonistarum.*
18 *Quod vera sit distinctio de qua num.* 14.
Quomodo dicatur pœna hæc successio ex fœminæ.
20 *Declaratur conclusio de qua num.* 17.
21 *Si mater binuba de tempore successionis est vidua, an procedat l. fœminæ.*
22 *Aliud est considerare iniustitiam in causa noua, aliud pro informatione.*
23 *Quomodo Iudices in hoc debeant ponderare conclusiones.*

DISC. XXX.

BAldassare de Cobnitibus defuncto ab intestato, superstitibus Cornelia auia materna, aliàs binuba, tunc autem vidua, Cleria germana sorore, ac Angela, & Hippolyta amitis, omnibus monialibus professis in Monasterio Sanctæ Catherinæ de Senis, orta dictæ successionis controuersia inter dictam Corneliam, & Monasterium ex persona monialiũ, introductaque causa in Rota coram Dunozetto, duæ prodierunt decisiones inter se variæ *sub diebus 15. Ianuarij & 23. Iunij* 1642. impressæ inter illas eiusdem *dec.* 641. & 676., quarum prima est repetita post *Marin. resol.* 190. *lib.* 2., illæq; sũt celebres in materia renunciationis, an esset realis, vel personalis, siuè an facta intuitu ingressus in Religionem, requireret solemnitates statutarias, vt pluries insinuatur in sua materia *sub tit. de renunciationibus*; Deindeque inter Partes deuentum est ad concordiam iuxta seriem insinuatam quoque *sub tit. de feud.* ad materiam Bullæ Baronũ *disc.* 96., *& sub tit. de seruit.* ad materiam retractus *disc.* 85.

Post diuturnam autem pacificam obseruantiam, Monasterium, prætendendo ex dicta concordia se notabiliter læsum, litem super eius rescissione instituit coram A. C. contra Marcum Antonium Corneliæ defunctę ex secundo matrimonio filium ac hæredẽ, & donatarium, (cũ quo etiam dicta concordia inita fuerat) atque post plures disputationes habitas coram Iudice ex parte Monasterij, obtentum fuit rescriptum à Sanctissimo quod procedere deberet de voto Rotæ, vbi assumpta disputatione *coram Bichio*, nulla capta fuit resolutio, idque ansam dedit nouæ concordiæ, quæ litem terminauit.

In primis disputationibus de anno 1642. habitis *coram Dunozetto*, ego non scripsi, vtpote tunc existens in patria, nec quidem cogitando de accessu ad Curiam; De conclusionibus autem, seu punctis in decisionibus contentis, actum fuit in hoc nouo iudicio ad effectum impugniendi, an adesset, nec ne læsio, cuius ratione Monasterium transactionem im-
3 pugnabat; Quamuis enim Curia Romana constanter teneat opinionem (ab aliquibus acriter) negatam, vt in transactione locum habeat dispositio textus *in l. 2. Cod. de rescind. vend.* ex deductis *sub tit. de empt. & vendit.* præsertim *disc.* 27. & alibi; Attamen vt ibidem habetur, prolæsione regulanda, attendendus non est valor bonorum, seù iurium in lite existentium, sed ille futuri euentus probabilis, qui est nimium difficilis æstimationis, vnde propterea plures credunt id esse impracticabile; Verũ Rota, & Curia in hoc nimium largè agit, atque ad id dignoscendũ reassumit cognitionem meritorum, seù iustitiæ, vel *iniustitiæ* vt ita id dignoscatur, vt insinuatur etiam pluries in alijs materijs occasione agendi
4 de conclusione, an transactio afficiat successores venientes iure proprio indepẽdenter à transigente, vt præsertim *sub tit. de feud. disc.* 49. & sub illo *de emphyt. disc.* 52. & sub illo *de fideic. disc.* 172. *cum seq.* & insinuatur *sub tit. de alienat. & contract. prohibit. disc.* 50., vbi remissiuè de pluribus ad materiam transactionis.

Quamuis autem in dictis decisionibus principaliter agatur de materia renunciationis, an esset realis, vel personalis, & an requireret solemnitates præscriptas à Statuto Vrbis, Attamen in nouis disputationibus, isti puncti ex parte
5 Monasterij neglecti fuerũt, solumq; actũ de duobus; Primò nempè an dispositio *textus in l. fœminæ* in successione filij primi matrimonij in bonis in eum obuentis à primo viro, procedat solum in ijs,

quæ

quæ in defunctum, de cuius successione agitur, immediatè obuenerint à primo viro, vel potius capiat etiam ea, quæ ex successione mediata obuenerunt, qualis erat casus controuersiæ, quoniam primo viro successerat Euander filius, cui deinde morienti successerat dictus Baldassar primi viri nepos, ac successor mediatus; Et secundò an eadem dispositio textus *in dicta l. fœminæ* fauore filiorum primi matrimonij superstitum de tempore mortis matris binubæ, procedat in filijs, qui tunc essent Religiosi professi.

Non dubitabatur etenim de alia conclusione firmata *in dicta prima decis. 641. Dunozetti*, vbi concordantes allegantur, quod ex veriori magisque recepta opinione (quamuis à contradictionibus nõ immuni) parentes vlteriores post patrẽ, vel matrẽ, istis de medio sublatis, æqualem concursum habent in successione intestata cũ fratribus, vel sororibus vtrinque coniunctis, quamuis primum locum occupent.

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum mediatæ, vel immediatæ obuentionis; Cũ Rota vsque ab anno 1616. istam quæstionem formiter, & ex professo disputauerit *coram Martin. Andr.*, atque amplexa fuerit opinionem vtpote magis communem, ac melius fundatam, vt dispositio dicti textus procedat solùm in bonis à primo viro immediatè obuentis, ad illum filium, de cuius successione agitur, non autem de illis, quæ obuenerunt mediatè ex successione alterius, istãque opinionem, quam etiam latè tuetur *Castill. de vsufruct. cap. 1. num. 60. & seqq.* firmatam *apud Martin. Andr. inter suas decis. 74. repetit. decis. 771. par. 3. rec.* pluries deinde eadem Rota tenuit *vt dec. 177. par. 4. rec. tom. 2. num. 8. decis. 527. num. 14. eadem par. 4. tom. 3. dec. 242. num. 17. par. 6.* cum alijs apud *Cels. decis. 72. num. 14. & seq.*

Hinc proindè, Scribentes pro Monasterio, non impugnabant conclusionem, vbi ageretur de medio collaterali, quia nempè defuncto prius vno ex filijs primi matrimonij, alter ei successerit tãquã frater, qualis est casus, *de quo in dicta dec.* agitur; Dicebant autẽ secus esse vbi agatur de medio directo, quia nempè filio primi gradus, qui primi viri hæres extitit, successerit eius filius ita eiusdem primi viri nepos iuxta distinctionem traditam *in dicta secunda decis. 676. Dunoz* fundatam *in conf. 347. Anchar. & conf. 58. Ruini lib. 5.*

Mihi scribenti pro Marco Antonio Reo conuento, videbatur, quod si quæ probabilis dubitandi ratio cadere posset, ea procederet super dicto articulo in genere, cum in proprio sensu magis placeret, probabiliorque videretur alia opinio, vt indistinctè dispositio dicti textus locum habere debeat in mediatis, ac im-
9 mediatis attenta, origine, dum pro genio, ac stylo semper visum est abhorreri debere formalitates verborum, siuè grãmaticales significationes, & an dictio *ex* denotet causam mediatam præcisè, nec nè, cum similibus frigiditatibus ex solalegum littera desumi solitis, cum verius procedendum sit attenta substantia veritatis, ac fine, seu effectu per legem considerato, qui est, ne filij secundi matrimonij potiantur bonis obuentis à primo, ideoque filij, vel descendentes primi viri videant eorum patris, vel aui bona occupata à personis exosis, ipsis exclusis.

Præsupposita verò, seù retenta dicta diuersa opinione firmata in allegata *dec. 74. Martin. Andr.*, & in alijs distinguente inter causam mediatam, & immediatam; Dicebam, etiam in sensu veritatis, improbabilem videri præfatam subdistinctionem inter medium transuersum, ac directum, cum nulla dignosci videatur probabilis differentiæ ratio, atque auctoritates *Anchar. & Ruin.* locis citatis, deductæ quoque in præfata disputatione habita de anno 1616. *coram Martin. Andr.*, nominatim reprobantur *in dicta decis. 74.*, cum vis quæstionis consistat, an attendi debeat hæc distinctio mediati, vel immediati in genere, siuè an spectari debeat origo, non autem circa qualitatem medij.

Obseruando præsertim quod hęc distinctio inter medium directum, & trãsuersum, originem habet ab æquiuoco claro desumpto ab aliquibus auctorita-
10 tibus firmantibus quod dispositio dicti textus *in l. fœminæ*, procedit non solum fauore filiorum primi matrimonij, sed etiam nepotum, ac vlteriorum descendentium, quamuis primum locum non occupent ex deductis in eisdem *decisionibus*

bus Bunozetti, & apud *Celsi dec. 72. n. 20.* Id enim continet æquiuocum clarum, non circa veritatem conclusionis, sed circa applicationem; Procedit etenim in illis nepotibus, vel descendentibus, qui prædefuncto patre, primum locum occupent de tempore quo fiat casus successionis, vndè propterea agatur de nepote veniente iure actiuo ad successionem, non autem quod congrua differentiæ ratio intret inter vnam speciem medij, et alteram, quoties admittatur dicta distinctio causæ mediatæ, & immediatæ in ordine ad successionem passiuam, quoniam vel talis distinctio in totum neganda est, vel in totum acceptanda.

Quinimo obseruabam quod discurrendo materiam per rationes, eadem distinctio inter causam mediatam, & immediatam, potius reprobari deberet in dicto casu medij transuersi, de quo agitur *in dicta dec. 74. Martin. Andr.*, quoniam si dispositio dicti textus *in l. fœminæ* fundata est in iniuria, quæ fiat filijs primi matrimonij, alijsq; descendentibus, maior est iniuria eorum, qui sint primi, & immediati, quàm eorum qui sint vlteriores et consequenter non videtur subesse cogrua ratio, cur dicta pœna procedere non debeat in filijs primi gradus, & debeat procedere in nepotibus remotioribus, gradus vlterioris.

11

Et secundò quoniam de iure Codicis fratri morienti, soli fratres in tota proprietate succedebant, parentes autem in solo vsufructu *ad textum in l. fin. Cod. ad Tertull.*, nepoti verò succedebant soli ascendentes, exclusis amitis, solumque certa portione patruis assignata, ideoque potentius est ius vlterioris ascendentis in bonis nepotis, seu descendentis vlterioris gradus, quàm sit illud filiorum primi gradus, ergò si in isto casu, in quo minus habet ius, intrat dicta distinctio causæ immediatæ, & mediatæ, iuxta opinionem firmatam à Rota, quæ non impugnabatur, multo magis, & à fortiori in isto; Ideoque quantum dignosci potuit in vnica disputatione Rota inclinabat in hunc sensum, qualem quoque habebat iudex causæ, et consequenter Monasterium aliqua modica maiori vtilitate reportata, liti cessit.

12

Quò verò ad alterum punctum, an scilicet habenda sit ratio filiorum primi matrimonij, qui essent religiosi professi;

13 Prima decisio coram *Dunozetti* 641. procedit cum propositione firmata *decis. 223. & 267. par. 6. rec.*, & *decis. 503. par. 5.*, vt filij religiosi professi, tanquam mortui Mundo, habeantur pro nò extantibus.

In posteriori autem *decis. 676.*, nouæ adhibetur distinctio recepta in materia

14 intestatæ, vel fideicōmissariæ successionis de qua pluries *sub tit. de fideicommiss.* inter capacitatem, & incapacitatem Religionis in communi, quasi quod habendi sint pro mortuis filij Religiosi professi in Religione inducente incapacitatem tam in particulari, quàm in communi, secus autem vbi illam inducat in particulari tantùm.

Scribens ego, impugnando hanc distinctionem more Aduocati ad causæ oportunitatem, dicebam illam improbabilem esse, quoniam ratio conclusionis

15 non consistit in capacitate, vel incapacitate, sed consistit in pœna vindictæ, quæ filijs præstatur ob iniuriam sibi illatam per transitum ad secunda vota ex deductis *dicta dec. 267. num. 19. par. 6. & dec. 503. num. 9. par. 5.* vbi concordantes; et consequenter, quod cum hæc iniuria iam illata esset antequam dictæ filiæ, vel neptes ex primo matrimonio professionem emitterent, ita remissa erat per illius cuiuscumque iniuriæ remissionem, quæ fit in formula professionis.

Atque ad id deducebam ea, quæ ex teris relatis plenè habentur *apud Farin. quæst. 13. nu. 24. & seqq. & Rouit. pragm.*

16 *8. de compos. n. 19. & seqq.* super quæstione, an Monasterium habeat ius vindictæ pro iniuria facta monacho, quoniam distinctio est, an agatur de iniuria facta postquam erat Monachus, et tunc habeat; Secus autem, si anteà.

In idem quoque ponderando deficientem rationem, cui dicta lex innititur, vt scilicet bona primi viri per transitum ad secunda vota offensi, redeant ad eius

17 filios, & descendentes in dictæ iniuriæ compensationem quæ ratio non intrat vbi agitur de professis, non solum ob rationem incapacitatis in particulari, sed etiam quia iuxta opinionem Canonistarum, quam Rota, & Curia sequitur, Monasterium succedit immediatè, ac iure suo, non autem mediatè, ideoque succedit

cedit extraneus, non autem filius.

Verum reflectendo ad veritatem aduertebam quod vbi, non extante transactione, agendum esset de ipso puncto successionis, adhuc indeciso, an scilicet intraret, nec ne dispositio dicti tex. *in d. l. fœmina* distinctio esset vera, quodque filijs primi matrimonij quamuis religiosis in Religione capaci dicta successio debita esset, quoniam professio non tollit iura naturalia, & sanguinis, ideoque sicuti non tollit ius ordinariæ successionis ab intestato, ac fortius non tollit ius successionis necessarię ex fideicommisso, ne cum puro, & restitutorio, in casu mortis, sed etiam illo, quod ex communi Iuristarum loquendi vsu dicitur pœnale ob alienationem, vel aliam contrauentionem, ità non videtur subesse congrua ratio cur professio in Religione hanc fideicommissariam successionem à lege ordinatam impediat.

Ea verò quæ dicuntur de remissione iniuriæ, ac vindictæ, continere videntur consuetas mentias eorum, qui in sola littera legum procedunt; Id enim dicitur per quemdam modum loquendi pro explicatione rationis, vel impulsus legis ad ita statuendum, non autem, vt dicatur formalis pœna criminalis illius vindictæ, cuius prosequutio viris religiosis prohibita est, quoniam esset dare absurdum per sacros Canones expressè damnatum, quod scilicet matrimonium redoleret delictum vindicta dignum, pro quo formalis pœna irroganda veniat, non pro refectione damni, sed loco vindictæ; Verius etenim est quod Ius nouissimum benignè agendo cum parentibus, qui à filiorum successione in proprietate excluſi erāt, voluit eos ad id admittere sub ista cōditione, seù qualitate, adijciendo implicitum onus fideicommissi, ac restitutionis filijs ex eo matrimonio superstitibus, eodem modo quo illud adiecit super lucris nuptialibus tāquam ex implicita, seù præsumpta voluntate primi coniugis, à cuius substantia in alterum binubum bona obueniunt immediatè, vel etiam mediante successione filiorum.

Pœna siquidem dicitur etiam per Iuristas illa superius insinuata fideicommissi, quod ad differentiam puri in casu mortis, (quod restitutorium dicitur,) cōseruatorium appellatur, in casu scilicet alienationis vel contrauentionis, et tamen fabulosum esset dicere, vt illi Religiosi, qui succederent in restitutorio, non deberent succedere in isto conseruatorio redolente pœnam ob iniuriam testatori illatam contrauenienti eius dispositioni, quod cum terminis delicti, & ingratitudinis explicari solet, quoniam non est pœna formalis in bonis proprijs in vindictam, ac punitionem, sed est subtractio lucri de alienis bonis ex voluntate domini ob non retentam qualitatem ab eo volitam.

Prout fallaciam continet dictum argumentum deductum ex opinione Canoniſtarum super directo, ac proprio iure Monasterij independenter à persona monaci, quoniam vt alibi pluries aduertitur, & præsertim *dicto tit. de fideicommiss.*, istud est priuilegium Religionis, & Monasterij, et nè in libito monaci, vel professi sit nolle acquirere, ad instar illius iuris, quod habet dominus in successione delata seruo, non autem vt dicatur succedere Monasteriū tanquam extraneus, quoniā si religiosus non adesset in rerum natura, vtique Monasteriū non succederet, neque concursum cum alijs vocatis prætendere posset, cuius contrarium, non refragante testatoris voluntate, est verius.

Deducebam quoque tanquam Aduocatus ad causæ opportunitatem, quod neque versaremur in terminis dicti textus *in l. fœminæ*, stante quod de tempore apertæ controuersiæ successionis, auia erat in statu viduitatis ob secundum matrimonium iam dissolutum, et consequēter quod hic status attendendus veniret, non curato secundo matrimonio, siuè præcesserit, siuè post iam obtentam successionem in statu habili subsequatur, vt per plura media probare conatur *Gyriac. controu. 367. num. 44 & seqq.*, qui dicit hunc punctum esse nouum à nemine tractatum nisi per *Menoch. consil. 278.*, quem reprobare studet, quasi quod iste casus à dicta lege sit omissus, atque sub ea non comprehensus.

Paritèr autem, reflectendo ad veritatem, istud motiuum, quando causa esset integra, videbatur minus tutum; Tum ob auctoritatem *Rot. decis. 45. n. 8. & seqq. p. 7. recen.* vbi firmatur idem quod dicit

Menoch. d. cons. 278, (quamuis neque de illo, neque de *Cyriaco* mentio habeatur); Tum etiam quia probabiliora videntur *Menochij* fundamenta ob rationis idēitatem, quæ rectè intrat, dum versamur in lege communi, non autem in Statuto, quod strictè, & rigorosè intelligendum sit, potissimè, dum est ius non exorbitans, & correctorium, sed potiùs reintegratorium iuris antiqui, nimiùmque rationabile, & æquum.

Ambo tamen motiua, quamuis essent in meo sensu respectiuè fallacia, oportunè deducebantur, atque consideratione digna erant, quoniam ob diuersitatem opinionum, negari non potest, quin essent quæstiones disputabiles, ac expressè in iure non decisæ, et propterea transactio, de cuius infirmatione agebatur, sustineri deberet, idque minueret valorem iuris, quod erat in controuersia pro excludenda læsione; Atque in hoc consistere quoque debet aduertentia Iudicantis, vel Consulentis ad veritatem, quod scilicèt in quæstionibus dubijs habentibus opiniones hinc inde; Aliud est considerare magis vnius, quàm alterius opinionis probabilitatem in causa noua, & integra; Aliud verò ad effectum iudicādi super rescissione transactionis, vel super ea iniustitia, quæ deducatur pro restitutione in integrum aduersùs rem iudicatam, vel aduersùs tres conformes, cum similibus; Atque in hoc versatur clarum æquiuocum, quod quotidie experimur, quoniam examinatur in quæstionibus dubijs vna, vel altera opinio pro hac iniustitia conuincenda perindè acsi esset causa noua, & integra, quod manifestum errorem continet.

22

23

ANCONITANA DOTIS PRO NICOLOSA CVM PIERA DE BONANGELIS.

Casus disputatus coram A. C., resolutus pro Nicolosa, postea, vt credo, concordatus.

An bona primi coniugis obuenta in alterum binubum, non ex successione, sed ex renunciatione filiorum primi matrimonij, subiaceant necessariæ successioni resultanti ex dispositione textus *in l. fœmina*.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *De quæstione an renunciatio prosit etiam filijs secundi matrimonij, pro affirmatiua.*

3 *Contrarium verius.*

4 *De differentia an tempore renunciationis secundæ nuptiæ contractæ essent, necnè.*

5 *Declaratio eius qui renunciationem fecit attendi debet.*

6 *De distinctione in quæstione, de quo num. 2. & 3.*

7 *In dubio iuxtà sensum, de quo num. 3.*

8 *De alia distinctione, an pater renunciatarius decedat testatus, vel intestatus.*

9 *De distinctione pacti de non petendo.*

DISC. XXXI.

1 EX prima vxore Franciſci Mariæ Bonangeli, superstitibus tribus filiabus, Cū duæ ex eis vitam spiritualem eligendo, Monasterium ingressæ, accepta dote dari solita Monasterio, aliisq; consuetis appendicijs, patri renūciam de paternis,

ternis, maternis, & sororijs feciſſent; Eo autem defuncto ſuperſtitibus Nicoloſa tertia filia ex prima, & Piera vnica filia ex ſecunda vxore, inter iſtas ſuper paterna hæreditate orta eſt controuerſia, an ſcilicet Nicoloſa præcipuam detrahere deberet integram dotem maternam, vel potius propria virili contenta, reliquæ duæ portiones ſororum monialium, ſtante dicta renunciatione, ſpectarent ad paternam hæreditatem ad commune commodum; Hinc proindè introducta cauſa coram A.C., ad fauorem filiæ primi matrimonij, me pro ea ſcribente, prodijt reſolutio, decernendo ſcilicèt mandatũ contrà hæreditatem pro integra dote, atque altera Parte de more recurrente ad Signaturam pro commiſſione appellationis in Rota cum clauſula translatiua executionis, incertum eſt quid reſcriptum fuerit, neq; amplius de cauſa actũ audiui; Vel quia (vt probabile eſt) concordata fuerit; Vel quia mutauerit defenſores, vt frequenter contingit ex mutatione cauſæ Patroni, ex quo Aduocatorum electio, ac reſpectiuè mutatio pendere ſolet.

In diſputationibus autem deſuper habitis, tam coram A.C., quàm in Signatura, punctus erat, an, & quæ opinio pro-
2 babilior videretur, an ſcilicèt illa *Alex. conſ.* 149. *lib.* 7. & aliorum, de quibus plenè de ſtylo *Surd. conſ.* 244., vt renunciatio acquireretur patri pleno iure; Vel potiùs illa quæ refertur *Aretino conſ.* 90., vt cedere debeat commodo aliorum filiorum eiuſdem primi matrimonij, qui ſuperſunt, adeout ex identitate rationis in huiuſmodi bonis ità renunciatis intret eadem neceſſaria ſucceſſio, quæ reſultat ex diſpoſitione textus *in l. fœmina Cod. de ſecund. nupt.*, vt in eis præcipua ſit ſucceſſio filiorum primi matrimonij, denegata participatione illorum ſecũdi.

Atq; vbi facti particulares circumſtãtiæ neutri Partiũ aſſiſterent, adeò vt ageretur de quæſtione in ſolo puncto iuris,
3 tũc ſcribens pro filia primi matrimonij etiam in ſenſu veritatis dicebam, quod adhuc probabilior videretur hæc poſterior opinio *Aretini*, vt ex veriſimili, tàm renunciantis, quàm renunciatarij volũtate, renunciatio facta patri per aliquos filios primi matrimonij de iuribus ſibi cõpetentibus in dote, alijſq; bonis maternis, regulariter, vbi aliud expreſsè dictum non ſit, facta cenſetur, vt ſuccedant alij filij ex eodem primo matrimonio ſuperſtites, abſque participatione filiorum ſecundi, quoniam, nec æquum, nec rationale videtur, vt iſti, qui ſunt minus in iure priuilegiati, habeant integram dotem, aliaque bona eorum matris, abſq; eo quod aliquid communicent fratribus ex alia matre ſuſceptis, & quod debeant participare de dote, ac bonis matris prædictorum; Ideoque *Aretini* opinionem magis communiter ſequuntur DD., de quibus apud *Boer. dec.* 184. *num.* 1. *cum ſequen. Aluarad. de conjectur. voluntate lib.* 2. *cap.* 3. §. 2. *Niger. in cap. Regni mulier dotarium num.* 56. *Hodie rn. in l. hac edictali quæſt.* 11. *num.* 12. *cum ſequen. Molin. de Ritu nuptiar. lib.* 3 *quæſt.* 85. *num.* 10. *cum ſequen. Merlin. lib.* 1. *controu.* 32. *Bottilier. de ſucceſſ. ab inteſtat. theorem.* 51. *per totum*, apud quos concordantes.

Clariùs verò in hac facti ſpecie ex duplici circumſtãtia omnem difficultatem remouente; Primò quia de tempore re-
4 nunciationis, pater non tranſierat ad ſecunda vota, ſed ſolùm habebat filios primi matrimonij veriſimiliter à ſororibus renunciantibus contemplatos, iuxtà ea quæ deducuntur infrà *diſc.* 33., et inſinuantur in ſua materia *ſub tit. de renunciat.*, ideoque difficultas cadere ſolet, quando, pater cui fit renunciatio, eſſet binubus, cum tunc renunciãs caſum cogitare potuerit, vt habetur locis citatis.

Et ſecundò quod quæſtio prędicta cadit, vbi omninò ſumus in ambiguo, ſecùs autem, vbi dictæ voluntatis inditia, vel coniecturæ habeantur, vel eiuſdem
5 renunciantis declaratio accedat, quod talis fuerit eius voluntas, vt in ſpecie obſeruat *Molin. dicta quæſt.* 85. *num.* 50.; Et generaliter de donatoris declaratione attendenda etiam ex interuallo non obſtante irreuocabilitate actus ex regula, quod qui declarat, non diſponit, ſed adinſtar excutientis grana à ſpicis, quid factum ſit aperit, vbi præſertim declaratio ſit veriſimilis, ac iuris aſſiſtentiam potiùs, quàm reſiſtentiam habeat, neque ſuum commodum reſpiciat *Cyriac. contr.* 295. *num.* 30. *cum ſequen. Otthobon. deciſ.* 119. *num.* 8. & *deciſ.* 195. *num.* 18. & ſæpiùs in ſua materia *ſub tit. de donation.*;

Et

Et hic erat casus, quoniam Moniales renunciantes adhuc viuebant, atque declarabant quod talis fuerat earum voluntas.

Scribentes in contrariũ, vltrà auctoritates *Alexandri*, & *Surdi* locis citatis, ac aliorum apud eos, magnũ fundamentum constituebant in Rotali decisione edita *in Romana dotis* 30. *Maij* 1644. *coram Peutingerio*, impress. *decis.* 290. *par.* 9. *recen.*, in qua firmatur æqualis successio omnium filiorum tanquàm in bonis iam effectis communis patris, qui de eis etiam in extraneos disponere potuisset; Verùm, quidquid esset de illius decisionis subsistentia in suo casu (quod iuxtà Curiæ stylum abhorrentem superflua examinatũ non fuit); Dicebam quod pũctus erat in applicatione, ob quam decisio prædicta potiùs huic parti assistere videbatur, dum admittit distinctionem traditam *per Molin. dicta quæst.* 85. *num.* 60., an scilicèt renunciatio facta sit per verba expressè vniuersalia, quia nempè dicatur pro hæredibus, & successoribus quibuscumque, vel potiùs simpliciter pro se, & suis &c., vt primo casu ob expressam comprehensionem etiam hæredum extraneorum, filij aliarum nuptiarum istis deteriores esse non debeant, secùs autem in secundo, in quo sub illis simplicibus verbis indefinitis, ex iam dicta probabili ratione, ac verisimili voluntate, indefinita non æquipollet vniuersali, sed ratione subiectæ materiæ intelligenda est de hæredibus sanguinis ex primo solùm matrimonio, de qua distinctione *Montan. controu.* 9. *Hodiern. d. quæst.* 11. *num.* 38. *Bottilier. d. theor.* 51. *n.* 9., apud
7 quos habetur, quod licèt regulariter renunciatio, seù donatio facta patri, & suis cõueniat etiam hæredibus extraneis iuxtà *desis.* 230. *Guid. Pap.*, nihilominùs intelligitur in materia pænitùs indifferenti, & vbi verisimilitudo aliud non exigat.

Ponderabã tamẽ quod difficultas tũc intraret, neque præmissa de facili recipiẽda essent, quãdo pater renunciatarius decedendo testatus, animum declarasset
8 super æquali omnium successione etiam in istis bonis, seù aliàs de eis disposuisset, ex propositione, de qua frequenter in dicta sua materia *sub tit. de Renunc.*, quod istæ à filiabus per eos dotatis procurari solẽt ad effectũ acquirendi, disponendi libertate; Secùs autem vbi contrarium animũ non declarat, decedendo intestatus, cum tunc, ratione dictæ verisimilitudinis, ista renunciatio ad hunc effectum censeri debeat personalis, atq; in gratiam filiorum eiusdem matrimonij tantùm.

ROMANA
HÆREDITATIS
PRO
MAVRITIO DE ASTE
CVM
DONATO PALAMOLLA.

Discursus arbitramentalis in congressu.

Ad materiam textus *in l. hac edictali Cod. de secund. nupt.*, an scilicèt secundus vir obtinere possit plus, quàm quilibet ex filijs primi matrimonij; Et an in huiusmodi æquali successione regulanda, detrahi prius debeat tanquam præcipua legitima filiorum.

Et àn in amasio, seù concubino procedat idem, quod in secundo viro.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Diuisio inter filios primi matrimonij & secundum virum fit de toto asse, non detracta legitima.*

3 *Contrarium verius.*

4 *Et non habetur ratio lucri dotalis.*

5 *An dispositio* l. hac edictali, *procedat in amasi., qui assimiletur secundo viro.*

6 *Quid fauore filiorum naturalium tãtum*

cum

cum alio amasio procreatorum.
Et quid respectu naturalium procreatorum cum eodem.

DISC. XXXII.

CVm Aurelia habēs ex primo matrimonio enunciato *subtit. de dote disc.* 24., Mauritium vnicum filium, scripto hærede particulari filio in sola legitima, hæredem vniuersalem instituisset Donatum secundum virum, hinc orta inter eos, post mortem testatricis, controuersia extraiudiciali, eaque benevole remissa in cuiuslibet contēdentium respectiuè Aduocatos, ille autē secundi viri in congressu desuper habito diceret, legem testamenti esse claram, ideoque Mauritio filio debitam esse tertiam partem alijs hæreditarij pro legitima, reliquam verò Donato hæredi vniuersali; Vel ad summum, vbi dictæ testamentariæ dispositioni obstaret textus *in l. hac edictali Cod. de secund. nupt.*, per quem disponitur, vt mulier binuba non possit plus dare, vel relinquere secundo viro, quàm cuilibet ex filijs primi, quod tunc procedendo cum æqualitate in eodem textu præscripta hæreditas inter eos æqualiter diuidenda esset.

Diuersa fuit mea sententia, in quam traxi Collegam, vt scilicèt Mauritio filio bessis debitus esset, reliquum verò triens ad secundum virum pertinere deberet, & non vltrà, atque ità sequutum fuit concorditer.

Quamuis enim plurium sententia sit, vt æqualitas per dictum textum demandata inter secundum virum, & quemlibet ex filijs primi matrimonij enunciata 2 *sub tit. de dote* occasione lucri dotalis *disc.* 130. *& seq.*, ac etiam *sub tit. de donationibus disc.* 50. indefinitè procedere debeat, habita ratione totius assis, nulla facta præcipua deductione legitimæ per filios, vt tenent quamplures relati per *Hodiern. ad l. hac edictali quæst.* 7. *num.* 1. *& sequen.*

Attamen Rota, & Curia Romana inconcussè tenet diuersam sententiam, quā 3 veriorem putant *Hodiern. d. quæst.* 7. *nu.* 14. *& sequen. Marta de succession. par.* 3. *quæst.* 11. *art.* 1., & alij plures apud *Hodiern. ibid.*, vt scilicèt prius tanquam æs alienum detrahi debeat legitima fauore filiorum, deindeque quod supereſt, æqualiter diuidatur, vt plenè cæteris relatis sequendo originalem *decis. Crescent.* 4. *de testament.* firmatur *in Urbeuetana restitutionis dotis* 6. *Februarij* 1640. *coram Merlino* inter suas *decis.* 828. *in Romana successionis* 18. *Maij* 1646., *&* 14. *Iunij* 1647. *coram Corrado*, impress. *decis.* 406. 4 *num.* 4. *par.* 9. *recen.*, *decis.* 326. *num.* 3. *par.* 10., & in alijs, ac etiam locis citatis aduertitur, vt etiam lucrum statutarium veniat *in* portione viri.

Et consequenter dum versabamur in Curia, dicebam, quod opus non erat examinare quæstionem per rationes, ac principia, & quæ nam opinio probabilior esset in puncto iuris, cum id contineret inanem, ac superfluum laborem à Romanę Curiæ commendabili stylo abhorritum, dum cum ista opinione passim proceditur.

In proposito autem huius necessariæ successionis resultantis ex dispositione dicti textus *in l. hac edictali*; In vna *Romana hæreditatis de Nerijs* pro Catharina Cæcilia, cum Arrigonijs, pro veritate 5 consultus fui, an eadem æqualitas procedere deberet inter filiam naturalem, & amasium, seù concubinum, quem mulier, præterita filia, hæredem vniuersalē instituerat; Respōdi, quod vbi ageretur de filia legitima, & naturali ex matrimonio susceptā, vndè ageretur de amasio, vel cōcubino viduæ, tunc casus esset planus, vt dispositio *d. l. hac edictali* à fortiori intraret, vt in specie cæteris relatis probat *Hodiern. in repetitione huius l. hac edictali quæst.* 20. vbi concordantes; Diffi- 6 cultas autem erat, quod ageretur de filia naturali tantùm, susceptā per mulierem solutam, quæ licèt respectu matris non illustris, cessante circumstantia coitus damnati, non differat à legitima, & naturali, adeò vt æquale sit ius intestatæ successionis, ac etiam necessariæ in legitima; Attamen non reperitur in iure priuilegiata, dū textus loquitur de filijs, ex primo matrimonio susceptis; Ideoq; prohibitiones restringentes libertatem disponendi c. bonis suis generaliter cō petentem, ampliandæ non videntur, vt de eadem lege non suffragante naturali-

bus

bus tantùm habetur apud eundem *Hodiern. quæst.* 17.

Extrà verò omnem dubitationem cõtrà ipsam filiam requirentem respondi, ex eo quod ipsa esset procreata ex eodẽ
7 amasio, seù concubino, qui hæres à muliere institutus fuerat, ideoque cessabat quæstio in radice, dum sicuti vxor non prohibetur, relicta filijs legitima, virum, ac respectiuè ipsorum filiorum patrem hæredem relinquere, ità (quoties ex alia ratione non intret prohibitio legis disponendi ad fauorem amasij) ex eadem ratione, seù proportione idem dicendum videtur; Adhuc tamen occasio non dedit id formiter in foro disputare, quoniam rari sunt isti casus.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De punctis disputatis.*
4 *An pœnæ secundò nubentium procedant etiam in viro.*
5 *Consensus expressus, vel tacitus filiorum ex secundis nuptijs an suffragetur.*
6 *De cautela desuper adhibenda.*
7 *Renunciatio non capit hanc successionem ex l. fœminæ.*
8 *Quid si renunciatio facta est post contractas secundas nuptias.*
9 *Quod in hac facti specie renunciatio capiat istam successionem.*
10 *Dos congrua quæ dicatur.*
11 *In hac materia attendi debet substantia voluntatis.*
12 *Ex pretij quantitate deducitur voluntas.*
13 *Renunciatio quandoque est præuentiua solutio eius, quod debetur renuncianti.*
14 *Consideratur circumstantia, de qua numer. 8.*
15 *De regula tenenda in metienda, seu interpretanda renunciatione.*

ROMANA SVCCESSIONIS DE PELEGRIS,

PRO ANTONIO PELEGRO CVM VERONICA FILIA.

Casus decisus per Rotam pro Antonio.

An dispositio textus *in l. fœminæ* procedat etiam contrà virum contrahentem secundas nuptias; Et an excusetur consensus filiorum, seù alia iusta causa; Et incidenter an renũciatio capiat hanc successionem necessariam debitam ex dicto textu *in l. fœminæ*.

DISC. XXXIII.

1 DIssoluto matrimonio per mortem mulieris superstitibus pluribus filijs, masculis, & fœminis, quorum aliqui in infantili, seù pupillari ætate constituti erant; Antonius, de consensu, ac etiam consilio filij maioris, in ordine præsbyterali constitutus, secundam duxit vxorem, deindèque Veronicam primi matrimonij filiam maritauit Stephanonio, cum dote scutorum 3.m., cuius intuitu consuetam ab ea reportauit amplã renunciationem, de quibuscumque successionibus, bonis, & iuribus paternis, maternis, & fraternis, qua tamen non obstante, occasione postmodùm subsequutæ mortis vnius, vel plurium eiusdẽ primi matrimonij filiorum, Veronica prætensionem excitauit super integra successione in bonis maternis iuxtà dispositionem textus *in l. fœminæ Cod. de secund. nupt.* stante transitu patris ad secunda vota, contrà quẽ adhuc viuentem iudi-

iudicium instituit coram A.C. à quo sententiam fauorabilem reportauit; Sed introducta per appellationem causa *in Rota coram Albergato sub die 27. May 1658.* contraria prodijt resolutio patri fauorabilis, quæ est *decis. 351. par. 12. recen.*, neque, quod sciam, causa vlteriorem progressum habuit, vel quia actrix acquieuerit, vel quia concordia secuta sit.

In disputatione autem habita in Rota, singula coram ego pro Antonio scripsi, quæ reducuntur ad punctum; Primò scilicèt an dispositio dicti textus *in l. fœminæ*, qui literaliter loquitur de muliere transeunte ad secunda vota, locum quoque habeat in viro; Secundò an quatenus in viro quoque procedat, in hac tamen facti specie cessare deberet, eo quia dictus transitus factus esset de consensu, imò etiam consilio vnius ex filijs primi matrimonij ex iusto motiuo melioris educationis aliorum filiorum, quorum etiam consensus, seu approbatio accedere videbatur, dum pacificè conuixerant cum patre, & nouerca, istam diligendo, ac tractando tanquam matrem; Et tertiò an in omnem euentum, quatenus neque id Antonio suffragaretur, renunciatio istam successionem complecteretur.

Quatenus pertinet ad primum; Quamuis ego scribens pro Antonio ex fundamentis ponderatis *per Fachineum lib. 3. controu. cap. 64.*, cum quo transire videtur *Cyriac. controu. 137. num. 9.*, dicerē quod cum textus *in d.l. fœminæ* loquatur de muliere, non erat eius dispositio trahenda ad virum; Tum ex regula generali prohibente extensionem pœnalium; Tum etiam ex diuersitate rationis, quod scilicèt in mulieribus vigeat quædam maior verecundia, transeundo ad secunda vota, per quæ viro defuncto quædam iniuria inferri dicitur, vndè Iuristæ dicunt quod eius anima cōtristatur, quod è conuersò non reperitur scriptum in muliere, vbi vir secundam duceret vxorem, vndè propterea DD. tam antiqui, quàm medij de muliere binuba, ac respectiuè matre in hac materia agunt, nō autem de viro, vel patre respectiuè.

Attamen agnoscebam motiui fallaciam, ab initio pro stylo parti insinuatā, quoniam ex natura correlatiuorum magis communiter receptum est præsertim vero constanter in Rota, & Curia Romana, vt idem procedat in viro, vt cæteris relatis firmatur *per Rotam dec. 45. num. 2. par. 7. rec. in Asculana hæreditatis 7. Aprilis 1650. coram Celso inter suas dec. 87. in eadem 27. Ianuarij 1653. coram Dunoz. inter suas dec. 929. Add. ad Baratt. dec. 82.* & in alijs frequenter, cum sit propositio receptissima, quę hodie absque aliqua disputatione præsupponenda venit, adeovt tirocinium, vel ineptam chartarum replectionem importet allegationum cumulus, qui desuper fiat in Curia, ideoque meritò motiuum neglectum fuit.

Quo verò ad alterum punctum deductum ex consensu, ac respectiuè ratihabitione filiorum primi matrimonij cum concursu iustæ causæ; Quamuis ego more Aduocati, nimium in eo insisterem, atque motiuum amplificarem; Attamen reflectendo ad veritatem (pariter ab initio insinuatam), illud minus probabile reputabam, ideoque meritò de per se, ac in abstracto consideratum, neglectum fuit; Dicebam tamen illud esse nimia consideratione dignum ad effectum regulandi tertium motiuum renunciationis, quod fuit causa resolutionis.

Quamuis enim filiorum expresso consensu accedente, plures pro certo credant vt pœnæ secundò nubentium cessent, tanquam ex cessante ratione iniuriæ, quæ inferri non dicitur volenti ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Menoch. cons. 237. num. 19. Castill. de vsufruct. cap. 2. n. 111. Cappyc. Latr. dec. 22. ibique add.*; Quin immò vt sufficiat etiā consensus tacitus, qui resultat à cohabitatione, potissimè accedente dicto iusto motiuo ducendi vxorem in gratiam filiorum pro eorum meliori educatione latè probare conatur *Cyriac. dicta controu. 137. num. 20. cum seqq.*; Attamen verius, magisque receptum est, vt consensus implicitus, vel præsumptus, deductus à cohabitatione cum patre, & nouerca, quin immo etiam explicitus ad id non sufficiat, cum non audeant filij in hoc parentis voluntati se opponere, vndè propterea non contradictio, vel etiam approbatio referri debet modestiæ, ac reuerentiæ, et consequenter tanquam actus

virtutis hoc præiudicium causare non debet, vt cæteris relatis aduertitur *per Rotam dec. 88. 197. & 242. par. 6. rec. Romana Domus 10. Iunij 1649. coram Cerro adden. ad Burat. dec. 82. Capyc. Latr. dicta dec. 22. num. 46.*; Vndè propterea requiritur vt consensus ità positiuè detur, quod filij benè certiorati, sciant istud præiudicium exinde resultare; Idèoquè cautela est, vt volens pater ad secunda vota conuolare, adeat Iudicem, atque
6 deputato filijs minoribus, vel pupillis curatore, causa cognita, obtineat licentiam ducendi secundam vxorem sine incursu pœnarum, tanquam pro seruitio, & vtilitate eorumdem filiorum, pro eorum educatione & custodia, præsertim si sint fœminæ, dum aliàs simplex consensus approbatiuus non videtur aptus tollere hoc ius, quod, vt aduertitur *in Romana successionis de Comitibus disc. 30.* non importat pœnam formalè compensatiuam iniuriæ, & vindictæ, sed potius quãdam speciem fideicommissi rationabiliter per legem ordinati.

Demùm quoad tertium punctum renunciationis, attendendo istam solam, & de per se cum solis terminis generalibus regulæ, quod renunciantibus ad iura sua non datur amplius regressus, non videbatur motiuum tutum, quoniàm magis communiter receptum videtur, vt
7 simplex renunciatio successionibus, & bonis paternis, & maternis, non capiat hanc speciem successionis pœnalis, nisi expressè, vel coniecturaliter constet de illa quoque actum esse, vt cæteris relatis *probant Fontanell. de pact. claus. 5. glos. 8. par. 4. num. 40. cum seqq. Hodiern. in l. hac edictali quæst. 11. nu. 60. & seqq. de Marin. resol. 273. num. 8. lib. 1. Rota decis. 45. in fine par. 7. rec.*, & de quo etiam agunt *Merlin contr. 32. lib. 1. Altogr. iun. controu. 27. Bottilier. de successiab intest. theorem. 51.*, quorum aliqui præsertim *Fontanell.*
8 *vbi supra* firmant id procedere etiam si renunciatio facta sit parenti iam binubo, et sic post iam contractas secundas nuptias, quo casu plurium sententia est ab eodem *Fontanell.* relatorum, vt renunciatio etiam hanc speciem successione capiat, tanquam ius iam apertum, seù delatum.

Benè verum quod in hac facti specie, quamuis renunciatio iudi modo concepta esset, atque attento verbali contextu non haberet illam amplitudinem, quam aliqui credunt necessariam esse pro hu-
9 iusmodi compræhensione, adhuc tamen, ex particularibus circumstantijs, verius omnino videbatur, eam compræhendi, ideoque (reflectendo etiam ad solam veritatem) resolutio iusta, beneque fundata visa est; Siquidem attentis illis circumstantijs, de quibus ad regulandam
10 dotis congruitatem, habetur *sub tit. de dote disc. generali 144.*, ac in aliquibus discursibus particularibus, nempè qualitate patris, quantitate eius patrimonij, consuetudine particulari desumpta ex dote materna, aliarumque coniunctarũ numero filiorum &c., ista dos in summa scutorum triũ mille, quã pater constituerat, verè excessiua erat, dum etiam mediocritas ad congruitatem sufficiebat, ideoque attenta ea saluberrima sæpius insinuata propositione, vt non cortex, & formula verborum, sed substantia verissimilis voluntatis attendi debeat; In idem
11 quoque accedente altera pariter sæpius insinuata, recepta propositione, quod ea pretij quantitate desumitur quid Partes in contractũ deducere voluerint, istaque dicatur optimum voluntatis argu-
12 mentum; Ita liquidò constare dicebam, quod pater benè sciens obligationem reseruandi huic filiæ primi matrimonij eã proprietatem, quam ex primę vxoris substantia in manibus duplici titulo habebat; Vno scilicet successionis aliorum filiorum; Et altero proprio lucri statutarij, quod vir vxore præmoriente de tota dote facit, cum obligatione eam in casu mortis restituendi filijs illius matrimonij, ad dirimendam omnem quæstionem, quæ post eius mortem cum filijs secundi matrimonij, ab hac filia primi moueri posset, largiùs cum ea agendo, ità præuentiuè in vita dare voluit id, quod non nisi in morte dare tenebatur, ad hũc effectum renunciam procurando, quamuis ex Notarij imperitia hæc voluntas viri idiotæ non benè explicata esset, dũ adamussim dos materna, quam ad summum rigorem hæc filia post mortem patris ex hoc necessaria successione sperare poterat, respondebat excessui vltrà illam dotem congruam, quam pater constitue-

stituere tenebatur; Quin immò plus attenta opinione, de qua in Romana successionis *de Comitibus disc.* 30. vt dispositio textus *in l. fœminæ* non procedat in ijs, quæ obueniunt ex successione mediata, faciendo hanc detractionem; Ideoq;
13 actrix intùs habebat quod petebat, dū pater ita præuentiuè etiam exuberanter, vt melius filiam collocaret, illi dedit in vita, quod prætendere poterat in morte, vt in proposito ponderant *Rouit. conf.* 46. *num.* 26. *lib.* 1. *Montan. contr.* 10. *num.* 24., & alij de quibus in causæ decisione.

Istaque circumstantia posita, benè in idem conferre dicebam alteram supra in-
14 sinuatam, quod renunciatio sequuta erat post iam sequutas secundas nuptias, et sic istud ius delatum, & agnitum iuxtà distinctionem de qua ex *Castr. conf.* 254. *in fine lib.* 1. & alijs *Galerat. de renunc. centur.* 2. *capit.* 128 *numer.* 11. *Molfes. ad consuet. tom.* 1. *de renunc. qu.* 9 *n.* 35. cum alijs *per Fontanell. vbi supra* (quamuis ipse dubitet), quoniam dubitatio rationabilis est, vbi ista circumstantia sola, & de per se consideretur ab alijs non vestita, secus autem vbi aliud accedat, quod id suadeat.

Hinc proindè, cum ista dicatur potius quæstio facti, & voluntatis, quàm iuris,
15 vt plures aduertitur in sua materia *sub tit. de renunc.*, occasione agendi de comprehensione bonorum, & successionum siue de benigna, & lata, vel è conuerso stricta, & rigorosa interpretatione renunciationis, aut de eius natura, & qualitate metienda, an sit realis, vel personalis; Pro meo iudicio erroneū est hāc materiam regulare ex doctrinis, vel propositionibus generalibus, vel ex decisionibus in aliquibus casibus æditis, siuè ex litterali sensu verborum, eorumque grammaticali significatione, quoniam principaliter spectandum est ad statum rerum, ipsius renunciationis tempore attento, aliasque circumstantias suadentes tam renunciantis, quàm renunciatarij verisimilem, ac rationabilem, beneque regulatam voluntatem, non autem iuxta consuetas insipiduras Collectorum, vel subtilitates Consulentium pedagogico more insistere in rigoroso grammaticali sensu verborum, quæ frequentius ma-
nus, non à contrahentibus, sed à Notarijs, qui etiam frequentius eorum significationem, vel sensum ignorant; Isteque videtur verus, ac rationabilis modus decidendi has controuersias.

ROMANA SVCCESSIONIS

DE AMBROSIIS

PRO

FRANCISCA MORELLA

CVM

IOSEPHO MAZZOCCHIO.

Casus disputatus coram A. C. sopitus per concordiam.

An illa proprietas, quæ per parentem binubum reseruanda est filijs primi matrimonij, transmittatur per dictos filios, qui parenti binubo prædecedant, in eos, quorum fauore per testamentum, seù aliàs dispositum sit; Et de cessatione dispositionis textus *in l. fœminæ* in ijs, quæ parens binubus, non ex intestata successione, sed ex voluntate filij morientis obtinet.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Dispositio* l. fœminæ *procedit fauore filiorum, quatenus matri superuiuant.*

3 *Limitatur si filij præmorientes decedant cum testamento.*

4 *Reprobatur limitatio.*
5 *Pœnæ secundo nubentium sunt correctæ quæ non concernant fauorem filiorum.*
6 *Expenduntur doctrinæ super dicta reprobata limitatione.*
7 *De quæstione an filius possit priuare legitima matrem binubam.*
8 *Quæ sit differentia inter filium morientem ab intestato, vel cum testamento.*
9 *Expenduntur plura iura in hac materia.*
10 *Expenditur alter tex. in hoc æquiuocè ponderari solitus.*
11 *De rationibus, quibus innituntur tenentes limitationem.*
12 *De iuribus pro regulæ limitatione ponderari solitis.*
13 *An promissa in dotem hæreditate simpliciter, censeatur de tota, vel de sola portione dotatæ.*

DISC. XXXIV.

1 DOminicus de Ambrosijs Franciscæ vir., hæredem instituit Iulium filium., Annæ Fœlici filiæ congrua dote relicta; Cum autem ad breue tempus sequuta esset mors Iulij ab intestato, Franciſca, Annam filiam maritauit Iosepho, illiin dotem assignando hæreditatem Dominici patris, cum suis oneribus, ac iuribus actiuis, & passiuis, talis qualis erat; Sequuta vero etiã morte dictæ Annæ Felicis absque prole, scriptis æqualiter hæredibus Franciſca matre, & Iosepho viro, orta est inter eos controuersia coram A. C. super modo diuidendi hæreditatem, quoniam Franciſca mater prætendebat, vt ista cõsisteret in sola medietate dictæ hæreditatis Dominici, testatrici delata ex intestata successione Iulij Fratris, cum alia medietas delata esset ipsi matri ex persona propria; E conuerso autem Ioseph prætendebat quod integra hæreditas prædicta data fuisset in dotem, ita matre se abstinente à portione sibi delata, vt in filiæ dotatione concurreret; Quodque in omnem euentum, vbi etiam data esset in dotem sola portio propria, adhuc tamen altera portio matri delata, debebatur testatrici saltem ia proprietate ob transitum matris ad secunda vota iuxta dispositionem textus *in l. fœminæ C. de secund. nupt.*; Post aliquas autem disputationes habitas, liti finem dedit concordia, quam ego consului, ac facilitaui ex primo tamen motiuo, potius quàm ex secundo.

Quatenus igitur ad hunc secundum motiuum pertinet; Dicebam scribens 2 pro matre, vt non intrarent termini textus *in l. fœminæ Cod. de secund. nupt.* cum procedant ad fauorem filiorum ex primo matrimonio superstitum, quatenus superuiuant ex deductis *per Mart. decis. 22. num. 25. Fontanell. de pactis claus. 4. glos. 9. par. 1. num. 16. cũ seqq. Fab. de Ann. con. 74. num. 13. & seqq.* & communiter; luc, adeò verũ, vt aliqui credant, vt sola mortis ciuilis in proposito sufficiat ex deductis *supra in Romana successionis de Comitibus disc. 30.*

Non negabant Scribentes in contrarium veritatem conclusionis, vbi filij primi matrimonij præmoriantur ab intestato; Dicebant verò secus esse vbi moriantur cũ testamento ex doctrina *Bolognin. in addit. ad Matthesilan. de success. ab intest. art. 2. principali vers. Item dubitari potest num. 22.*, quem relatis eius verbis sequitur *Io. de Garronib. in repet. Auth. ex testamento C. de secundis nupt. n. 79.*, eosdemque referunt, & sequi videntur *Soccin. iun. conf. 97. lib. 4. & conf. 71. lib. 2. Gabr. de 2. nupt. concl. 3. num. 31. Merlin. de legit. lib. 4. tit. 2. quæst. 2. num. 13. Rot. dec. 201. num. 5. post eumdem Merlin. de legitim.* plenè *Cammarat. respon. 46. ex n. 84. tom. 1.*

Verùm, etiam in sensu veritatis, dicebam id continere fallaciam manifestam, tam attentis auctoritatibus, quàm ratio- 4 nibus; Attentis autem auctoritatibus iuxta opinionem *Matthesilan.* in specie firmant *Aretin. in S. præferuntur nu. 8. vers. Item dubitari potest Instit. ad Tertull. Guliel. de Bened. in cap. Raynutius* verbo & *Vxorem nu. 85. plenè Sanchez. de matrim. lib. 7. disput. 89. num. 37.* vbi pluribus fundamentis, ac auctoritatibus hanc dicit veriorem, reiecta contraria per ipsum relata *num. 29.*, atq; omnium latius forte melius *Riminald. iun. conf. 305. num. 88.*

cum

cum seqq. vbi ex professo examinat articulum, ac reprobat *Bolognin.& Garron.*, quem dicit in grauem errorem incidisse, atque hanc esse veriorem dicunt *Gutier de Matrimonio cap.* 109. *num.* 46. & *Sperell.dec.* 33. *num.* 12. & *sequen.*, vbi quod iniquum esset, vt mater priuaretur hac proprietate, quam filij non essent habituri.

Idemque comprobant auctoritates generaliter firmantes, vt omnes pœnæ secundò nubentium ista præsertim intelligi debeant, quatenus redundent ad fauorem ipsorum filiorum primi matrimonij superstitum, quo fauore cessante remanent correctæ per ius canonicũ, *vt per Bart.cons.* 54. *num final. lib.* 1. & *in auth.ex testam. Cod. de secundis nuptijs*, *vbi Salicet.* & cæteri *Aretin. cons.* 40. *n.* 4. *Sanchez. dicta disput.* 89. & alij *per Castill. de vsufructu cap.* 2. *num.* 11. & 16. *Boss.de matrim. cap.* 11. *n.* 370., vbi quod sufficit filios esse mortuos, antequam veniat casus restitutionis.

5

E conuersò superius relatæ auctoritates exceptis *Bolognino*, & *Ioanne de Garronibus* habendæ non sunt in consideratione, vtpotè non examinantes articulũ, sed incidenter, seù relatiuè loquentes; Siquidem *Soccin. Iun. cons.* 71. *lib* 1. non facit ad casum, dum ibi ex filio defuncto fuerat superstes filius, ac respectiuè nepos, in quem dicta proprietas transmittitur, cum in proposito nepotes veniant sub nomine filiorum ex deductis *per Burat. & Adden. decis.* 82. *Gratian. in addit. ad discept.* 519. atque idem *Soccin. cons.* 97. *lib.* 4. nihil firmat, sed solum dicit, quod secundùm vnam opinionẽ id prætendi potest, & *Gabr. de secundis nuptijs concluf.* 3. *n.* 31. est simplex relator tanquàm adnotans in repertorio non examinando articulum, neque propriam sententiam interponendo; *Et Merlin. de legitima lib.* 4. *tit.* 2. *q.* 2. *num.* 13. pariter loquitur incidenter, non examinato articulo, occasione tractandi de diuersa quæstione, àn vltimus filius primi matrimonij moriens testatus, excludere possit matrem binubam à legitima, in qua quæstione hic Auctor etiã satis æquiuocauit, vt actum habetur in *Bonon. sub tit. de legitim. & detractionibus disc.* 11; *Et Rota dec.* 201. *n.* 5. *post eumdem Merlin.* pariter id dicit incidenter ex auctoritate *eiusdem Merlini*, non examinato articulo, vtpotè ab eo casu extraneo, dum ex filia prioris matrimonij, quæ matri binubæ superstes etiam fuerat, supererat filia, & sic durabat fauor filiorum, ac successiuè pœna, vndè propterea remanent solum dictæ auctoritates *Bolognin. & Garron.* quæ suffocantur ab alijs ex professo contrarium tenentibus vt supra.

6

7

Clarius verò, attentis rationibus, seù iuris principijs, quæ in iudicando, vel consulendo primatum obtinere debent; Eis enim *inspectis* euidenter liquet, Auctores prædictos solenitèr æquiuocasse; Siquidem differentia inter filium prioris matrimonij morientem ab intestato, vel cum testamento, ad illum solum effectum in iure consideratur, quod si condito testamento, filius matrem tunc vel posteà binubam *instituat*, seù aliàs ad eius fauorem disponat, tunc illa succedit pleno iure, quamuis alij filij eiusdem matrimonij supersint, itàut nõ intret hęc pœna obligationis *reseruandi* alijs filijs proprietatem, cum tunc mater capere dicatur, non à prouisione legis tanquam mater, sed ex testamento, sicut quilibet extraneus; Idemque si dispositio sequatur inter viuos, vt expressè habetur *in auth. ex testam. Cod. de secundis nupt. & in corpore vnde sumitur, in* §. *cũ igitur auth. de nõ eligen. secũdò nuben. & in* §. *hinc nos auth. de nupt.*; Atq; in hoc consistit æquiuocum *Bolognin. & Garron.*, se fundantium in differentia, quam lex constituit inter casum successionis testamentariæ & ab intestato, quoniam vera quidem est differentia, sed ad diuersum effectum vt supra; Ex ea rationis differentia quod quando mater succedit ab intestato, dicitur capere ex dispositione, & beneficio legis, à qua proindè priuatur, quando verò capit ex testamento, dicitur capere ex voluntate hominis tanquam extraneus, vt est communis sententia Legistarum *in dicta Auth. ex testamento* & Canonistarum *in cap. finali de secundis nupt.* de quibus benè *Gomez. ad leg.* 14. *Tauri num.* 12. *Sanchez. de matrimonio dicto lib.* 7. *disput.* 89. *num.* 41. *Altogr. cons.* 49. *num.* 7. *lib.* 2. *Bottilier. de succes. ab intestato theorem* 51. *num.* 13. plenè *Boss. de matrimonio cap.* 1. *num.* 356. & *sequen.*

8

Prout æquiuocauit etiam *Ioannes de Garronibus* super intelligentia aliquorũ iurium

iurium per ipsum ponderatorum etiam in casu successionis ab intestato; Vt enim magistraliter aduertit *Bart. dicto cons. 54 lib. 1. num. finali, & Aretin. cons. 40.*,
9 in hac materia successionis matris binubæ filio morienti ab intestato, tria iura habemus; Vnum est *Codicis in d. l. fœminæ §. illud, & in l. finali Cod. ad Tertull.*, per quod disponitur matrem binubam succedere filio in solo vsufructu cum obligatione reseruandi proprietatem alijs filijs ex eodem matrimonio superstitibus; Alterum est ius *Authenticorum in §. cum autem auth. de non eligen. secundò nubent.* per quod corrigitur ius *Codicis*, atque expressè disponitur, matrem binubam, siuè antè, siuè post successionem, secundas nuptias contraxerit, pleno iure succedere etiam in proprietate, absque aliqua obligatione illam reseruandi alijs filijs eiusdem matrimonij quamuis superstitibus; Et tertium demùm est Ius nouissimũ pariter *Authenticorum in §. hinc nos auth. de nupt.*, per quod, correcto dicto iure medio, fit reuersio ad primum ius *Codicis* vt supra, quod litteraliter dictam proprietatem præseruat alijs filijs, quatenus essent matri superstites, ideoque dictum Ius nouissimum nil disponit de nouo, sed solùm reintegrat primum ius *Codicis* in suis terminis prout loquitur.

Et quamuis ijdem Auctores profiteantur, vt eorum opinio clarè probetur *per tex. in §. primò siquidẽ vers. si verò non habuerint Auth. de nupt.*, vbi disponitur om-
10 nibus filijs præmorientibus, matrem istam habere suæ infelicitatis consolationem, vt bona rursùs recipiat, si intestati moriantur, secùs autem si condito testamẽto; Attamen hoc pariter est æquinocum magis solemne, quoniam hic textus non loquitur de reuersione illorum bonorum, in quibus mater filio prædefuncto successerat, sed loquitur de illa medietate bonorum ipsiusmet mulieris, quam transire volens ad secundas nuptias, ad euitandam infamiam, aliasque pœnas, donare tenebatur filijs primi matrimonij, et sic de rehabendo bona propria, quæ ex dicta causa iam perfectè, ac irreuocabiliter dictis filijs posteà ante ipsam morientibus donauerat, vndè propterea error remanet clarus; Coadiuuante etiam dicta conuincenti ratione correctionis omnium pœnarum, quæ non concernant fauorem ipsorum filiorum vt supra.

Insipidam quoque dicebam rationem
11 ab eisdem *Bolognino*, & *Garron.* ponderatam, quod scilicet hæres testamentarius repræsentet personam filij, atque istius habeat voluntatem, quoniam etiã hæres ab intestato eamdẽ personam pariformiter, ac in omnibus repræsentat, eamdemque voluntatem habere dicitur, cum moriens ab intestato præsumatur voluisse eius voluntatem accommodare dispositioni legis, atque testari eo modo quo lex testata fuit, vt sæpius *hoc tit.* occasione dispositionis statutariæ; Melior autem fuisset altera ratio fauoris in filio resultantis super facultate disponendi dè huiusmodi bonis, atque personas sibi visas gratificandi, sed sufficit decere, quod id lex habere noluit in consideratione, dum est fauor remotus, qui in effectu respicit extraneũ, vndè propterea cessat ratio, cui hæc pœnæ adiectio innixa est.

Ponderabatur *in contrarium*, quod iura prædicta prohibent matri, nè istam
12 proprietatem alienare, vel dissipare possit, attributa licentia filijs bona alienata reuocandi, vndè inferebant illam censeri de hæreditate vltimi filij morientis; Sed hoc erat pariter æquiuocum, quoniã quicquid alij (sed malè) dixerint, verius est filios huiusmodi bonorũ alienationẽ reuocare non posse, ipsa matre viuente, sed solùm post mortem, quando factus sit casus conditionis, sub qua lex, iure cuiusdam fideicommissi per ipsam ordinati, eos vocauit, interim verò tali conditione pendente, dicuntur solùm habere illam spem, quam fideicommissarius habet viuente grauato; Aliàs enim si filij in huiusmodi proprietate ius formale haberent, itaut de eorum hæreditate dici posset, plura sequerentur firmãda, quæ tamen in iure non subsistunt; Primò scilicet quod mater moriens non posset in huiusmodi bonis aliquos ex *filijs primi* matrimonij gratificari, cuius *contrarium* est verius; Quodque filij possent huiusmodi proprietatẽ in vita distrahere, seù illa caderet sub hypothecis per eos contractis, affectaque remaneret eorũ creditoribus, quorum respectu nil interesset àn decederet testatus, vel intestatus, et

sic

sic verè ex pluribus, istud assumptum. *Bologin. & Garron.* detegitur erroneum.

Difficultas autem erat in altero motiuo facti, cuius ratione consului concordiam, dum eadem mater, integram hæreditatem simpliciter tanquã spectãtem ad filiã, in dotẽ dederat, vndè propterea si quod ius ipsi cõpetebat, ità censetur remisisse, præsertim pro iure, ac interesse viri fouentis causam onerosam, & qui forte alias absque tanta dote matrimoniũ non contraxisset; Quamuis enim scribens tanquàm Aduocatus dicerem, quod dictæ filiæ integra Dominici patris hæreditas competeret, sed diuersis titulis seù respectibus, pro medietate scilicet ex tunc, & pleno iure, et pro altera medietate in spe probabiliter euẽtura iuxtà naturæ ordinem, dum aliàs esset inducere in matre suæ portionis donationem adhùc inualidam ob non seruatam formã Statutorũ Vrbis 149. & 150., Vndè propterea deducebã receptas propositiones super donatione in dubio excludenda, quoties quicumq; probabilis seù compatibilis intellectus dari potest; Nihilominus reflectendo ad veritatem id non satisfaciebat, quoniam non constabat, quod mater dictam hæreditatem agnouisset, ità ut bona prosua portione essent sibi quæsita, quo casu dicta motiua rectè intrassent, sed potius agebatur de non acquirendo, atque ità declarando animum non agnoscendi, ad quem effectum dictæ solemnitates statutariæ non requiruntur, neque intrat dicta conclusio de donatione non præsumenda, & de capiendo quemcumq; probabilẽ seù compatibilẽ intellectum pro eius exclusione, cum sic faciens depauperari non dicatur, neque suum patrimonium diminuere, vndè propterea omnia ea, quæ in iure in materia donationis habentur etiam inter prohibitos, puta inter coniuges, istum casum non percutiunt; Ideoq; ex hoc motiuo, quod mihi solùm inferebat difficultatem, libenter consului concordiam, quæ controuersiæ finem dedit

13

VOLATERANA

SVCCESSIONIS

PRO

ILLIS DE BAVA.

Responsum pro veritate.

An parens binubus possit in bonis, quæ filijs à Statuto reseruantur, grauamina apponere, & quæ; Et an possit nolle acquirere, vt ita faceret deteriorem conditionem filiorum primi matrimonij, ac meliorem illam secundi viri, seù filiorum secundi matrimonij; Et incidenter de vxore relicta per virum vsufructuaria.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Bona materna delata filijs à Statuto, habent naturam legitimæ.*
3 *Ideo non minuuntur per legata.*
4 *Neque per donationem inter viuos.*
5 *An hoc Statutum valeat vtpotè auferens facultatem testandi.*
6 *Factio testamenti est de iure positiuo.*
7 *Potest mater non obstante Statuto non agnoscere.*
8 *Vsufructuarius potest agnoscere legatum in solo vsu, vel alimentis.*
9 *Vsufructuarius non facit suos fructus nisi præstet cautionem.*
10 *An legatum vsusfructus relictum vxori, resoluatur in alimenta.*
11 *Prohibitus disponere, est prohibitus confiteri, secùs si confessio sit adminiculata.*
12 *De adminiculis.*
13 *Matri succedunt æqualiter, & in capita filij ex diuersis matrimonijs.*
14 *Grauatus non potest peruertere ordinem successionis.*
15 *Statutum inductum ad fauorem filiorum primi matrimonij, non debet operari odium.*
16 *Mater an possit plus dare filijs primi matrimonij.*

DISC-

DISC. XXXV.

DIssoluto matrimonio per obitum Bauæ, superstite Michaele Angelo vnico filio, secundas nuptias contraxit Lucretia cum Gotto, qui etiam præmoriens, superstitibus Catharina, & Ludouica, (quas scripsit hæredes) vxorem vsufructuariam reliquit, quæ cum filiabus conuixit; Ea verò moriens cum testamento, vtriusque matrimonij filios prædictos in stirpes pro numero matrimoniorum hæredes instituit, hoc est in semisse vnicum ex primo, et in altero duas ex secundo, inter quas, & filios dicti Michaelis Angeli, etiam defuncti, exortis controuersijs; Cum dicta Lucretia in testamento mandasset, ne filiæ secundi matrimonij ex causa dicti legati vsusfructus à primo molestari possent; Hinc, stante loci Statuto disponente, vt mater binuba debeat æqualiter tractare filios primi, & secundi matrimonij, neque plus vni, quàm alij de eius bonis dotalibus, ac extradotalibus habere possent, pro veritate consultus fui, an potuerit testatrix dictum præceptum etiam pœnale adijcere in præiudicium filij primi matrimonij, qui prætendebat cum dicto vsufructu pinguis hæreditatis secundi viri, maternam hæreditatem nimium impinguare, ob plurium annorum decursum.

1

Stante igitur dicto Statuto; Dicebam quod omnia bona huius mulieris, prætendi poterant redacta ad naturam, ac terminos legitimæ, ità per Statutū impinguatæ, iuxta ea, quæ in proposito huiusmodi Statutorum filijs deferentium successionem in dote, alijsque bonis maternis, habentur *sub tit. de dote disc. 103. cum duobus seqq.* vbi concordantes.

2

Hoc autem posito; Punctus erat, an remissio vsusfructus in dicto præcepto contenta, importaret donationem, seù legatum iuris iam quæsiti, & agniti, vel potius declarationem animi non agnoscendi; Primo etenim casu, dixi certum videri, vt id fieri non potuerit ideoque onus habendum esset pro non scripto, cum legitima debeatur, detracto quidem ære alieno, non autem detractis legatis, vel donationibus, quamuis inter viuos, adeo vt bona inter viuos donata, etiam cum subsequuta traditione habeantur pro extantibus, ac non donatis, ad effectum legitimæ ex deductis *per Merlin. de legit. lib. 2. tit. 1. quæst. 18. num. 20. & 21. Rota post eumdem dec. 86. Rouit. dec. 100. num. 26.*, & pluries in sua materia *sub tit. de legit. & detract.*

3

4

Et quamuis id durum videatur, cum ità matri auferatur potestas de aliquo disponendi, vndè propterea intestabilis reddi dicatur; Attamen id in consideratione habitum non fuit in decisionibus 5 æditis *in Vrbeuetana* de qua *d. tit. de non disc. 106.*; Vel quia remaneat habilis testandi in bonis extra territorium, quę Statuto subiecta non sunt, sed remanent sub dispositione iuris communis; Vel quia rationabiliter pro muliere, & deductionibus subiecta, Statutum ita testari dicatur cum proprijs filijs; Neglecta (et meritò) leguleica dubitatione potestatis in statuentibus tollendi hanc facultatem testandi, quoniam potestate statuendi etiam contra ius, id habuloſum videtur, dum verius est, testamenti factionem, ac facultatem disponendi 6 de bonis suis post mortem, prouenire à iure positiuo, non autem naturę vel gentium, cui lex positiua dispensare non possit ex deductis *sub tit. de fideic. disc. 241.* & pluries *sub tit. de legit. & detract.*, in proposito quæstionis, an Statutum descendentibus, *vel* ascendentibus legitimam, etiam in totum auferre possit.

E' conuerso autem, vbi dicta dispositio importaret nudam declarationem animi non acquirendi; Tunc verius esse dixi, vt dicto Statuto non obstante, dispositio substineri deberet, non in ratione præcepti obligatorij redolentis legatum, 7 sed in ratione declarationis animi, ità impedientis trāsmissionem, quæ aliàs in legatis, & fideicommissis puris, vel iam purificatis de iure datur; Idque sine dubio fieri posse dicebam, præfato Statuto non obstante, quoniam non possunt huiusmodi Statuta filijs tribuere maius ius, quàm habeant creditores ex causa onerosa, & correspectiua in bonis debitoris, et tamen iste potest hæreditates, ac legata in creditorum præiudicium nolle agnoscere, ad celebrem textum *in l. qui*

l. qui autem ff. quæ in fraudem creditorū, vt pluries habetur in sua materia *sub tit. de credito*, & alibi.

Difficultas verò cadebat super applicatione huius veræ, ac receptæ distinctionis inter iura agnita, & non agnita, seu qualita, & quærenda, dum in facto supponebatur quod hæc mulier legatum prædictum in parte agnouerat, percipiēdo in domo testatoris alimenta cum dominicali præeminentia, iuxtà eam operationem, quam regulariter, iuxtà celebrem, ac vulgarem *Bulgari* consuetudinem, facere solent huiusmodi legata, quæ vxoribus fiunt, vndè propterea ageretur de iure agnito, non autem agnoscendo, atque super hoc totam vim constituebant aliqui I.C. de partibus scribēntes pro dictis neporibus ex primo matrimonio.

Verum quamuis per eosdem consulentes, dixi quod difficultatem contra ipsos sentiebam, dicto motiuo non obstante ex pluribus. *Primò* scilicèt, quia de vsufructu limitari videtur regula, seu propositio generalis, vt idem ius possit agnosci, & nō agnosci, dū vsufructuarius limitatè potest legatum agnoscere in solo vsu ad textum *in l. is qui vsumfructum ff. quibus mod. vsusfruct. amittat.*, de cuius textus intellectu agitur *apud Rouitum decis. 97. num. 19. & 20.*, & in sua materia vsusfructus *sub tit. de seruitut.*

Secundò quia de stricto iuris rigore dicta mulier, vel eius hæres neque fructus temporis decursi nō perceptos prætendere posset, quamuis vellet ob non præstitam duplicem cautionem ab eo præstandam ex deductis *per Castill. de vsufruct. cap. 16. Capyc. Latr. consult. 112. Rota decis. 259. par. 7. rec. decis. 290. par. 10. apud Roias decis. 426. & 453.* & pluries in alijs, cum sit conclusio certa, quoties agitur de fructibus non perceptis; Difficultas etenim cadit in iā perceptis, an ab eis ex muliebri simplicitate excusanda veniat, ne restituere teneatur ex deductis pluries in dicta sua materia vsusfructus *sub tit. de seruitut.* 9

Et tertiò clarius quoniam, vt pluries habetur *sub d. tit. de seruitut.* præsertim *disc. 50.*, sub quæstione est, an, & quando huiusmodi legatum factum vxori importet formalem, ac plenum vsumfructum, vel potius resoluatur in alimēta iuxtà dictam consuetudinem *Bulgari*. Atque vt ibi aduertitur, quamuis plures ex nostris in huiusmodi quæstione se inuoluant, pro consueta præsertim pragmaticorum ineptia, retexendo quæstiones super grammaticali sensu, vel significatione verborum, aliisque frigiditatibus; Attamen verius est, vt ista sit quæstio facti, ac voluntatis potiùs, quàm iuris, ex ipsius facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs decidenda; Et consequenter dictum præceptum potiùs agnitionem veritatis, ac bonæ fidei redolere videbatur, quod scilicèt, legataria conscia voluntatis viri, ità eam declarauerit. 10

Et quamuis dicti Scribentes de partibus immorando in generalitatibus, cum copiosis superfluis allegationibus insisterent in regula, quod prohibitus alienare, vel disponere, est etiam prohibitus cōfiteri, nè aliàs lex verbis, & non rebus imposita diceretur, cum ità de facili fraus legi fieri posset, atq; indirectè agi, quod directè prohibitum est; Dicebam tamen quod vis nō erat in veritate huius regulæ nimiùm receptæ, ac vulgaris, ideoq; testimonijs non indigentis, sed erat in applicatione, super qua hodiè omnes fori quæstiones circumferuntur; Siquidem procedit in confessione simplici, & nuda, non autem in adminiculata, ex ijs, quæ in hoc proposito prohibitæ confessionis habentur præsertim in materia doris cōfessatæ *sub tit. de dote*, ac etiam alibi pluries, etiam in tutore, vel Prælato, & quocumq; alio administratore, vt eius adminiculata confessio attendenda veniat, cū prohibenda non sit agnitio veritatis. 11

Plura verò adminicula huiusmodi agnitionem coadiuuare obseruabam; Primò nempè illud deductum ex dicta generali consuetudine *Bulgari*; Secundò ex subsequuta obseruātia, quæ in omnibus dicitur optima interpres; Et tertiò ex nimia inuerisimilitudine, vt testator voluerit, quod exuberantes fructus eius bonorum vltrà vxoris alimenta, quę cum dominicali præeminentia accipi voluit, eius assem impinguare deberent ad commodū filiorum primi matrimonij iuxtà ea, quæ ad hanc materiam secundarum nuptiarum *hoc eodem tit.* habentur in proposito renunciationis, quam vnus ex filijs primi matrimonij parenti binubo 12

faciat; Siuè illius augmenti dotis, quod pro secundo matrimonio fiat, cum similibus.

His autem sic stantibus, consului, vt ab huiusmodi prætensionibus abstinendum potiùs esset, ne ità excitarentur dormientes, atque pro lucro damnum reportaretur, quoniam cum mater melius filium primi matrimonij, quam illos secũdi tractasset, peruertendo ordinem intestatæ successionis, quo attento æqualis
13 debuisset esse filiorum successio, ità dubitari poterat, an stante Statuto deferente filijs successionem necessariam tanquam per speciem legitimæ sic adauctæ,
14 potuisset testatrix dictum ordinem peruertere eodem modo quo in fideicommissis non licèt, vt *sub tit. de fideicomm. disc.* 55. & 57., & *d. disc.* 104. *de dote*.

Quamuis enim mihi probabilius videretur, vt id fieri potuerit, cum in hac parte Statutum respicere videatur fauorem, & gratiam filiorum primi matri-
15 monij, tollendo scilicèt potestatem matri binubæ faciendi id, quod pro frequentiori vsu fieri solet iuxtà praxim de qua *sub tit. de legit. & detract.*, idcircò quod inductum est ad fauorem, retorqueri non debet in odium; Attamen est disputabile, ideoque ob ingeniorum varietatem periculosum est, ac incertum.

De iure autem, quidquid plerique dubitauerint, de quibus *apud Thesaur. decis.* 170. & *Rouit. decis.* 12.; Verius, magisque receptum est, vt (cessante fraude in dubio non præsumenda, vt sub nomine, vel pallio filiorum mater binuba fa-
16 uore secundi viri disponere voluerit), possit mater magis gratificari filijs secundi matrimonij non obstante dispositione textus *in l. hac edictali*, vt benè omnia hinc indè examinando *Rouit. dicta dec.* 12., atq; hanc opinionem sequitur *Rota vt apud Gregor. dec.* 173. & 443. *decis* 406. *num.* 18. & *seqq. par.* 9. *recen.*, & in alijs.

AVXIMANA SVCCESSIONIS PRO CAROLO CIMA CVM VBALDO FRATRE VTERINO.

Casus disputatus coram A.C., sub incert. exitu.

An in augmento dotis facto pro secundo matrimonio, cum pacto, vt filij primi in eo nil prætendere possent, præcipua sit successio filiorũ secundi matrimonij; Vel potiùs etiam alij ex primo succedere debeant.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De punctis, vel inspectionibus eius.*
3 *An valeat pactum, vt in augmento dotis secundi matrimonij succedant solum istius filij.*
4 *De quæstione an mulier, quæ primò nupsit iuxtà Consuetudines more nobilium, possit secundò nubere more Magnatum.*
5 *De distinctione inter augmentum voluntarium, & necessarium factum à patre fœminæ.*
6 *Quid de augmento facto ab ipsa matre muliere.*
7 *Donatio contemplatione matrimonij quomodo filijs acquiratur.*
8 *In idem, & de argumentis contemplationis filiorum.*
9 *An de huiusmodi donatione participent omnes filij omnium matrimoniorum.*
10 *In concursu legis vniuersalis, & particularis, defertur particulari in successione.*

DISC. XXXVI.

POst dissolutum matrimonium, à Catharina cum dote scutor. 4m. initum cum Alexandro, superstitibus Vbaldo, & Faustina; Alterum eadem Catharina contraxit cum Carolo, constituto per Siluestrum Catharinæ patrè augmento aliorum scutorum bis mille post eius mortem soluendorum, ea lege adiecta, vt filij primi matrimonij nihil in eo vsquà prærendere possent; Sequuta verò morte Siluestri, instituta hærede dicta Catharina filia, ac facto quodam legato particulari præfatis Vbaldo, & Faustinæ nepotibus primi matrimonij, Eademque Catharina postmodum ab intestato defuncta superstitibus pluribus filijs ex secundo matrimonio inito cum Carolo; Hinc inter istos, & Vbaldum fratrem vterinum, orta est quæstio, coram A.C. super successione in dicto augmento, incertusque est causæ exitus, dum post aliquas disputationes, de illa amplius actum non audiui.

In disputationibus autem habitis, ac etiam in congressu Aduocatorum pro causæ directione; Pro filijs secundi matrimonij scribens dicebam, tres in proposito cadere inspectiones; Vnam super huiusmodi pactorum validitate, vel inualiditate, itaùt intret, nec nè dispositio, vel ratio textus *in l. hac edictali Cod. de secundis nuptijs*; Alteram, (posita validitate), àn dictum augmentum liberè acquisitum esset mulieri, adeoùt volens potuisset de illo disponere, seù aliquos ex filijs gratificari tanquàm de re sua; Et tertiã, (posita huiusmodi potestate) qualis censenda esset voluntas, dum obierat ab intestato.

Quoad primam, disputatio maior, quę in huiusmodi quæstione cadit, percutit casum, in quo dictum augmentum cum tali pacto factum sit ab ipsa muliere de bonis suis; Istoque casu quæstionem post antiquiores ab eis relatos ex professo examinant *Fontanell. de pact. clauſ. 4. glos. 9. par. 5. num. 197. & clauſ. 5. glos. 8. par. 4. num. 5. Rouit. decis. 12. Hodiern. in l. hac edictali C. de secund. nupt. quæst. 2. & De Marin. resol. 23. lib. 2.*, apud quos habentur tenentes pro inualiditate, quasiquod, cùm tunc nulla affectio considerari possit ergà filios secundi matrimonij vtpotè adhuc non procreatos, ità id gestum sit in gratiam secundi viri, atque ad fraudandam dispositionem text. *in d. l. hac edictali Cod. de secund. nupt.*; Nisi necessitas, vel iusta causa ad id impulisset, iuxtà ea, quæ insinuata habentur *sub tit. de dote disc.* 103. circa quæstionem per Regnicolas tractatam, àn mulier, quæ primum matrimonium contraxerat more nobilium, & iuxtà Consuetudines Capuani, & Nidi, possit in præiudicium filiorum eiusdem matrimonij, contrahere secundum more Magnatum.

Verùm nulla suberat necessitas huiusmodi quæstionem formiter disputandi, atque indagandi, quæ nam opinio esset verior, dum non eramus in casu, quoniã augmentum, non ab ipsa muliere, sed à patre factum fuerat; Atque de hoc agit ex professo *Surd. cons. 255.*, ac deducta per eum, latè, & benè examinantur *per Hodiern. in d. l. hac edictali quæst. 26.*, vbi distinguit inter augmentum voluntarium, et ex mera liberalitate factum tanquàm ab extraneo, & necessarium, ad quod vtpotè ad supplendam dotem congruam, & de paragio pater compelli poterat; Primò enim casu, pro validitate pacti absque dubio respondendum est, cum pater consideretur tanquam merus extraneus, qui legem sibi benè visam eius bonis adijcere potuit; Nisi vrgentia concurrant fraudis inditia, quod scilicèt ipsa mulier de bonis suis, vel aliàs sibi debitis, sub patris, vel alterius simulato nomine augmentum tali pacto fieri curauerit; In secundo autem, creditur pro inualiditate probabilius respondendum esse, quasiquod tunc esset idem, ac si ab ipsamet muliere augmentum prædictum constitutum esset.

Verùm quidquid sit de subsistentia huius vltimæ partis distinctionis; Pariter defuit necessitas illam disputandi, eiusque veritatem indagandi, quoniam cum in facto non dubitaretur quod dos scut. 4. m. occasione primi matrimonij constituta, esset congrua, ità vt amplius ab inuito patre prætendi non posset, hinc de consequenti augmentum prędictum fuit merè voluntarium, & ex patris liberalitate,

tate, ideòque de validitate dubitandum non erat.

Quo verò ad alteram inſpectionem potestatis ipſiuſmet mulieris, àn ſcilicèt volens potuiſſet de dicto augmento, ſalua legitima, diſponere ad fauorem filiorum primi matrimonij, vel etiam extraneorum, eo modo quo de reliqua dote potuiſſet; Dicebam, quod vbi augmentum prædictum ſit merè voluntarium, illud cenſetur ſonare in quamdã donationem factam contemplatione illius ſecũdi matrimonij, vt habetur *apud Fontanell. & de Marin.* locis citatis; Atque licèt iuxtà magis communem, ac veram opinionem, regulariter in huiuſmodi donationibus filij ex eo matrimonio procreandi habere dicantur ſolùm illud ius, vel intereſſe, quod per noſtros vocatur ſecundarium, non importans ad eorum fauorem dominium, vel onus impeditiuum ſponſi primi donatarij, quin de bonis donatis in caſu diſſoluti matrimonij liberam habeat diſpoſitionem, vt ſæpiùs deductum habetur in ſua materia *ſub tit. de donationibus* præſertim *diſ. 1. & 2.*; Nihilominùs recepta eſt limitatio, quotiès, nedùm verba expreſſa, [illegible] coniecturæ contrarium ſuadeant, locis citatis. 7

Plures autem coniecturæ in hac facti ſpecie concurrere videbantur, quæ intimul vnitę cum regula in coniecturalibus perpetuò attendenda, *vt ſingula quæ non proſunt, vnita iuuent &c.* vocationem, ac 8 ius, quod noſtri dicunt primarium, fauore filiorum ſecundi matrimonij conuincere videbantur. Prima enim erat coniectura generalis, quoniam viri volentes ducere mulieres viduas, alioſq; filios iam habentes, ſolent huiuſmodi augmẽta procurare, tanquam peculiaria pro filijs ex illo matrimonio procreandis, vt inſpecie obſeruat *Iaſon. conſil. 58. num. 1. lib. 3*, & admittunt *Surd. dicto conſ. 155. de Marin. dicta reſol. 23. numer. 4. lib. 2. & Hodiern.* loco citato.

Altera coniectura deducebatur ex prægnantia, & efficacia verborum, ibi, *Che per alcun tempo mai li figli del primo matrimonio poſſano pretendere &c.*, cum illa nõ ſint operatiua niſi in caſu mortis, cum vixente matre nullum ius dicti filij haberent, nullamque prætenſionem habere poſſent; Tertia ex eo quod in inſtrumẽto ſtipulatio dicti augmenti ad fauorem vtriuſque coniugis facta erat; Quarta, magis proxima, atque ſpeciem expreſſæ probationis redolens, reſultabat ex atteſtatione mediatoris, cui nullum intereſſe habenti, atque bene informato quamuis vnico, ex admiculis plenarie deferri ſolet, vt *apud Merlin. deciſ. 608. num. 24.*, & habetur *ſub tit. de dote diſ. 27.*; Quinta etiam proxima, imò expreſſa etiam probatio reſultabat ex atteſtatione vxoris dicti Siluestri contendentium auiæ, in qua penè morti proximæ, & omnium æqualiter coniunctæ præſumendum non erat mendacium; Et ſexta præcedentium ſatis corroborativa deducta ex teſtamento dicti Siluestri, dum cũ legatis benè prouidere curauit filiis primi matrimonij, vt ità æqualitatem introduceret cum illis ſecundi, quos ex eodem teſtamento conſtabat fuiſſe æqualiter, imò magis dilectos, et tamen nihil eis legauit, ſignum clarum, quod in eis præſuppoſuit dictam peculiarem, ſeù præcipuam ſucceſſionem huius augmenti.

Vndè intrare dicebam firmata per Rotam *in Meleuitana donationis 12. Decembris 1653.*, & *14. Maij 1657. coram Cerro*, impreſſ. *deciſ. 428. & 230. part. 12. recen.* & quarum ſecunda eſt repetita *poſt Cutellum de donat. deciſ. 13*, quod ſi facta donatione contẽplatione certi, & determinati matrimonij, quoties nõ cõſtat de 9 vocatione filiorum ex eo procreandorũ in huiuſmodi bonis æqualiter ſuccedant omnes filij ſponſi donatarij tam ex illo, quàm ex alio matrimonio procreati, iuxtà plenè firmata *apud Othobon. dec. 99. & 133.* vbi cõcordãtes; Attamẽ ſi ex verbis, vel coniecturis cõſtat filios ex eo matrimonio procreatos, eſſe principaliter contẽplatos, & vocatos, iſtis tantùm debentur bona donata, denegata poteſtate ſponſo donatario ad eadem vocãdi filios alterius matrimonij.

Hinc poſito defectu poteſtatis, inanis remanebat altera inſpectio voluntatis, quæ nullius eſt conſiderationis vbi poteſtas deficiat; Verùm vbi etiam iſta cõcurreret, adhuc dicebam tãquam Aduocatus, quod voluntas in dubio ad limites pacti regulanda eſt, ducto argumento 10 ab ijs, quæ habemus in concurſu duplicis legis, quæ in materia ſucceſſionis habeatur, vniuerſalis ſcilicèt, & particularis

ris, seù municipalis, quoniam morientis ab intestato voluntas, particulari potiùs, quàm vniuersali accomodata censetur, *Caualer. dec. 125. 296. & 504.* in omnibus *num. 4. & 5.* & sæpiùs; Verùm hoc fundamentum, inspecta veritate, videbatur leue, ob præponderantiam præsumptionis militantis pro æqualitate inter filios seruanda; Solidum autem videbatur primum motiuum deficientis potestatis, à qua etiam voluntas regulatur; Credo autem causæ exitum fuisse, vel iuxtà præmissa ad fauorem filiorum secundi matrimonij, vel per concordiam, dum præter consuetudinem, post binam disputationem, non audiui amplius de causa tractatum.

ROMANA

ADMINISTRATIONIS

PRO

CATHARINA PAVLINA

CVM

IACOBO PELLE.

Casus decisus per Rotam pro Catharina.

De bonorum possessione concedenda proximiori in gradu eius, cuius incerta sit vita, vel mors, quia nempè absentis, ac peregrinantis nullus habeatur certus nuncius; Et quatenùs ista decernatur matri, an huic in aliquo obstet transitus ad secunda vota.

SVMMARIVM.

1 FActi series.
2 Resolutio causæ.
3 *De bonorum possessione dãda proximo successori, & de administratione bonorum vacantium danda ei, qui speratur successor.*
4 *De alio casu, & de possessione bonorum emphyteuticorum danda Domino directo.*
5 *Quod in hac materia non intrent termini matris transeuntis ad secunda vota, si est tutrix filiorum.*

DISC. XXXVII.

1 SVscepta peregrinatione per Marcellum Pelle enunciatum *sub tit. de donat. disc. 24.*; Cum certus nuncius non haberetur eius vitæ, vel mortis, quinimò istius potiùs fama, vel rumor irrepsisset; Catharina mater, ac proximior, cui in casu mortis, priuatiuè ad alios coniunctos, intestata successio debita erat, obtinuit ab *A. C.* sibi decerni bonorum possessionem sub immissionis vocabulo in Curia quoque explicari solitã, præstita cautione in casu vitæ, ac reditus dicti Marcelli; Cumq; postmodùm eadem ad secunda vota pertransijsset; Hinc Iacobus agnatus transuersalis, (in gradu tamen non successibili in concursu matris), instetit pro istius remotione
2 à dicta administratione, introductaque causa *in Rota coram Cerro*, ac dato dubio, an remotioni locus esset, *sub die 1. Iulij 1669.* negatiua prodijt resolutio, cui actor acquieuit, neque causa vlteriorem progressum hucusque habuit.

In hac autem disputatione Scribentes pro oppositore insistebant in ijs, quæ in iure disposita sunt contra matrem, quæ suscepta filiorum tutela, transitum fecerit ad secunda vota, non curando prius prouideri de tutore, ac non reddendo rationes iuxtà ea, quæ habentur supra hoc eodem titulo *disc. 29.*, atq; super his nimium se diffundebant pro consueta moderna ineptia, chartas allegationibus replendo.

Scribens ego pro Catharina matre rea conuenta, dicebam (etiam in sensu veritatis, qualem Rota agnouit) quod huiusmodi actoris prætensio omni prorsùs destituta esset fundamento, ac omninò extranei essent dicti termini matris,

tris; quæ susceptæ filiorum tutelæ, vel curæ ad secundas nuptias transitum fecisset, dum ista mater, non ex titulo tutelæ, vel curæ filij pupilli, vel minoris, aut menti administrationem susceperat, sed eam obtinuerat, quæ in iure decernitur proximiori successuro in bonis eius, cuius incerta sit vita; Non datur enim verus titulus successorius, cum ad hunc effectum dare oporteat certificationem mortis, sed benè datur hæc bonorum possessio, cum nemini meliùs vacantium bonorum administratio decerni valeat, quam illi, cui debita est successio, cum sua proprium negotium potiùs gerere credatur ad textum *in l. 2. §. sed si sub conditione, & l. si demum, & l. si seruus ff. de cor. possess. secund. tabul.*, & *l. si quis instituatur hæres ff. de hæred. instit.* vtrobique communiter DD.; de quibus *apud Surdum cons. 125. num. fin. Argel. de legit. contradict. quæst. 11. art. 1. num. 16. cum seqq.* cum concordantibus deductis *sub tit. de fideicomm.* pluries, præsertim *disc. 7.* ac etiam *disc. 188.* in proposito administrationis decernendæ hæreditatis, ad quam nasciturus vocatus est. 3

Hinc propterea in vna *Rauennaten. emphyteusis* disputata coram A. C., postea concordata, de qua habebitur *sub tit. de emphyt. in supplemento*; Cum in ea investitura, vocati essent solum masculi etiam ex fœminis, atque sequuta esset mors ibi enunciati Andreæ, superstitibus duabus filiabus puellis, ex quibus suberat spes procreationis masculorum; Hinc orta fuit quæstio, quis nam deberet interim bona possidere, & administrare; Atq; (etiam in sensu veritatis) dicebam, vt pro domino directo respondendum esset ex pluribus fundamentis peculiaribus in materia feudali, vel emphyteutica cadentibus fauore domini, ibi deductis; Ac etiam ex isto, vt huiusmodi administratio decernenda sit ei, cui bona debentur, quatenùs prior dominus mortuus esset, vel ille, qui nasci speratur, non nascatur; Isteque administrator ad aliud non teneatur nisi ad cautionem, quatenùs contingat dominum absentē viuere, ac reuerti, quod in præsenti iam impletum fuerat, sed concordia quæstionem terminauit. 4

Extranea verò erant ea, quæ (redeundo ad causam) de matre transeunte ad secunda vota dicebantur; Tùm ex pluries insinuata conclusione, quod pœnæ secundò nubentium percutiunt solum fauorem filiorum primi matrimonij, quatenùs extent, non autem extraneorum, cum aliæ omnes per ius canonicum correctæ fuerint; Tum etiam quia leges nouissimæ ità disponūt in casu tutelæ, vel curæ, quam *les anti. quum*, vel nouum non cognouit in matre, & auia, quæ veniebant sub generica exclusione fœminarum à tutela, vel cura, solúmque exceptuatæ fuerunt à iure nouissimo sub ista qualitate cælibatus, quod nil commune habet cum successione filiorum maiorum sub matris tutela non viuentium; Ideoque casus ej. debatur hac disputatione Rotali inc. guus. 5

MELEVITANA

SVCCESSIONIS SEV COMMVNIONIS.

PRO

ILLIS DE MANGION.

CVM

ANGELICA.

Discursus pro veritate, seù directione super causa postea concordata.

De consuetudine Insulæ Meleuitanæ super necessaria successione filiorū in quota bonorum per vtrumque parentem, constante matrimonio quæsitorum; Et de alia consuetudine adiciendi in pactis dotalibus pactum communionis inter coniuges bonorum constante matri-

monio

monio quærendorum, seù reciprocæ successionis in eis; Et si de dicto pacto expressa mentio non fiat, an adhuc, stante consuetudine subintelligatur.

SYMMARIVM.

1 INsula Meleuitana est membrum Regni Siciliæ data in feudum M. Magistro.
2 Viuit cum dicti Regni legibus, & præsertim de Statuto continuatiuo possessionis.
3 De Regia Pragmatica 1. de censibus.
4 De consuetudine vt bona sint communia coniugum, & filiorum.
5 De more Græcorum, seù Romano in matrimonijs, & pacto adijci solito.
6 Pacti series in casu &c.
7 Ex dicta consuetudine pater potest gratificari inter filios.
8 De validitate pacti, quia non est omnium bonorum, & quæ bona sub eo non cadant.
9 De consimili consuetudine, vel lege Cathaloniæ.
10 Pactum hoc consuetum est subintelligendum, licèt non exprimatur.
11 Idem de clausulis, & pactis apponi solitis in genere.
12 Societas etiam tacitè inducitur, & probatur per præsumptiones.
13 De adminiculis, & præsumptionibus probantibus adiectionem pacti.

DISC. XXXVIII.

CVm Insula Meleuitana sit pars, vel membrum Regni Siciliæ vltrà pharũ, per Regem Catholicum eiusdem Regem infeudata M. Magistro Hierosolymitanæ Religionis, vt hæc ibi, post occupationem Turcarum, Insulæ Rhodi, sedem haberet iuxtà seriem, de qua in hac eadem causa *sub tit. de iurisdict. & for. compet. disc. 69.*, vbi de puncto, an in causis sæcularibus Curia Romana eligi possit, necnè tanquam forus Principis ex priuilegio textus *in l. vnica Cod. quand. Imper. inter vid. & pupill. &c.*, cum alijs ad materiam fori pertinentibus; Hinc proindè, eadem Insula adhuc viuit cum prætati Regni legibus, & Cõsuetudinibus, vel stylis, vt in proposito Statuti, seù Capituli super continuatione possessionis bonorum defuncti in hæredem, de quo ex Siculis plenè agunt *Amat. resol. 39. & Cammarat. resp. 5. cum seqq. lib. 1.*, habetur de hac Insula *apud Otthobon. decis. 176. & 195.*; Et in proposito *Regiæ Pragmat. 1. de Censib.* editæ per Alphonsum I. de Aragonia, tam pro dicto Regno, quàm pro altero Siciliæ citrà, seù Neapolitano, in vim Bullæ Nicolai V., in eadẽ Pragmatica insertæ, & de qua specie censuum plenè agit elaboratus amicus meus *Pilaia in eius 2. tom. decis. seù miscellan.*; Præsertim circa processum exequutiuum etiam contra tertium, in causis Meleuitanis habetur *dec. 246. par. 10. recen.*, & in alijs in eadem causa editis in ea enunciatis, cum similibus.

1 2 3 4

Cumque in dicto Regno Siciliæ vigeat Consuetudo, vt bona per coniuges constante matrimonio quæsita, sint ipsis coniugibus communia, ac etiam filijs ex eodem matrimonio procreatis, id est quod tertia pars sit filiorum, quæ filialis appellatur, aliæ verò duæ sint dictorum coniugum; Dictaque tertia pars filiorum loco legitimæ succedat, eiusque speciem, ac naturam habeat, vt generaliter de ista consuetudine totius Regni, cæteris relatis habetur plenè de more collectum *apud Giurbam ad consuetud. Messanen. cap. 1. glos. 12. num. 1. cap. 4. glos. 4. num. 1. & apud Nepitam ad consuet. Catanien. tit. 3. num. 153. & seqq.*; Et in specie de ista Insula agit *Imol. in cons. regiſtrato apud Nepit vbi supra* & habetur *per Rotam apud Merlin. dec. 347. & sub tit. de dote disc. 90.*, vbi de puncto an super dote, quam pater ex bonis ad hanc portionem pertinentibus filiæ constituit, fideicommissum, vel alia onera, & pacta adijcere valeat.

Cum præsuppositio tamen, vt in hac Insula Meleuitana, in omnibus contractibus matrimonialibus qui fiant more Græcorum, siuè, vt vulgò dicitur, *alla Romana*; (Et quo more attento, bona coniugum non confunduntur, vt aliàs forte attentis ordinarijs moribus loci confusio sequitur) adijci soleat pactum dictæ

5

dictę communionis bonorum per coniuges cõstante matrimonio quęrendorũ.

Cũ itaque in contractu matrimoniali, inter Valerium, & Isabellam, iuxta dictum morem Græcorum seù *alla Romana* inito, huius pacti specificatio omissa esset, atq; ex eodem matrimonio, procreati essent, Vincentius, & Angelica, dicto Vincentio parentibus prædefuncto, pluribus filijs superstitibus, & Angelica nupta; Coniuges, in eadem charta testamentum vtrique commune ordinarunt, institutis nepotibus ex dicto Vincentio, Defuncta qua Isabella, Valerius vir superuiuens, institutis eisdem nepotibus, pingue legatum ad fauorem Angelicæ filiæ fecit; Hinc propterea inter istam, eiusque nepotes hæredes institutos, exorta est controuersia eaq; acriter in partibus disputata, deinde fuit ad Curiam delata; Quarè per vnam Partium contendentiũ, de tribus pro veritate seù directione cõsultus fui; Primò nempe, an ex priuilegio *d. l. vnicæ C. quand. Imper. &c.* ob mixturam pupillorum, fori electio, seù variatio competeret; Secundò an dictus Valerius potuerit reuocare primũ testamentum cum vxore conditum ad fauorem nepotum, faciendo satis pingue legatum ad fauorem filiæ; Et tertiò, an inter dictos coniuges adesset bonorum communio, quæ ex dicto pacto apponi solito, resultat, quamuis illud in contractu matrimoniali ad speciem redactum non esset.

De primo puncto habetur actum *dicto tit. de iurisdict. & for. compet. disc.* 69.; Et super secundò reseruaui respondere post aliquas meliores facti notitias, quæ datæ non fuerunt.

Quatenus igitur pertinet ad tertium communionis inter coniuges, eius effectus erat, an præfati nepotes, (ex quorum parte consultus fui) præcipuam habere deberent, nec ne medietatem, seù portionem eorum auiæ, à qua instituti fuerant, dum idem pactum, seù vsus continet sub se facultatem gratificandi inter filios, vnum vel aliquos præeligendo, alios autem negligendo; Non agebatur enim de portione propria ipsorum filiorum, quæ filialis dicitur, dum illam iam habuerant à parentibus viuentibus, filia scilicet occasione dotis, et filius occasione donationis sibi factæ contemplatione matrimonij.

In hoc autem, præsupposita validitate dicti pacti, vtpotè non continentis vniuersitatem bonorum, vnde propterea cadere posset difficultas, de qua habetur *sub tit. de fideic. disc.* 141., cum esset dubium, bonorum constante matrimonio quærendorum ex industria, adeoque sub huiusmodi communione non venirent bona, quæ habebantur antè initum matrimonium; Quinimmò neque sub veniant ea, quæ ipso matrimonio constãte obueniant ex successione testata, vel intestata, seù legato & similibus; Vide huiusmodi cõuentionibus habetur in Barthalonia, vnde forsan ad Regnum Sicilia hic vsus inoleuit, eo modo quo placet Carhaloniæ leges, vel mores irrepserant in alterum Regnum Sardineæ ex dictis *in Turritana sub tit. de dote disc.* vbi de successione filiorum in dotem terna cum similibus; Hinc proinde præsupposita validitate tanquam certa, atque restringendo quæstionem ad scitam voluntatem, àn scilicet dictum pactum apponi solitum, sed neglectum, censeatur tamen inesse.

Pro affirmatiua probabilius respondendum censui, quoniam stante præsupposita generali consuetudine adijciendi in omnibus contractibus, illud subintelligendum venit, quamuis non exprimatur, vt plenè cæteris *relatis Molin. de rit. nupt. lib. 3. quæst. 77. Cancer. lib. 2. var. cap. 7. de pact. num. 168. cum seqq. Fontanell. de pact. dicta clauf. 11. glos. vnica num. 2. & 3.*; Et habemus generaliter receptum in clausulis, ac pactis de stylo adijci solitis, vt censeantur inesse, quamuis non exprimantur, vt de clausula cõstituti præcarij, & pacti de capienda de stylo adijci solitis in Regno Neapolitano in instrumentis, vt subintelligantur, quamuis non dicatur; Et de alio pacto vt instrumentum possit liquidari secundum formam Ritus M. C. V., vt quamuis negligatur, adhuc dicta liquidatio fieri possit *Franch. decis. 366. num. 6.* cum alijs *sub tit. de credito disc.* 116.; Et magis ad rem de consuetudinibus Capuanæ, & Nidi, seù nobilium in contractibus matrimonialibus, vt inter illos nobiles subintelligantur, quamuis non exprimatur, habetur *dicto tit. de dote disc.* 103. cum similibus.

Cla-

Clarius autem in hac facti specie ex pluribus coniecturis, & argumentis, illorum coniugum voluntatem suadentibus, quod huiusmodi pactum, vel societatem inire voluerint, cum de iure re-
12 ceptum sit, vt societas etiam tacitè contrahi possit, atque præsumptiuè seu adminiculatiuè probari, ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Capyc. Latr. dec. 26. ibique add., Michalor. de fratr. par. 2. cap. 14. Rosa consult. 8.* & pluries *sub tit. de credito*, ac alibi.

Plura verò argumenta id suadebant; Primò nempè pactum in eodem contractu dotali contentũ super portione, seu necessaria successione filiorum in tertia
13 parte, quod tanquam connexum præsupponere videtur dictum aliud pactũ; Secundò quia occasione dotandi filiam, seu faciendi filio donationem contemplatione matrimonij in caulam propriæ portionis respectiuè id præsuppositum fuit; Tertiò reciproca dispositio facta in eodem testamento per coniuges tanquã de bonis communibus, atq; ad vtrũque pertinentibus; Et quartò subsequuta obseruantia, quoniam mortua vxore vir superstes, nullo confecto inuentario, neque facta formali aditione, continuauit in possessione bonorum tanquam communium; His autẽ omnibus simul iunctis cum dicta generalitate, casus videbatur planus, nisi aliæ adessent ignotæ circumstantiæ, ex quibus causæ facies notabiliter mutari solet; Ideoque vt plurimùm non auditis iuribus alterius partis, neque præuia formali disputatione in iudicio, non de facili maturum iudicium pro veritate potest efformari; Defuit autem occasio, dum honesta concordia huic controuersiæ finem dedit.

Discursus relatiuus siue instructiuus super extraordinarijs successionibus debitis, alias quàm ratione sanguinis, & præsertim de successione vxoris pauperis ad materiam *Auth. præterea C. vnde vir. & vxor.* ad petitionem Magnatis.

SVMMARIVM.

1 *Deficientibus coniunctis succedit in vicem coniuges in exclusionẽ fisci.*
2 *Quid requiratur, vt dictæ successioni locus fiat.*
3 *An qualitas coniugis putatiui ad id sufficiat.*
4 *Quarè nimiùm rara sit illius successionis praxis.*
5 *De successione coniugis pauperis in quarta parte iuxta* Auth. Præterea.
6 *An procedat fauore viri in bonis mulieris.*
7 *De agentibus de materia remissiuè.*
8 *De ratione, ob quam etiam in viro procedere debeat.*
9 *De differentiæ rationibus inter virum, & mulierem.*
10 *Requiritur paupertatis exacta, & concludens probatio.*
11 *Quomodo paupertas regulari debeat.*
12 *Legatum vel lucrum est imputandum.*
13 *Si neglexit exigere quartam à primo coniuge, non petit à secundo.*
14 *Cessat successio ex ingratitudine, vel indignitate.*
15 *Quod materia sit rara.*

DISC. XXXIX.

Ltrà illas intestatæ successionis species, de quibus,
1 ratione sanguinis, qui gradus, vel sexus prærogatiuã quoque habeat, ex cõmunis, vel municipalis iuris dispositione, in præcedentibus *hoc eod. tit.* habetur; Alias eiusdem successionis species lex induxit, etiam in ijs, in quibus dicta sanguinis ratio non accedat.

Inter quas, ea primo loco recenseri solet, quæ, non extantibus sanguine coniunctis, infrà decimum gradum, iuxta iuris ciuilis computationem, quæ in ista

successionis materia attẽdenda est ex deductis *hoc tit. disc.* 17., datur inter virum, & vxorem in exclusionem fisci; Istaque nullam recipere solet quęstionem, nisi eam minus legitimi, vel adhuc non durantis coniugij, exceptio causset, cum apud omnes receptum sit, vt id non nisi legitimo coniugi competat, & quatenus thori separatio, quæ ex culpa eius, qui successionem prætendit, sequuta non sit, iuxta generalem omnium aliorum matrimonij effectuum regulam, de qua in sua sede *sub tit. de Matrimonio*; Aliquibus etiam insinuatis *sub tit. de dote*.

Neque in hoc proposito, putatiui matrimonij inspectio, cadere videtur, & ăn bona, vel mala fides accedat, quoniam ea percurit filiorum legitimationem, alioſque effectus iam consumatos, priusquam putatiuum potius, quàm verum esse matrimonium detegatur, vt aduertitur *dicto tit. de matr.* ac etiam *tit. de dote, in supplemento*; Nisi de tempore apertæ successionis matrimonij defectus adhuc detectus esset, idque successionis assequutionem iam consumatam subsequeretur, quod adhuc disputare occasio nõ dedit; Ex bonorum autem extantiũ, vel consumptorũ qualitate, alijsq; facti circũstantijs æquitatem, vel iniquitatem respectu superstitis, qui non sit coniux, redolentibus, quæstio decisionem recipere videtur.

Rarò tamen forus huius successionis quæstiones audit, cum rarum sit, vt ita coniunctis destitutæ personæ decedant, quodque in tali casu existentes, de bonis suis disponere negligant, ideoque non mirum, si apud Scribentes rara est huius successionis tractatio, cum præsuppositiuè potius de ipsa, occasione successionis fisci agi soleat, tanquam in re de iure expresse decisa.

Minus tamen rara, quamuis neque multum frequens est, ea necessariæ successionis species, quam lex pauperi coniugi superstiti decreuit in quarta parte assis hæreditarij alterius coniugis decedentis iuxta dispositionem tex. *in Auth. Præterea C. vndè vir. & vxor.*

Quamuis enim in littera de vxore inope ità viro succedere debente dispositum sit, vndè propterea inter Scribentes quæstio cadit, ăn idem è conuerso viri superstitis fauore in bonis vxoris decedentis dicendum sit, pleriſque id negantibus, adeò vt in casu disputato in S. Consilio Neapolitano relato *per Rouit. decis.* 46., magna dos huic quæstioni attributa fuerit, nimiumque ab alto ea tractata sit, vt patet ex plenè, ac ingeniosè deductis *dicta decis.* 46. *Rouit.* vbi concordantes, ac etiam (vt de tota materia) latè agitur *per Fontanell. de pact. claus.* 5. *gl.* 8. *par.* 9. & 10. & 12.

Contrarium tamen probabilius videtur, ideoque meritò in consimili casu disputato *in Rota apud Celsi. decis.* 115., quãuis viro ob non benè probatam paupertatem, hæc successio denegata sit, & sic ex facto potius, quàm ex iure, attamen ius viri inopis verius esse firmatur vt in specie *num.* 1.

Et meritò quidem; Tum quia eadem ex correlatiuorum generali regula, videtur esse ratio; Tum clarius quia, si iuxta eam opinionem, quæ magis communiter est recepta, in præcedentibus plures insinuatæ, odioſæ leges contrà binubam mulierem editæ *tot. tit. C. de secund. nupt.* contrà virum quoque ad secunda vota transeuntem locum habent, cum tamen legum littera de mulieribus agat, Aliqua etiam peculiari ratione inter virum, & mulierem vrgente, ob incertitudinem partus, ac etiam ob maiorem honestatem in eo sexu desideratam, adeò vt vsus receperit, vt in viris, adulterij pœnæ per legem inductæ, non vigeant, vt vigent in mulieribus cũ similibus; Hinc proinde ex regula *secundum naturam &c.*, omnino probabile est, vt dum in odioſis ad virum extendũtur illę leges, quæ de muliere loquũntur, quaſi quod demonstratiuè potiùs pro frequentiori contingentia, quàm taxatiuè, mulierum tantùm fiat mentio, ità in hac fauorabili lege, idem dicendum veniat, vt magis communis opinio sentire videtur ex relatis *dicta decis.* 115. *Celsi* inter quos *Fontanell.* loco citato recensetur.

Facti proinde potius, quàm iuris huiusmodi quæstiones esse solent, super paupertatis scilicet sufficienti probatione, cum subsidiarium, atque a iure exorbitans hoc necessariæ successionis beneficium reputetur; Ideoque paupertatis exacta probatio desideratur, vt superstiti coniugi non sit aliàs de congrua substentatione prouisum ex relatis *dicta dec.* 115.

115. *Celſ.* vbi habentur concordantes.

Super hoc autem, certa, & determinata regula, cuicumque caſui applicabilis
11 dari nō poteſt, ſed cū illis terminis procedendum videtur, quos frequentiores habemus in ſubſidiarijs alimentis, quæ naturalibus tantùm, debita ſunt, cum ſimilibus; Ex perſonarum enim qualitate, vel dignitate id pendet, quoniam id quod plebeum facit diuitē, in nobili paupertatem importat; Idemque reſpectiuè procedit inter ſimplices nobiles, ac magnates. Attenta etiam ætate, ac valetudine, aliſque circumſtantijs, ex quibus dignoſcendum eſt, an ſuperſtes aliundè commodè ſe ſubſtentare valeat; Ideoque ex facti qualitate, ac ſingulorum caſuum circumſtantijs, deciſio petienda eſt, non autem ex generalibus propoſitionibus, vel doctrinis iuxta conſuetam pragmaticorum ineptiam vt bene *apud Celſ. dicta deciſ.* 115. *nu penult. & fin. & per tot.*

Id autem quod ex lucri dotalis, vel ex legati à defuncto coniuge facti cauſa, ad
12 ſuperſtitem pertineat, in iſtam quartam imputandum eſt, ex deductis *apud Celſ. dicta deciſ.* 115. *num* 8. vbi de lucro; Et de legato *deciſ.* 123. *num.* 4. *par.* 10. *rec.*

Atque ſi ex primi coniugis aſſe, hoc
13 legis beneficium reportare poterat, et neglexit, in bonis ſecundi coniugis prætendere non poterit, vt (quamuis incidenter aliud agendo) cæteris relatis habetur apud *Rotam deciſ.* 239. *num.* 11. *par.* 5. *rec.*, Ideoque in idem conferunt omnia ea quæ ad materiam ſubſidiarij remedij *Auth. res quæ C. l. commun. de legat.* habentur *ſub tit. de dote diſc.* 145. & in alijs, vt ſ. ſubſidiarijs beneficijs indigni cenſendi veniant qui alia bona, vel iura aſſequi negligunt, vel aſſequuta dimittunt.

Cumque iſta ſucceſſio, quamdam imaginem habeat illius neceſſariæ ſucceſſionis, quæ liberis, vel parentibus, pro le-
14 gitima debita eſt; Hinc proindè ſi aliqua in coniuge ſuperſtite ingratitudinis cauſa accedat, ob quam filius, vel parens, à dicta magis fauorabili ſucceſſione excludatur, idem fortius in præſenti dicendum eſt; Cum alijs quæ apud allegatos habentur ſuper hac materia in foro parum frequenti, adeovt in meæ diuturnæ forenſis vitæ curſu atq; non modica cauſarum mole, adhuc occaſio id formiter diſputare non dederit; Et hæc ità ad aliqualem materiæ notitiam, atque, vt dici ſoler, pro guſtu deducebam, vt cuiuſdam Magnatis petitioni ſatisfacerem.

Diſcurſus generalis ſuper puncto; An ſtatuta excluſiua fœminarum à ſucceſſionibus propter dotem, impleri dicantur, atque locum habeant, ob dotem deſtinatam, vel promiſſam tantùm; Vel potius effectiua traditio requiratur.

Editus in gratiam vnius ex ſedentibus in quodam magno Tribunali.

SVMMARIVM.

1 *DE opinione vt dos deſtinata, vel promiſſa non ſufficiat, & de ratione.*
2 *De opinione contraria, eiuſque ratione.*
3 *De Conſtitutione vtriuſque Siciliæ ſuper excluſione fœminæ nuptæ, & dotatæ à ſucceſſione feudi.*
4 *Quod ſecunda opinio ſit verior, quodque iſta Statuta ſint fauorabilia.*
5 *Vt ſufficiat etiam implicita deſtinatio.*
6 *Ac etiam dos aliàs data, & reſoluta.*
7 *Quomodo iſta quæſtio decidenda ſit.*
8 *De ratione, ob quam in Statutis non eſt immorandum in verbis.*
9 *De eadem opinione de qua num. 2. & 4 tenenda.*
10 *De eadem materia de qua num. 3.*
11 *De differentia inter quæſtionem de qua dicto num. 3. et iſtam.*
12 *An fœmina dicatur agnata, etiam ad effectum Statuti 141. Vrbis.*
13 *Quando fœmina ſuccedat in fideicommiſſo ordinato pro agnatione, & familia.*
14 *De eodem de quo num. 4. & 7.*
15 *De Monialibus Turris Speculorū Vrbis,*

& similibus, ac dote eis data.

16 *Quod non intrent termini lucrorum dotalium ob diuersam rationem.*

DISC. XL.

1 IN ista quæstione, an scilicet, Statutis excludentibus à successione fœminas propter dotem, requiratur dotis effectiua traditio, vel sufficiat sola destinatio, vel promissio; Antiquiores primam opinionem fœminis fauorabiliorem tenuerunt, vt scilicet, dos promissa, vel destinata, non sufficiat, sed intelligi debeat, cum effectu iam consumato de tempore, quo exclusio facienda sit, tanquam qualitas, seù conditio, quæ tunc existere debeat, vt præsertim sentiunt *Petr. Iacob. de Aren., Raijner. de Foroliu., & Cyn.*, qui eos refert, & sequitur; Assignata ratione odibilitatis huiusmodi Statutorum, quæ tanquam redolentia speciem exhæredationis, strictè, ac rigorosè, non autem benignè intelligi debeant, ideoque loquentia de dote, intelligenda veniant in stricta, & propria significatione, de vera, & effectiua dote iam constituta, & tradita, non autem de solùm promissa, multoque minus de destinata, quæ remotè, ac impropriè dicitur.

Verùm, quoties Statutum in verbis expressè id non exigat (quod nimiùm rarum videtur) adeòvt intret vulgaris regula textus *in l. ille aut ille ff. de leg. 3.* quod scilicet in claris, & expressis non intrent quæstiones, & argumenta, sed illud loquatur simpliciter de dote, vel dotata, adeovt congruant termini significationis vel interprætationis huius vocabuli; Tunc verior, magisque recepta est contraria opinio, quę tribuitur *Bartolo in l. Titio centum §. Titio genero n. 6. ff. de condit. & demonstrat.*, quam idem *Bart.* alibi quoque affirmat, & sequuntur *Bald. in l. non sine Cod. de bon. quæ liber.* & alij, quos refert *Bald. Nouell.*, qui benè articulum expendit *in princ. seù in prima parte tract. de dote num. 20.* & sequuntur *Brun. de Statut. art. 6. quæst. 6. casu 4.* & alij apud *Ioseph. Ludouic. dec. Perus. 21. n. 9. & seq. Thesaur. dec. 101. per tot. Rot. apud Buratt. dec. 432. num. 2.* plenè *Vrsin. de feud. par. 3. quæst. 1. art. 2. & 4.*; Qui de

3 ista quæstione agit, occasione agendi de Constitutione Regnorum vtriusq; Siciliæ excludente filiam primogenitam nuptam, & dotatam, eique præferente secundogenitam innuptam, quæ ibi vulgò dicitur *in capillo*, an scilicet ad hunc effectũ sola dos promissa, vel destinata sufficiat, et de qua quæstione habetur particulariter actum *sub tit. de feud. disc. 14.*, vbi de dictæ Constitutionis requisitis, eiusque intelligentia.

Quidquid autem sit de veritate in casu dictæ Constitutionis particularis, loquentis de successione feudorum tantùm, ex ibi deductis; Quatenus pertinet ad hunc articulum generalem, super successione in bonis indifferentibus; Verior, magisq; recepta est hæc posterior opinio *Bartol.* & sequacium, altera antiquior

4 reiecta; Non solùm, quia frequentiori, magisque communi DD. calculo recepta est; Sed etiam ob maiorem assistentiam rationis, siuè ob falsum præsuppositum, cum quo antiquiores in ea primæua simplicitate processerunt, quod scilicet hæc Statuta dicenda sint odiosa, & exorbitantia, redolentia speciem exhæredationis. Quoniam potius in oppositum se res habet, vt scilicet attenta dispositione iuris Romanorum, attentisque nostris Italiæ moribus, iuxta ponderationes de quibus pluries in præcedentibus præsertim *disc. 1.*, huiusmodi Statuta, potius fauorabilia censenda sunt, atque benignè interprætanda.

Ideoque probabilis etiam videtur opi-

5 nio, quam contrà *Roman.* tuetur *Gabriel. conf. 15. num. 43. lib. 1.*, vt etiam tacita, seù implicita destinatio sufficiat; Prout etiã altera quam ex *Bald. in d. l. non sine* tenet

6 *Bald. Nouell. vbi supra num. 21.*, vt etiam ad hunc effectum, sufficiat ea dos, quæ semel constituta, postmodum resoluta fuerit per matrimonij dissolutionem per mortem viri, iuxta terminos *text. in l. dos à patre C. de iure dot.*

Et quidem meritò, quoniam, vt in præcedentibus pluries aduertitur, in huiusmodi Statutorum interprætatione, vel

7 praxi, tanquam in quæstione voluntatis statuentium, omnino procedendum est cum propositione, quæ frequẽter in omni fere materia insinuata est, præsertim autem frequentius *sub tit. de fideicommissis*, & sub altero *de alien. & contract. il.* vt

imm-

animorandum non sit in cortice, & figura verborum, sine in eorum grammaticali significatione, iuxta connaturale vitium Scholasticorum, sed attendi debet substantia verisimilis voluntatis statuentium, seù finis, vel effectus ab eis ponderatus, vt scilicet iuxta Romanorum antiquos, ac etiam currentes nostros Italos mores, bona masculis deferantur, pro eorum conseruatione in agnationibus, & familijs, fœminas autem sufficiat prouidere de congrua dote, vt earum honestati, ac substentationi consultum sit; Parùm curando verborum formulam seù phrasim, quam Statuti compositor adhibuerit, & an adhibeat verbum *dare*, vel aliud diuersæ significationis; Siue an idem verbum positum sit in tempore præterito, vel in præsenti, vel futuro, cum id verè continere videatur quoddam legale iudaismum, apud iudicioſos forenſes contemptibile, vtpote proueniens à modo loquendi Extenſoris; Eo modo quo in testamentis vel instrumentis habemus de Notarijs, qui, circa testantium, vel contrahentium voluntatem, istam pro eorum modo loquendi, desumpto ex formularijs, explicant, ignorando vim verborum, eorumque operationem.

8 Potissimè verò, accedente pluries insinuata cõsideratione, quod Statuta, quæ pro maiori parte in Italia habemus, ordinata fuerunt in illis sæculis barbaris, nimiumque indoctis circa tempora legum ciuilium inuentioni, & communi vsui proxima, ad occurrendum simplicitati nostrorum primorum parentum, seù Interpretum, qui malè processerunt in hac materia successionis cum iure nouissimo edito in Constantinopolitana Ciuitate, iuxta Græcorum, non autem Romanorum, ac Italorum mores, dum in dictis sæculis, vel temporibus, lingua latina, non ita restituta erat, neque habebantur illi eruditi, eiusdemque latinæ linguæ magistri, ac restitutores, qui postea prodierunt, vt nos docent tot simplicitates, & æquiuoca, in quæ inciderunt *Accurſius*, & *Bartol.*, aliisque antiquiores super Pandectarum interprætatione, ex deficiente notitia linguæ latinæ; Et consequenter, prorsus erroneum est, interprætari hæc Statuta, quæ vt plurimùm, rudi, & grossolano modo ordinata sunt, præsertim vbi non sint magnarum Ciuitatum, cum illis grammaticalibus subtilitatibus, ac regulis, quæ modernioribus temporibus elucidatæ fuerunt.

Atque hinc (prò meo iudicio), manifestam ineptiam continere videtur improbus labor per nostros adhibitus in ea
9 quæstione, de qua plenè, alios referendo, pro vtraque sententia, agunt *Surd. conſ.* 45. & *Theſaur. dec.* 101., (qui eam difficilem, ac inuolutam quæstionem appellat); Vbi scilicet Statutum de dote data loquatur, quoniam verius videtur, vt non ex verborum formula, sed cum iam insinuata regula, in hoc proposito procedendum sit; Potissimè verò nimiùm clarus videtur error eorumdem, ac aliorum, in ista quæstione adhibere auctoritatem *Andr. de Iſern.*, aliorumque antiquorum
10 Feudistarum vtriusque Siciliæ, agentium de interprætatione superius insinuatæ Constitutionis illorum Regnorum super exclusione fœminæ primogenitæ nuptæ, & dotatæ per aliam fœminam secundogenitam innuptam, iuxta ea, quæ desuper habentur *dicto diſc.* 14. *de feud.*

Istud etenim est æquiuocum manifestum æquiparandi scilicet istam materiã Statutorum agentium de successione in genere, cum illa dictæ Constitutionis,
11 atque auctoritates percutientes dictam legem particularem, ad istam generalem quæstionem applicare, cum in eo casu non intret superius insinuata ratio agnationis desumpta ex antiquis Romanorum legibus, ac etiam ex modernis ab eadem antiquitate desumptis, & continuatis Italiæ moribus, dum agitur de excludendo fœminam habentem prærogatiuam primogenituræ, ob aliam fœminã; Id enim (vt ibi aduertitur), aliam non habet congruam rationem, nisi illam intermedię mutationis status rerum, ob deficientiam masculi, vt ita feuda transeant ad viros magis qualificatos, nõ non autem ad illum, cui in diuerso statu, fœmina primogenita nupta fuit; Istaque videtur probabilior ratio dictæ Cõstitutionis, non autem altera agnationis, in qua totus est punctus in hac diuersa quæstione Statutorum excludentium fœminas propter masculos agnatos, quoniam excludere vnam fœminam propter aliam fœminam, nullum continet agnationis fauorem.

Licèt enim non desint DD. afferentes

quo-

quoque hanc simplicitatem, quod scilicet fœminæ dicantur quoque agnatæ, et
12 consequenter quod in earum admissione intret fauor agnationis; Idque moderno etiam tempore Rotam deceperit, dum agendo de Statuto Vrbis 141., pluries in præcedentibus insinuato, ac etiã *sub tit. de legitim. & detract.*, vt scilicet habens solum filias fœminas, possit disponendo cum agnatis, eas sola dote congruã contentas præterire, illis denegato etiam legitimæ supplemento; Dictum fuit *in Romana supplementi legitimæ coram Cerro decis.* 491. *par.* 9. *rec.*, vt cum agnatis quoque ad foramm Statuti dispositum censeatur, si dispositum sit ad fauorem vnius ex filiabus, eò quia etiam fœminæ sint agnatæ; Attamen ista simplicitas agnita fuit, à dicta resolutione recedendo coram eodem vt patet *ex decis.* 267. & 383. *eadem par.* 9. *rec.*, atque hoc iure viuitur; Et meritò quidem, quoniam licet fœminæ sint agnatæ, attamen non conseruant agnationem; cuius dicuntur fines; Fauor autem consistit in conseruatione, ac tractu successiuo.

13 Solumque ex quadam DD. & Rotæ benigna interprætatione (forsan disponentium intentioni non multum adaptata), recepta est fœminarum comprehensio sub generico agnationis, & familiæ vocabulo in solo casu defectus, ac terminationis lineæ, non autem in concursu masculorum, nisi quando ratio diuersitatis lineæ, alios masculos lineæ diuersæ faciat extraneos, vt pluries in sua materia *sub tit. de fideic.*; Et sic vbi fideicommissum agnatitium, defectis masculis, habiturum est finem; Secus autem vbi vrgeat ratio eius conseruationis, & continuationis.

Hinc proindè, vbi præsertim agatur de Statutis ita disponentibus in patre, vel fratribus, sola congruæ dotis promissio
14 vel destinatio sufficiens esse debet, spectata scilicet intentione statuentium, seù fine, vel effectu per eos considerato, neglectis prædictis, ac similibus ineptijs; Et præsertim, an copulatiuè, vel alternatiuè dotem, ac matrimonium, Statuti verba exigant, cum ista consideratio, super vtriusque qualitatis copulatiuo concursu ponderato apud *Surd.* & *Thesaur.* vbi supra, ac alios, percutiat dictos diuersos terminos dictæ exorbitantis, ac irrationabilis Constitutionis vtriusque Siciliæ ob longè diuersam rationem, *vt dicto disc.* 14. *de feud.*

Prout contemptibilis videtur alia põderatio, à plerisque fieri solita, an id
15 quod fœminæ pro dote datum, vel destinatum est, verè, & legaliter dici possit dos, nec nè, quasi quod dos, nomen, ac essentiam recipiat à matrimonio carnali, vel spirituali, sine quo ilia non datur, quoniam vt aduertitur in sua materia *sub tit. de dot.*, occasione præsertim agẽdi de mulieribus, quæ vitam cœlibem, spiritualẽ ducere eligunt in celebri Monasterio Turris Speculorum Vrbis, vel in altero ad eius instar, cum consueta dote eidem Monasterio tradita; Quamuis legaliter, ac propriè, ista non sit dos, cum nullum intercedat spirituale matrimonium, quod resultat à solemni, ac formali Religionis professione, quam *istæ* mulieres non emittunt, neque sunt moniales, cum sint simplices oblatæ, libertatem retinentes ad sęculum prohibito redeundi; Attamen per huiusmodi prouisionem, verius, ac receptum est, vt ità dicatur satisfactum Statuto, dum ita eius finis, vel effectus est adimpletus; *Istaque* est regula, cum qua huiusmodi Statuta interprætari, ac practicari debent, non autem cum grammaticorum regulis, ac subtilitatibus.

Aliqui etiam relati per eosdem *Surd.* & *Thesaur.* vbi supra, exigendo dotem datam, procedunt cum terminis lucro-
16 rum dotalium, pro quibus dos data, non autem destinata, vel promissa, pro legum municipalium diuersa specie necessaria est (cum alicubi etiam promissa sufficiat, vt præsertim receptum est in Statuto vrbis ex deductis in sua materia *sub tit. de dote*); Isti enim termini pariter diuersi sunt longè diuersam habentes rationem, ideoque non benè ab vno casu ad alium infertur, semperque firmũ videtur, vt in huiusmodi *Statutis*, attendi solum debeat ratio eorum inductiua, istaque semper mihi visa est genuina veritas, quoties verba Statuti ità expresè, ac litteraliter disponant; Et hæc mihi promptè memoria suggerit pro nunc in ista quæstione insinuare, saluo maturiori iudicio in casibus

par-

particularibus, pro eorum qualitate, & circumstantijs, ex quibus statuentium voluntatem desumere debemus.



DISCVRSVS GENERALIS REMISSIVVS.

De materia Statutorum, & Consuetudinum, circa successionem ab intestato; Et istius occasione aliorum Statutorum, quæ habentur in alijs materijs, cum distinctione inter Statuta particularia certorum locorum, cum alphabetico ordine locorum vel Diœcesum; Ac etiã de Statutis generalibus, seu de ijs, quæ generaliter in materia Statutorum habentur.

SVMMARIVM.

De Statutis in specie.

1 *De distinctione Statutorum generalium, & specialium, & recensentur specialia.*

A

2 De Statuto Amandolæ *exclusiuo fœminarum, & cognatorum ob agnatos.*
3 Anconæ *de eadẽ exclusione à successione.*
4 *Eodem de taxa fructuum dotis.*
5 *Eodem de successione in dote.*
6 *Eod. vt credatur proxenetis.*
7 *Eod. de foro mercatorum, & priuilegijs.*
8 Ariminen. *de vsufructu bonorum extradotalium.*
9 *Eod. de vxore obligata conficere inuentarium bonorum viri.*
10 Asculan. *de taxa fructuum dotis.*
11 *Eod. de solemnitate in testamento mulierum.*
12 Auenionen. *de prælatione venditioris in bonis suis.*
13 *Eod. vt substitutiones non excedant tertium gradum.*

B

14 Barchinonen. *super exemptionibus Ecclesiasticorum à gabellis.*
15 *Eod. de successione filiorum in dote.*
16 *Eod. de ordinationibus maritimis, & assecurationum.*
17 Baren. *de Consuetudine super successione filiorum in dote.*
18 *Eod. vt liceat adita hæreditatem repudiare.*
19 Beneuentan. *de sucessione filiorum in dote, ac prohibitione disponendi de illa.*
20 *Eod. super præscriptione debiti per annos viginti.*
21 Bergomen. *de exclusione fœminarum.*
22 Bituntin. *de successione filiorum in dote.*
23 Bononien. *exclusiuo fœminarum, an excludat moniales.*
24 *Eod. de excludente cognatos ob agnatos.*
25 *Eod. de excludente matrem propter fratres.*
26 *Eod. vt mulier habens filios non disponat de bonis dotalibus.*
27 *Eod. de Statuto fori mercatorum super æquali concursu creditorum decocti.*
28 *Eod. de Statuto super fideiussore expensarum iudicij.*
29 *Eod. super restitutione dotis, & lucro viri.*
30 *Eod. de vsuris dotalibus.*
31 *Eod. super contractibus minorum.*
32 Brachiani *super lucro dotis.*

C

33 Camerini *de Statuto exclusiuo fœminarum.*
34 *Eod. circa altiorem eleuationem, vel aliud ædificium.*
35 Canciani *super gabella pro successionibus.*
36 Cantiani *super duplicata collecta forensium.*
37 Castri *de Statuto Guardeæ remissiuè.*
38 Ciuitæ nouæ *de Statuto excludente fœminam maritatam.*
39 Ciuitatis Castelli *de Statuto reddente emptorem tutum.*
40 *Eod. fauore fideiussoris, vt petat exemptionem ab obligatione.*
41 *Eod. exclusiuo fœminarum propter masculos.*
42 *Eod. super renouatione emphyteutica.*
43 Comen. *de antephato seu lucro dotis.*
44 Consulatus *maris.*
45 Corinaldi *super exclusione fœminarum, & cognatorum.*

E

46 Eugubin. *super Statuto excluſiuo fœminarum.*
47 *Eod. de Decretis Ducalibus circa ſolemnitates in donationibus.*

F

48 Fani *ſuper Statuto excludente matrem & cognatos propter agnatos.*
49 *Eod. Super Statuto admiſſionis ad Conſilium Ciuitatis.*
50 Farfen. *in materia renouationis emphyteuticæ.*
51 Ferrarien. *de ſucceſſione in bonis emphyteuticis.*
52 *Eod. de gabella contractuum.*
53 *Eod. de gabella frumenti.*
54 *Eod. de Statuto ſuper foro.*
55 *Eod. de inſinuatione, & ſolemnitatibus in donationibus.*
56 Firman. *Ciuitatis ne matrimonia contrahantur cum forenſibus, & de alijs huius diœceſis ſub nomine locorum.*
57 Florentin. *de aditione paternæ hæreditatis.*
58 *Eod. de tollente heredi beneficium inuentarij.*
59 *Eod. de gabellis pro ſucceſſionibus.*
60 *Eod. de excluſione cognatorum & fœminarum.*
61 *Eod. de eadem excluſione in bonis extra territorium.*
62 Foroliuien. *de inteſtata ſucceſſione.*
63 *Eod. de Statuto continuatiuo poſſeſſionis.*
64 *Eod. de gabella vini forenſis.*
65 *Eod. ſuper Conſilio Ciuitatis.*
66 *Eod. de vſufructu bonorum extradotalium vxoris.*
67 Fulginaten. *de donationibus.*
68 *Eod. de eadem materia donationum.*
69 *Eod. de excluſiuo matris, & fœminarum an tollat legitimam.*

G

70 Gualdi *de excluſione fœminarum.*
71 Guardeæ *de eadem excluſione.*

H

72 Hebræorum *ſuper lucro dotis.*
73 *Eod. ſuper datijs, & oneribus.*
74 *Eod. ſuper locatione domorum in ghetto.*
75 *Eod. de priuilegio pignorum.*
76 *Eod. de vſuris quando exigant.*
77 *Eod. quod ſint ciues, & eis ſuffragentur Statuta, & priuilegia.*
78 *Eod. quando ſeruata ſit lex Moſaica.*
79 *Eod. de matrimonio hebræorum.*

I

80 Ianuen. *de ſtatuto excluſiuo fœminarum*
81 *Eod. de excluſione religioſorum.*
82 *Eod. de obligatione fideiuſſoris.*
83 *Eod. de obligatione mulierum in dote.*
84 *Eod. de teſtamento an corruat ob preteritionem.*
85 *Eod. vt debitor non poſſit non agnoſcere.*
86 *De dote non tranſmittenda.*
87 *Eod. de eleuatione propè domum vicini.*
88 Interamnen. *de excluſione fœminarum.*
89 *Eod. an dos ſuccedat loco legitimæ.*

L

90 Lucan. *de codicillorum forma.*
91 *Eod. excluſiuum matris an tollat legitimam.*

M

92 Maceraten. *ſuper modo reſtituendi dotem.*
93 Mediolanen. *ſuper iure ædificandi ſeu altiùs eleuandi.*
94 Meleuitan. *de communione bonorum inter coniuges, & filios.*
95 *Eod. de Statutis Religionis Hieroſolymitanæ.*
96 Montis Falchi *de paſcuis.*

N

97 Neapolitan. *de conſuetudinibus ſuper dote.*
98 *Eod. de conſuetudine excluſiua fœminarum, an iſtæ faciant numerum, & partem.*
99 *Eod. de eadem excluſione ante dotem.*
100 *Eod. ſuper taxa fructuum dotis.*
101 *Eod. ſuper ritu circa clericatum.*
102 *Eod. de Pragmatica ſuper litteris cambij.*
103 *Eod. de ætate minori.*
104 *Eod. de gratijs ſuper feudis.*
105 *Eod.*

105 *Eod. de Ritu super liquidatione instrumentorum.*
106 *Eod. de Pragmaticis super contractibus Vniuersitatum.*
107 Nepesin. *super lucro dotis.*
108 Nouantulan. *in emphyteusi.*

P

109 Parmen. *de Statuto continuante possessionem in hæredem.*
110 *Eod. de exclusione fœminarum propter dotem.*
111 Perusin. *de exclusione fœminarum.*
112 *Eod. de priuilegio DD. ne vltrà quã &c.*
113 Pisan. *de prohibente viro nè relinquat vxori, & è contrà.*
114 Pisauren. *super lucro dotis.*
115 Placentin. *de continuanda possessione in hæredem.*
116 Plumbini *nè vir testetur cum vxore.*
117 *De exclusione fœminarum.*

R

118 Rauennaten. *in materia emphyteutica.*
119 *Eod. de taxa fructuum dotis.*
120 *Eod. de contributione ecclesiasticorum in aggeribus.*
121 Reatin. *de successionibus ab intestato.*
122 Regnorum *Neapolis, & Siciliæ.*
123 Religionis *Hierosolymitanæ circa nobilitatem, & habitum.*
124 *Eod. circa Dignitates, Commendas, & pensiones.*
125 Religionis *S. Stephani, & aliarum Religionum in genere.*
126 Roman. *de Statutis exclusiuis* 141. & 145.
127 *Eod. de eodem Statuto* 145. *circa ciuilitatem.*
128 *Eod. de præscriptione Statuti* 158.
129 *Eod. de contractibus minorum, & mulierum ex causa dotis.*
130 *Eod. de eodem materia in genere.*
131 *Eod. de filijs familias.*
132 *Eod. de dotium moderatione.*
133 *Eod. de lucro dotis.*
134 *Eod. de vsuris, vel fructibus dotalibus.*
135 *Eod. de prohibitione disponendi cum illegitimis, vel potestate respectiuè.*
136 *Eod. de Statutis in materia donationũ.*
137 *Eod. de vsu muri vicini.*
138 *Eod. de via executiua dotis.*
139 *Eod. super lesione in tertia parte.*
140 *Eod. vt seruari debeat ius ciuile in testamentis.*
141 *Eod. de Statuto agriculturæ.*
142 *Eod. vt pro dote obligentur bona emphyteutica.*
143 *Eod. de reuersione dotis ad fratrem.*
144 *Eod. de continuanda possessione remissiuè.*
145 *Eod. de filijs in conditione positis.*
146 *Eod. de prohibita donatione inter coniuges.*
147 *Eodem de decreto Camerali fauore inquilini.*
148 *Eodem de Statutis Montis pietatis.*
149 *Eod. de Statuto de duobus conformibus.*
150 *Eod. de Bulla Pij V. de non infeudando.*
151 *Eod. de Bullis prohibentibus alienationes bonorum iurisdictionalium.*
152 *Eod. de Bullis prohibentibus alienationem in forenses.*
153 *Eod. de Bulla Baronum Clem. VIII.*
154 *Eod. de Bulla Archiuij Vrban. VIII.*
155 *Eod. de motu proprio Vrban. VIII. super locis montium.*
156 *Eod. de Bulla Pauli III. super pœna decupli.*
157 *Eod. de Constitutione Gregoriana super vtroque retractu coactiuo, & prælatiuo.*
158 *Eod. de Constitutione Clemen. VIII. super reductione censuum.*

S

159 Sancti Gemini *super retractu.*
160 Sardineæ *remissiuè.*
161 Scrofani *super exclusione fœminarum.*
162 Senen. *super gabella forensium.*
163 *Eod. de successione filiorum in dote.*
164 *Eod. de iure redimendi pignus prætorium.*
165 *Eod. de titulo institutionis subintelligendo.*
166 *Eod. in materia iuris congrui.*
167 Senogallien. *de Statuto exclusiuo fœminarum.*
168 Siciliæ *de Statuto continuante possessionem in hæredes.*
169 *Eod. de taxa fructum dotis.*
170 *Eodem de legibus super successione feudorum.*
171 Spoletan. *de Pragmatica super taxa dotium.*
172 *Eodem de solemnitatibus in testamentis mulierum.*

T

173 Tudertin. *de Statuto excluſiuo fœminarum, & cognatarum, ac matris.*
174 Turritan. *de ſucceſſione filiorum in dote.*

V

175 Velitern. *de Statuto ſuper retractu.*
176 Viterbij *de Statuto excluſiuo fœminarum.*
177 Vrbinaten. *de conſuetudine, vt gabella per forenſes ſoluatur duplicata.*
178 *Eod. de concordia in materia emphyteutica.*
179 *Eod. de indulto Vrban. VIII. in eadem materia.*
180 *Eod. de Decretis Ducalibus in donationibus.*
181 *De alijs Statutis particularibus remiſſiuè.*

DE STATVTIS IN GENERE.

182 *Excludentia à ſucceſſione ſtabilium, an procedant in cenſibus, & locis montium.*
183 *Excludentia forenſes, an ſint odioſa, vel fauorabilia.*
184 *An Statuta afficiant exemptos ex conuentione.*
185 *Cum non ſubditis, vel in bonis extra territorium deſeruiunt pro interpretatione voluntatis.*
186 *De illo Ciuitatis dominantis quomodo attendatur, vbi adeſt proprium Statutum.*
187 *Vbi diſponant quod in caſu omiſſo ſeruetur ius commune, de quo iure intelligatur.*
188 *An Ciuitas quæ recognoſcit Superiorem, poſſit condere Statuta excluſiua forenſium.*
189 *Quando Statuta capiant etiam præterita.*
190 *Imponentia gabellam, vel aliud onus pro ſucceſſione ſunt odioſa.*
191 *Quando Statuta comprehendant actus iuratos.*
192 *Recipiunt interpretationem à Statutis aliarum Ciuitatum, vel regionum.*
193 *De Statutis inducentibus diuiſionem paſcuorum.*
194 *Quando Statuta comprehendant perſonas eccleſiaſticas.*
195 *Prohibentia alienationes in forenſes, an comprehendant Clericos.*
196 *De materia confirmationis præſumptæ Statutorum.*
197 *De Statutis mandantibus expurgationẽ territorij à latronibus, & bannitis.*
198 *Quale Statutum an viri, vel vxoris, attendi debeat in materia lucrorum dotalium.*
199 *An deferens lucrum cenſeatur derogare l. hac edictali.*
200 *Auferens lucrum viro, an auferat etiam mulieri.*
201 *Prohibentia alienationes in forenſes, an capiant alienationem ex cauſa dotis.*
202 *Quando Statutum cenſeatur vocare filios ad dotem matris.*
203 *Excludentia fœminas maritatas à ſucceſſione, an intelligãtur de delata ante matrimonium.*
204 *De excluſiuis fœminarum in genere remiſſiuè.*
205 *De Statutis vocantibus filios in conditione poſitos.*
206 *De Statutis inhabilitantibus minores, & mulieres ad contrahendum, an capiant cauſam dotis.*
207 *De Statutis circa redhibitoriam.*
208 *De Statutis circa ſolemnitates in donationibus.*
209 *De Statutis reſtringentibus facultatem teſtandi ſine alicuius præſentia, vel conſenſu.*
210 *De Statuto continuante poſſeſſionem defuncti in hæredem.*
211 *An procedat in iurepatronatus.*
212 *De Statutis circa duas conformes.*
213 *De Statutis circa matrimonium, eiuſque libertatem.*
214 *An & quæ bona circumſcribantur loco, ſeu cuius loci cenſenda ſint ad effectum comprehenſionis ſub Statutis.*

DISC. XLI.

1 SVccessionum ab intestato quæstiones, frequentiorem occasionem præbent agendi de Statutis, cum super illis potissimùm, ferè per vniuersam Italiam habeantur Statuta particularia, alterantia ordinem intestatæ successionis à iure communi præscriptum; Non tamen ad hanc solam materiam, eorumdem Statutorum inspectio restricta est, cum omnes ferè alias percutiat; Sub ea verò, quæ frequentior est, huiusmodi inspectionem assumendo, de alijs remissiuè agere, non videtur incongruum; Illa igitur in duas partes diuisa; Vnam scilicèt Statutorum, vel Consuetudinum, aliorumque particularium Iurium in specie, seù localiter; Alteram verò eorumdem Iurium in genere; Prima ad faciliorem cognitionem, iuxtà illum stylum, quem Rota, totaq; Curia Romana adhibet in causarum distinctione, per loca distinguitur.

De Statutis, & Consuetudinibus, alijsque iuribus particularibus per loca, ordine alphabetico dispositis.

A

Amandola de Statuto excluſiuo cognatorũ propter agnatos, an exigat vt fœminæ,
2 à quibus cognati descendunt sint dotatæ de bonis, de quibus agitur *hoc tit. discurs.17.*

Anconitan. de Statuto excludente fœminas
3 propter masculos, siuè cognatos propter agnatos; Quomodo procedat, & an locum habeat in agnatis fœminis, *hoc tit. disc.10.*

4 Eadem de Statuto taxante fructus, vel vsuras dotis, *tit. de dote disc.161. num.43.*

5 Ead. de Consuetudine, vel Statuto super successione in dote, vel eius reuersione, *tit. de dote in supplemento, in Anconitana.*

6 Ead. de Consuetudine mercatorum credendi proxenetis, et de istorum obligatione, *tit. de credito disc.87.*

7 Ead. de Competentia fori mercatorum, & de priuilegijs mercaturæ, *tit. de Iurisdict. disc.71.*

Ariminen. de Statuto vt maritus sit vsufru-
8 ctuarius bonorum extradotalium vxoris, *tit. de Regal. discurs.84., & tit. de dote disc.168.*

Ead. de vxore obligata conficere in-
9 uentarium bonorum existentium in domo, viro defuncto, & quod aliàs non non petat creditum dotale, *tit. de credito disc.128.*

Asculan. de taxa fructuum dotis, *tit. de*
10 *dote disc.161. num.43.*

Ead. de Statuto vt mulier non teste-
11 tur sine consensu coniunctorum, *tit. de testamen. disc.31.*

Auenionen. de Statuto concedente venditori potioritatem in bonis venditis etiam
12 aduersùs dotem, *tit. de dote disc.81., & disc.166.*

Ead. de Statuto decernente vt substitutiones non transcendant tertium gra-
13 dum, *tit. de fideicomm. disc.96.*

B

Barchinonen. de Legibus, vel Statutis in exa-
14 ctione gabellarum etiam ab exemptis, *tit. de Regal. disc.58.*

Ead. de successione filiorum in dote,
15 seù de communione bonorum inter coniuges, *hoc tit. disc.26., & sub tit. de dote disc.107.*

Ead. de decretis, vel prouisionibus
16 mercatorum in materia assecurationis, & nauigationis, *tit. de credito desc.106. & seqq.*

Baren. de Consuetudinibus super successio-
17 ne filiorum in dote, *tit. de dote discurs. 105.*

Ead. de Cõsuetudine vt hæredi liceat
18 quandocumq; repudiare hæreditatem aditam etiam sine beneficio inuentarij, *tit. de hærede, & hæredit. disc.23.*

Beneuentan. de successione filiorum, vel
19 dotantium in dote, ac de prohibitione mulieris de illa disponendi, *hoc tit. disc. 26. & tit. de dote disc.103.*

Ead. de Statuto super præscriptione
20 debiti per annos viginti, *tit. de credito disc.129. & de dote disc.29.*

Bergomen. de exclusione fœminarum pro-
21 pter masculos à successione, *hoc tit. discurs.19.*

Bituntin. de successione filiorum in dote, &
22 an in illa grauari possint, *tit. de dote disc.105.*

Bononien. de exclusione fœminarum pro-
23 pter masculos, an excludat moniales, seù aliàs personas ecclesiasticas, vel exemptas, *hoc tit. disc.*5.

Ead. de Statuto excludente cognatos
24 propter agnatos, intra quos gradus procedat, *hoc tit. disc.*13.

Ead. de Statuto excludente matrem
25 propter fratres, an suffragetur extraneo, qui sit fratri substitutus, *hoc tit. disc.*22.

Ead. de Statuto, vt mulier de bonis
26 dotalibus disponere non possit, quamuis habeat filios, *tit. de dote disc.*108.

Ead. de Statuto fori mercatorum vo-
27 cante ad æqualem concursum omnes creditores intra quatuor annos ante decoctionem debitoris, *tit. de credito disc.* 10. *& tit. de dote disc.*143.

Ead. de Statuto super fideiussore in-
28 expensis, *tit. de credito disc.*100.

Ead. de Statuto super restitutione,
29 seù reuersione dotis, & lucro faciendo per virum, *tit. de dote disc.*108.

Eadem de vsuris dotalibus debitis vi-
30 duæ, *tit. de dote disc.*101. *&* 161.

Eadem circa contractus minorum, *tit.*
31 *de fideicomm. disc.*179.

Bracchiani de Statuto, seù Consuetudine tollente lucrum dotale, ac impediente
32 Statutum Vrbis super lucro, *tit. de dote disc.*134.

C

Camerini de Statuto exclusiuo fœminarum
33 an faciat eas extraneas, & an dos succedat loco legitimæ, *tit. de dote disc.*91.

Eadem de Statuto super facultate al-
34 tius eleuandi, seù aperiendi feneſtras &c. *tit. de seruitut. disc.*4.

Cantiani de gabella soluenda pro successio-
35 nibus forensium, et an debeatur per mulierem nuptam extrà patriam, *tit. de Regal. disc.*83.

Cantiani de Statuto vt forenses collecten-
36 tur in duplo vltrà ciues, *tit. de Regal. disc.*83.

37 *Castri*, de Statuto Castri, *vide* Guardeæ.

Ciuitæ Nouæ de Statuto excludente fœminã
38 maritatam à successionibus, an intelligatur de delatis post matrimonium, vel de delatis antea, *tit. de fideicomm. disc.* 143. *&* 44.

Ciuitatis Castelli de Statuto reddente tutum
39 emptorem, *tit. de empt. disc.*43.

Ead. de Statuto concedente fideius-
40 sori actionem petendi liberationem ab obligatione, *tit. de credito disc.*97.

Ead. de Statuto excludente fœminas
41 propter masculos an faciat fœminam extraneam, necnè, ità vt dos succedat loco legitimæ, *tit. de emphyt. disc.*9.

Ead. de Statuto, vel indulto super ne-
42 cessaria renouatione emphyteutica, & modo succedendi in emphyteusi, *eodem disc.*9. *de emphyt.*

Comen. de antephato, seù lucro dotali, &
43 quomodo filij in ea succedant, *tit. de dote disc.*139.

Consulatus Maris, *tit. de credito disc.* 106.
44 *cum seqq.* in materia assecurationis.

Corinaldi de Statuto exclusiuo fœminarum,
45 & cognatorum propter agnatos *hoc tit. disc.*23.

E

Eugubin. de Statuto exclusiuo fœminarum
46 propter masculos an tollat legitimam, ità vt dos eius loco succedat, necnè *tit. de dote disc.*13.

Ead. de decretis Ducalibus circa do-
47 nationes, an habeant locum in hac Ciuitate, eorumque intelligentia, *tit. de donat. disc.*35.

Eadem *verbo* Cantiani.

F

Fanen. de Statuto excludente matrem, &
48 cognatos propter agnatos transuersales an suffragetur patri, vel auo, *hoc titulo disc.*15.

Ead. de Statuto super admissione ci-
49 uium ad Consilium, *tit. de præeminen. disc.*38.

Farfen. de Statutis super renouatione emphyteutica, vel super facultate disponen-
50 di de bonis emphyteuticis, *titulo de emphyt. disc.*8. *& in supplemento*, *& sub tit. de feud. disc.*52.

Ferrarien. de Statuto super successione in
51 bonis emphyteuticis vsque ad quem gradum extendatur, *tit. de emphyt. disc.* 23.

Ead. de Statuto gabellæ contractuũ,
52 *tit. de Regal. disc.*43.

Eadem de Statuto gabellæ frumenti,
53 *tit. de Regal. disc.*45.

Ead. de Statuto, vel priuilegio super com-

54 competentia fori, & nè ciues trahantur, *tit. de iurisdict. disc.* 80.

Ead. de insinuatione requisita in do-
55 nationibus, *tit. de donat. disc.* 38. *& eod. tit. in supplemento in Ferrarien. donationis.*

Firmana de Statuto prohibente matrimo-
56 nia cum forensibus, & an excludat à successione matris filios viri forensis, *hoc tit. disc.* 25.

Eadem *verbo* Ciuitæ Nouæ.

Eadem *verbo* Amandulæ.

Florentina de Statuto inducēte aditionem
57 hæreditatis paternæ per habitationem in domo, seù retentionem bonorum, *tit. de hærede, & hæredit. disc.* 16.

Ead. de Statuto tollente hæredi be-
58 neficium inuentarij, *tit. de hærede, & hæredit. disc.* 17.

Ead. de Statuto mandante solui ga-
59 bellam pro successionibus, quomodo intelligatur, *tit. de Regal. disc.* 154.

Ead. de Statuto excludente sorores,
60 aliàsque fœminas propter agnatos vsq; ab sextum, vel octauum gradum quomodo intelligendum sit, *hoc tit disc.* 8.

Ead. de Statuto excludente fœminas
61 propter masculos, an capiat bona extrà territorium, adeout sufficiat sola subiectio personarum, *hoc tit. disc.* 9.

Foroliuien. de Statuto deferente successio-
nem filij patri, excluſa sorore an intelli-
62 gendum sit ad terminos textus *in l. fœminæ C. de secund. nupt.*, *hoc tit. disc.* 24.

Ead. de Statuto continuatiuo posses-
63 sionis defuncti in hæredem, *tit. de hærede, & hæredit. disc.* 26., *& hoc tit. disc.* 24.

Ead. de Statuto mandante, vt vir fo-
rensis soluat gabellam de bonis extrado-
talibus, *tit. de Regal. disc.* 84.

Ead. de Statuto circa Consilium, & ad-
65 missionem Consiliariorum, *tit. de præeminen. disc.* 31.

Ead. deferente vsumfructum extra-
66 dotalium viro, *dicto disc.* 84. *de Regal.*

Fulginaten. de Statuto disponente circa
67 donationes, an sit in vsu, & quomodo intelligendum sit, *tit. de donat. disc.* 26.

Ead. de eodem Statuto in materia
68 donationis, an procedat vbi fiat in causam dotis, vel contemplatione matrimonij, *tit. de dote disc.* 18.

Ead. de Statuto excluſiuo fœminarū,
69 vel matris, an tollat legitimam, *tit. de legit. & detract. disc.* 19.

G

Gualdi de Statuto vocãte fratres, an admit-
70 tat duplicitatem gradus in excluſionem fratrum consanguineorum, *hoc titulo discurs.* 18.

Guardeæ de Statuto prohibente alienatio-
71 nem in forenses, *tit. de alienat. & contract. disc.* 39., & de excluſione fœminarum, *hoc tit.*

H

Hebræorum de Statuto, vel Consuetudine
72 super lucro dotis, *tit. de dote disc.* 132.

Eod. de Statuto, seù consuetudine su-
73 per datijs, & oneribus *tit. de Regal. disc.* 100. *ad* 104.

Eod. de Statutis, vel motibus proprijs
74 Pontificijs super locationibus domorum *tit. de locat. disc.* 33.

Eod. de priuilegio pignorum super
75 bonis etiam alienis *tit. de vsur. disc.* 7.

Eod. de facultate exigendi vsuras, &
76 quomodo *tit. de vsur. disc.* 56. *&* 7.

Eod. an eis suffragentur Statuta Ciui-
77 tatis fauore ciuium, & Christianorum, etiam vbi fundata sint in æquitate, ac etiam contra Christianos *tit. de seruit. ad* materiam retractus, *disc.* 70., *& de legit. & detraction. disc.* 14.

Eod. de lege Moisis, an, & quomodo
78 attendi debeat, & de Rabinorum traditionibus *dicto disc.* 132. *de dote, & sub tit. de matrimonio disc.* 15.

Eod. de matrimonio Hebræorum, *di-*
79 *cto disc.* 15. *de matrimonio*,

I

Ianuen. de Statuto excluſiuo fœminarum
80 propter masculos an capiat bona extra territorium *hoc tit. disc.* 4.

Ead. de Statuto excludente Religio-
81 sos etiam à legitima *tit. de legit. & detract. disc.* 28.

Ead. de Statuto extinguente obliga-
82 tionem fideiussoris per lapsum quinquennij *tit. de credito disc.* 92.

Ead. circa obligationem mulierum,
83 an procedat in dote *tit. de dote disc.* 16.

Ead. de testamento an corruat ex de-
84 fectu præteritionis, *tit. de testament. disc.* 60.

Ead.

Ead. de Statuto vt debitor non possit
85 in præiudicium creditorum non agnoscere successiones, & hæreditates, an procedat vbi agnoscat, sed cum onere fideicommissi *tit. de dote disc.* 44.

Ead. vt fœmina non transmittat dotem non constitutam, *tit. de dote, disc.*
86 101.

Ead. de Statuto, an vicinus possit se
87 in domo altius eleuare, nec ne *tit. de seruit. disc.* 2.

Interamnen. de Statuto excludente fœmi-
88 nas propter masculos, an & quando excludat fœminas propter masculos, *hoc tit. disc.* 14.

Ead. vt idem Statutum excluſiuum fa-
89 ciat fœminas extraneas adeò vt dos non succedat loco legitimæ *tit. de legitima, & detract. disc.* 32.

Iudæorum, *vid.* Hebræorum.

L

Lucana de Statuto super codicillis, vt va-
90 leant coram Notario, & duobus testibus, & quando procedat *tit. de test. disc.* 10.

Ead. de Statuto excludente matrem à
91 successione filij propter fratres vel alios, & an excludat etiam à legitima *tit. de legit. & detract. disc.* 10.

M

Maceraten. de Statuto concedente hæredi-
92 bus viri dilationem ad restituendam dotem, an suffragetur ipsi viro superstiti *tit. de dote disc.* 109.

Mediolanen. de Statuto ad materiam serui-
93 tutis seu altius eleuandi, *tit. de seruit. disc.* 2.

Melevitana de Consuetudine communionis
94 bonorum inter coniuges, ac filios *hoc tit. disc.* 38. & *de dote disc.* 90.

Ead. de Statutis Melevitanæ Reli-
95 gionis *verb.* Religio.

Montisfalchi de Statuto super vsu pascuo-
96 rum, *tit. de seruit. disc.* 41.

N

Neapolitana, de Consuetudinibus Ciuitatis
97 Neapolitanæ tam generalibus, quam nobilium in successione, & facultate disponendi de dote, *hoc tit. disc.* 26. & *sub tit. de dote disc.* 103. & in supplemento.

Ead. de Consuetudine excludente fœ-
98 minas propter masculos, an tollat etiam legitimam, & an faciat numerum, & partem, & ad cuius fauorem *tit. de legit. & detract. disc.* 3. & 4.

Ead. de eadem Consuetudine exclu-
99 dente fœminas propter masculos, an procedat ob masculi moram in non dando dotem, *hoc tit. disc.* 2.

Ead. de Consuetudine super taxa fru-
100 ctuum dotis *tit. de dote disc.* 161. *n.* 43.

Ead. de ritu M. C. V. super clericis
101 iustificare debentibus clericatum *tit. de iurisdict. disc.* 64.

Ead. super litteris cambij, ex Regia
102 Pragmatica exigendis *tit. de camb. disc.* 25.

Ead. super constitutione præscribente
103 maiorem ætatẽ in annis 18. *tit. de dote disc.* 2. & alibi pluries.

Ead. de legibus, & gratijs particula-
104 ribus super feudis, eorumque successione, alienatione, vel obligatione, & super oneribus, & alijs ad materiam pertinentibus pluries, *sub tit. de feudis.*

Ead. super Ritu M. C. V. de liquidatio-
105 ne instrumentorum, *tit. de credito, disc.* 116.

Ead. de Pragmaticis super contracti-
106 bus, & alijs faciendis per Communitates, *tit. de alien. & contract. disc.* 25. & 26.

Nepesina, de Statuto Fiani super lucro dotis
107 *tit. de dote, disc.* 135.

Ead. *verb.* Bracchiani.

Nonantulana de Statuto seu Consuetu-
108 dine in materia emphyteutica, *tit. de dote disc.* 27.

P

Parmen. de Statuto continuante possessio-
109 nem defuncti in hæredem *tit. de hæred. disc.* 26.

Ead. de Statuto excludente fœminas
110 propter masculos, an & quando cesset ob dotem non datam, vel non oblatam, *hoc tit. disc.* 21.

Perusina de Statuto excluſiuo fœminarum,
111 ac etiam matris ab intestata successione ob dotem quomodo, & quando procedat, *hoc tit. disc.* 1. & 2.

Ead. de Statuto, vel priuilegio DD. quod

non

112 non teneantur vltra quàm, &c. *tit. de credito, disc.* 122.

Pisana de Statuto prohibente vt vir testari
113 non possit fauore vxoris quomodo procedat, *tit. de testam. disc.* 32.

Pisauren. de Statuto super lucro dotis, *tit.*
114 *de dot. disc.* 136.

Placentina, de Statuto continuatiuo possef-
115 sionis defuncti in hæredem, *tit. de feud. disc.* 43.

Plumbini, de Statutis huius loci, & præfer-
116 tim illo prohibente viro, ne testetur fauore mulieris *tit. de testam. disc.* 32.

Eod. de Statuto excluſiuo fœminarum
117 propter masculos, an suffragetur consanguineo tantùm in bonis, quæ obueniunt à matre morientis, *hoc tit. disc.* 11.

R

Rauennaten. de concordia in materia em-
118 phyteutica, *tit. de emphyt. disc.* 20. 21. & 24.

Ead. de taxa fructuum dotis *tit. de*
119 *dote disc.* 161. *num.* 43.

Ead. de contributionibus Eccleſia-
120 ſticorum pro aggeribus, *tit. de Regal. disc.* 59.

Reatina de Statuto ſuper ſucceſſione agna-
121 torum, & cognatorum eorumque cõcurſu, *hoc tit. disc.* 12.

122 Regni, *vid.* Neapolitana.

Eod. Siciliæ, *verbo* Siciliæ.

Religionis Hieroſolymitanæ de Statutis
123 huius Religionis circa nobilitatem, & admiſſionem ad habitum, *tit. de præemin. disc.* 32. & *ſeqq.*

Ead de Statutis circa dignitates, &
124 commendas, ac penſiones *de benef. disc.* 68. & 69. & *tit. de penſionibus, disc.* 42.

Religionis S. Stephani de intelligentia eius
125 Statutorum, *tit. de iurepatron. disc.* 20. & 90. & *de iuriſdict. disc.* 92.

Religionum, in genere *ſub tit. de Regularibus*.

Romana de Statutis 141. & 145. excludenti-
126 bus fœminas propter maſculos, vel agnatos à ſucceſſione, eorumq; intelligentia; Et an faciant fœminas extrancas, vt tollant etiam legitimam *tit. de legit. & detract. disc.* 1. 2. 3. & 4.

Eadem de eodem Statuto 145. exclu-
127 ſiuo fœminarum, quam ciuilitatem exigat, *hoc. tit. disc.* 20.

Ead. de Statuto 158. ſuper præſcri-
128 ptione ſtatutaria quando procedat, *tit. de credito disc.* 129.

Ead. de ſtatutis 113. 151. ſuper con-
129 tractibus mulierum, vel minorum, an procedant in ijs, quæ fiunt ex cauſa dotis, *tit. de dote disc.* 17. & 19.

Ead. de eiſdẽ Statutis 113. & 151. ſu-
130 per obligationibus, & contractibus minorum; & mulierum *tit. de alienat. & contract. disc.* 28. & 30. & 31. & *ſeqq.*

Ead. de Statuto 152. ſuper contracti-
131 bus filiorum familias, *tit. de alien. & contract. disc.* 37. & *tit. de credito, disc.* 146.

Ead. de Statuto dotium moderatorio
132 *tit. de dote disc.* 22. *cum duobus ſeqq.* & *disc.* 143.

Ead. de Statuto 131. ſuper lucro do-
133 tali; *tit. de dote, disc.* 128. *ad* 135.

Ead. de Statuto 137. ſuper fructibus,
134 & vſuris dotalibus *tit. de dote disc.* 161. & *disc.* 117. & *ſeqq.*

Ead. de Statutis 143. & 144. ſuper fa-
135 cultate, vel reſpectiuè prohibitione teſtandi, vel diſponendi cum naturalibus tamen etiam legitimatis, *tit. de teſtam. disc.* 52.

Ead. de Statutis 149. & 150. in ma-
136 teria donationum, ac ſolemnitatum in eis adhibendarum, in quibus caſibus procedant, *tit. de donat. disc.* 27. & 28. & 32. *cum ſeqq.*

Ead. de Statuto 107. concedente mu-
137 rum vicini, quomodo, & quando procedat, *tit. de ſeruit. disc.* 7.

Ead. de Statuto 83. tribuente dori
138 viam exequutiuam etiam contra tertium quomodo, & quando procedat, *tit. de dote disc.* 57. & 58.

Ead. de Statuto 154. circa leſionem
139 in emptione, & venditione, an ſufficiat in tertia parte, *tit. de empt. & vendit. disc.* 25.

Ead. de Statuto, vt ſeruari debeat ius ci-
140 uile ideoq; in teſtamentis non attendatur diſpoſitio iutis canonici *in c. cum eſſes tit. de teſtam. disc.* 11.

Ead. de Statuto agriculturæ, *tit. de*
141 *ſeruit. disc.* 28.

Ead. de Statuto 122. vt bona emphy-
142 theutica obligari poſſint pro dote, & quando procedat, *tit. de dote disc.* 147.

Ead. de Statuto 130. vt dos data per
143 fratrem ad ipſum reuertatur, *tit. de dote disc.* 101.

Ead.

Ead. de Statuto 143. vt mulier non
144 possit disponere nisi de decima parte dotis, & quando procedat, *tit. de dote disc.* 116.

Ead. de Statuto 147. de continuanda
144 possessione infra in inspectione generali super statuto de continuanda.

Ead. de Statuto 142. de filijs in condi-
145 tione positis, vt censeantur vocati, *tit. de fideicomm. disc.* 74. *cum pluribus seqq.*

Ead. de Statuto 135. annullante do-
146 nationes inter coniuges, an & quando intret *tit. de donat. disc.* 30. & 31.

Ead. super decreto Camerali, *titul. de*
147 *locat. disc.* 35.

Ead. de Statutis Montis pietatis Vr.
148 bis, *tit. de credito disc.* 68.

Ead. de Statuto 180. super duabus
149 conformibus, *tit. de Iudicijs.*

Ead. super bullis seù Constitutionibus
150 Apostolicis.

De bulla Pij V. de non Infeudando *tit. de feudis, disc.* 1. 4. & 61.

De Bullis Sixti V. & aliorum Pontifi-
151 cum super prohibita alienatione iurisdictionalium, *tit. de feud. disc.* 66. & *seqq.* & *disc.* 105., & *tit. de credito disc.* 13. & 151.

Ead. de ijsdem bullis seù Constitutio-
152 nibus prohibentibus alienationem in forenses, *tit. de dote disc.* 149. & *tit. de alienat. & contract. disc.* 39. & *dicto tit. de credit. disc.* 13. & 151.

De bulla Clementis VIII. super Baro-
153 nibus vulgò Bulla Baronum *sub tit. de feud. disc.* 73. *cum multis seqq.* & *sub tit. de credito, disc.* 13. 127. 141. & 151.

De bulla Archiuij Vrbani VIII. *tit. de*
154 *feud. disc.* 85. & 87.

De Bulla Vrbani VIII. super locis
155 montium, *tit. de Regal. disc.* 25. 38. 41. & *eod. tit. in supplemento.*

De Bulla Pauli Tertij super pœna, de
156 culpi contra fraudantes rationes fiscales, *tit. de regal. disc.* 119. *cum seqq.*

De Bulla seù constitutione 23. Grego-
157 rij XIII. super retractu prælatiuo, & coactiuo *sub tit. de seruit. disc.* 74. *cum pluribus seqq.*

De Bulla Clementis VIII. super redu-
158 ctione censuum Communitatum, *sub tit. de censibus disc.* 30. & *eod. tit. in supplemento.*

S

Sancti Gemini, de Statuto super retra-
159 ctu, *tit. de seruit. disc.* 71.

160 *Sardinæ* verbo *Turritana.*

Scrofani, de Statuto excludente fœminas
161 propter masculos quomodo intelligendum, *sit hoc tit. disc.* 3.

Senen. dde Statuto super gabella soluenda
162 per forenses, *tit. de Regal. disc.* 83.

Ead. de successione filiorum in dote,
163 *tit. de credito, disc.* 40.

Ead. de Statuto concedente ius redi-
164 mendi bona exequuta, *tit. de credito, disc.* 142.

Ead. de Statuto subintelligente in te-
165 stamentis titulum institutionis, *tit. de testam. disc.* 59.

Ead. de Statuto in materia ratractus
166 eiusque intelligentia, & an suffragetur Iudæis, *tit. de seruit. disc.* 68. *cum duobus sequen.*

Ead. *verbo* Canciani.

Senogallien. de Statuto exclusiuo fœmina-
167 rum, *tit. de fideic. disc.* 144.

Siciliæ de Statuto continuatiuo possessio-
168 nis defuncti in hæredem, *tit. de hared. disc.* 28. & *hoc tit. disc.* 38.

Ead. de Consuetudine super taxa fru-
169 ctuum dotis, *tit. de dote disc.* 161. *n.* 43.

Ead. de capitulis, & legibus super suc-
170 cessione feudorum, *tit. de feud. disc.* 13. & *in decis. Siciliæ eod. tit.*

Spoletana, de pragmatica super taxa do-
171 tium, *tit. de dote, disc.* 23

Ead. de Statuto requirente solemni-
172 tates in testamentis mulierum, *tit. de testam. disc.* 30.

T

Tudertina de Statuto exclusiuo matris, ac
173 fœminarum à successione, an & quando procedat, & præsertim an in successione Clerici, *hoc tit. disc.* 6. & 7.

Turritana de successione filiorum in do-
174 te, *tit. de dote disc.* 107.

V

Veliterna de Statuto super retractu, *tit.*
175 *de seruitut. disc.* 72.

Viterbien. de Statuto exclusiuo fœminarum

pro-

176 propter masculos, an, & quomodo procedat, *hoc tit. disc.16.*

Vrbinatem de Consuetudine, vt soluatur ga-
177 bella duplicata per forenses, *tit. de Regal. disc.77.*

Ead. de concordia Vrbini in materia
178 emphyteutica, *tit. de emphyt. disc.19. & 26.*

Ead. de Indulto Vrbani VIII. super
179 renouatione in materia emphyteutica in Statu Vrbini, *tit. de emphyt. discurs.5. cum seqq.*

Ead. de decretis Ducalibus super so-
180 lemnitatibus adhibendis in donatione, *tit. de donation. disc.2. & in verbo Eugubina.*

De alijs autem Statutis, de quibus
181 hucusque particulariter agere occasio non dedit, dabit autem in futurum, habebitur *hoc eodem tit. in supplemento*; Ac etiam videri potest *apud Rubeum tom.2. singularium ex fol.587.* vbi de multis Statutis in specie, ac etiam ea, quæ adeò elaboratè colligit *Tusch. in suis conclusionibus* sub verbo *Statuta.*

DE STATVTIS IN GENERE.

Excludentia à successione stabilium an pro-
182 cedant in locis montium, & censibus, alijsque iuribus constituentibus tertiam speciem, *titulo de Regal. disc.43. & disc. 83.*

Excludentia forenses, an censeantur
183 fauorabilia, vel odiosa, *dicto tit. de feud. disc.83. & de dote disc.149.*

An afficiant exemptos ex cõuentione,
184 *tit. de feud. disc.13. & disc.89.*

In non subditis, vel in bonis extra-
185 territorium, deseruiunt pro interpræstatione voluntatis contrahentium, vel disponentium, *eodem titulo de Regal. discurs.128.*

Ciuitatis dominantis quomodo attẽ-
186 dantur in loco habente Statutum particulare, *tit. de Regal. disc.83.*

Mandantia vt in casu omisso regulen-
tur à iure communi, de quo iure intelli-
187 gendum sit, an de illo Romanorum, vel Ciuitatis dominantis, *eodem disc. 83. de Regal.*

An Ciuitas quæ recognoscit Superio-
188 rem, condere possit Statuta excluden-
tia forenses, *eod. disc.83. de Regal., & de dote disc.149.*

Quando capiant etiam præterita, *tit.*
189 *de Regal. disc.49.*

Imponentia gabellam, vel aliud onus
190 pro successione sunt odiosa, *eodem tit. de Regal. disc.154.*

Quando comprehendant actus iura-
191 tos, *disc.128. de Regalibus, & tit. de dote disc.143. & de alienat. & contract. disc.26.*

Recipiunt interpretationem etiam à
192 Statutis aliarum Ciuitatum, vel locorum, *tit. de Regal. disc. 83. de seruitut. disc.2. & disc.72.*

De inducentibus diuisionem pascuo-
193 rum, *tit. de Regal. disc.94.*

Quando comprehendant personas ec-
194 clesiasticas, *tit. de Regalib. disc.32. & de dote disc.22. 143. & 147.*

Prohibentia alienationem in forenses
195 an comprehendant clericos, *tit. de seruitut. disc.81. & de dote disc.149.*

Quæ confirmatio in Statutis requira-
196 tur, & de confirmatione præsumpta, quid operetur, *tit. de seruitut. disc. 71., de dote disc.143.*

De Statutis mandantibus expurga-
197 tionem territorij à bannitis, vel latronibus, *tit. de seruitut. disc.46.*

Quale Statutum attẽdi debeat in ma-
198 teria lucrorum dotalium, an illud viri, vel illud vxoris, *tit. de dote disc.128.*

Deferens lucrum dotale, non cense-
199 tur derogare dispositioni textus *in l. hac edictali, tit. de dote disc.130. & 132.*

Auferens lucrum viro, an auferat etiã
200 mulieri, *tit. de dote disc.135.*

Prohibentia alienationes in forenses,
201 an capiant alienationem ex causa dotis, *tit. de dote disc.149.*

Quando censeantur vocare filios ad
202 successionem dotis, *titulo de dote disc. 101. & 105. cum seqq.*

Excludentia fœminas maritatas à suc-
203 cessione, intelligũtur de successione deferenda post matrimonium, secùs autem de delata, quamuis non agnita, *tit. de fideicomm. disc.44.*

De Statutis exclusiuis fœminarũ pro-
204 pter masculos, vel cognatorum propter agnatos, vide ndum in locis particularibus, de quibus præsertim *hoc titulo*, & in altero *de legit. & detract.*

De Statutis vocantibus filios in con-

305 ditione positos pluries *sub tit. de fideicomm. disc.* 74. *cum pluribus seqq.*

De Statutis inhabilitantibus minores, vel mulieres ad contrahendum sine cer-
306 tis solemnitatibus, habetur in locis particularibus, *& sub tit. de alienat. & contract.*, ac etiam *sub altero de dote*, occasione agendi an capiant causam dotis.

De Statutis circa redhibitoriam, *tit.*
307 *de empt. & vendit. disc.* 8.

De Statutis circa solemnitates in do-
308 nationibus, *tit. de donat. disc.* 21. 28. 30. *& pluribus seqq.*

De Statuiis restringẽtibus libertatem
309 testandi sine consensu, vel præsentia alicuius, *tit. de testam. disc.* 29. *& seqq.*

De Statutis continuantibus possessio-
310 nem defuncti in hæredem, *tit. de hærede, & hæredit. disc.* 26.

Et an illa habeant locum in iurepa-
311 tronatus, *tit. de iurepatron. disc.* 63.

De Statutis circa duas conformes, eo-
312 rumque intelligentia, ac de alijs ad materiam *sub tit. de Iudic.*

De Statutis, & legibus circa libertatẽ
313 matrimonij, *sub tit. de matrimon. disc.* 14, *& sub tit. de testamen. disc.* 73. *& sub tit. de dote disc.* 143.

Cadunt item in hac Statutorum materia quæstiones circa loci circumscriptionem; Cum etenim recepta sit conclusio pluries in præcedentibus *hoc tit.*,
314 & alibi insinuata, vt Statuta, vtramq; exigant copulatiuam subiectionem, personarum, & bonorum, ideoque etiam cum subditis non operentur in bonis extrà territorium; Hinc proindè frequenter in foro disputari contingit, an, & quæ bona sequantur personam de cuius successione agitur, vel respectiuè circumscribantur loco, & de quo censeantur ad effectum compræhensionis, vel non compræhensionis sub Statuto.

Aut ergò agitur de bonis stabilibus per veritatem, vt sunt illa, quæ soli dicuntur, quia nempè in solo consistant exindè non amouibilia, vt sunt vineæ, arboreta, prata, campi, ac etiam domus aliaque rustica, & vrbana prædia; Et in istis nulla cadit quæstio, quoniam ad hũc effectum extrà omnem controuersiam circumscribuntur eo loco, vel territorio in quo sita sunt, cum solum in hac bonorum specie intret quæstio, de qua *sub tit. de legat. disc.* 7., quando scilicèt destinatio domini in ijs, quæ ab eius voluntate pendent, faciat illa censeri diuersi loci, vtpotè alteri prædio, vel bonorum vniuersitati annexa.

Aut de illis iuribus, quæ impropriè ex legis fictione stabilia dicuntur, seù verius tertiam speciem constituentia, loco stabilium censentur, vt sunt loca montium, aliaque similia iura cum Principe, vel Republica, vel census annui perpetui; Et tunc, licet apud antiquiores id sub quæstione fuerit; Attamen hodiè receptum est, vt loca montium, aliaque consimilia iura cum Principe, vel Republica censeantur esse in Vrbe, siue in ea Metropolytica Ciuitate in qua erectio facta est, ac destinata solutio, quamuis effectus pro Montis dote destinati, alibi siti sint ex plenè deductis per *Rouit. in in pragmat.* 1. *de iur. & exaction. fiscal. num.* 66. *cum seqq. Rota apud Buratt. dec.* 474. *num.* 1., *decis.* 177. *num.* 38. *par.* 5. *rec. apud Roias decis.* 66. *num.* 10., & habetur *sub tit. de Regal.* & alibi pluries; Et de censibus *Cenc. hoc tractat. quæst.* 30. *decis.* 235. *part.* 7. *recent. Roias dicta decis.* 66. *num.* 11., & pluries alibi aduertitur, præsertim *dicto tit. de Regal. disc.* 92., vbi aduertitur, an idem procedat ad effectum collectarum, quæ diuersam habent rationem.

Solumque respectu stabilium, ac aliorum huiusmodi, quæstio cadit vbi agatur de bonis dotalibus in ordine ad mulierem cui data sint in dotem, an scilicèt sequantur ipsius mulieris personam ob rationem vniuersitatis, quam dos constituere dicitur, ex ijs quæ in ista quæstione vtriusque opinionis habente antesignanos *Azon.* & *Bart.* habentur plenè deducta *per Barbos. in Rubr. ff. solut. matrimon. par.* 3. *Mantic. de tacit. lib.* 12. *tit.* 6., *Capyc. Latr. consult.* 91. *num.* 4. *Aponte de potestate Proreg. tit. de succes. mulier. in princ. Bottilier. de succes. ab intestato theor.* 13. *num.* 16. *Giurb. ad consuet. Messan. cap.* 1. *glos.* 1. *par.* 1., apud quos alijs. Et in qua quæstione respectu bonorum, quæ loco circumscribuntur ad effectum compræhensionis sub Statuto verius esse videtur, vt cẽseantur de loco in quo sita sint, nõ autem de loco personæ, vt in terminis Statuti deferentis dotem filijs, habetur *apud Merlin. decis.* 828. *&* 853. *apud Dunozett. decis.* 528. *& apud Roias decis.*

decis. 157., & aduertitur *sub tit. de dote disc.* 103. *& seqq.*

Vbi verò agatur de nominibus debitorum, est sub quæstione, in qua opinionum varietas pro more habetur; Aliquibus volentibus, vt non circumscribantur loco, sed sequantur personam creditoris; Alijs, vt attendatur locus contractus; Et alijs, vt attendatur locus destinatæ solutionis, ex ijs quæ in materia habentur cæteris relatis *apud Bellon. iun. de iure accrescen. cap.* 10. *quæst.* 2. *ex num.* 138. *Merlin. de legitim. lib.* 3. *tit.* 1. *quæst.* 13. *à numer.* 93. *ad* 99. *Franch. decis.* 93. *ibique Addeu.*, *Rota apud Buratt. decision.* 474. *numer.* 4., *& apud Merlin. dicta decis* 828. *num.* 17. *Giurb. ad consuetud. d. cap.* 1. *glos.* 1. *par.* 1. *& cap.* 12. *glos.* 5.; Adhuc tamen occasio non dedit, id formiter, & ex professo disputare, cum solùm incidenter de hoc actum esset *in Fauentina* de qua *sub tit. de Renunciat. disc.* 14.; Cumque sit quæstio iuris dubia, hinc proindè Tribunalium stylis deferẽdum videtur; Mobilia verò receptum videtur, vt personam sequantur.

SVMMA
SIVE
COMPENDIVM

Eorum, quæ continentur in hoc Lib. XI. Par. II. De Successionibus ab intestato, et de Statutis.

I.

De ordine intestatæ successionis, ex sola dispositione iuris communis, *à num.* 1. *ad* 22.

II.

De necessaria successione, quæ à iure quoque communi, secundarum nuptiarum ratione resultat, *à num.* 22. *ad* 33.

III.

De alia successione necessaria, quæ resultet à iure municipali, vel alio iure speciali, *à num.* 34. *ad* 37.

IV.

De successione prælatiua alicuius generis personarum ex iure municipali, quod sit alterius generis exclusiuũ, puta masculorum in exclusionem fœminarum, *à n.* 38. *ad fin.*

SVMMARIVM.

I.

1 *QValis sit ordo intestatæ successionis de iure communi.*

2 *Prima causa successionis est filiorum legitimorum, & naturalium supra parentes.*

3 *Quomodo sit illa nepotum ex filio prædefuncto.*

4 *De differentia inter patrem, & matrem circa successionem naturalium tantum, vt patri non succedant, matri autem æquè succedant cum legitimis, quod limitatur.*

5 *Filiæ imputant, vel conferunt dotem, & quando secus, & quid in donatione ob causam facta filio.*

6 *Non extantibus filijs succedunt pater, & mater, & fratres vtrin. coniuncti, vel eorum prædefunctorum filij, licet moriens sit in potestate.*

7 *Hisque extantibus, auus, & auia alijque ascendentes non admittuntur absque repræsentatione.*

8 *Non extantibus patre, vel matre, auus, & auia succedunt cum fratribus vel eorum filijs.*

9 *An nepotes ex fratre prædefuncto succedant cum patre, vel matre.*

10 *Fratres ex vno latere vbi extent fratres vtrinque vel eorum filij, & parentes, non habent ius in successione.*

11 *Quid deficientibus vtrinque, an fratres ex vno latere concurrant cum parente eiusdem lateris.*

12 *Alij collaterales post fratres, & fratrum filios non succedunt cum ascendentibus etiam mediatis licet gradus sit æqualis.*

13 *Nepotes plurium fratrum, nullis extantibus fratribus, an succedat in stirpes, vel in capita.*

14 *Iidem nepotes ex fratribus licet nulli adsint fratres, excludunt patruos, & auunculos.*

15 *De successione fratrum vnius lateris tantum.*

16 *De generico ordine successionis aliorum coniunctorum post prædictos.*

17 *Coniuncti succedunt vsque ad decimum gradum ciuilem, & non vltra.*

18 *Eis non extantibus succedit vxor, eaque non curante, fiscus, sed quando hæc fisci successio excludatur.*

19 *Illegitimi non habent ius agnationis, sed solum illud cognationis ideoque cognatis, non autem agnatis succedunt, & è contra.*

20 *Quid de legitimatis.*

21 *Et quid de adoptiuis.*

22 *An inter parentes intret distinctio, vt paterni in paternis, et materni*

in

in maternis succedant.

II.

23 *De necessaria successione filiorum primi matrimonij in bonis matris binubæ obuentis à primo viro, vel à filijs primi matrimonij ex* l. fœminæ.

24 *Quas pœnas secundò nubentium inductas à iure ciuili, lex canonica abolerit.*

25 *Istæ pœnæ protedunt etiam in viro binubo, & quando excusetur.*

26 *De alijs excusationibus istarum pœnarum, præsertim ratione consensus.*

27 *An dicta successio procedat in bonis, quæ mediate obuenerint.*

28 *Istud ius filiorum est personale, ad hæredes non transmissibile, si ipsi parenti binubo prædecedant.*

29 *Minusque dicta successio intrat in ijs bonis, quæ parens binubus ex filij testata dispositione, vel donatione obtinuit.*

30 *Aut in obtentis titulo oneroso.*

31 *Potest parens binubus in his bonis gratificari aliquos ex filijs.*

32 *De successione necessaria in legitima filijs* debita, *& de illa, quæ debetur coniugi pauperi.*

33 *De alia successione necessaria,* ex l. hac edictali.

III.

34 *De necessaria successione filiorum in bonis parentis præsertim in dotalibus matris ex iure municipali.*

35 *De illa coniunctorum in bonis antiquis.*

36 *De illa eorumdem volente possessore disponere cum illegitimis.*

37 *De successione necessaria in fideicommisso, vel feudo, seù emphyteusi.*

IV.

38 *De ratione introductionis Statutorum circa successionem.*

39 *An censenda sint odiosa, & exorbitantia, vel potius fauorabilia, & iuri conformia.*

40 *In eis requiritur vtraque subiectio personarum, & bonorum.*

41 *An excludant personas ecclesiasticas.*

42 *An sint seruanda inter laicos in successione personæ ecclesiasticæ.*

43 *De dotatione fœminarum, quæ per hæc Statuta demandatur, quomodo intelligenda sit.*

44 *De alijs ad materiam remissiuè, & quare de singulis non agatur.*

I.

VRis ciuilis dispositione attenta, quæ vbique, interris etiam Ecclesiæ, atque in Ecclesiastico foro, quoque viget; Quamuis antiquiori, vel medio tempore, non modica varietas, super intestatæ successionis ordine dignoscatur; Ex Nouissimo tamen Iustinianeo Iure, cum quo viuitur, iste ordo planus redditus est, cum pleræque dubitationes, quæ in casibus omissis, vel non sufficienter explicatis, magnam inter nostros maiores pugnam causarunt, hodiè quoque sopitæ pœnè sint; Eam pro regula amplectendo opinionem, quæ magis Tribunalibus probabilior visa sit, ac propterea magis communiter recepta.

1

Filiorum itaque primi gradus, qui nullam natalium maculam habeant, (sublata sexus differentia,) prima, & coæqualis est causa vtriusque parentis respectu, neque cum filijs, nepotes, ex eisdem, qui adhuc extent, minusque defuncti pater, vel mater cōcurrunt, cum filij omnes alios vincant; Nepotes autem, vel vlteriores descendentes, qui alijs prædefunctis, primum cum auo, vel proauo locum occupent, filiorum loco habentur, ideoque parentes etiam vincunt, atque in aliorum filiorum primi gradus concursu, ex representationis beneficio obtinent id, quod eorum parens obtineret si viueret.

2 3

Ea verò, inter patris, ac matris successionem, filiorum vel descendentium, ex eis, differentia dignoscitur, quod patri, non nisi legitimi, & naturales, non autem naturales tantùm succedunt; matri autem, omnes coæquali iure, natalium macula non obstante; Nisi de matre Illustri agatur, quæ filios legitimos habeat (vtroque requisito copulatiuè desiderato); Vel nisi ex damnato, & punibili coitu progeniti sint, vt in legitima quoque filijs de necessitate debita statutum est.

4

Quamuis autem, ex dicto Nouissimo Iure, sublata sit sexus differentia; Si tamen fœminæ, ab eo parente, de cuius successione agitur, dotem habuerint, Istam conferre, ac imputare debent; Nisi ex ea donatione dos data sit, quæ ab alio, quàm filiationis motiuo proue-

5

niat,

niat, ideoque collationi, ac imputationi non subiaceat; Optione data non conferendi, quatenus à successione abstinere velit; Idemque in masculis, quibus causatiua donatio, iuxta iuris regulas imputabilis, facta sit. A

Post filios, aliosque descendentes; Parentum primi gradus, nempè patris, & matris, ac fratrum, & sororum vtrinque coniunctorum, secunda, & coæqualis est
6 succedendi causa, patriæ potestatis vinculo neglecto, in ea bonorum specie quæ, sub aduentitio peculio cadit, cum solum eorum, quæ sub verè profectitio peculio adhuc remanent, occupatio patri concedatur ipsius peculij iure; In alijs autem hæreditario, ac successorio iure, cum matre, & fratribus venit.

Atque vbi vterque primi gradus parens exter, vel eorum alter, aui, vel auiæ
7 seù vlterioris ascendentis, nulla est successio, neque repræsentatio ordine inuerso datur.

Si verò germani fratres, vel sorores vel eorum prædefunctorum filij adsint, immediati autem parentes desint, atque solum mediati extent, auus nempè, vel
8 auia, sub quæstione est, àn locum parentis coæquali iure occupet, magisque recepta, & probabilis affirmatiua videtur. B

Prout etiam quæstio est, cum opinionum varietate, in casu conuerso, vbi nempè pater, vel mater exter, non autem frater vtrinque coniunctus, sed ex eo prædefuncto nepos, àn repræsentationis beneficium intret, vt ità primum locum occupet, maiorque dubitandi ratio cadit, quando alter primi gradus frater non extet, qui repræsentationi ansam præbeat; Pariterque probabilior est opinio nepoti fauorabilis, vt repræsentationis beneficio iuuetur. C.

Illi verò fratres, vel sorores, quibus vnius tantùm lateris coniunctio datur,
10 cum parentibus, vel cum fratribus vtrinque coniunctis, eorumque prædefunctorum filijs, nullum habent concursum; Cadente quæstione, àn vtrinque coniunctis non extantibus, illi qui ex vno tantum latere coniuncti sunt, ad successionem concurrant, cum eo parente, à quo eorum coniunctio manat, quia nempè
11 vterini cum matre, vel consanguinei cum patre concurrere velint, magisque recepta est negatiua. Non tamen cum
12 ascendentibus, etsi mediatis, alij collaterales post fratres, & fratrum filios concursum aliquem habent, licet respectiuè gradus æqualitas adsit. D

Nullis autem extantibus fratribus, sed plurium prædefunctorum nepotibus, ma-
13 gna apud antiquiores, nimiumque inuoluta fuit quæstio, àn adhuc intrare debeat repræsentationis ordo, per quē successio fiat in stirpes, eo modo quo accedēte patrui, vel auunculi, seù amitæ, vel materteræ concursu succeditur; Hodiè verò vbique magis ea recepta est opinio, vt successio sit in capita, cum cesset repræsentationis necessitas. E

Adhuc tamen huius repręsentationis casu, vel necessitate cessante, illa in fra-
14 trum prædefunctorum filijs, operatiua remanet, vbi cum defuncti patruo, vel auunculo concursus fiat; Licet enim, eadem, & coęqualis tertio gradu coniunctio sit, non tamen æqualis est successio, sed potior est illa inferioris lineæ collateralis nepotum ex fratre, primum fraternum gradum ità repræsentantium. F

Vtrinq; coniunctis quoque, vel eorum filijs, non extantibus, fratrum, ac soro-
15 rum ex vno latere tantum, prior quàm, vlteriorum collateralium successio est coæqualis, si ex eodem latere attineant, si verò ex diuersis, diuiditur successio pro bonorum origine, vt in ijs, quæ à patre, consanguinei, in ijs autem quæ à matre, vterini succedant; In quæsitis autem à defuncto, sit ius coæquale; Nepotes au-
16 tem ex fratre vnius lateris cum nepotibus ex fratre vtrinque pro magis recepta opinione non concurrunt.

Aliorum verò omnium vltrà præmissos, indefinita est successio, sola gradus proximitate attenta, ideoque patruus, vel auunculus cōsobrinum excludit, vinculi

A. *de hac materia collationis, vel imputationis sub tit. de hæred. disc.* 31. *& tit. de legit. disc.* 24.
B. *hoc tit. disc.* 30.
C. *hoc tit. disc.* 8. *n.* 11.
D. *hoc tit. disc.* 3.
E. *disc.* 8. *num.* 10. *& alibi hoc tit.*
F. *disc.* 8. *hoc tit.*

culi vnicitate, vel duplicitate non cura-
ta, vsque ad decimum ciuilem gradum,
quem successionis ordo non egreditur,
17 sed vir, vel vxor subintrat G; Istoque
etiam non extante succedit fiscus, quem
tamen aliquando in clericis, Ecclesia, et
18 in infirmis, vel addictis aut, expositis
Hospitale, vel alia Congregatio, pro ca-
suum, vel morum diuersitate excludit. H

In illegitimis autem, inter agnatos,
& cognatos, distinctio est, vt agnato-
19 rum nulla actiua vel passiua successio de-
tur, cognatorum verò secus, nisi ea ac-
cedat circumstantia, quæ (vt supra) ma-
trem quoque extraneam efficiat, cum ab
ea reliqui per cognationem coniuncti
normam recipiant. I

Legitimatorum actiua, & passiua suc-
cessio, à legitimationis qualitate pen-
20 det, eo modo quo circa legitimæ debi-
tũ aduertitur, an scilicet pura, & plena à
supremo Principe facta sit, vt explicitã,
vel subintellectã nõ habeat iuris venien-
tium ab intestato præseruatiuam L; Ado-
21 ptiuorum autem hodiè nullum quæ-
stionis casum praxis docere videtur.

In parentibus mediatis præsertim, magna est Iuristarum lucta, àn coœ-
22 quale sit ius, ex gradus maiori proximi-
tate regulanda, vel potius patrimonio-
rum diuisio intret, seù bonorum origo
attendatur, vt scilicet paterni in pater-
nis, materni autem in maternis succe-
dant; Probabilior autem, atque in pra-
xi magis recepta videtur opinio, quæ
primam tenet partem, vt scilicet hæc di-
stinctio, seù differentia hodie sublata
sit.

I I.

De necessaria successione, quæ à iure quoque communi, secundarum nuptiarum præsertim ratione, vel aliàs resultet.

INter alias pœnas, quas lex ciuilis, mulieri ad secundas nuptias connolanti
23 iniunxit, ea est, in praxi frequenter contingibilis vt in ijs bonis, quæ ex liberalitate, ac beneuolentia primi viri, vel ex immediata successione vnius ex filijs primi matrimonij, in eam binubam obuenerunt, siue etiam ex lucris dotalibus, necessaria sit successio filiorum, aliorumq; liberorũ eiusdẽ primi matrimonij, dispositione ipsi matri morienti prohibita, vel etiam ea inter viuos, quæ lucratiua sit, aut aliàs legis fraudem respectiuè redoleat.

Quamuis enim, matrimonij libertatis fauore, pœnas, quas secundò nubentibus lex ciuilis inflixit, lex canonica abo-
24 leuerit, istaque lex correctoria, in foro etiam laicali, atque in laicalium Principum ditionibus, (quæ sub terrarum Imperij vocabulo explicari solent) legi ciuili prævaleat; Adhuc tamen incorrectæ remanent illę pœnæ, quæ liberorum primi matrimonij fauorem respiciunt. M.

Prædictæ autem legis ciuilis litteræ, mulieri binubæ istam, aliasque irrogat
25 pœnas, ideoque plurium sententia est, vt in viro locum non habeant; Contrarium tamen magis receptum est, vt in vtroque coniuge, vel parente respectiuè, pariformiter id procedat; Facilius tamẽ in viro cadet iusta excusationis causa, in gratiam eorumdem filiorum ex prima vxore superstitum, quorum, melior educatio alterius vxoris moralem necessitatem, vel congruentiam exigat, pro facti qualitate. N

Excusat itaque ab hac pœna superius insinuata, vel alia similis iusta causa, si-
26 ue ipsorum liberorum consensus, qui tamen expressus, ac legitimus existat, ad hunc finem datus, non autem, vbi ex sola vrbanitate, seù beneuolentia, vel quod parenti filius contradicere non audeat, siue quod nouercam, vel respectiue vitricum amauerit, eique reuerentiæ actus exhibuerit. O

Non leuis autem quæstio est, àn hæc necessaria successio, in ijs bonis procedat,

G. *disc.* 39.
H. *sub tit. de Regal. disc.* 149. *vbi de hac materia successionis fisci in bonis vacantibus, & quando non intret.*
I. *disc.* 10.
L. *Sub tit. de legitim. & detraction. & hoc titulo disc.* 38.
M. *de his pœnis secundo nubentium disc.* 29. *cum pluribus seqq.*
N. *disc.* 33.
O. *eodem disc.* 33.

27 dat, quæ à primo coniuge in binubum superstiti item, non immediatè, ex vnius ex filijs successione, sed mediatè obuenerunt, quia nempe vno filio prius defuncto, alter pro eius virili succedat, eique postea morienti, cum alijs fratribus, patens binubus succedat, an scilicet, quod ita mediatè obuenit, huic necessariæ successioni subiaceat, quod varias habet opiniones, variasq; recipit distinctiones præsertim in linea descensiua, vel transuersa, ideoque in sua sede videndum est P.

Huic verò necessariæ successioni fauore liberorum tantùm, qui parenti bi-
28 nubo supersint, locus est, ideoque primi matrimonij liberi, qui tali binubo parenti prædecedant, ad extraneum hæredem huiusmodi successionis ius non transmittunt, quamuis testati decedant, quidquid aliquorum error tradat. Q

Minusque eidem necessariæ successioni locus est, in illis bonis, quæ non ex intestata successione, legisque beneficio,
29 sed ex morientis filij beneuolentia, & dispositione, parens binubus obtineat, siue per vltimam voluntatem, siue per actum inter viuos id sequatur. R.

Prout neque sub hac pœna cadunt ea, quæ binubus coniux, ex primi bonis obtinuerit, non ex liberalitate, sed ex causa
30 onerosa, & correspectiua, vt præsertim ea donatio esse solet, quæ pro alicuius inæqualitatis compensatione fiat.

Non omnium item liberorum primi
31 matrimonij necessaria est successio, sed eorum tantùm, quibus parens binubus gratificari velit, cum istam à lege habeat potestatem, qua ad exercitium non deducta, æqualis est omnium conditio, iuxta successionis ordinem. S.

Aliæ sunt necessariæ successiones, quæ à iuris communis dispositione manant, vt
32 est legitima, quæ liberis, vel parentibus debita est, ista verò diuersam habet sedem vel materiam. T Siue illa, quæ pauperi coniugi superstiti debetur in bonis morientis coniugis in quarta parte. V

Prout impinguatæ legitimæ speciem habet illa necessaria successio, quæ in ip-
33 siusmet binubi parentis bonis, primi matrimonij liberis debita est, vt vltra legitimã eis de iure debitam, cuiuslibet eorum conditio æqualis fiat secundo coniugi superstiti, cuius fauore parens binubus disposuerit, quamuis ex causa fuerit conuentionalis, vel statutarij dispositio manet, vbi lex municipalis, explicitam, vel implicitam non habeat derogationem illi legi, quæ liberorum primi matrimonij fauore ita statuit. X

III.

De successione necessaria, quæ resultet à iure municipali, vel ab alio iure particulari.

QVamuis iuxta ordinem in prima Rubrica insinuatum; Ius ciuile nouissimum, intestatam successionem regulari
34 debere statuerit; Attamen; Vel quia antiqui Romanorum mores, ab illis Græcorum, qui tale Ius nouissimum condiderunt, essent diuersi; Vel quia in eo intermedio spatio, quod inter Imperij Romani translationem, dictarumque legum inuentionem, ac vsum, intercessit, prò diuersarum dominantium Nationum moribus, vel ex alijs accidentibus, diuersum succedendi ordinem plures præsertim Italiæ populi sibi statuerint; Hinc proindè; Vel ex antiquarum legum, seu consuetudinum particularium continuatione; Vel ob nouas leges statutarias, quas ijdem populi pro eorum animi declaratione, circa legum ciuilium vsum condiderunt; In plerisque locis, diuersus est ordo succedendi, etiam necessarius, vt præsertim frequentior vsus docet in mulieris dote; In qua filiorum necessaria est successio, adeò vt neque volens possit mater aliter, per vltimam præsertim voluntatem, disponere, vt

P. *disc.* 30.
Q. *disc.* 34.
R. *eod. disc.* 34.
S. *de præmissis, & alijs adnat. iam secundarum nuptiarum dicto disc.* 29. *cum plur. seqq.*
T. *sub tit. de legit. & detract.*
V. *disc.* 49.
X. *disc.* 32. *& sub tit. de dote disc.* 130. *& seqq.*

vt in dotali potißimum ſede aduertitur. Y

Siue quod de bonis antiquis, ac aliàs quàm ex propria acquiſitione obuentis, non liceat, illis de ſanguine, qui etiam per tranſuerſum coniuncti ſint, excluſis, in toto, vel in parte, cum extraneis diſponere. Z

Aut quod volens cum propria prole naturali tantum diſponere, fratres, vel agnatos in aliqua parte ſucceſſores habere teneatur A; cum ſimilibus reſtrictionibus, certam, ac generalem non admittentibus regulam, cum ab ipſarum legum particulari qualitate id pendeat.

Ex priuato quoque iure, neceſſariam ſucceſſionem frequens praxis vbique docet, vbi nẽpè de fideicommiſſaria, vel de feudali, ſeù emphyteutica ſucceſſione pacti, & prouidẽtiæ, aut ſimili agatur, vt in earũ pœculiaribus ſedibus aduertitur; Id autem, teſtatæ, vel conuentionali, potius, quam inteſtatæ ſucceſſioni referendum eſt, cum non vltimo morienti, ſed primo diſponenti, vel acquirenti ſuccedi dicatur. B

IV.

De ſucceſſione prælatiua alicuius generis perſonarum ex iure municipali, quod ſit alterius generis excluſiuum, puta maſculorum in excluſionem fœminarum.

EX eadem ratione, quæ initio præcedentis Rubricæ inſinuata eſt, vt ſcilicet antiquis Romanorum moribus, ac etiam illis, cum quibus ſub Longobardis, ac alijs poſt ſciſſum Romanum Imperium Italia continuauit vſq; ad caſualem inuentionem voluminum, ex Iuſtiniani Imperatoris mandato in Conſtantinopolitana Ciuitate ordinatorũ, aduerſaretur illud Ius nouiſſimum, quod, vel pro Græcorum moribus, Vel pro tunc dominãtis fœminini ſexus adulatione, fauore fœminarum, & cognatorum conditum fuit.

Per vniuerſam pœnè Italiam Statuta condita ſunt, fœminarum, atque cognatorum excluſiua fauore maſculorum agnatorum, ex nimium commendabili voto præfatis Italis moribus valdè adaptato, conſeruandi bona in agnationibus, & familijs, quorum decus, ac nobilitas ità conſeruantur, aliàs autem vileſcunt, ita extraneas ditando familias, ac perſonas, quæ reuerà nullam habeant ſanguinis coniunctionem, ab eo, à quo bona parta ſunt.

Super huiuſmodi verò Statutorum interprætatione, ſcribentium pugna non leuis eſt, àn ea lata, & benigna, vel potius rigoroſa, & ſtricta fieri debeat; Aliquibus in maiori numero, qui cum nouiſſimi Iuſtinianei Iuris diſpoſitione procedunt, opinantibus, vt eiuſdem iuris correctoria ſint, ideoque ſtrictam, nimiumque rigoroſam interprætationem habere debeant, atque odioſa reputari, extenſione prohibita, vltrà verborum ſonum, quamuis rationis identitas, imò, & maioritas, accedat.

Alijs autem (forte probabilius) primã recipientibus partem, vt præfato Iure nouiſſimo neglecto, vtpotè per Græcos pro eorum diuerſis moribus edito, noſtris autem Italis moribus, atque antiquo Romanorum iuri aduerſo, fauorabilia potius, benignaque interprætatione digna cenſenda ſint hæc Statuta, vtpote veri iuris Romanorum reſtitutiua, ſeù verius, morum regionis continuationẽ, dictique diuerſi Græcorum iuris non acceptationem comprobantia.

Adhuc tamen in foro, illis deferendum eſt opinionibus, quę in loco magis receptæ ſint, quamuis rationis habeant reſiſtentiam, cum ita exigat legalis facultatis deploranda miſeria, ad quam pragmaticorum ineptum, ac irratio-

Y. *de his legibus, vel conſuetudinibus ſubtit. de dote diſc.* 90., *& diſc.* 103. *cum plurib. ſeqq. & hoc tit. diſc.* 38.

Z. *dicto diſc.* 103. *de dote.*

A. *de teſtament. diſc.* 52.

B. *ſub tit. de fideicommiſſ. præſertim diſc.* 141. *& ſub tit. de renunciat. vbi de pactis ſuper ſucceſſionibus, vel earum renunciationibus.*

nabile vulgus eam induxit.

Eodemque rigoroso, parumque rationabili sensu retento, eam quoque recipere oportet restrictionem, vt vtriusque subiectionis copulatiuus concursus pro huiusmodi Statutorum operatione sit necessarius, personarum scilicet, ac bonorum, quæ statuentis territorio circumscribantur. 40

Vndè propterea clerici, aliæque personæ ecclesiasticæ, quæ à statuentis potestate exemptæ sint, ad interessatam successionem aliàs vocatæ ex dicto Iustinianeo nouissimo iure, quod sexus, ac agnationis, & cognationis differentiam substulit, neglecto Statuti ordine, admitti debeant; Quinimmò, et ipsimet laici, Statuto alias subditi, quoties de clerici, vel aliàs exempti defuncti successione sit quæstio; Horum autem neutrum placet, parumque probabile videtur, vt in sua sede latius aduertitur. 41 42

Ibique illa etiam improbabilitas aduertitur, vt Statuto fœminæ exclusæ dotationem demandante, ista sequi debeat ex singulis quibusque hæreditatibus, de quibus agitur, nisi Statutum vnica dote contentum sit, vndè propterea super verborum formalitatibus adeò insistitur, magnæque disputantur quæstiones quādò vno, vel altero modo Statutum disponat; Quod pariter pro meo sensu frigiditates, parumque rationabiles legum sensus continet, cum potius legis finis, vel effectus attendi debeat, ne scilicet mulieres à successione exclusæ, à dote quoque excludantur, ideoque honestatis iacturam seù perpetuam viduitatem cũ suo, ac Reipublicæ præiudicio patiçantur; Quando itaque huic inconuenienti consultum est, isque finis, cum dote congrua pro qualitate personarum sit impletus, nimium improbabile est, vt vni mulieri, quę plures habeat ascendentes, vel transuersales, quorum successionis locus fiat, plures habere debeat dotes, cum lex eam in singulari numero desideret, communi etiam vsu, ipsaque naturali ratione aduersantibus. 43

Quia verò huiusmodi municipalium legum diuersa est formula, vel dispositio, ipsarumque singulę diuersam receperunt interpretationem, vel praxim; Hinc proindè compendij incapax ista materia esse dignoscitur, cum facti potius quæstiones esse videantur, pro facti idcirco particulari qualitate decidendę, ac de consequenti certam non recipientes regulam cuicumque casui applicabilem, ideoque in sua sede videndum est; Potissimè verò, cum proxima habeatur quoque Statutorum, aliarumque municipalium legum aliqua compendiosa enunciatio. C 44

C *de his omnibus ad materiam Statutorum in successionibus hoc tit. disc. 1. & seqq. & disc. 41. vbi alia recensentur.*

INDEX
RERVM, ET VERBORVM

Quæ ſub titulo de Succeſſionibus ab inteſtato continentur.

A

ACTIONES.

LOco, àn, & quando circumcumſcribantur, diſc. 19. num. 13.

ADIMPLEMENTVM.

Poſt terminum, àn, & quando ſufficiat, diſc. 29. num. 12.

ADITIO.

Inducta ex quibus actibus cenſeatur, d. 21. num. 7.

Maternæ hæreditatis, àn reſultet ex retentione dotium facta per patrem, diſc. 15. num. 13.

Poſitiua requiritur vt fœmina patiatur excluſionem vigore Statuti, quo maſculus poteſt non vti, ibid. num. 15.

Vid. Tranſmiſſio.

ADMINISTRATIO.

Bonorum vacantium ex quo incerta ſit vita poſſeſſois, decerni debet proximo ſucceſſori, diſc. 37. num. 3.

Emphyteuticorum bonorum dum ſperatur ortus maſculi ad ea vocati concedenda, eſt domino directo, ibid. num. 4.

Hæreditatis ad quam naſciturus vocatur, cuinam ſit interim decernenda remiſſiuè, diſc. 37. num. 3.

ADVLTERII.

Pœnæ locum habentes contrà mulierem, nonæque practicantur in viro adultero, diſc. 39. num. 10.

ADVOCATI.

Gerere quomodo ſe debeant in cauſis, & quando poſſint motiua minus ſolida deducere, diſc. 15. num. 6.

ÆQVALITAS.

Inter ſecundum virũ, & filios primi matrimonij in bonis matris ſeruanda eſt, d. 32. num. 2. *vid.* Diuiſio, *vid.* Leg. *verſ.* hac ædictali.

ÆTAS.

Maior in Regno Neapolitano completur in anno 18. remiſſiuè, diſc. 41. num. 103.

AGNATIONIS.

Fauore diſpoſitio facta intelligitur de maſculis, diſc. 13. num. 12. *vid.* Fœminę.

Finis dicuntur fœminæ, diſc. 40. num. 12.

Naturales iura non habent, & proindè non ſuccedunt agnatis, & è contrà, diſc. 10. num. 9. 10. & 11. *vid.* Cognati, *vid.* Naturales.

Et quid de legitimatis, *vid.* legitimatis.

Statuta fauore loquentia ſunt fauorabilia, diſc. 23. num. 8. *vid.* Statuta fœminarum.

AGNITIO.

Iuris eiuſdem quando poſſit in parte fieri, & in parte non, diſc. 35. num. 7. *vid.* Vſufructuarius.

Alia, *vid.* Repudiatio.

ALIENATIO.

Dotis ex cauſa, àn veniat ſub Statuto prohibente alienationem in forenſes remiſſiuè, diſc. 41. num. 201.

Et quid de alienatione facta in clericis remiſſiuè, ibid. num. 195.

ALIMENTA.

Legatum vſufructus factum vxori, àn, & quando ſolum importet, diſc. 35. n. 10.

ALTERNATIVA.

Denotat prælationem inter eos, inter quos eſt poſita, diſc. 18. num. 6.

Reſoluitur quandoque in copulatiuam, & è contrà ibid. num. 13.

AMASIVS.

Subiacet *l. hac edictali* in relictis ſibi à concubina reſpectu filiæ legitimæ, & naturalis concubinæ, diſc. 32. num. 5.

Et quid reſpectu filij naturalis, diſc. 32. num. 6. vel ſi naturalis eſſet pariter filia eiuſdem amaſij, ibid. num. 7.

AMITA.

Excluſa à Statuto facit ceſſare repreſenta-

tionem inter nepotes patruo succedentes, disc. 8. num. 10.

ANCONÆ.

Consuetudo est credendi proxenetis circa venditionem mercium, & de istorum obligatione remissiuè, disc. 41. num. 6.

Mercatores qualem forum sortiantur, & de eorum priuilegijs remissiuè disc. 41. num. 7.

Tabernæ, seù fundaca collectantur, disc. 19. num. 9.

Alia, *vid.* Statuta particularia, *vers.* Anconæ.

ASCENDENTES.

Nepotibus de iure *Codicis* succedebant exclusis amitis, & certa portione patruis reseruata, disc. 30. num. 12.

Secundi gradus succedunt simul cum fratribus defuncti ibid. num. 6. Alia, *vid.* Mater Pares Pater.

AVGVMENTVM DOTIS.

Necessarium quando sit, & quando voluntarium, disc. 36. num. 4.

Procurari solet a ducentibus viduas cum filijs ibid. num. 8.

Pro secundis nuptijs, an possit fieri cum pacto, quod in eo filij secundi matrimonij tantùm succedant. disc. 36. num. 3. *vid.* Pactum.

Voluntarium à patre factum sonat in donationem contemplatione illius matrimonij, & quomodo filijs acquiratur, ibid. num. 6.

AVTHENTICO.

§. *Primo si quidem* vers. *si vero non habuerit Auth. de Nupt.* expenditur, disc. 34. num. 10.

AVVNCVLVS.

Defuncti non succedit cum nepote ex sorore, vel fratre eiusdem defuncti, disc. 8. num. 9.

Nepotis defuncti cum matre non concurrit ibid. num. 12.

Alia, *vid.* Patruus.

B

BALDVS.

Cons. 58. *lib.* 5. refertur, & impugnatur, disc. 7. num. 2. & 4.

Primus est inter Consulentes, disc. 2. n. 7.

BARCHINONÆ.

Mercatorum decreta, seu prouisiones circa assecurationum referuntur, remissiuè, d. 41. n. 16.

Alia, *vid.* Statuta particularia, *vers.* Barchinonen.

BAREN.

Consuetudo prohibens matri disponere de dote extrà filios recensetur remissiuè, disc. 26. num. 15. disc. 41. num. 17.

Consuetudo permittens hæredi repudiare quandocunque hæreditatem aditam etiã sine inuentario remissiuè, disc. 41. n. 18.

BENEFICIA.

Sæcularia regulares obtinere non possunt, disc. 5. num. 13.

BENEVENTANA.

Ciuitas non comprehenditur in Regno Neapolitano, sed est de pleno dominio Sedis Apostolicæ, disc. 26. num. 3.

Alia, *vid.* Statuta particularia, *vers.* Beneuentanum.

BICHI.

Dec. 625. perpenditur, disc. 5. num. 2. 5. & seqq.

BITVNTINA.

Consuetudo prohibens matri disponere extrà filios, refertur, & an illos grauare possit, remissiuè, disc. 26. num. 15. disc. 41. num. 22.

BOLOGNET.

In addit. ad Matthæsilan. de Succes. ab intestato, art. 2. principali, vers. Item dubitari potest, num. 22. reprobatur, disc. 34. num. 3. 8. & seqq.

BONA.

Acquirere nemo ingenuus in vniuerso Imperio prohibetur, disc. 25. num. 6.

Clericorum exemptionem non retinent post illorum mortem, disc. 6. num. 13.

Destinatione domini quando censeantur diuersi loci, vel vniuersitatis, disc. 41. num. 214.

Dotalia an circumscribantur loco vbi sunt sita, vel sequantur personam mulieris, ibid.

Eius cuius incerta sit vita cuinam interim sit decernenda administratio, disc. 37. num. 3. *vid.* Administratio, Immissio.

Filio ex vtroque latere obuenta an distinguantur inter parentes succedentes, disc. 11. num. 3.

Loco quomodo circumscribantur vt supra proximè vers. dotalia, & infrà *vers.* Mobilia, & *vers.* Stabilia.

Vid. Actiones, Census, Iura Loca montium, Mobilia, Nomina debitorum, Taberna.

Materna delata filijs à Statuto habent naturam

turam legitimæ, disc.35.num.2.
Mobilia sequuntur personam, disc.41. num. 214. in fine, *vid.* Mobilia.
Paterna, vel fraterna dicuntur spectato vltimo moriente, disc.11.num.4.
Paterni, & materni lateris quando distinguantur in successione, disc. 12. num.7. disc.13.num.10.
Stabilia circumscribuntur loco, in quo sunt sita, disc.41.num.214.

BONONIÆ.

Mos, & frequentia in ordinandis fideicommissis recensentur, disc.13. num. 8. Alia, *vid.* Statuta particularia, *vers.* Bononiæ.

BONORVM POSSESSIO.

Vid. Immissio.

BVLLÆ DIVERSÆ.

Alienationem in forenses prohibentes recensentur remissiuè, disc. 41. num.152.
Clementis VIII. super Baronibus remissiuè, disc.41.num.153.
Eiusdem super reductione Censuum, super Communitatibus remissiuè, d.41. num.158.
Gregorij XIII. 23. super retractu remiss. ibid.num.157.
Pauli III. super pœna decupli circa fraudantes rationes Fiscales remiss. disc. 41. num.156.
Pij V. de non infeudando remissiuè ibid. num.150.
Pij V. & aliorum Pontificium super prohibita alienatione iurisdictionalium, remiss.disc.41.num.151.

C

CADVCITAS.

Canonis ob non solutionem ab emphyteuta incursa, an purgari possit per creditorem, disc.21.num.9.
Canonalis non dicitur reintegratio fœminæ ad succedendum ob non dotationem in tempore, ibid. num.8.

CAPTIVVS.

Cessisse fingitur in momento captiuitatis, & quomodo eius successio sit regulanda, disc.11. num.7.& 8.

CATHALONIÆ.

Consuetudo vt bona sint communia inter coniuges, & filios recensetur, disc. 38. num.9. *vid.* Meleuitana *vers.* de consuetudine.
Mores quamplures irrepserunt in Regno Siciliæ, & Sardineæ, disc.38. num.9.

CAVSA.

Cessante quando cesset effectus, disc. 22. num.10.
Immediata in successione attenditur non autem mediata, disc.3. num. 10. disc.11. num.3.& 4.disc.16.num.3.
Potentior est causato, disc.15.num.7.

CAVTIONEM.

Proximior præstare debet in susceptione administrationis bonorum eius, cuius incerta sit vita, disc.38.num.4. *vid.* Administratio. Immissio.
Vsufructuarius præstare tenetur, aliàs fructus non faciet suos, & de distinctione, disc.35.num.9.

CENSVS.

Circumscribitur loco fundi censiti, quoties ibi etiam sit destinata solutio, disc. 16. num.2.disc.41.num.214.
Sicilię in Regno, & Insula Melitæ quomodo creetur, & de via executiua contra tertium, disc.38.n.3.
Stabilium appellatione, àn veniat in materia Statutorum remiss. disc.41.n.182.

CIPPVS.

Quid significet, disc.8. num.7.

CIVILITAS.

Difficilius censebitur deserta, quàm contracta, disc. 20.num.7.& 8.
Domiciliaris ex quibus præsumatur acquisita, ibid.n.4.
Deserta non dicitur ob reuersum ad propriam patriam, & quando præsumatur, disc.20.num.9.
Occasionali ex mora non inducitur, ibid. num.6.disc.19.n.4.
Donata cum conditione habendi domicilium, àn & quando amittatur ex domicilio in alio loco, disc.20.num.10.
Duplex ratione nempè originis, & domicilij retineri potest, disc.19.num.5. disc. 20.num.5.7.& 8.
Excludentis requiritur vt operetur Statutum fœminarum excluſiuum, disc. 20. num.2
Et qualis hæc esse debeat ibid. num.3. *vid.* Statuta fœminarum, *vers.* subiectionem.
Naturalis non amittitur per absentiam occasionalem, disc.19.num.4.
Etiam in filijs procreatis durante absentia, ibid.

tionem inter nepotes patruo succedentes, disc. 8. num. 10.

ANCONÆ.

Consuetudo est credendi proxenetis circa venditionem mercium, & de istorum obligatione remissiuè, disc. 41. num. 6.

Mercatores qualem forum sortiantur, & de eorum priuilegijs remissiuè disc. 41. num. 7.

Tabernæ, seu fundaca collectantur, disc. 19. num. 9.

Alia, *vid.* Statuta particularia, *vers.* Anconæ.

ASCENDENTES.

Nepotibus de iure *Codicis* succedebant exclusis amitis, & certa portione patruis reseruata, disc. 30. num. 12.

Secundi gradus succedunt simul cum fratribus defuncti ibid. num. 6. Alia, *vid.* Mater Pares Pater.

AVGVMENTVM DOTIS.

Necessarium quando sit, & quando voluntarium, disc. 36. num. 4.

Procurari solet a ducentibus viduas cum filijs ibid. num. 8.

Pro secundis nuptijs, an possit fieri cum pacto, quod in eo filij secundi matrimonij tantùm succedant. disc. 36. num. 3. *vid.* Pactum.

Voluntarium à patre factum sonat in donationem contemplatione illius matrimonij, & quomodo filijs acquiratur, ibid. num. 6.

AVTHENTICO.

§. *Primo si quidem* vers. *si vero non habuerit Auth. de Nupt.* expenditur, disc. 34. num. 10.

AVVNCVLVS.

Defuncti non succedit cum nepote ex sorore, vel fratre eiusdem defuncti, disc. 8. num. 9.

Neptis defuncti cum matre non concurrit ibid. num. 12.

Alia, *vid.* Patruus.

B

BALDVS.

Cons. 58. *lib.* 5. refertur, & impugnatur, disc. 7. num. 2. & 4.

Primus est inter Consulentes, disc. 2. n. 7.

BARCHINONÆ

Mercatorum decreta, seu prouisiones circa assecurationum referuntur, remissiuè, d. 41. n. 16.

Alia, *vid.* Statuta particularia, *vers.* Barchinonen.

BAREN.

Consuetudo prohibens matri disponere de dote extrà filios recensetur remissiuè, disc. 26. num. 15. disc. 41. num. 17.

Consuetudo permittens hæredi repudiare, quando cuique hæreditatem aditam etiam sine inuentario remissiuè, disc. 41. n. 18.

BENEFICIA.

Sæcularia regulares obtinere non possunt, disc. 5. num. 13.

BENEVENTANA.

Ciuitas non comprehenditur in Regno Neapolitano, sed est de pleno dominio Sedis Apostolicæ, disc. 26. num. 3.

Alia, *vid.* Statuta particularia, *vers.* Beneuentanum.

BICHI.

Dec. 625. perpenditur, disc. 5. num. 25. & seqq.

BITVNTINA.

Consuetudo prohibens matri disponere extrà filios, refertur, & an illos grauare possit, remissiuè, disc. 26. num. 15. disc. 41. num. 22.

BOLOGNET.

In addit. ad Matthæsilan. de Succes. ab intestato, art. 2. principali, *vers.* Item dubitari potest, num. 22. reprobatur, disc. 34. num. 3. 8. & seqq.

BONA.

Acquirere nemo ingenuus in vniuerso Imperio prohibetur, disc. 25. num. 6.

Clericorum exemptionem non retinent post illorum mortem, disc. 6. num. 13.

Destinatione domini quando censeantur diuersi loci, vel vniuersitatis, disc. 41. num. 214.

Dotalia an circumscribantur loco vbi sunt sita, vel sequantur personam mulieris, ibid.

Eius cuius incerta sit vita cuinam interim sit decernenda administratio, disc. 37. num. 3. *vid.* Administratio, Immissio.

Filio ex vtroque latere obuenta an distinguantur inter parentes succedentes, disc. 11. num. 3.

Loco quomodo circumscribantur vt supra proximè vers. dotalia, & infrà *vers.* Mobilia, & *vers.* Stabilia.

Vid. Actiones, Census, Iura Loca montium, Mobilia, Nomina debitorum, Taberna.

Materna delata filijs à Statuto habent naturam

turam legitimæ, disc. 35. num. 2.
Mobilia sequuntur personam, disc. 41. num. 214. in fine, *vid.* Mobilia.
Paterna, vel fraterna dicuntur spectato vltimo moriente, disc. 11. num. 4.
Paterni, & materni lateris quando distinguantur in successione, disc. 12. num. 7. disc. 13. num. 10.
Stabilia circumscribuntur loco, in quo sunt sita, disc. 41. num. 214.

BONONIÆ.

Mos, & frequentia in ordinandis fideicommissis recensentur, disc. 13. num. 8. Alia, *vid.* Statuta particularia, *vers.* Bononiæ.

BONORVM POSSESSIO.

Vid. Immissio.

BVLLÆ DIVERSÆ.

Alienationem in forenses prohibentes recensentur remissiuè, disc. 41. num. 152.
Clementis VIII. super Baronibus remissiuè, disc. 41. num. 153.
Eiusdem super reductione Censuum super Communitatibus remissiuè, d. 41. num. 158.
Gregorij XIII. 23. super retractu remiss. ibid. num. 157.
Pauli III. super pœna decupli circa fraudantes rationes Fiscales remiss. disc. 41. num. 156.
Pij V. de non infeudando remissiuè ibid. num. 150.
Pij V. & aliorum Pontificum super prohibita alienatione iurisdictionalium, remiss. disc. 41. num. 151.

C

CADVCITAS.

Canonis ob non solutionem ab emphyteuta incursa, an purgari possit per creditorem, disc. 21. num. 9.
Criminalis non dicitur reintegratio fœminæ ad succedendum ob non dotationem in tempore, ibid. num. 8.

CAPTIVVS.

Decessisse fingitur in momento captiuitatis, & quomodo eius successio sit regulanda, disc. 11. num. 7. & 8.

CATHALONIÆ.

Consuetudo vt bona sint communia inter coniuges, & filios recensetur, disc. 38. num. 9. *vid.* Meleuitana *vers.* de consuetudine.
Mores quamplures irrepserunt in Regno Siciliæ, & Sardineæ, disc. 38. num. 9.

CAVSA.

Cessante quando cesset effectus, disc. 22. num. 10.
Immediata in successione attenditur non autem mediata, disc. 3. num. 10. disc. 11. num. 3. & 4. disc. 16. num. 3.
Potentior est causato, disc. 15. num. 7.

CAVTIONEM.

Proximior præstare debet in susceptione administrationis bonorum eius, cuius incerta sit vita, disc. 38. num. 4. *vid.* Administratio. Immissio.
Vsufructuarius præstare tenetur, aliàs fructus non faciet suos, & de distinctione, disc. 35. num. 9.

CENSVS.

Circumscribitur loco fundi censiti, quoties ibi etiam sit destinata solutio, disc. 16. num. 2. disc. 41. num. 214.
Siciliæ in Regno, & Insula Melitæ quomodo creetur, & de via executiua contra tertium, disc. 38. n. 3.
Stabilium appellatione, àn veniat in materia Statutorum remiss. disc. 41. n. 182.

CIPPVS.

Quid significet, disc. 8. num. 7.

CIVILITAS.

Difficilius censebitur deserta, quàm contracta, disc. 20. num. 7. & 8.
Domiciliaris ex quibus præsumatur acquisita, ibid. n. 4.
Deserta non dicitur ob reuersum ad propriam patriam, & quando præsumatur, disc. 20. num. 9.
Occasionali ex mora non inducitur, ibid. num. 6. disc. 19. n. 4.
Donata cum conditione habendi domicilium, àn & quando amittatur ex domicilio in alio loco, disc. 20. num. 10.
Duplex ratione nempè originis, & domicilij retineri potest, disc. 19. num. 5. disc. 20. num. 5. 7. & 8.
Excludentis requiritur vt operetur Statutum fœminarum excluſiuum, disc. 20. num. 2
Et qualis hæc esse debeat ibid. num. 3. *vid.* Statuta fœminarum, *vers.* subiectionem.
Naturalis non amittitur per absentiam occasionalem, disc. 19. num. 4.
Etiam in filijs procreatis durante absentia, ibid.

CIVITATES.

Subditæ Status Ecclesiastici Statuta condere nequeunt, disc.25. num.3.

CIVITATIS.

Dominantis Statutum quomodo attendendum in loco, in quo adest Statutum particulare, disc.41.num. 186.

Ius commune, an dicatur, si Statutum particulare mandet seruari in casu omissorius commune, ibid. num.187.

CLAVSVLA.

Constituti precarij, & potestatis capiendi intelligitur apposita in instrumentis Regni, licèt non exprimatur, disc.38. n.11.

Idem in pacto vt instrumentum liquidari possit via Ritus ibid.

Sine præiudicio venientium ab intestato adiecta in legitimatione, quid operetur, disc.28.num.2.& seqq. *vid.* *Legitimatio*, *vers.* Cum clausula, *vid.* Legitimatus.

CLERICI.

Agnationem propriam amant, & familiam, disc.6.num.15.

Bona eo defuncto exemptionem àn retinent, ibid.num.14.

Concurrentes ad successionem laici, non subiacent Statutis remiss.disc.6. n.11.& de ratione 16.ibid.n.13.

Vid. Moniales.

Feudorum sunt incapaces, & de ratione, disc.5.num.11.

Laicalibus Statutis non ligantur, disc. 16. num.10. remiss.disc.41.num.194.

Possunt tamen eis vti actiuè, & in ratione priuilegiatiua, disc.6. num.15.

Neapolitano in Regno quomodo debeant iustificare clericatum remissiuè, disc.41. num.101.

Sub Statuto prohibente alienationem in forenses, àn veniant remissiuè, ibidem num.195.

Successio si inter laicos controuertatur, Statutum laicale attendi non debet, & de ratione, disc.5. num.8. disc.6. num. 12. Contrarium probabilius ostenditur, & de rationibus, disc.6. num. 13. & seqq. Nisi Statutum inhabilitaret ad disponendum ex testamento, ibid.num.14.

Attendendum est Statutum si Clericus condat testamentum ad normam illius, disc.6. num.12.

COGNATI.

Consanguineorum sub appellatione in sensu ciuili non veniunt, disc. 11. num. 3. & 4.

Naturalibus tantùm succedunt, disc.10. num.9.

Et indefinitè, ibid. num.11.

COLLATERALES.

Fratres præter, & fratrum filios non concurrunt cum ascendentibus, disc. 12. num.10.

Ingrati, àn excludantur à successione intestata, disc.27.num.2.& 3. *vid.* Ingrati.

Lineæ inferioris sunt magis priuilegiatæ collateralibus superioribus, disc. 8.n.8. remissiuè, disc.12.num.10.

Dari possunt vsque ad octauum gradum, sed rarus est casus, disc.8.n.23.

COMMVNIO.

Bonorum inter coniuges, & filios consuetudine, vel pacto induci valet, disc. 3. num.4.*vid.* Meleuitano *vers.* de consuetudine, *vid.* Cathaloniæ.

CONDITIO.

Dici quando valeat potiùs quàm pœna, disc.21.num.8.

Legalis non potest impleri per hæredem, disc.2.num.10.

Suspensiua, & resolutiua in quo differant disc.21.num.8.

CONFESSIO.

Prohibiti disponere nihil operatur, nisi sit adminiculata, & de adminiculis, disc.35. num.11.& 12.

CONFIRMATIO.

Communi in forma in quibus Statutis sufficiat, disc.25.num.6.

Exorbitantibus in Statutis debet esse specifica, disc.23.num.9.disc.25.nu. 6.remiss. disc.41.num.196.

Et àn resultet ex obseruantia, disc.23. num.9.

Specifica exigitur in Statutis inhabilitantibus forenses, ad succedendum, disc. 25.num.3.& de ratione num.6.ibid.

CONFISCATIO.

Ex delicto facto in vno Principatu, àn capiat bona existentia in alio, remiss. d.9. num.12.disc.19.num.16.

CONIVX.

Coniunctis deficientibus succedit in exclusionem fisci, disc.39.num.1. Sed rarus est casus, & quarè, ibid.num.4.

Et quid si sit facta thori separatio, d. 39.num.2.

Atque in coniuge putatiuo, ibidem num.3.

Pauper succedit in quarta hæreditatis coniugis diuitis, disc.39.num.5.

Et an procedat tàm in vxore, quàm in viro in bonis mulieris, ibid. num. 6. & 7. Et de ratione, ob quam in viro procedere debet, disc. 39. num. 8. & 9.

Exactè tamen probanda est paupertas, & quomodò regulanda, ibid. n. 10. & 11.

Imputare item debet legatum, vel lucrum, disc. 39. num. 12.

Ingratus, vel indignus, non consequitur, ibid. num. 14.

Quartam si neglexerit exigere à primo coniuge, non petit à secundo, d. 39. num. 13. Alia, *vid.* Vxor.

CONSANGVINEVS.

Verbum agnatis tantùm, an etiam cognatis conueniat, disc. 12. num. 3.

In sensu ciuili conuenit tantum agnatis, ibid. num. 4.

CONSENSVS.

Filiorum primi matrimonij nuptijs parentis, siue fuerit expressus, siue tacitus, cessare facit pœnas, disc. 33. num. 4.

Qualis esse debeat, & quando requirendus ad reuerentiam, ibid. num. 5.

De cautela in præstatione huiusmodi consensus adhibenda, vt filios afficiat, disc. 33. num. 6.

CONSTITVTIONES.

Vid. Neapolitani Regni Constitutiones.

CONSVETVDINES.

Vid. Neapolitanæ Consuetudines. Parem. Bituntina. Cathaloniæ, Meleuitana. Siciliæ.

CONSVLATVS MARIS.

De ordinationibus, & Statutis remiss. d. 41. num. 44.

CONSVLENTIBVS.

In oppositum scribentibus in eodem casu deferendum non est, disc. 13. num. 3.

Quantum deferri debeat, cum habentur decisiones in contrarium, disc. 16. nu. 15.

COPVLATIVA.

Resoluitur quandoque in alternatiuam, & è contrà, disc. 18. num. 13.

CORNEVS.

Cons. 300. declaratur, disc. 2. num. 12.

CREDITOR.

Reducitatem ab emphyteuta suo debitore incursam, an possit purgare remiss. disc. 21. num. 9.

Foram incursam per fratrem in dotanda sorore admissa propterea ad succedendum purgare non potest, disc. 21. num. 5. & 6. Et quando secus, ibid. num. 9.

CVRATOR.

Absenti à quo Iudice dandus sit, disc. 9. num. 4.

D

DEBITOR.

Creditori præiudicare non potest in iam quæsitis, disc. 21. num. 7.

Quærenda potest non agnoscere, disc. 35. num. 7.

DECIANVS.

Cons. 17. *lib.* 1. refertur, & comprobatur, disc. 13. num. 2. 6. & seqq.

DECLARATIO.

Donantis, vel renunciantis quamuis ex interuallo facta attendenda est, disc. 31. num. 5.

Nouam non importat dispositionem, d. 1. num. 16.

DEMONSTRATIVA.

Dispositio quando sit, vel taxatiua, disc. 1. num. 11.

DESTINATIO.

Domini quando facit censeri bona diuersi loci, vel annexa diuerso prædio, disc. 41. num. 124.

DETRACTIONES.

Excluſa à Statuto si instituatur cum onere fideicommissi, prætendere non potest, disc. 22. num. 11.

DICTIO.

Etiam quid significet remissiuè, disc. 13. num. 6.

Pariter est præcedentium repetitiua, disc. 1. num. 16.

DILIGENTIÆ.

Non profuturæ, adhibendæ non sunt, d. 21. num. 4.

DISPONERE.

Verbum conuenit tantùm vltimis voluntatibus, disc. 26. num. 6.

DISPOSITIO.

Agnatorum fauore facta intelligitur de masculis, disc. 13. num. 12.

Laicalis status ad fauorem & excluſiua clericalis, seù religioſi non dicitur in odiũ Religionis emissa, & subſtinetur, disc. 5. num. 12.

DIVISIO.

Inter filios primi matrimonij, & secundum virum sit de toto asse, non detracta legitima, disc. 32. num. 2.

Contrarium verius, ibid. num.3.
Et quod non detrahitur lucrum fauore viri, disc.32.num.4.

DOMICILIVM.

Contractum quando dicatur, disc.20. nu.4.
Occasionali non contrahitur ex mora, disc. 19.num.4.disc.20.num.6.
Alia, *vid.* Ciuilitas.

DOMINVS DIRECTVS.

Administrare debet bona emphyteutica pendente spe natiuitatis vocati, disc.37. num.4.

DONATIO.

Excludenda est in dubio, disc.34.n.13.
Legitimam filiorum non minuit, disc. 35. num.4.
DONATIO *contemplatione matrimonij*.
Certas ob nuptias facta si fuerit, àn in ea participent filij omnium matrimonium, disc.36.num.9.
Filijs quomodo acquiratur, ibid. n.7.
Et ex quibus coniecturis vocati censeantur ad illam, disc.36.num.8.

DOS.

Congrua, quæ nam dicatur, disc.33. n. 10.
Constituta si fuerit in hæreditate simpliciter, àn intelligatur de tota, vel de sola portione dotatæ, disc.34.num.13.
Destinata, vel promissa non sufficit ad exclusionem fœminæ vigore Statuti requirentis dotationem, disc.40.num.1.
Contrarium adstruitur, disc.40. n.2. & seqq. *vid.* Statuta fœminarum, *vers.* dotationem.
Filiæ constituta ex bonis eidem communicandis ex pacto, seu consuetudine, àn recipiat onus, disc.31. num.4.
Filijs quando reseruanda sit, *vid.* Neapolitanæ Consuetudines, *vers.* Capuani.
Legitimæ loco in Regno Neapolitano succedit, disc.9.num.19.
Vnde non potest esse minor legitima, ibid.
Monialibus Turris Speculorũ id, quod datur, àn sit, disc.40.num.15.
Profecta à patre quando ad eundem reuertatur, remiss. disc.12.sub num.9.
Promissa, àn & quando sufficiat ad lucrum consequendum, disc.40.num. 16.
Tradita à parentibus, vel coniunctis mulieris numeratur inter bona antiqua, disc.26.num.8.*vid.* Neapolitanæ Consuetudines, *vers.* antiquis.
Vniuersitatem constituit, disc. 41. nu.214
Et an proinde bona dotalia sequantur personam mulieris, vel censeantur de loco, in quo sunt sita, ibid.
Et quid circa successionem filijs debitam, ibid.

DOTIS.

Augumentum, *vid.* Augumentum.
Ex Causa alienatio in forenses àn sit licita non obstante Statuto prohibente alienationem in forenses remissiue, d. 41. num.195.
Dispositio prohibita si fuerit mulieri, intelligitur tam in coniugata, quàm in vidua, disc.26.num.8.
Successio filijs quando sit debita ex Statuto remissiuè, disc.41.num.202.

DOTES.

Carnalibus pro nuptijs relinqui possunt exclusis spiritualibus, disc.5.n.12.
Plures eidem fœminæ dari debere incongruum est, disc.3.num.15.

DOTARE.

Negligens puellam vsque ad ætatem 25. annorum est in mora, disc.2.num.5.
Declaratur conclusio quomodo procedat, ibid.num.13.*vid.* Masculiatio.

DOTATIO.

Vnica àn sufficiat, vel tot requirantur quot sunt successiones à quibus fœmina per Statutum excluditur, disc.3. num. 11. & seqq. disc.14. num.2. disc. 15. num. 14. disc.17.num.5.
Et quid in Regno Neapolitano distinguitur, disc.9.num.20.
Atq; in terminis Statuti Interamnæ, disc.14.num.6.
Et Statuti Amandolæ, disc.17.n.5

E

EPISCOPVS.

Testamentum ad pias causas in aliquibus partibus facere solet intestato morienti remissiuè, disc.7.num.7.

ETIAM.

Dictio quid significet remissiuè, disc. 15. num.6.

EVGENIVS.

Conf.37. lib. 2. comprobatur, disc. 1. num.4.6. & seqq.

EVGVBII.

Decreta Ducalia circa donationes àn habeant locum remissiuè, disc.41.n.47.
Alia, *vid.* Statuta particularia, *vers.* Eugubinum.

EX-

EXCLVSIO.

Matris filijs venientibus ex persona propria non nocet, disc.14.num.3.

Contrarium verius, disc. 8. num. 21. disc.14.num.7.

Statuti in quo differat ab exclusione proueniente ex renunciatione, disc. 14.n.8.

EXCLVSVS.

Semel quando remaneat perpetuò exclusus, disc.22.num.9.

Alia *vid.* Statuta fœminarum, & infrà Existentia.

EXISTENTIA.

Personæ excludentis non sufficit ad operationem Statuti, nisi ea succedat, disc.22. num.7.

Declaratur conclusio, disc.22. num.9. & 13. *vid.* Statuta fœminarum *vers.* Excludentis. *Vid.* Statuta *vers.* Existentiæ.

EXPRESSVM.

Operatur magis quam tacitum, seù præsumptum, disc. 22.num.5.

EXTENSIO.

Non datur in Statutis, disc.23.num.7.

Et quid in disponentibus fauore agnationis, ibid.num.8. & 9.

F

FAMILIA.

Contentiua distinguitur inter proximam,& remotam remissiuè,d.8.n.7.

FEVDA.

In dotem dandi prohibitio valet, disc.25. num.12.

FEVDORVM.

Alienatio, seù obligatio, vel successio quomodo regulentur in Regno Neapolitano, remiss.disc.41.num.104.

Clerici, & Religiosi sunt incapaces,& quare, disc.5.num.11.

Successio in Regno Siciliæ defertur secundogenitæ innuptæ, si primogenita sit nupta, & de ratione, disc.40.num.3.10. & 11.

IN FEVDIS.

Iure Francorum nepos ex fratre primogenito excludit patruum, & de ratione, disc. 16.num.15.& 16.

Neapolitani Regni nepotes ex fratre succedunt, & quid in patruis, disc.8. n.14.

Successio extensa est vsque ad quartum lineæ tamen inferioris, disc.8. num.15.

FICTIO.

Duplex dari nequit, disc.16.num.11.

FIDEICOMMISSARIVS.

Habetur tanquam primus hæres etiam ad effectum Statuti, disc.22.num.11.

Testatori, vel grauato, àn succedat, distinguitur, disc.22.num.12.

FIDEICOMMISSVM.

Agnatitium defertur fratribus vtrinque coniunctis, ac consanguineis simul,d.18, num.8.

Finitis masculis defertur fœminabus, disc.40.num.13.

Conseruatorium, àn & quomodò pœnam inducat, disc.30.num.19.

Delicti in casu ordinatum, àn & quandò extendatur ad casum mortis, disc. 7. num.14.

FIDEICOMMISSI.

Onus àn Pater possit adijcere in dote, quã constituit filiæ ex bonis communicandis ex consuetudine Meleuitana remissiuè, disc.38.num.4.*vid.* Meleuitana.

FIDEICOMMISSORVM.

Bononiæ institutio frequens est,& quomodo ordinentur, disc.13.num.8.

Ianuæ vsus quarè non sit frequens, disc.40. num.10. *vid.* Ianuæ.

Vsus, & modus ea ordinandi edocet mores regionis in succedendo, disc.1. num.15.

FILII.

Contemplatione matrimonij in donatione quale ius habeant, disc.36. nu.7. *vid.* Donatio contemplatione matrimonij.

Diuersorum matrimoniorum matri succedunt in capita, disc.35.num.13.

In donatis contemplatione certi matrimonij, àn & quando succedant æqualiter, disc.36.num.9.

Excluſi si venerint ex propria persona non erunt excluſi, disc. 14. num.3.

Contrarium verius,disc. 18.num. 21. disc.14.num.7.

Positi in conditione, àn censeantur vocati,si in loco testamenti conditi à forensi adsit super hoc Statutum, disc. 4. n.16. disc.6.num.6.

Primi matrimonij non possunt distrahere proprietatem eorum, quæ sibi parens reseruare tenetur, disc.24. num.7. disc. 34.num.12.

Bona quomodò diuidant cum secundo viro, *vide* Diuisio.

Proprietatem alienatam reuocare non possunt viuente parente, disc 34.n.12.

Procreati in occasionali patris absentia retinent huius originariam ciuilitatem, disc. 19. num. 4.
Secundi matrimonij gratificari à matre, an & quando possint, disc. 35. num. 16.
Et an succedant in augmẽto ipsorum contemplatione facto, disc. 36. n. 7. & 8.
Vide. Augmentum.
Venientes ex propria persona non afficiũtur renunciatione per matrem facta, & de ratione, disc. 14. num. 4. & 8.
Vocati ad dotis successionem ex Statuto, quando dicantur remissiuè, disc. 41. num. 202.

FILIORVM.

Fauore parens binubus subiacet pœnis secundarum nuptiarum, disc. 29. num. 6. & 8. disc. 34. num. 5.
Et quid si fuerint Religiosi, disc. 29. num. 7.
Alia *Vid.* Leg. *vers. Fœminæ*, & *vers. hac edictali*. *Vid.* Parens binubus.

FILIVS FAMILIAS.

Hæredem hodiè habet, & pater non occupat bona iure peculij, sed venit iure successorio in concursu, disc. 15. numer. 4. & 11.

FISCVS.

Aufert successionem à fratricida tanquam ab indigno, disc. 27. num. 4.
Vid. Indignus.
Excluditur à successione per coniugem, disc. 39. num. 1. *vide*. Coniux.

FOEMINAE.

Agnatæ dicuntur, & succedunt post masculos in fideicommissis agnatitijs, disc. 3. num. 9. disc. 8. num. 22. disc. 40. num. 13.
Amplia etiam in nuptis, & monialibus, disc. 7. num. 12.
Et quod veniant sub Statutis loquentibus de agnatis, & quando, discurs. 10. num. 5. & de veritate ibid. à nu. 8. disc. 7. num. 11. disc. 13. num. 12. discurs. 40. num. 12.
Et quid ad effectũ Statuti Vrbis cap. 141., disc. 40. num. 12.
Agnationem non conseruant, sed in eis finem recipit, disc. 13. num. 12. discurs. 40. num. 12.
Exclusæ per Statutum, an & quomodo dicantur per testamentum restituræ suitati, vndè cesset exclusio, disc. 6. num. 8. disc. 14. num. 5. & 9. disc. 22. num. 4. & 5.
Exclusio influit in eius filios, & descendentes, disc. 18. num. 21.
Vid. Filij, *vers.* Exclusæ.
Innuptæ in vim Statuti Vrbis 141. agnatos vocantis an excludant nuptas, disc. 13. num. 12.
Masculina sub conceptione regulariter non veniunt, disc. 10. num. 8.
Per Masculos de iure *ff. & Cod.* excludebantur, disc. 5. num. 14.
Mixto in casu admissæ ad succedendum àn faciant partem ad fauorem excludentis, disc. 16. num. 19. & 22.
Neapolitano in Regno quomodò excludãtur propter masculos, disc. 9. numer. 17. & 18.
Dotari debent, ibidem num. 19.
Et àn sufficiat vnica dotatio, disc. 5. num. 20.
Nouissimum per ius quarè magis priuilegiatæ, disc. 15. post num. 12.
Alia *vid.* Mulier. *vid.* Statuta fœminarum.

FORENSIS.

Inhabilitari ad succedendum non potest per Statutum non confirmatum in forma specifica, disc. 25. num. 3. & de ratione, ibid. num. 26.
Vid. Statutum, *vers.* Forenses.
Masculus àn iuuetur statuto fœminarum exclusiuo vigente in loco bonorum, & àn detur combinatio, disc. 4. num. 2. disc. 6. num. 2. *Vid.* Statuta fœminarum, *vers.* Subiectionem.
Statuto quod se conformauerit in testamẽto præsumptio est, disc. 6. num. 6.
Supponere se potest Statuto Ciuitatis ex pacto, disc. 26. num. 4.

FORVS.

Absentis, quando agitur de dando ei curatorem qui nam sit, disc. 9. num. 4.
Defuncti declinari àn possit per hæredem conuentum ab hæreditario creditore, disc. 9. num. 3.
Ianuæ declinari non potest etiam pro bonis extrà Ditionem positis, disc. 4. n. 3.
Implementi àn sit competens contrà hæredem alterius fori, disc. 9. num. 5.
Rei sitæ quando sit competens contrà absentem, ibidem.
Successionis in materia quis nam attendi debeat, si bona sparsa sint per varias Prouincias, disc. 4. num. 15.
Attenditur ille vbi est caput hæreditatis, disc. 9. num. 6. & de ratione, ibid. num. 8. Præsertim si contendentes sint eiusdem fori, disc. 9. num. 7.

Fallit

Fallit si bona sint in eodem Principatu, in quo diuerso iure viuitur, ibidem num.9. & 10.

Vel in diuersis Principatibus, disc. 9. num.11.

FRATER.

Fratri à se occiso succedit, sed fiscus aufert tamquam ab indigno, disc.27.num.4.

Vid. Indignus.

FRATER CONSANGVINEVS.

Agnatitio in fideicommisso succedit cum fratre vtrinque coniuncto, disc.18. n.8.

Sororem vtrinque coniunctam ex Statuto si excludat, àn succedat in bonis obuenientibus à matre, disc.11. num.3.

Vtrinque coniuncto cum fratre, àn succedat fratri vigore Statuti fratres vocantis, exclusis fœminis, disc.18. num.2. 4. & seqq.

Et quod attenditur an de vtraque specie loquatur distinctè per copulatiuã, vel per alternatiuam, ibidem num.5. 6. & 13.

Atque si fuerit contemplata agnatio omnes concurrunt, disc.18.num.7. & de ratione num.10. ibid.

Secùs si latus maternum non sit exclusum, quia præferuntur vtrinque coniuncti, disc.18. num.9.

Et quomodo generaliter hæc quæstio debeat decidi, ibid. num.12. & 13.

FRATER VTRINQVE.

Ex coniunctione reduplicata àn vincat vnicè coniunctum remiss. disc.18. n.16.

Alia *Vid.* Soror. Statuta fœminarum.

FRVCTVS.

Petitionis hæreditatis in iudicio àn veniãt remissiuè, disc.9. num.2.

Recompensatiui debentur ex pretio tabernæ, disc.19.num.9.

G

GABELLAM.

DVplicatam forensibus de Statutis imponentibus remiss. disc.41. nu.177.

Statuta pro successione imponentia sunt odiosa remiss. disc.41.num.190.

GENVS.

Attenditur quando in successione datur distinctio bonorum ex vtroque latere proueuientium, disc.13.num.10.

Vid. Agnationis, Cognati, Consanguineus, Gradus.

GIOVAGNONVS

*Cons.*60. *lib.*1. impugnatur, disc.13.à n 2.

GRADVS.

Æqualitas requiritur vt masculi vigore statuti fœminas excludant, disc.3. num.4. disc.16. num.9.

Declaratur quando secùs, & quomodò sit procedendum in hac materia, disc. 3.num.5.6. & 7. disc.13.num.13.

Et àn agnoscenda sit aliqua differentia inter fœminas agnatas, & cognatas, disc.3.num.9.

Atque àn detur repræsentatio, disc. 16. num.10.

Canonicum secundum ius computantur in materia matrimoniali, disc.17.num.12.

Ciuiles secundum leges numerantur in materia successionis, nisi appareat de contraria voluntate statuentium etiam præsumptiuè, disc.17.num.12. & 13.

Non Curatur cum in successione fit distinctio bonorum obuenientium ex vtroque latere, sed attenditur genus, discurs.13. num.10.

Expressos egredi non debet Statutum fœminarum exclusiuum, disc.10.num.4.

In Primogenituris non attenditur; Sed spectatur linea, disc.16.num.16.

Prærogatiua de iure prævalet, sexu non curato, disc.10. num.3.

H

HÆRES.

DEfuncti in foro àn conueniri possit à creditore remiss. disc.9.num.3.

Implementi in foro àn possit vocari, ibid. num.5.

Legalem conditionem à defuncto non satisfactam implere nequit, disc.2. n.10.

Personam defuncti repræsentat, tàm si sit ab intestato, quàm ex testamento, disc. 34.num.11.

Putatiuus inuentarium non benè conficiẽs ad quid teneatur remiss. disc.8.num.2.

Statuto continuatiuo possessionis defuncti quando gaudeat, *Vid.* Statutum, *vers.* Continuatiuum.

HAEREDEM.

Filiusfamilias hodiè habet, disc.15.num.4.

Vid. Filiusfamilias.

HAEREDES.

Duos paganus habere non potest, disc. 4. num.12. *Vid.* Paganus.

Miles clericus, & feudatarius habere valent, ibid. num. 13.
Extranei veniunt in stipulatione *pro se, & suis*, disc. 31. num. 7.
Alia *vid.* Intestati, Successio.

HAEREDITAS.

Non Adita an, & quando transmittatur, disc. 15. num. 17. & 18.
Vid. Transmissio.
Materna adita an præsumatur per retentionem dotium factam à patre, disc. 15. num. 13.
Promissa si fuerit simpliciter in dotem, an intelligatur de tota, vel de sola portione dotatæ, disc. 34. num. 13.

HONDEDEVS

Consil. 1. & 2. *lib.* 1. examinatur, & reijcitur, disc. 1. num. 4. 6. & seq.

HYPOTHECA.

In bonis cuiusnam Administratoris competat, disc. 7. num. 8.

I

IANVAE.

Fideicommissorij visus non est frequēs & quatè, disc. 4. num. 10.
Sed adest alius modus æquivalens, ibid. num. 11.
Alia *vid.* Statuta particularia, *vers.* Ianuæ.

ILLIQVIDITAS.

Excusat ab incursu moræ, disc. 29. num. 6.

IMMISSIO.

In bonis eius, cuius incerta est vita, danda est proximiori successori cum cautione, disc. 37. num. 3.
Matri concessa non aufertur per transitum ipsius ad secunda vota, ibid. n. 5.
Alia *vid.* Administratio.

INCAPAX.

Ab indigno in quo differat, disc. 27. nu. 5.

INDIGNVS.

Fratricida reputatur à quo fiscus successionem aufert, disc. 27. num. 4.
In odiosis habetur pro succedente, ibidem num 6. *Vide* Incapax.

INGRATI.

Collaterales excluduntur ab intestata successione, disc. 27. num. 2.
Contrarium verius, ibid. num. 3. & de ratione, num. 10. ibid.
Nisi accedat voluntas morientis, disc. 27. num. 7. Etiam per duos testes probata, ibid. num. 8. & seqq. Præsertim in succedente ex beneficio repræsentationis, disc. 27. num. 12.

INQVILINATVS.

Ratione prælatio quando competat remissiuè, disc. 41. num. 147.

INTERPELLATIO.

Non requiritur pro reintegratione ad succedendum sororis non dotatæ, disc. 2. num. 4. remiss. disc. 21. num. 3.
Contrarium ostenditur, disc. 2. n. 9.
Præsertim in terminis Statuti Parmen., disc. 21. num. 3.
Et quomodo intelligendum, disc. 2. num. 13.
Item quid si diligentiæ non essent profuturæ, disc. 21. num. 4.

INTESTABILES.

Filij quando decedunt, habentur iuxtà Cō. suetudinem Baren. & Neapolitanam pro non extantibus remiss. disc. 7. num. 9.
Legis præsidio digni sunt magis, quam testabiles, disc. 7. num. 8.
Alia *vid.* Statutum, *vers.* Intestati.

INTESTATO.

Testamentum ad pias causas Episcopus in aliquibus partibus facere solet remissiuè, disc. 7. num. 7.
Alia *vid.* Successio, Statutum, *vers.* Intestati.

INVENTARIVM.

Putativus hæres si omittat ad quid teneatur remissiuè, disc. 8. num. 2.

IO. DE GARRONIBVS.

In repetitione *Auth. ex testamen. Cod. de secundis nupt. num.* 79. reprobatur, disc. 34. num. 38. & seqq.

IVDAEI.

Admittuntur de æquitate canonica ad moræ purgationem, disc. 29. num. 10.
In matrimonijs quomodo se habeant, disc. 41. num. 79.
Mosayca lege, & Rabbinorum traditionibus, an & quomodo ligentur remissiuè, disc. 41. num. 78.
Quale priuilegium habeant super bonis alienis pignoratis remiss. ibid. num 75.
Retractus Statuto an iuuentur remissiuè, disc. 41. num. 106.
Statutis Ciuitatis an vti possint etiam contrà Christianos remissiuè, disc. 41. n. 77.
Vsuras exigendi facultatem habent remiss. ibid. num. 76.
Alia *vid.* Statuta particularia, *vers.* Hebræorum.

INDEX.

nclusiones quomodo ponderare debet in causa noua, & quomodò cum agitur de rescindenda transactione, vel tribus conformibus, disc. 30. num. 22. & 23.

IVDICIS.

rtes difficiliores sunt, quàm Aduocati, disc. 3. num. 3.

IVRAMENTVM.

ncalibus Statutis non subiacet; Sed quomodo eius operatio tollatur, discurs. 5. num. 10.

IVRISPATRONATVS.

ssessio an continuetur in hæredem vigore Statuti continuatiui remissiuè, disc. 41. num. 211.

IVS.

nonicum quando seruandum etiam in terris Imperij, disc. 29. num. 11.

anile seruandum est in Vrbe, discurs. 29. num. 11. *Vid.* Gradus.

ommune seruari si mandet Statutum in casu omisso, an intelligatur de legibus Romanorum, vel de Statuto Ciuitatis dominantis remiss. disc. 41. num. 187.

IVRA.

am Principe circumscribuntur loco, & censentur Ciuitatis Metropolis, disc. 6. num. 4. disc. 41. num. 214.

co an, & quomodo circumscribantur, disc. 19. num. 13.

L

LEGATVM.

Aicorum fauore, vel innuptarum, seu nubentium cum certis personis non est contrarium religioni, aut libertati matrimonij, & tenet, disc. 5. num. 12.

egitimam non minuit, disc. 35. num. 3.

obilium an comprehendat pecuniam numeratam remiss. disc. 19. num. 12.

Item gemmas, vasa aurea, & argentea remiss. ibid. num. 15.

iperi coniugi imputandum est in quarta debita vigore *Auth.* prætereà, disc. 39. num. 12.

lu fructus vxori factum quid importet, disc. 35. num. 10.

LEGITIMA.

n diuisione, quæ fit inter filios primi matrimonij, & secundum virum non detrahitur, disc. 32. num. 2.

Contrarium verius, ibid. num. 3.

Donatione inter viuos, aut legatis non potest minui, disc. 35. num. 3. & 4.

Impinguata dicitur per Statutum deferens filijs successionem maternam, disc. 35. num. 3.

Vnde non potest minui per legata, neque per donationem inter viuos, disc. 35. num. 3. & 4.

Legitimato per rescriptum an sit necessariò relinquenda, & an possit hic petere supplementum, disc. 6. num. 9.

Relicta gaudet priuilegijs legitimæ, disc. 28. num. 8.

Matri binubæ an possit à filio interdici remiss. disc. 34. num. 7.

Parentum an sit de iure naturæ, discurs. 22. num. 2.

Prohiberi potest à testatore vigore Statuti in bonis extrà territorium positis, & de ratione, disc. 6. num. 5.

Statuto tolli potest, vel minui, disc. 6. num. 7. disc. 22. num. 2. & 3. disc. 25. num. 11. disc. 35. num. 6.

LEGITIMÆ.

Dos in Regno Neapolitano succedit, ideoque non potest esse legitima minor, disc. 9. num. 19.

Supplementum petit fœmina Statuto exclusa, quando instituitur pro parte excludens, & pro parte extraneus, disc. 22. num. 8.

LEGITIMATIO.

Cum clausula *sine præiudicio*, an sit vera legitimatio, & quid operetur, disc. 10. num. 16.

Idem an operetur in successione passiua, quod in actiua, ibid. num. 18.

Vera est legitimatio, non autem dispensatio, disc. 28. num. 4.

Fallit in parte excepta etiam si à patre sit obtenta, ibid. num. 5.

Pro successione ad bona antè legitimationem quæsita, an prosit, disc. 10. num. 17. Alia *vid.* Legitimatus.

LEGITIMATVS.

Agnationis iura an habeat, disc. 10. n. 16.

Cum clausula *sine præiudicio* non excludit venientes ab intestato, disc. 28. n. 2. & 3. & de ratione ibid.

Declara nisi Patris voluntas contrarium suaderet, & vndè colligatur, ibid. num. 6. 8. & seqq.

Et quod inspicitur an ex Patris voluntate adiecta sit, disc. 28. num. 9.

Atque operatur in ijs in quibus pater

tertiò præiudicare non poteſt, ibidem num.7.
Inſtitui poteſt in totum vbi non adſit legitima proles, diſc.6.num.9.
Legitimam à Patre ſibi relictam an conſequatur cum priuilegijs legitimæ conceſſis, diſc.28.num.8.
Legitimæ ſupplementum petere prohibetur, ſi ſit de alimentis prouiſus, diſc. 6. num.9.
Alia, *Vid.* Legitimatio.

LÆSIO.

In tranſactione locum habet, ſed quomodo menſuranda, diſc.30.num.3.

LEX.

Clara vbi adeſt, non curantur ratiocinia, & abſurda, diſc.8.num.18.
Laicalis quomodo diſponere poſſit in materia matrimonij, diſc.25.num.8. & 13. *vid.* Matrimonij.
Legitimam, vel ſucceſſionem in totum tollere poteſt, ibid.num.11.
Particularis attenditur in regulanda voluntate *morientis*, non autem generalis, diſc.36.num.10.
Rebus impoſita eſt, non verbis, diſc. 26. num.14.

LEGIS.

Initiatiuus non vſus, & præſciptiuus quomodò differant, diſc.1.num.14.

LEGES.

Ciuiles quando fuerint inuentæ, & quid circa ſucceſſiones diſponebant, diſc. 1. num.13.
Longobardorum fœminas, & cognatos à ſucceſſione excludebant, ibid.

LEG. EXPLICATÆ.

Fœminæ *C.de ſecundis nupt.* àn & quando ceſſet ob conſenſum filiorum ſecundis nuptijs *vid.* Conſenſus.
Correcta fuit per ius mediũ, ſed poſtea reintegrata per ius nouiſſimum, diſc.34. num.9.
Filiorum fauore procedit, quatenus matri ſuperuiuant, diſc.34.num.2. Fallit ſi filijs præmoriantur cum teſtamento, ibid.num.3. Reprobatur limitatio, & de rationibus, & de authoritatibus, diſc.34. ex num. 4. Et quid ſi ex filio prædefuncto ſuperſit nepos, ibid. num.6.& 7.
Immediata habet locum in ſucceſſione, non autem mediata, diſc.30. num.7. Et de veritate, ibid. num. 9. Intell. de de medio tranſuerſo, ſecùs de directo, diſc.30.num.8.
Impugnatur hic intellectus, & de fundamentis, ibid. n.10.& ſeqq.
In ijs, quæ Mater obtinet ex teſtamento, vel diſpoſitione filij inter viuos non militat, diſc.34.num.8.
Nepotum fauore procedit, & quando, diſc.30.num.10.
In patre locum habet, ſicut in matre, diſc.11.num.9. diſc.24.num.10.diſc.33. num.4.
Pœnam continet, & vindictam, d.30. num.15. Et quomodo dicatur hæc pœna, ibid.num.19.diſc.33.num.6.
Ratio cui innixa eſt refertur, diſc.30. num.11.& 12.
Renunciatione mediante in acquiſitis per patrem non procedit, diſc.31.n.2. Contrarium verius, ibid. num.3. *vid.* Renunciatio *verſ.* Facta.
Si Statutum deferat ſucceſſionem parenti binubo, àn ceſſet, diſc.24.n.8.
Vidua ſi fuerit mater de tempore ſucceſſionis, àn locum habeat, diſc.30.n.21. Alia, *vid.* Parens binubus. Proprietas, Pœnæ. Diuiſio Renunciatio.
Hac edictali, *C. de ſecundis nupt.* àn locum habeat in augumento facto cum pacto quod in eo tantùm ſuccedant filij ſecundi matrimonij, diſc.36.num.3.
In amaſio an procedat, diſc. 32. n.5. *Vid.* Amaſius.
Matrimonio ſecundo contracto more magnatum Neapolis, cum primum contractum eſſet more nobilium àn intret, diſc.36.num.4. Alia *vid.* Diuiſio.
Hæres abſens *ff.de iudic.* materia remiſſ.d.9. num.3.
Si infanti *C. de iure delib.* Correcta eſt per ius nouiſſimum, diſc.15.num.4.& 11.
Secunda *C.de reſcin.vend.* habet locum in tranſactione, diſc.30.num.4.

LIBRI.

Amoueri non poſſunt à loco adminiſtrationis, vel negotiationis, diſc. 19. n.10.

LINEA.

Attenditur in primogenituris non curato gradu, diſc.16.num.16.
Maſculina, cui data ſit per ſtatum prælatio, quomodò attendi debeat, & qui dicatur de eadem linea, diſc. 16. num. 6. & 8.
Præſertim ſi agatur de ſucceſſione fratris morientis abſq; prole propria, ibid. num.8.
Tranſitus de vna ad aliam vigore recipro-

cæ non permittitur, disc. 16. num.4.

LINEÆ.

Mentio vbi fit, intelligitur de effectiua, non autem de contentiua, disc. 16. num.8.

Plures vocatæ si fuerint tantum obtinet vnus superstes ex vna linea, quantumcentum ex alia, disc.1.num.6.& 7.

Et quomodo attendatur proximitas, ibid.num.9.

LITTERÆ CAMBII.

Neapolitano in Regno quomodo exigantur remiss. disc.41. num.102.

LOCALITAS.

Amittitur à debitore morosо, disc. 19. num.4.

Non attenditur vbi creditor vult deducere id quod interest, ibid.n.14.Alia, *vid.* Forus.

Bonorum mobilium,àn & quomodo regulanda *vid.* Mobilia, & infra proximè,ac *vid.* Nomina.

LOCA MONTIVM.

Circumscribuntur loco, & censentur vti bona in Vrbe, seu Ciuitate Metropoli disc.6.num.4.remiss.disc.16.num.2.disc. 41.num.214.

Stabilium appellatione, àn veniant in materia Statutorum excludentium à succes. sione stabilium remiss.disc.41.n.183.

LVCRVM.

Ex dote promissa quando debeatur, d. 40. num.16.

Imputandum est in quarta debita pauperi coniugi vigore, *Auth. Præterea* disc. 39. num.12.

Statutum deferens non censetur derogare dispositioni tex. *in l.hac edictali C. de secundis nupt.* remiss.disc.41.num. 199.

Vir succedens cum filijs primi matrimonij computare tenetur in sua portione,disc. 32.num.4.

Viri iuxtà Statutum,vel potius mulieris àn sit regulandum remiss.disc.41.n.198.

Viro Statutum auferens, àn etiam auferat mulieri, remissiuè, ibid. num.200.

M

MAGNATES.

Diuersi sunt à nobilibus singularum Ciuitatum, disc.26. nu. 10.

Matrimonia Neapoli quomodo contrahant, ibid.num.9.

MANVTENTIO.

Proprietario debetur,finito vsufructu,disc. 24.num.2.

Intell. si vsufructuario nullum aliud ius competijsset, ibid.num.4.

MARIAN. SOCCIN.

*Consi.*71.*lib.*2.*& consi.*97.*lib.*4. declaratur, disc.34.num.6.

MARITVS.

Vid. Coniux. Vxor.

MASCVLIATIO.

Neapolitana in Ciuitate inducitur, si frater negligat maritare sororem, intra annum decimumsextum, disc.2. num.3.

Et requiritur interpellatio, ibidem num.9.

Perusiæ fit absque interpellatione, disc. 2. num.4. Contrarium ibid. num. 9. Alia *vid.* Masculus. Mora. Statuta particularia, *vers.* Parmen.

MASCVLINVM.

Regulariter non concipit fœmininum, disc.10.num.8.

MASCVLVS.

Dotare tenetur fœminam excludendam etiam non requisitus, disc.2. num. 4.

Contrarium, & quod debeat constitui in mora, ibid. num 9.

Statuto exclusiuo potest non vti, disc. 15. num.15.

MASCVLORVM.

Fauore intelligenda est dispositio loquens de agnatis,disc.13.num.12.

Statuti interpretatio in dubio fieri debet, disc.1.num.17.

Alia *vid.* Fœminæ. Statuta fœminarum.

MATER.

Binuba àn possit priuari legitima à filio, remissiuè, disc.34.num.7.Alia in materia secundarũ nuptiarum *vid.* Leg.*vers.*Fœminæ, & *vers.* Hac edictali, *vid.* Parens binubus.

Bononiæ à Statuto excluditur etiam à legitima propter fratres, disc. 22. n.1. *Vid.*Statuta particularia, *vers.* Bononiæ.

Consanguineas sorores à successione fratris excludit, disc.3.num.17.

Corinaldi à Statuto excluditur propter fratres,eorumque filios,disc.23.n 6. *vid.* Statuta particularia, *vers.* Corinaldi.

Fauentino à Statuto excluditur propter agnatos, disc.33.num.22.

Exclusiua propter agnatos transuersales.

les, an excludatur per Patrem, vel auum, disc. 15. num. 5. & seqq.

Alia *vid.* Statuta particularia, *vers.* Fauentinum.

Fulginaten. excluditur à Statuto, & an etiam à legitima remissiuè, disc. 41. num. 69.

Gualdi à Statuto quando sit exclusa, d. 18. num. 15.

Imolen. à Statuto exclusa propter patruum, si ad sit soror consanguinea admittitur & hanc repellit, disc. 3. num. 23.

Lucano à Statuto an etiam excludatur à legitima remiss. disc. 41. num. 91.

Parris, vel aui in concursu extranea reputabatur de iure antiquo in successione filij, secus de iure nouissimo, disc. 15. num. 11.

Statuto arctari potest ad disponendum æqualiter de suis bonis inter liberos vtriusque matrimonij, disc. 35. num. 5.

Sed potest eo non obstante non agnoscere bona sibi obuenientia, ibid. num. 7.

Et an possit plus relinquere filijs primi matrimonij, disc. 35. num. 14. & 15.

Transiens ad secundas nuptias ad euitandas poenas, tenebatur tradere filijs primi matrimonij medietatem suorum bonorum, disc. 34. num. 10.

Tutelam filiorum amittit per transitum ad secunda vota, disc. 37. num. 5.

Tutorem filio, si infrà annum non petierit, priuatur successione eiusdem morientis in pupillari ætate, disc. 29. num. 2. Etiam fauore extraneorum, ibid. num. 13.

Fallit si moram purgauerit ibid. n. 4.; Ad quam purgationem admittitur etiã de iure ciuili, disc. 29. num. 10. & seqq.

Tutrix transiens ad secunda vota non redditis rationibus, & restituto reliquatu, priuatur successione pupilli, ibid. n. 3.

Intell. ad fauorem aliorum filiorum, non autem extranei, disc. 29. num. 6. & 14.

Item limitata nisi reliqua essent illiquida, disc. 29. num. 5.

MATRIS.

Bona filijs per Statutum delata habent rationem legitimæ, disc. 35. num. 2.

Et valet tale Statutum, ibid. n. 5.

Exclusio filio venienti ex persona propria non obstat d. 14. n. 3. Contrarium verius, disc. 13. num. 7. disc. 14. num. 2.

Existentia cessare facit Statutum exclusiuum sororum propter masculos, disc. 3. num. 16. disc. 18. num. 14. Etiam quod Mater nollet succedere, disc. 3. num. 19. Contrarium ostenditur, & respondetur authoritatibus aduersantibus ibidem à num. 20.

Facit cessare dispositionem Statuti inter ipsos fratres, & sorores, disc. 3. n. 24.

Mentio specialis requiritur, nec venit sub Statuto genericè excludente fœminas, disc. 18. num. 14.

Renunciatio non obstat filijs ex persona propria venientibus, & de ratione, d. 14. num. 4. & 8.

Statutum exclusiuum iniquum est, & irrationabile, disc. 7. num. 2. Contrarium, ibid. num. 4.

MATRIMONII.

Laicalis lex in materia quando apponat manus, disc. 25. num. 8.

Libertas non impeditur ob legatum factum nubenti cum certo genere personarum, disc. 5. num. 12. disc. 25. n. 10.

Vel in tali loco, & tempore, *disc.* 25. num. 8.

Libertatem Statuta prohibentia, vel restringentia sunt inualida, disc. 25. n. 7. Et quando talia dicantur, ibid. n. 13. remissiuè, disc. 41. n. 213.

Et de Statuto prohibente nuptias cum forensibus, vel eis bona in dotem dare, disc. 25. num. 7. & 12.

Libertati non aduersatur prohibitio dandi feuda in dotem, disc. 25. num. 12.

Odium non continet dispositio facta fauore innuptarum, disc. 5. num. 12. disc. 25. num. 10.

MATRIMONIA.

Græcorum more, seù Romanorum dicta in insula Meleuitana quid importent, d. 38. num. 5.

MEDIATORI.

Testi quando plenè credatur, disc. 36. num. 8.

MELEVITANA INSVLA.

Membrum est Regni Siciliæ data in feudum M. Magistro, disc. 38. num. 1.

Viuit cum legibus dicti Regni, ibid. n. 2.

Et præsertim de Statuto continuatiuo possessionis, disc. 38. num. 2.

Ac de Regula Pragmatica de censibus ibid. n. 3.

MELEVITANÆ INSVLÆ.

In Causis sæcularibus, an detur electio Romanæ Curiæ ex priuilegio *l. unicæ C. quare Imper.* remissiuè, disc. 38. n. 1.

Con-

Consuetudo refertur vt bona sint communia coniugum, & filiorum, disc. 38. num. 4.

Gratificandi inter filios non tollit Patri facultatem, ibid. num. 7.

In matrimonijs contractis more Græcorum, seu Romanorum non habet locũ, nisi adijciatur pactum, disc. 38. num. 5. Et quod hoc pactum sit validum, & quę nam bona compræhendat, ibidem num. 8. Atque subintelligitur, licet non exprimatur, disc. 38. num. 10. Accedentibus præsertim coniecturis, & de eis, disc. 38. num. 12. & 13.

Onus fideicommissi, seù aliud adijci in dote ex dictis bonis filię constituta àn sinat, ibid. num. 4.

Alia, *vid.* Statuta particularia, *vers.* Religionis Hierosolymitanæ.

MERCIMONIVM.

Vid. Taberna.

MERLIN.

Dec. 352. expenditur, disc. 4. num. 2. 5. & seqq.

MOBILIA.

Destinata pro habitatione circumscribuntur eo loco; Secus ea quæ sequuntur personam, disc. 19. num. 11. disc. 41. n. 124. in fine.

Loco àn & quomodo circumscribantur, referuntur Doctores de materia tractantes, disc. 19. num. 7. Et distinguuntur plures species, ibidem num. 8. Atque ostenditur modus decidendi, disc. 19. num. 15.

MONASTERIVM.

Directè succedit ex persona Monaci, d. 5. num. 15. disc. 30. num. 17.

Declaratur Conclusio, disc. 30. n. 20.

Vindictæ ius pro iniuria monaci, an habeat, ibid. num. 16.

MONIALES.

Excludi possunt à legato facto pro nuptijs carnalibus, disc. 5. num. 12.

Statuto fœminarum exclusiuo non comprehendi Rota tenet ibid. num. 4.

Contrarium quod scilicet comprehendantur, latè defenditur, disc. 5. num. 5. & seqq. & de ratione, ibid. num. 9. 14. & 15.

De Doctoribus istam quæstionem tractantibus, disc. 5. num. 5. & 16. & quomodo distinguant, & de subsistentia distinctionum, ibid. num. 6.

Turris speculorum vrbis non sunt Religiosæ, & àn id quod eis datur, dicendum sit dos ad effectum Statuti, disc. 40. num. 15.

MORA.

Euitatur ob illiquiditatem, disc. 29. num 5.

Incursus ob nõ dotationem sororis reintegratæ proinde ad succedendum, purgari non potest per creditores fratris, d. 21. num. 5. & 6. Et quando secus, ibid. nu. 7. 8. & 9.

Absque Interpellatione regulariter nõ contrahitur, disc. 2. num. 9.

Localitatis beneficio debitorem priuat, disc. 19. num. 14.

Remissa censetur per eum, qui valens impedire, non impedit adimplementum, disc. 29. num. 12.

Sororis pro masculiatione an requiratur, d. 2. num. 9. & 13. disc. 21. num. 3. *vid.* Masculiatio.

MORAM.

Iudæus admittitur ad purgandam, disc. 29. num. 10.

Mater negligens in petendo filio tutorem, purgare potest, disc. 29. num. 4.

Fallit de iure ciuili ibid. num. 9. Contrarium verius, ibid. num. 10. & seqq.

Negligens dotare puellam vsque ad ætatem 25. annorum incurrit, disc. 2. num. 5, *vid.* Interpellatio.

MVLIER.

Disponere de dote si fuerit prohibita intelligitur tàm in coniugata, quàm in vidua, disc. 26. num. 8.

Primas nuptias si contraxerit more nobilium Neapolis, àn possit contrahere secundas Magnarum more, ibid. num. 9. Alia, *vid.* Fœminæ, *vid.* Statuta fœminarum.

N

NATVRALES.

Agnatis non succedunt, & è contra ipsis succedunt cognati tantùm, d. 10. n. 9. 10. & 11.

Cognationis ius solùm habent, non autem agnationis, ibid. n. 9.

Geniti ex vxorato, & soluta, an dicantur ex damnato coitu, disc. 10. num. 15.

Procreati ex damnato coitu non habent ius agnationis, neque cognationis, disc. 10. num. 12.

Sed Vxor eis succedit ibid. n. 13.

In succedendo actiuè, seù passiuè quomodo se habeant remissiuè, disc. 10. num. 19.

Alia, *vid.* Legitimati.

NEPOTES.

Leg. fœminæ C. de secundis nupt. beneficio gaudent sicut filij, disc. 30. num. 11. disc. 34. num. 6. *vid.* Leg. *vers.* Fœminæ.

NEPOTES EX FRATRE.

Admittuntur cum parentibus defuncti ad successionem patrui, disc. 8. num. 11.

Cessante concursu patrui succedunt patruo in capita, disc. 1. num. 1. disc. 8. num. 10. disc. 17. num. 6.

Etiam quod adsit amita Statuto exclusa, disc. 8. num. 10.

Ex fratre vtrinque coniuncto excludunt nepotes ex fratre consanguineo, vel vterino, ibid. num. 13.

Ingrati repræsentationis beneficio sunt priuandi, disc. 27. num. 12.

Neapolitani Regni in feudis succedunt, disc. 8. num. 14.

Primogenito ex fratre excludunt patruos in feudis iure Francorum, disc. 16. n. 16.

Statuto fauore fratrum disponente iuuantur, disc. 8. num. 16.

NEAPOLITANÆ CONSVETVDINES

Antiquis de bonis disponere prohibens vltrà medietatem recensetur, & quænam sint bona antiqua, disc. 26. num. 8.

Capuani, & Nidi nobilium in matrimonijs subintelligitur, disc. 38. num. 11.

Circa facultatem disponendi de dotibus quomodo disponat, disc. 26. n. 3.

Forenses iuxtà eam sæpè contrahere solent matrimonia, ibid. num. 4.

Non procedit in vidua, disc. 26. n. 6. Contrarium ibid. num. 7. & seqq.

Item neque in actibus inter viuos, sed in vltima voluntate, disc. 26. num. 6. & 12. Et quando possit inter viuos disponere, ibid. num. 14.

Mulier quæ contraxit primas nuptias iuxta dictam consuetudinem, àn possit secundas contrahere magnatum more, disc. 26. num. 9. remissiuè, disc. 36. num. 4.

Filios decedentes in ætate intestabili pro non extantibus præsupponens, refertur remissiuè, disc. 9. num. 9.

Fœminarum exclusiua data gradus inæqualitate, intelligitur propter collaterales masculos lineæ inferioris, non autem superioris, disc. 8. num. 17.

Fraterna in successione procedit, d. 9. num. 20.

Legitimam àn tollat, & àn fœminæ faciat numerum, & partem, & ad cuius fauorem remiss. disc. 41. num. 98.

Vnica Contentatur dotatione, disc. 9. num. 20.

Fructus dotis taxans recensetur remissiuè, disc. 41. num. 101.

Magnatum mos idem importat quod ius commune, disc. 26. num. 9. & seqq.

Masculiationem sororis inducens refertur, disc. 2. num. 3. & 9.

Matri prohibens disponere de dotibus extrà filios recensetur remissiuè, disc. 16. num. 5. disc. 26. num. 15.

NEAPOLITANI, *Regni Constitutiones*.

Ætatem maiorem in 18. anno præscribens refertur remiss. disc. 41. n. 103.

Feudi in successione secundogenitam innuptam præferens primogenitæ nuptæ, recensetur, & de eius ratione, disc. 40. n. 5. 10. & 11.

In aliquibus quomodo disponat circa fœminarum exclusionem, disc. 9. n. 17. & seqq.

Ius commune in illo Regno dicuntur, ibid. num. 18.

NEAPOLITANO, *in Regno*.

Clericatus quomodo iustificandus ex ritu M. C. *vid.* remiss. disc. 41. num. 101.

Communitates quomodo faciant contractus, & distractiones bonorum, remiss. disc. 41. num. 106.

Feuda quomodo alienentur, vel obligentur, aut in eis succedatur, remiss. ibid. num. 104.

Litteræ Cambij quomodo exigantur remissiuè, disc. 41. num. 12.

Ritus M. C. V. super instrumentorum liquidatione quid disponat remiss. d. 41. num. 105.

NOBILES.

Ciuitatis magnæ præcedunt nobiles Ciuitatis paruæ, disc. 26. num. 11. *vid* Magnates.

NOMINA DEBITORVM.

Loco àn circumscribantur, referuntur Doctores materiem tractantes, disc. 19. n. 7. disc. 41. num. 214.

Et quod attendatur locus destinatæ solutionis, disc. 19. num. 14. Et eo deficiente, sequantur personam ibid. Atque quomodo decidi debeat hæc quæstio, disc. 19. num. 17.

O

OBLIGATIO CAMERALIS.

Lectionem fori præstat, discurs. 19. numer. 14.

OBSERVANTIA.

Confirmationem Statutorum quando faciat præsumere, disc. 23. num. 9.

Statutorum est optima interpres, disc. 9. num. 13. disc. 13. num. 14 disc. 17. n. 11.

P

PACTVM.

Communionis bonorum quærendorum inter coniuges, & liberos validum est, disc. 38. num. 8. *vid.* Meleuitanæ Insulæ *vers.* Consuetudo.

De non petendo in renunciatione appositum quid operetur, disc. 31. num. 9.

Vt in augumento dotis succedant solum *filij* secundi matrimonij, an valeat, d. 36. num. 3.

Distinguitur inter augumentum necessarium, & voluntarium factum à patre mulieris, ibid. num. 5.

Et quid de augumento facto ab ipsa muliere, disc. 36. num. 6. & seqq.

PACTA.

Apponi solita in contractibus, licet non expressa subintelliguntur, disc. 38. n. 10. & 11.

PAGANVS.

Hæreditates plures habere non potest, d. 4. num. 12. disc. 9. num. 8.

Contrarium verius, & quando ibid. num. 13. disc. 9. num. 9.

Atq; ad quid deseruiat cõclusio in materia interprætationis Statutorum, d. 4. num. 14.

PARENS BINVBVS.

Gratificare potest inter filios primi matrimonij, disc. 24. num. 7. disc. 34. num. 12.

Pleno iure assequitur bona præmortuis liberis primi matrimonij, disc. 24. num. 6. disc. 34. num. 2.

Secundi matrimonij filijs quando possit plus relinquere, disc. 35. num. 16.

Statutum si ei deferat successionem àn subiaceat dispositioni *l. fœminæ*, disc. 24. num. 8. Et de differentia inter Patrem, & Matrem ibid. num. 10. Et quid in terminis Statuti Foroliuien. num. 9. ibid.

Vsufructuarius simplex non dicitur, & de ratione, d. 24. num. 6. & 7.

Alia *vid.* Leg. *vers.* Fœmine, & *vers.* Hac edictali.

PARENTES.

Filio cum succedunt àn detur distinctio bonorum obuenientium ex vtroque latere, disc. 11. num. 3.

Succedebant de iure Codicis filio in vsufructu, fratres verò in proprietate, disc. 30. n. 12.

Alia *vid.* Mater Pater.

PATRVVS.

Defuncto non succedit cum nepote ex fratre eiusdem defuncti, disc. 8. num. 9.

Fratrum fauore Statuto disponente non iuuatur, ibid. num. 16.

Nepotis defuncti cum parentibus non concurrit, disc. 8. num. 13.

Neque cum auo, disc. 12. num. 10.

Regni Neapolitani in feudis àn succedat, disc. 8. num. 14.

Alia *Vide* Nepotes ex fratre.

PAVPERTAS.

Probanda est ad effectum quartæ in bonis coniugis diuitis, & quomodo, disc. 39. num. 10. & 11.

PECVLIVM.

Aduentitium introductum est per ius nouissimum, ideoque filiusfam. habet in eo hæredem, disc. 15. num. 4.

Vid. Filiusfamilias.

PECVNIA.

Loco àn circumscribatur, disc. 19. num. 12.

Mobilium sub legato àn veniat remissiuè, disc. 19. num. 12.

POENA.

A conditione, seù qualitate differt, disc. 25. num. 10.

Nõ incurritur nisi præcedat culpa vera, seù malitia de facto, disc. 29. num. 4.

POENAE.

Adulterij non vigent in viro, sicut in muliere, disc. 39. num. 8.

Secundò nubentium sublatæ sunt per ius canonicum, exceptis eis, quæ filiorum fauorem concernunt, disc. 29. num. 6. & 8. disc. 34. num. 5.

Consensum ob expressum, seù tacitum filiorum àn cessent, disc. 33. num. 5.

Vid. Consensus.

Filiorum ob præmorientiam àn desinant, disc. 34. num. 2.

Religiosorum ad fauorem àn locũ habeant, disc. 29. num. 7. disc. 30. num. 13.

Vid. Religiosi.
Alia *vid.* Leg. *vers. Fœminæ*, & *vers. Hæc edicta.*

POSSESSIO.

Defuncti quando continuetur vigore Statuti in hæredem, *Vid.* Statutum, *vers.* Continuatiuum.
Naturalis, & ciuilis residet penès proprietarium; Vsufructuarius verò habet nudam detentationem, disc.24.num.4.

PRAEDICTI.

Verbum repetit orationem præcedentem cum *suis qualitatibus*, *disc.13. num.5.*
Et quando secùs, ibid. num.11.

PRAESCRIPTIO.

Statutaria debiti quando procedat remiss. disc.26.num.2.

PRAETERITA.

Quando comprehendantur sub Statutis de nouo conditis remiss. disc.41.num.189.

PRAETERITIO.

Dispositionem euertit quatenùs exigat fauor personæ præteritæ, disc.3.num.21.

PRETII.

Ex quantitate desumitur voluntas contrahentium, disc.33.num.12.

PRINCEPS.

Iuri tertij quod derogare voluerit non præsumitur, disc.10. num.17.
Vnusquisque in sua Ditione est Imperator, disc.9.num.12.

PROHIBITVS.

Disponere est prohibitus confiteri; Nisi confessio sit adminiculata, disc.35.n.11. & de adminiculis, num.12. ibid.

PROPRIETARIVS.

Manutentionem habebit finito vsufructu, disc.24. num.2.
Intellige nisi vsufructuario aliud ius super proprietate competisset, ibidem num.3.
Possessionem naturalem, & ciuilem habere dicitur vnà cum dominio, disc.24. n.4.

PROPRIETAS.

Quæsitorum ex primo matrimonio àn resideat in parente binubo, vel in filij primi matrimonij, disc.24. numer.6. & 7. disc.34. num.12.
Alienari non potest à filijs, seù eorum creditoribus, disc.24. num. 7. disc. 34. num.12.
Alienata per parentem eo viuēte non potest à filijs reuocari, disc.34.num.12.
Alia *vid.* Leg. *vers. Fœmin...*
Vsumfructum ad se cōsolidat mortuo vsufructuario, disc.24.num.2.
Alia *vid.* Vsusfructus. Vsufructuarius.

PROXIMITAS.

Grauari attenditur, non autem testatoris, disc.22. num.13.
Quomodò regulanda si vocentur plures lineæ, vel plura genera, disc.1. num.9.
Spectatur in successione de iure subiata differentia agnationis, & cognationis, disc. 23. num.3.

Q

QVARTA.

Coniugi pauperi debetur ex hæreditate diuitis, & quando, disc.39.n.5.
Vide. Coniux.

QVERELANDI.

Ius àn competat monasterio ob iniuriam factam Monacho, disc.30. num.16.

R

RATIO.

Negociationis reddenda est in loco, vbi fuit hæc gesta, disc.19.num.10.

RECIPROCA.

Attendenda est de linea ad lineam, disc.16. num.4.

REGNI.

Vide. Neapolitani, Siciliæ.

REINTEGRATIO.

Fœminæ intrà certum tempus non dotatæ ad successionem, non importat caducitatem formalem, & de veritate, disc. 21. num.8.
Vid. Interpellatio. Masculiatio. Mora.

RELIGIONIS.

Vid. Statuta particularia, *vers.* Religionis.

RELIGIOSI.

Beneficiorum sæcularium, & pensionum sunt incapaces, disc.5. num.13.
Conseruatorio succedunt in fideicommisso, sicut in restitutorio, disc.30.n.19.
Filij àn considerentur in parente binubo pro pœnis secundarum nuptiarum, disc. 29.num.7. disc.30. num.13. remiss. disc. 34.num.5.
Distinguitur inter Religionem capacem, & incapacem, disc.30.num.14.
Impugnatur distinctio, ibidem num.15. & seqq. Sed quod sit vera ostenditur, num. 30. ibid.

In gradu à *Statuto* contemplato si supersint, an cesset *Statutum*, quamuis ipsi non succedant, disc.3.num.22.
Sanguinis, ac naturalia iura non amittunt, disc.30. num.18.

RENVNCIATIO.

Ambigua declari potest à renunciante ex interuallo, disc.31. num.5.
Facta per filios primi matrimonij in beneficium parentis prodest liberis secundi matrimonij, disc.31. num.2. Contrariũ verius, & de ratione, ibid. num.3.
Et quid si de tempore renunciationis pater transijsset ad secunda vota, vel ecõtrà, disc.31.num.4.
Aut renuncians declararet suam voluntatem, num.5. ibid.
Vel renunciatio facta esset patri, & suis, vel pro hæredibus quibuscumque, disc.31. num.6. & 7.
Atque de distinctione àn renunciatarius decedat testatus, vel intestatus, ibid. num.8. *Vel* adsit pactum de non petendo, disc.31. num.9.
Facta simpliciter patri per filiam, non compræhendit successionem prouenientem ex *l. fœminæ*, disc.33. num.7.
Fallit accedentibus coniecturis, & de illis, ibid. num.9. & seqq.
Et quid si esset facta post contractas secundas nuptias, disc.33. num.8. & 14.
Ingressus in religionem intuitu facta, solemnitates statutarias àn requirat remissiuè, disc.30. num. 2.
Matris non nocet filijs veniẽtibus ex propria persona, & de ratione, discurs.14. num.4. & 8.
Paternis, & maternis bonis, non compræhendit fraterna, quamuis ex hæreditate parentum prouenientia, disc.16.num.3.
Patri, & suis facta, conuenit hæredibus etiã extraneis, disc.31.num.7.
Pretij ex quantitate regulatur circa compræhensionem iurium, disc.33.num.12.
Præuentiua solutio quandoque est eius, quod renuncianti debetur, ibid. n.13.
Realis quando sit, vel personalis remissiuè, disc.30.num.2.
Renunciantem reddit successionis incapacem, disc.27.num.5.
Regulanda quomodo sit in dubio, disc.33. num.15.

REPETITIO.

Orationis præcedentis quando intret, vel nè, disc.13.num.5. & 11.

REPRAESENTATIO.

Feudali in materia datur in linea directa, non autem collaterali, disc.16. num.14.
Et quod ex magis communi in feudis indiuiduis nepos ex primogenito patruũ excludat, ibid. num.16.
Fideicommissaria in successione an detur, disc.16.num.10.
Gradus æqualitatem ad faciendam àn detur in *Statutis* fœminarum exclusiuis, ibid. num.10. & seqq.
Et de differentia inter lineam descẽsiuam, & collateralem, num.13. & 17. ibid.
Atque an agatur ad effectum excludendi proximiorem, vel ad succedendũ cum eo æqualiter, disc.16.num.14.& 17.
Et quid in materia indiuidua, ibidem num.15. & 16. Vel diuidua, numer.17. ibidem.
Ingrato nepoti non deberet concedi, disc. 27.num.12.
Iure nouissimo inducta fuit, ibid.
Nepotes inter plures ex *fratribus defunctis* non intrat; sed succedunt in capita, disc. 1.num.1.disc.8.num.10. disc.17.num.6.
Etiam quod adsit amita *Statuto* exclusa, disc.8.num.10.

REPVDIATIO.

Iuris quærendi fieri potest à matre in præiudicium filiorum, quorum fauore arctatur disponere à *Statuto*, disc.35.n.7.
Fieri potest à debitore in præiudiciũ creditoris, ibid.

ROTA ROMANA.

Authoritatem vbique magnam habet, disc. 4.num.4.
Proprijs decisionibus non est alligata, disc. 26. num.14.
A Tribunalibus inferioribus Curiæ attenditur, ibid. num.13.

ROTAE ROMANAE *Decisiones*.

Bononien. hæreditatis de Beualdis 10. Martij 1597. coram Litta post *Giouagn. cons.1.lib.1.num.59.* explicatur, disc.13. num.5. & 12.
Fanen. successionis 6. Aprilis 1663. 23. Ianuarij 1664. 26. Iunij 1665. 15. Martij 1666. ac 11. Februarij 1669. coram Albergato perpenduntur, disc.15. num.2. & seqq.
Firmana successionis 14. Martij 1664. & 13. Iunij 1668. coram Beuilaqua, considerãtur, disc.17. num.24. & seqq.
Hortana successionis 5. Nouembris 1601.

coram

coram Panphilio, declaratur, discur. 15. post num. 17.
Romana dotis 30. Maij 1644. coram Peutingerio, explicatur, discurs. 31. num. 6. & 9.
Eadem successionis de Girona 23. Ianuarij 1574. coram Robusterio, examinatur, disc. 16. num. 11. & seqq.
Vrbeuetana hæreditatis 28. Maij 1599. coram Litta, declaratur, ibid. num. 20.
Decis. 59. par. 1. recent. expenditur, disc. 3. num. 22.
Decis. 177. par. 4. recen. num. 42. & seqq. fundamenta demonstrantur, disc. 4. num. 8.
Decis. 43. par. 7. recen. perpenditur, disc. 3. num. 23.

RVBRICA.

Vim legis habet, vel deseruit pro interpretatione, disc. 17. num. 10.

RVINVS.

Cons. 14. lib. 2. reijcitur, disc. 2. num. 7.
Inter Consulentes est primus post *Baldum*, sed sæpè sibi contrarius, ibid.

S

SICILIÆ REGNI.

COnsuetudo super taxa fructuum dotis habetur remiss. disc. 41. n. 169.
Successio in feudis quomodo reguletur, ibid. num. 170.
Alia *vid.* Statuta *vers.* Siciliæ.

SOCIETAS.

Tacitè induci potest, & probatur per præsumptiones, disc. 38. num. 12.
Vid. Communio.

SOLEMNITATES.

Statutarię an sint adhibendæ in renunciatione facta intuitu ingressus in Religionem, disc. 30. num. 2.

SOROR.

Exclusa à Statuto licèt mater in medio existat, facit partem ad fauorem fratris, disc. 3. num. 24.
Idem in sorore dotata admissa ad succedendum ob alteram sororem indotatã, disc. 16. num. 19.
Inhupta præfertur nuptæ in successione feudorum Regni Siciliæ, & de ratione, disc. 46. num. 3. 10. & 11.

SORORES.

Consanguineæ excluduntur per matrem à successione fraterna, disc. 3. num. 17.
1 *Amplia* etiam quod mater nisi existeret soror esset exclusa per patruum, & de veritate, ibid. num. 23.
2 *Amplia* procedere etiam in sororibus vterinis, disc. 3. num. 18.
Alia *vid.* Frater.

STATVTVM.

Binubo parenti successionem deferens an faciat cessare dispositionem *l. fœmine C. de secundis nupt.*, disc. 24. num. 8. & 9.
Et de differentia inter patrem, & matrem, ibid. num. 10.
Continuatiuum possessionis defuncti *in* heredem an habeat locum fauore sororis reintegratæ ad successionem ob neglectã eius dotationem, disc. 21. num. 20.
Defuncti iudicium impugnanti non suffragatur, disc. 24. num. 3.
Defunctus si abdicauerit à se possessionem mediante constituto, vel reseruatione vsusfructus cessat, ibid. num. 5.
In iurepatronatus an habeat locum remissiuè, disc. 41. num. 211.
Filiorum primi matrimonij ad fauorem cõditum, nõ debet operari eorum odium, disc. 35. num. 15.
Forenses ad successionem inhabilitans est fauorabile, disc. 25. num. 4. remiss. disc. 41. num. 183.
Clericos an comprehendat, disc. 41. num. 195.
Eget confirmatione specifica, & de ratione, disc. 25. num. 3. & 6. Et valet, num. 14. ibid.
Ordinari an possit à Ciuitate recognoscente Superiorem remissiuè, discurs. 41. num. 188.
A *Statutis* fœminarum exclusiuis in quo differat, disc. 25. num. 6.
Vid. Statuta *vers.* Alienationem.
Forensis seruare tenetur, qui ex pacto seu Statuto suppositi, disc. 26. num. 4. remiss. disc. 41. num. 184.
Inteſtati circà successionem disponens, non procedit in successione inteſtabilis, disc. 7. num. 3.
Contrarium, ibid. num. 5. & de rationibus, num. 6. & seqq. ibid.
Fallit nisi accedat voluntas teſtatoris, & vnde hæc desumatur, *disc. 7. num. 13. & 14.*
Et quod attendatur modus loquendi regionis, disc. 7. num. 6.
Loci conditi teſtamenti qua ratione attendendum, disc. 4. num. 16.
Lucrum dotale deferens non censetur derogare

rogare dispositioni *l. hac edictali*, disc. 41. num. 199.

Auferens viro àn auferat etiam mulieri, ibid. num. 200.

Viri aut mulieris attẽdi àn debeat remissiuè, disc. 41. num. 198.

Alia vid. Diuisio. Lucrum.

Matrem binubam arctans ad disponẽdum æqualiter inter filios vtriusq; matrimonij, validum est, & de ratione, disc. 35. num. 5. & 6.

Mulieribus adimens facultatem disponendi de dote procedit tàm in coniugata, quã in vidua, disc. 26. num. 8.

Testandi facultatem auferens validum est, disc. 35. num. 5.

STATVTI.

Capitulum sequens continens verba repetitiua intelligi debet iuxtà præcedens, disc. 13. num. 4. & 5.

Finis, vel effectus consideratus spectari debet, disc. 22. num. 7.

Immorandum non est in verbis, sed in substantia, disc. 12. num. 8. disc. 17. num. 8. & de ratione, disc. 40. num. 8.

Ratio expressa præualet verbis, disc. 15. num. 8.

Sequens pars quando reguletur à præcedẽti, disc. 17. num. 7.

STATVTA.

Agnationis fauore disponentia àn prosint fœminis agnatis, disc. 7. num. 11.

Et quod non prosint, disc. 10. num. 8.

Alienationem prohibentia in forenses àn comprehendant clericos remissiuè, disc. 41. num. 195.

Et àn comprehendant alienationem ex causa dotis remiss. ibid. num. 201.

Vid. Statutum *vers.* Forenses.

Clerici in successione licèt inter laicos cõtrouersa non attendenda, & quarè, disc. 5. num. 8.

Vid. Clerici *vers.* ad successionem.

Ciuilibus legibus aduersantia, an & quando reputanda sint correctoria, & odiosa, disc. 1. num. 13. & 14.

Ciuitates subditæ Status Ecclesiastici condere nequeunt, disc. 25. num. 3. remissiuè, disc. 41. num. 188.

Cognatorum exclusiua odiosa non sunt, sed potiùs fauorabilia, disc. 1. num. 12. & de ratione num. 13. ibid. disc. 23. num. 8.

Non porriguntur vltrà personas expressas, disc. 23. num. 9.

Confirmatione quanam indigeant, & de confirmatione præsumpta remiss., disc. 41. num. 196.

Continuatiua possessionis in defunctum habentur remissiuè, ibid. num. 210.

Vid. Statutum *vers.* Continuatiuum.

Correctoria iuris, strictè, & in verbis intelligi debent prohibita extensione, disc. 15. num. 5.

Declaratur conclusio quando procedat, ibid. num. 7. & seqq.

Diuersorum locorum remiss. disc. 41. n. 181.

Dominantis Ciuitatis quomodo attendantur in loco habente Statutum particulare remiss., ibid. num. 186.

Ius commune àn reputentur, si Statutum loci particularis mandet illud seruari in casu omisso; vel potiùs sit seruãdum ius Romanorum remissiuè, disc. 41. num. 187.

Donationibus solemnitates præscribentia habentur remiss. disc. 41. num. 208.

Duarum conformium circà executionem recensentur remissiuè, ibid. num. 212.

Ecclesiasticas personas quando comprehẽdant remiss. disc. 41. num. 194.

Excludentia à successione stabilium àn procedant in locis montium, censibus, & similibus iuribus remiss. ibid. num. 182.

Exemptos àn afficiant ex conuentione remiss. ibid. num. 184.

Existentiæ aliquorum si mentionem faciãt àn hæc stet demonstratiuè, vel taxatiuè, disc. 1. num. 11.

Expurgationem territorij à bannitis, seù latronibus demandantia, recensentur remissiuè, disc. 41. num. 197.

Extensionem non patiuntur, si egrediendo verba interpretentur iuxtà rationes expressas, disc. 15. num. 9.

Filios ad successionem dotis quando vocare censeantur remiss. disc. 41. num. 202.

In conditione positos vocantia recensentur remiss. ibid. num. 205.

Gabellã, seù aliud onus pro successione imponentia, sunt odiosa, disc. 41. num. 190.

Interprætanda sunt in dubio masculorum, vel agnationis fauore, disc. 1. numer. 17. disc. 3. num. 8.

Iuratos circà actus quomodo operentur, disc. 5. num. 10. remiss. disc. 41. num. 194.

Laicalia clericos non comprehendunt passiuè, sed possunt ipsis âctiuè vti, & in ratione priuilegiatiua, disc. 6. num. 10. & 15. remiss. disc. 41. num. 194.

Loci parui grossolanè edita quomodo interpræ-

terprætanda, disc.3.num.14. & seqq.
Matrimonium prohibentia, vel restringentia, sunt inualida, disc.25.num.7.remiss. disc.41. num.213. *Vid.* Matrimonij.
Minores, vel mulieres inhabilitantia ad contractus sine certis solemnitatibus habentur remiss. disc.41. num.206.
Mixto in casu cessant, & intrat ius commune, disc.3.num.16.
Et quod sola existentia personæ causet dictam mixturam, num.19. ibid.
Contrarium defenditur, numer.20. & seqq. ibid.
Vide. Matris, *vers.* existentia.
Odiosa intelligi debent ad litteram, neque extendi ex identitate rationis, d.8. n.6.
Omissos ad casus non extendantur, disc.1. num.11. disc.22.num.6.
Operantur quoad bona extrà territorium ratione voluntatis morientis, disc.4.nu. 16.disc.6.num.6.
Pascuorum diuisionem inducẽtia habentur remissiuè, disc.41.num.193.
Personarum, & bonorum simul subiectionem requirunt, nec datur combinatio Statutorum, disc.4. num.2.
Vid. Statuta fœminarum, *vers.* Subiectionem.
Præterita quando capiant, disc.41. n.189.
Recipiunt interprætationẽ à Statutis aliarum Ciuitatum, vel locorum, disc. 41. num.192.
Redhibitoriæ circà materiam memorantur remiss. ibid. num.207.
Regulanda sunt iuxtà opinionem, quam statuentes habebant, vel tunc vigebat, disc.15.num.10.
Ac iuxtà sensum rationabilem, & prudentum, ibid. num.12.
Ac iuxtà statuentium mores, disc. 13. num.16.
In non subditis, vel in bonis extrà territorium deseruiunt pro interprætatione illorum voluntatis, disc.41.num.185.
Successionum in materia testamentum legis continent, disc.1.n.8.disc.3.n.21.
Varia esse solent pro varietate locorũ, disc.9.num.10.
Testandi facultatem sine consensu, vel præsentia alicuius restringentia àn subsistãt remissiuè, disc.41.num.209.

STATVTORVM.

Confirmatio in forma communi quando sufficiat, disc.25.num.5.
Exorbitãtium requiritur confirmatio specifica, disc.23.num.9.disc.25. num.6.
Et àn sufficiat prouenies à longissima obseruantia, disc.23.num.9.
In Hetruria frequens est vsus etiam in paruis oppidis, disc.9.num.10.
Interprætatio pendet ab obseruantia, disc. 9.num.13. disc.13.num.11.
Neapolitano in Regno rarus est vsus, disc. 6.num.3.
Verba strictè, & in sensu grammaticali nõ sunt accipienda, disc.7. num. 10. & de ratione, disc.40.num.8.
Sed attendenda voluntas statuẽtium, disc.17.num.8.

STATVTA *Fœminarum exclusiua.*

Agnatorum gratia sunt fauorabilia, disc.8. num.24.
Et quando veniant fœminæ agnatæ, disc.10.num.5. & seqq. disc.13.num.12.
Aliorum locorum attendi debent pro interprætatione propriorum, disc.11.n.6.
Cessare, àn & quando dicantur per testamentum, in quo fœmina sit restituta. suitati, disc.6. num.8. disc.14.num.5. & 9. disc.22.num.4. & 5.
Dotatas excludentia, procedunt in successione dotantis, disc.3.num.11. disc.14.n.2. disc.15.num.14.
Et quãdo secùs, ac vnica dos sufficiat, & de distinctione, disc.3.num.12. & seq. disc.14.num.6. disc.17. num.5.
Dotationem requirentia, nõ habent locum si dos fuerit destinata tantùm, vel promissa, disc.40.num.1.
Contrarium verius, ibid. num.4. & seqq. & de ratione, num.7. ibid.
Et quod sufficiat implicita destinatio, disc. 40. num. 5. Ac etiam dos aliàs data, & resoluta, num.6. ibid.
Amplia etiam quod Statutum loquatur de dote data, disc.40.num.9.
Et quid si verba Statuti dotem, & matrimonium exigant, num.14. ibid.
Vel datum mulieri non inseruiat pro vero matrimonio, disc.40.num.15.
Excludentis existentiam requirunt, & quod similiter succedat, aliàs non operantur, disc.22.num.7.
Et quod sufficiat excludentem acquisiuisse, licèt posteà moriens sit grauatus extraneo restituere, licèt casus eueniat etiam viua exclusa, num.9. ibid.
Intellige nisi fraudulenter fiat ad includendum extraneum in præiudicium fœminæ, disc.22. num.13.
Et quid si pro parte instituatur excludens,

cludens, pro parte extraneus, num. 8. ibidem.

Filios exclusarum ex propria persona venientes non afficiunt, disc. 14. num. 3.

Contrarium verius, disc. 8. num. 21. disc. 14. num. 7.

Fœminabus non obsunt, si masculi eis vti nollent, disc. 15. num. 15.

Fratres vocantia, & fratrum filios ad successionem, an respiciant ad vnitatem, vel duplicitatem vinculi, disc. 18. num. 2. 4. & seqq.

Et quid in concursu fratrum coniunctorum coniunctione reduplicata cum coniunctis coniunctione simplici remiss. disc. 18. num. 16.

Fratrum fauore suffragatur eorum filijs; non autem patruis, disc. 8. num. 16.

Gradus expressos non egrediuntur, disc. 10. num. 3.

Gradus æqualitate posita procedunt, disc. 16. num. 9.

Et an detur repræsentatio, vel subingressio ad hunc effectum, ibid. num. 10. & seqq. *Vid. vers.* procedunt.

In Italia quando, & quarè edita fuerint, disc. 40. num. 8.

Intelligenda sunt in dubio secundum leges Romani Imperij quando in Italia residebat, disc. 18. num. 11.

Intelligi debent ad litteram si sint odiosa, ac non extendi vltrà personas nominatas, disc. 8. num. 6. disc. 22. num. 6.

Maritus à successione excludentia intelliguntur de successione deferenda post matrimonium, non autem de delata antè matrimonium, disc. 41. num. 203.

Matre existente in medio non habent locũ, disc. 3. num. 16.

Et pro eius exclusione requiritur specialis mentio, disc. 18. num. 14.

Vid. Matris. Existentia.

Matrem excludentia iniqua sunt, & irrationabilia, disc. 7. num. 2.

Contrarium num. 4. ibid.

Ob agnatos transuersales an procedãt fauore patris, vel aui paterni, disc. 15. num. 5. 7. & seqq.

Mixto in casu cessant in totum, discurs. 16. n. 19. & de ratione, num. 21. & 22. ibid.

Moniales non comprehendere Rota tenet, disc. 5. num. 4. *vid.* Moniales.

Odiosa non sunt; Sed potiùs fauorabilia, & de ratione, disc. 1. num. 12. & 13. disc. 3. num. 8. disc. 4. num. 9. disc. 7. num. 4. disc. 10. num. 8. disc. 13. num. 7. & 8. disc. 15. num. 9. disc. 23. num 8.

Et de pluribus distinctionibus, ac opinionibus, & varietate Statutorum, disc. 8. num. 5.

Sed quod non sint porrigenda vltrà gradus expressos, disc. 10. num. 4. disc. 23. num. 7. 8. & 9.

Procedunt in gradus æqualitate; Secùs in diuersis personarum generibus, disc. 1. num. 7. disc. 3. num. 4.

Declaratur quando secùs, & quomodo in hac materia sit procedendum, disc. 3. num. 5. 6. & 7. disc. 13. num. 13.

Et an agnoscenda sit aliqua differentia inter fœminas agnatas, & cognatas, disc. 3. num. 9. & 10.

Vid. vers. gradus æqualitate.

Reintegrantia ad successionem fœminas nõ dotatas intrà certum tempus an exigant interpellationem, & moram, disc. 21. num. 3.

Vid. Interpellatio. Mora.

Sorores propter fratres consanguineos excludentia an procedant in bonis obuenientibus à matre, disc. 11. num. 2. 5. & 6.

Specifica confirmatione non egent, sed sufficit in forma communi, disc. 25. num. 6.

Subiectionẽ vtramque requirunt, personarum nempè excludentium, & bonorum, nec datur combinatio, disc. 4. num. 2. disc. 6. num. 2. disc. 19. num. 6. disc. 20. num. 2. disc. 23. num. 5.

Et hæc opinio tenetur in Curia, & Regno Neapolitano, disc. 6. num. 2. & 3.

Neque requiritur subiectio personæ excludendæ, disc. 5. num. 7. disc. 19. num. 3. & de ratione ibid. & disc. 20. num. 5.

Quomodò autem bona ad hunc effectũ circumscribantur loco, disc. 41. nu. 214. *Vid.* Bona.

Contrarium, quod subiectio personarum sufficiat, disc. 4. num. 5. & de ratione, num. 6. ibid. disc. 9. num. 14.

Et multò magis detur combinatio, disc. 4. num. 7. Et respondetur authoritatibus contrarijs, ibid. num. 8. & seqq.

Declaratur prima opinio vt procedat ab inteſtato, secùs condito testamento ad normam Statuti, disc. 6. num. 5. Etiam respectu legitimæ, num. 7. ibid. Maximè accedente combinatione Statutorum, disc. 6. n. 7. Et quid in Statuto Florentino, disc. 9. n. 15. *Vid.* Ciuilitas. Subiectio. Alia *vid.* Fœminę, Frater, Mater, Sorores.

INDEX

STATVTA PARTICVLARIA diuersorum Locorum, Nationum, & Religionum.

Amandolæ.

Excludens fœminas dotatas propter masculos, & cognatos propter agnatos, àn exigat vt cognatorum mater sit dotata, disc.17.num.4.

Et àn dotatio vnica sufficiat, ibidem num.5.

Et quod secunda pars Statuti non dependeat à prima, disc.17.num.6.& seqq. & de ratione, num.10. ibid.

Gradus computat secundum ius canonicum, num.13. ibid.

Anconitanum.

Disponens super dotis successione, seù reuersione recensetur remissiuè, disc.41. num.5.

Excludens cognatos propter agnatos non suffragatur fœminabus agnatis, disc.10. num.6. remiss.41.num.3.

Fructus dotis taxans habetur remiss. d.41. num.3. Alia, *vid.* Anconæ.

Ariminen.

Maritum faciens vsufructuarium bonorum extradotalium vxoris refertur, remiss. disc.41.num.8.

Obligans vxorem ad inuentarium bonorum domus viri defuncti, & quod aliàs creditum dotale non petat, explicatur remiss. ibid.num.9.

Asculanum.

Fœminarum excluſiuum memoratur remiss.disc.10.num.7.

Fructus dotis taxans remissiuè habetur, d. 41.num.10.

Testamentum mulieri prohibens sine consensu coniunctorum, recensetur remiss. ibid.num.11.

Auenionen.

Decernens vt substitutiones non transcendant tertium gradum indicatur remiss. disc.41.num.13.

Venditori concedens potioritatem in bonis venditis etiam aduersùs dotem memoratur remiss. ibid.num.12.

Barchinonen.

Filijs successionem in dote deferens, & inducens bonorum communionem inter coniuges recensetur, disc.41.num.15.

Gabella circa exactionem etiam ab exemptis refertur remiss. ibid.num.14. Alia *vid.* Barchinonæ.

Beneuentanum.

Conforme consuetudini Capuani, & Nidi Neapolis circa successionem in dote recensetur, disc.26.num.5. *vid.* Neapolitanæ consuetudines *vers.* Capuani.

Debiti præscriptionem inducens memoratur, remiss.disc.26.num.2.disc.41.n.20. *vid.* Beneuentana.

Bergomen.

Sorores excludens ob agnatos intrà quintum gradum recensetur, disc.19.num.2.

Bononien.

Fideiussorem in iudicio præstari mandans recensetur remiss.disc.41.num.29.

Fœminas excludens propter masculos, àn procedat in monialibus, seù alijs personis Ecclesiasticis remiss. disc.41.n.23. *vid.* Moniales.

Fœminabus præfert masculos etiam legitimatos, disc.5.num.2.

Fori mercatorum vocans ad æquale concursum creditores debitoris decocti, explicatur remiss.disc.41.num.27.

Matri prohibens disponere de dote recensetur remissiuè, disc.26.num.15.disc.41. num.26.

Minorum circa contractus quomodo disponat, disc.41.num.31.

Vsuras dotales quomodo præscribat ibid. num.30.

Lib.4.rubr.de Succeſſ.ab inteſtato §. Agnatis namque àn intelligatur indefinitè de omnibus agnatis, vel tantùm intra quartum gradum, disc.13. ex num.2.

AEqualitatem gradus non requirit, ibid.num.13.

Bona ex vtroque latere prouenientia distinguit, disc.13.num.10.

Fauorabile est potius quàm odiosum, ibid.num.7.& 8.

§. *ipſa quidem ead. rubr.* Matrem propter fratres excludit, disc.22.num.1. Etiam à legitima, num.2.& 3. ibid.

Et quid si cum excludente in totum, instituatur pro parte extraneus, àn fœmina in hac parte petat supplementum legitimæ, disc.22.num.8.

Bracchianen.

Tollit lucrum dotale, ac impedit Statutum Vrbis super lucro remissiuè, disc.41.n.32.

Brixien.

Sorores excludit ob agnatos intrà quintum gradum, disc.19.num.2.

Camerinen.

Altius eleuandi, seù aperiendi fenestras super

per

per potestate, quomodo disponat, remiss. disc.41.num.34.

Fœminarum exclusiuum àn faciat eas extraneas, & àn dos succedat loco legitimæ remiss.ibid.n.33.

Canciani.

De gabella soluenda pro successionibus forensium, & àn debeatur per mulierem nuptam extrà patriam remissiuè, d. 41. num.35.

Cantiani.

Disponit vt forenses collectentur in duplo vltra ciues remiss. disc.41.num.36.

Castri.

Fœminarum exclusiuum recensetur, disc.41. num.71.

Habet locum in oppido Guardeæ, ibid.

Ciuitænouæ.

Fœminam maritatam excludens à successionibus àn intelligatur de desatis ante matrimonium, vel post remissiuè, d.41. num.38.

Ciuitatis Castelli.

Emptorem tutum reddens memoratur remiss.disc.41.num.39.

Fideiussori concedens facultatem petendi liberationem recensetur remissiuè, ibid. num.40.

Fœminas propter masculos excludens àn faciat fœminam extraneam, vel nè, & an dos succedat loco legitimæ remiss. d. 41. num.41.

De necessaria renouatione emphyteotica, & modo succedendi in emphyteusi remiss.ibid.num.42.

Comen.

Antiphatum, seù lucrum quomodo deferat, & quomodo in eo filij succedant remiss. disc.41.num.43.

Corinaldi.

Fœminas, & cognatos excludens propter masculos refertur, & de distinctione inter descendentes, & transuersales, d.23. num.6.

Fratrum, eorumque filiorum fauore procedit, ac non egreditur gradus expressos ibid.n.6.7.& seqq.

Matrem excludit, disc.23.num.6.

Eugubinum.

Fœminarum exclusiuum propter masculos àn tollat legitimam ità vt eius loco succedat dos remissiuè, disc. 41. num. 46. *vid.* Eugubij.

Fanen.

Ciuium super admissione ad Consilium refertur, remiss.disc.41.num.49.

Fœminas semel dotatas excludit propter masculos ab omni successione, disc. 14. num.6.

Extraneas omnino àn faciat, adeòvt dos non succedat loco legitimæ, remiss. disc.41.num.89.

Filios exclusarum comprehendit, d. 14.num.7.

Farfen.

Super renouatione emphyteotica, vel super facultate disponendi de similibus bonis, remiss.disc.41.num.50.

Fauentinum.

Matrem excludit propter agnatos, disc.3. num.22.

Fallit si existat patruus Religiosus, licet non succedens, & de veritate, d.3. num.22.

Sorores excludit ob agnatos, remissiuè, d.20.num.10.

Ferrarien.

Competentiæ fori, & nè ciues extrà illum trahantur, remissiuè, disc.41. num.54.

Gabellæ contractum remissiuè, ibidem num.52.

Gabellæ frumenti remissiuè, discurs. 41. num 53.

Insinuationem in donationibus prescribens ibid.num.55.

Successionem in bonis emphyteoticis ad quem gradum extendat remissiuè, d.41. num.51.

Fiani.

De lucro dotis recensetur remissiuè, d.41. num.107.

Florentinum.

Fœminas excludens propter agnatos etiam remotiores odiosum est, disc.8. num.5.

Collaterales lineæ inferioris, & superioris simul àn comprehendat, ibid.n.7. & 20.

In filia sororis procedit, disc.8.n.20. & 21.

De nouis reformationibus eiusdem Statuti, ibid.num.20.

Ab obseruantia interpretandum est, disc.9.num.13.

Subiectionem vtramque personarum nempè, & bonorum àn copulatiuè requirat, disc.9.num.15.

Gabellam pro successionibus mandans sol-

ui remiſſ. diſc. 41. num 59.
Inuentarij beneficium hæredi adimens, ibid. num. 58.
Paternæ hæreditatis additionem inducens per habitationem in domo, ſeu retentionem bonorum recenſetur, remiſſ. d. 41. num. 57.

Firmanum.

Lib. 4. rubr. 88. prohibens matrimonia cum forenſibus, & hos ad ſucceſſionem inhabilitans, refertur, & àn liget, d. 25. num. 1. & ſeqq.

Non eſt confirmatum in forma ſpecifica, ibid. num. 2.

Foroliuien.

Continuatiuum poſſeſſionis defuncti in hæredem, àn & quando procedat, diſc. 24. num. 3. & 5. *Vid.* Statutum, *verſ.* Continuatiuum.
Circa Conſilium, & admiſſionem Conſiliariorum quomodo diſponat remiſſ. d. 41. num. 65.
Forenſem virum obligans ad ſolutionem gabellæ de bonis extradotalibus, remiſſ. ibid. num. 64.
Vſufructum extradotalium viro deferens memoratur remiſſ. diſc. 41. num. 66.
Lib. 5. rub. 32. binubum patrem grauans ad reſeruandam proprietatẽ fratribus primi matrimonij, àn procedat fauore ſororum, diſc. 24. num. 9.
Rub. 34. in matre binuba quid diſponat, ibid.

Fulginaten.

Diſponens circa donationes, àn ſit in vſu, & quomodò intelligendum, diſcurſ. 41. num. 67.

An procedat in donatione dotis, vel contemplatione matrimonij, num. 68. ibid.

Fœminarum excluſiuum, ac matris, an tollat legitimam, diſc. 41. num. 69.

Gualdi.

Fratres vocans ad ſucceſſionem fratris, excluſis ſororibus præfert conſanguineis vtrinque coniunctos, & de ratione, d. 18. num. 14. & 15.

Loquitur de fœminis eiuſdem cippi, ibid. num. 15.

Matrem àn & quando excludat, d. 18. num. 15.

Guardea. Vid. Caſtri.

Hebræorum.

Datiorum, & onerum in materia remiſſiuè, diſcurſ. 41. numer. 73.
Dotis ſuper lucro refertur remiſſ. ibidem num. 72.
Super locationibus domorum remiſſ. ibid. num. 74.

Alia. *Vid.* Iudæi.

Ianuen.

Debitori prohibens repudiationem hæreditatis in præiudicium creditorum, àn procedat vbi aghouerit, ſed cum onere fideicommiſſi remiſſ. diſc. 41. n. 85.
Fideiuſſoris obligationem extinguens per lapſum quinquennij remiſſiuè, ibidem num. 81.
Fœminarum excluſiuum àn capiat bona extrà territorium, diſcurſ. 4. num. 1. & ſeqq.
Fori declinationem omninò prohibens recenſetur, ibid. num. 3.
Mulierum circa obligationem, àn procedat in dote, remiſſ. diſc. 41. num. 83.
Teſtamentum àn corruere faciat ex defectu præteritionis remiſſiuè, diſc. 41. num. 84.
Tranſmiſſionem dotis non conſtitutæ fœminis prohibens, remiſſ. ibid. num. 86.
Vicino permittens altius eleuare domum, recenſetur remiſſ. diſc. 41. num. 87.

Imolen.

Excludens matrem propter patruum, ceſſat, ſi adſit ſoror conſanguinea, quæ à matre excludetur, & de veritate, diſc. 3. num. 23.

Interamnen.

Fœminas ſemel dotatas ab omni ſucceſſione propter maſculos excludit, diſc. 14. num. 6.

Extraneas omninò an faciat, adeòvt dos non ſuccedat loco legitimæ, diſc. 41. num. 89.

Filios excluſarum comprehendit, d. 14. num. 7.

Lucanum.

Codicillos validos reddens cõfectos coràm Notario, & duobus teſtibus, recenſetur, remiſſ. diſc. 41. num. 90.
Matrem à ſucceſſione excludens, àn habeat locum in legitima ibid. num. 91.

Maceraten.

Dilationem concedens hæredibus viri pro reſtitutione dotis, an ſuffragetur viro ſuperſtiti remiſſ. diſc. 41. num. 92.

Mantuanum.

Fratres vocans ad fratris ſucceſſionem admittit

mittit tàm vtrinque coniunctos, quàm consanguineos. disc.18.num.2.

Mediolanen.

Seruitutis circa materiam, seù altius eleuandi recensetur remiss.disc.41.n.93.

Melitæ.

Vid. Melenitana Insula.

Montis Falisci.

Pascuorum super vsu recensetur remissiuè, disc.41.num.96.

Montis Pietatis Vrbis.

Statuta referuntur remiss. disc.41. nu.148.

Neapolis.

Vid. Neapolitanæ.

Nonantulanum.

Emphyteotica in materia recensetur remiss. disc.41.num.108.

Parmen.

Continuatiuum possessionis defuncti in hæredem memoratur remiss. disc. 21. n. 2. disc.41.num.109.

Fœminas propter masculos excludens sub conditione dotis, qua non data eas reintegrat ad successionem, àn interpellationem exigat, disc. 21. num. 3. *vid.* Interpellatio. Mora. Reintegratio.

Perusiæ.

Doctoribus tribuens beneficium deducti, &c. remiss.disc.41.num.12.

Rub.45.lib.2. admittens ad successionem patruos cum sororibus defuncti, vel matre alijsque ascendentibus, memoratur, disc. 1.num.2.

Constituit duas successionum causas, num.6.ibid.

Patruorum in filijs àn habeat locum, si nullus patruus existat, disc. 1. ex n. 3. per totum.

Ead.Rubr. 45. excludens fœminas propter masculos, qui tenentur eas dotare, & in casu negligentiæ eas vocans, explicatur, & quomodò incurratur mora per fratrem, disc.2.per totum.

Diuersimodè disponit in successione materna, quàm paterna, ibid.num.11.

De nouis eius reformationibus, & additionibus, disc.2.num.12.

Moniales comprehendit ex confirmatione Gregorij XIII. d.5. num.15.

Pisanum.

Prohibens viro testari fauore vxoris, quomodò procedat, remiss. disc.41.n.113.

Pisauren.

Dotis super lucro quomodo disponat remiss.disc.41.num.114.

Placentinum.

Continuatiuum possessionis defuncti in hæredem refertur remissiuè, disc. 41. num.115.

Plumbini.

Fœminarum exclusiuum propter masculos àn suffragetur fratri consanguineo tantùm in bonis obuenientibus à matre morientis, disc.11.n.1.& seqq.

Prohibens viro testari fauore mulieris refertur remiss.disc.41.num.113.

Rauennaten.

Concordia in materia emphyteotica recensetur remiss.disc.41. num.118.

Ecclesias arctans ad contribuendum pro aggeribus remiss.ibid.num.20.

Fructus dotis ad quam rationem taxet remiss.disc.41.num.119.

Reatinum.

Consanguineos vocans intelligitur de agnatis,& cognatis, disc.12. num.6.

Et àn inducat distinctionem patrimoniorum, num.7.ibid.

Et quid in concursu cum matre, vel ascendente materno, & àn detur hoc casu bonorum distinctio, disc.12. nu. 8. & 9.

Religionis Hierosolymitanæ.

Circa dignitates, commendas, & pensiones remiss. disc.41.num.124.

Circa nobilitatem, & admissionem ad habitum remiss. ibid.num.123.

Religionis S. Stephani.

De Statutorum intelligentia remissiuè, disc. 41.num.125.

Sancti Gemini.

Super retractu disponens remissiuè, disc.41. num.159.

Serofani.

Excludens fœminas doratas propter masculos àn procedat tantùm in gradus æqualitate, disc.3.num.7.& seqq.

An sufficiat ad exclusionem vnica dotatio, ibid.num.13.& seqq.

Senen.

Gabella soluenda per forenses remiss.d. 41. num.162.

Institutionis titulum in testamentis subintelligens remiss.ibid.num. 165.

Ius redimendi bona executa concedens remiss. disc.41.num.164.

Matrem excludens propter agnatos transuersales, àn procedat fauore patris, remiss.disc.15.num.10.

Retractus in materia, & an suffragetur Iudæis remiss. disc. 41. num. 166.
De Successione filiorum in dote ibid. num. 163. remiss.

Senogallien.

Fœminarum exclusiuum recensetur remiss. disc. 41. num. 167.

Siciliæ Regni.

Continuatiuum possessionis in hæredem refertur, disc. 38. n. 2.
De consuetudine, vt bona sint communia coniugum, & filiorum, ibid. n. 4.
Statuta habent locum in Insula Meleuitana, disc. 38. num. 2. Alia, *vid.* Meleuitana. Siciliæ.

Spoletanum.

Dotium super taxa, remiss. disc. 41. n. 171.
Solemnitates exigens in testamentis mulierum refertur, ibid. num. 172.

Tudertinum.

Fœminarum exclusiuum requirit vtramque subiectionem, nec datur combinatio, disc. 6. num. 2.
Diss. 2. Rub. 56. Matrem excludens propter agnatos, inter quos venit soror, & amita an sit rationabile, disc. 7. num. 2. 4. & 11.
An procedat in successione intestati, vel etiam intestabilis, ibid. num. 3. 5. & seqq.
Voluntatem defuncti contraria accedente cessat, & vnde hæc desumatur, d. 7. num. 13. & 14.

Turritanum.

De successione filiorum in dote, remiss. disc. 41. num. 174.

Velitternum.

Disponens super retractu habetur remiss. disc. 41. num. 175.

Viterbien.

Excludens fœminas propter masculos procedit data gradus æqualitate, disc. 16. num. 9.
Et an admittat repræsentationem, ibid. num. 10. *vid.* Repræsentatio.
Matrem prohibens disponere de bonis extrà territorium excepta decima parte recensetur, disc. 16. num. 5.

Volaterranum.

Disponens quod mater binuba debeat tractare æqualiter filios primi, & secundi matrimonij refertur, disc. 35. num. 4.
Legitimam impinguare dicitur, n. 2. ibid.
Validum est, & de ratione, disc. 35. num. 5. & 6.
Etiam possit mater ordinem peruertere tractando melius filios primi matrimonij, num. 14. ibid.

Vrbeuetanum.

Matri prohibens disponere extrà filios recensetur, remiss. disc. 16. num. 5.
Sororem excludit tam propter fratres, quã propter eorum filios, num. 10. ibid.

Vrbini. Vid. Infrà Vrbini.

Vrbis.

Agriculturæ recensetur remissiuè, disc. 41. num. 144.
Continuatiuum possessionis defuncti in hæredem remiss. ibid. num. 144.
Donationes inter coniuges annullans quãdo procedat remissiuè, disc. 41. nu. 146.
Dotium moderatorium remissiuè, ibid. num. 132.
De læsione in emptione, & venditione remiss. disc. 41. num. 139.
Mandans seruari ius ciuile, an procedat in testamentis, remiss. ibid. num. 140.
Mulieri prohibens disponere vltrà decimam partem dotis remissiuè, disc. 41. num. 144.
Super duabus conformibus remissiuè, ibid. num. 149.
83 Doti tribuens viam executiuam, remiss. disc. 41. num. 138.
107 Concedens eleuare super muro vicini quando procedat, remiss. ibid. num. 173.
122 Vt bona emphyteotica obligari possint pro dote, remiss. disc. 41. num. 142.
130 Vt dos data per fratrem ad *ipsum* reuertatur, remiss. disc. 41. num. 143.
131 Super lucro dotali, remiss. disc. 41. num. 133.
137 Super vsuris dotalibus, remiss. ibid. num. 134.
141 Non habet locum fauore innuptæ ad exclusionem dotatæ, disc. 12. n. 13.
Tribuens facultatem prætereundi fœminas propter agnatos refertur, d. 40. num. 12.
Et an Pater possit disponere ad fauorem vnius ex filiabus, ibid.
Fœminas extraneas an faciat, vt collat etiam legitimam remissiuè, disc. 41. num. 126.
142 De filijs in conditione positis vt censeantur vocati remiss. ibid. num. 145.
143. & 144 Super facultate disponendi cũ

na-

naturalibus tantum legitimatis, remiss. disc.41.num.135.

145. Excludens fœminas propter masculos quam ciuilitatem exigat, remiss. ibid. num.127.

146 Excludens germanas sorores propter fratres consanguineos, exceptis bonis obuentis à matre, recensetur, disc. 11. num.6.

Et quod consanguinei concurrant cum vtrinque coniunctis, disc.18.n.5.

Matrem, & sorores excludit propter fratres, disc.20.num.1.

Extensum fuit ad fratrum filios, d.16. num.12.

149. & 150. In materia solemnitatum requisitarum in donationibus remissiuè, disc.41.num.136.

151. & 113. Super contractibus mulierum, & minorum, an procedant in contractibus ex causa dotis remissiuè, ibid. num.129.

Et de materia in genere remiss. d. 41. num.130.

152 Super contractibus filiorum famil. remiss. ibid.n.131.

158 In materia præscriptionis debiti quando procedat remissiuè, discurs. 41. num.128.

SVBIECTIO.

Excludentis requiritur non autem excluſæ, disc.23.num.5.

Morientis ad quid attendatur data subiectione succedentium, & bonorum, disc. 19.num.5.

Personarum, & bonorum simul requiritur vt Statutum operetur circa successionem, & quod non detur combinatio, disc.4.num.2.disc.6.num.1.

Alia *vid.* Ciuilitas.

Vid. Statuta fœminarum, *vers.* subiectionem.

SVBINGRESSIO.

Inguior est repræsentatione, & àn detur in fideicommissis, disc.16.n.10.

SVCCESSIO.

Equalis esse debet inter filios diuersorum matrimoniorum, & in capita, disc. 35. num.13.

Testatorum actiua, vel passiua quomodo regulanda, disc.10.num. 19. *Vid.* Legitimatio. Legitimatus. Naturales.

Ciuile secundùm ius regulatur, disc. 12. num.5.

Etiam in computatione graduum, & quando secus, disc.17.n.12.& 13.

Clerici non est regulanda iuxtà Statuta laicorum etiam quod succedentes sint laici, disc.5.num.7.

Coniugi quando debeatur, disc.39.num.2.

Vid. Coniux.

Coniuncto excluso in testamento caducato àn debeatur, disc.25.num.11.

Decedentis in captiuitate quomodo regulanda, disc.11.num.7.& 8.

Delata antè matrimonium non comprehenditur sub Statuto excludente maritatas, sed tantùm post matrimonium deferenda, disc.41.n.203.

Filijs in dote quando sit debita ex Statuto, remiss.disc.41.nu.202.

Fratri occidenti fratrem defertur, sed fiscus aufert tanquam ab indigno, disc.27.n.4. *vid.* Indignus.

Immediata attenditur in dispositione *l. fœminæ*, disc.30.num.7. *vid.* Leg. *vers.* Fœminæ.

Inducta est à iure positiuo, disc.5. n.14.

Ingrato an debeatur *Vid.* Ingrati.

Legem per positiuam in totum tolli potest, disc.25.num.11.

Leg. hac edictali C. de 2. nupt. vigore, quomodo deferatur, disc.32.num.2.& seqq. *vid.* Diuisio *vid.* Leg. *vers.* hac edictali.

Maternis in bonis per Statutum demandata habet rationem legitimæ, disc. 35. numer. 2. *vid.* Legitima, *vers.* Impinguata.

Mediata ex causa seù persona non regulatur, sed ex immediata, disc.11.n.3.& 4. disc.16.n.3.disc.3.num.10.

Neapolitani Regni in feudis quomodo regulanda. *Vid.* in Feudis., *vers.* Neapolitani.

Necessaria dicitur, quæ prouenit ex dispositione *l. fœminæ*, disc.24.n.6. *Vid.* Leg. *vers.* Fœminæ.

Item in dote, de qua mater prohibita est disponere, disc.26.num.15.

Particularis, & generalis legis in concursu, debet regulari secundum legem particularem, disc.36.num.10.

Proximiori de iure defertur sublata agnationis, & cognationis differentia, d.23. num.3.

Statutaria continet legis testamentum, disc. 1. num. 8.
vid. Testamentum.
Vnica an sit, vel considerentur duæ diuersæ in materia Statutorum quid interfit, disc. 1. num. 7.

SVCCESSIONIS.

Filijs debitæ ex Statuto ordinem mater an peruertere possit, disc. 35. num. 14 & 15.
Ordinem grauatus, peruertere nequit, num. 14. ibid.
Reciprocum est ius, seu vicissitudinarium, disc. 16. num. 10.
Statutariæ an, & quando fiat transmissio, distinguuntur plures casus, disc. 15. n. 16. & seqq.
Vid. Transmissio.

SVCCESSIONES.

Diuersæ dari possunt pro diuersitate territoriorum, discurs. 4. num. 13. discurs. 9. num. 9.
Et vbi tractanda sit earum causa. *Vid.* Forus.

SVCCESSIONVM.

Antiquus mos qualis erat, disc. 1. num. 13.
Deseruire debet pro Statutorum dubiorum interpretatione, discurs. 18. num. 11.
Mores in regione vigentes edocentur ex vsu fideicommissorum, disc. 1. n. 15.
Quæstiones hodiè versantur circa interpretationes Statutorum, ibid. n. 1.

SVITATI.

Restitutæ quando dicantur fœminæ agnatæ in testamento, disc. 6. num. 8. disc. 14. num. 5. & 9.

SVRDVS.

Decis. 138. defenditur, discurs. 15. post num. 16.

T

TABERNA.

STabilium iure reputatur, & circumscribitur loco cum omnibus exigentijs, & dependentibus, ac de ratione, disc. 19. num. 9. & 10.
Atque si vendatur debentur fructus recompensatiui, ibidem numer. 9.
Anconæ collectatur inter stabilia, ibid.

TESTAMENTVM.

Ambiguum declarari potest coram minori numero testium, disc. 27. num. 9.
Caducatum non influit in exclusionem ab intestato illius, qui in testamento exclusus erat, ibid. num. 11.
Cessare facit Statutum fœminarum exclusiuum, disc. 14. n. 5.
Declaratur quando procedat conclusio, ibid. num. 9. disc. 6. num. 8. disc. 22. num. 4. & 5.
Episcopus morienti ab intestato solet facere ad pias causas in aliquibus partibus, disc. 7. num. 7.
Imperfectum voluntatem probat, disc. 8. num. 12.
Interprætandum est iuxtà qualitatem testatoris, de quo inspicitur, an sit litteratus, vel idiota, disc. 3. num. 14. remiss. disc. 7. nu. 10.
Item nec immorandum est in verbis, seu ordine scripturæ, sed in substantia voluntatis, disc. 17. nu. 7.
Legis continent Statuta in materia successionum, disc. 1. num. 8. disc. 3. num. 21. disc. 22. num. 5.
Et qui non reperitur in Statuto vocatus, censetur exhæredatus, vel prætermissus, disc. 1. num. 10.
Leg. fœminæ C. de secundis nupt. dispositionem quando cessare facit, disc. 34. num. 8.
Pestis tempore quas solemnitates requirat, disc. 27. nu. 8.
Pupillo Pater facit ordinando substitutionem pupillarem, disc. 7. n. 9.

TESTAMENTI.

Factio à iure positiuo descendit, disc. 35. num. 6.

Restringi àn possit per Statuta præscribentia interuentum, vel consensum alicuius remiss. disc. 41. nu. 209.

TESTI.

Mediatori quando plenè credatur, disc. 36. num. 8.

TESTES.

Minori in numero sufficiunt in declaratione voluntatis contentæ in solemni testamento, disc. 27. num. 9.

Quinque exiguntur in testamento tempore pestis, disc. 27. num. 8.

TRANSACTIO.

Bona fide an processerit, inspicitur opinio, quæ tunc retinebatur, licèt posteà reprobata, disc. 15. nu. 10.

Rescinditur ob læsionem, & quomodo hæc sit mensuranda, discurs. 30. num. 3. 22. & 23.

Successores independenter venientes, àn & quando obliget, ibid. n. 4.

TRANSMISSIO.

Facultatis implendi legalem conditionem non fit in hæredem, disc. 2. num. 10.

Hæreditatis non aditæ àn, & quando detur, disc. 15. nu. 17. & 18.

Iuris excludendi fœminas non fit ad hæredes extraneos, disc. 21. nu. 5.

Multo minus ad creditores, num. 6. ibid. Et quando secus ibid. nu. 7.

Iuris petendi legitimam, vel fideicommissum, aut legatum quando detur in hæredes extraneos, disc. 21. num. 6.

Et quid in creditoribus, ibid.

Statutariæ successionis, àn & quando concedatur, distinguuntur plures casus, disc. 15. num. 16. disc. 21. num. 5.

Transmissionis àn detur, disc. 15. n. 17.

Et quid in concursu aui paterni cum matre à Statuto exclusa, nu. 18. ibid.

TRANSVERSALES.

Vid. Collaterales.

TREBONIANVS.

Quare dictauerit Iustiniano leges ad fauorem mulierum, disc. 15. num. 12.

TVTELA.

Mulieribus omnibus erat de iure antiquo prohibita, sed hodiè permittitur matri, & auiæ, disc. 29. num. 14.

TVTOREM.

Mater si pupillo intrà annum non petat priuatur eius successione, disc. 29. nu. 2.

Vid. Mater, *vers.* Tutorem.

V

VERBORVM.

IN formula non est immorandum in testamentis, sed inspicienda voluntas, disc. 17. num. 7.

Idem procedit in Statutis num. 8. ibid.

VIA EXECVTIVA.

Contra tertium pro censibus in Regni Siciliæ, & Insula Melitæ àn, & quomodo detur, disc. 38. num. 3.

VOLVNTAS.

Contrahentium, seù disponentium non subditorum, vel de bonis extrà territorium interpretatur iuxta Statuta, remiss. disc. 41. num. 185.

Imperfecto ex testamento, vel alio inualido actu probatur, disc. 6. num. 12.

Morientis regulanda est iuxtà Statutum loci, disc. 4. num. 16. disc. 6. num. 6.

Pretij ex quantitate desumitur, disc. 33. num. 12.

Testatoris vbi est clara non curantur rationes, & absurda, disc. 8. num. 19.

VRBINI.

Concordia in mater. emphyteotica, remiss. disc. 41. num. 178.

Consuetudo vt soluatur gabella duplicata

per

per forenſes remiſſ. ibid. num. 177.
Decreta Ducalia circa donationes àn habeant locum in Ciuitate Eugubina, remiſſ. diſc. 41. num. 47.
De eiſdem decretis remiſſiuè, ibidem num. 180.
De Indulto *Vrbani* VIII. ſuper renouatione emphyteuſis per totum Statum Vrbini remiſſ. diſc. 41. num. 179.

Non VSVS.

Initiatiuus, & præſcriptiuus in quo differant, diſc. 1. num. 14.

VSVSFRVCTVS.

Vxori legatus, àn & quando importet alimenta, diſc. 35. num. 10.

VSVFRVCTVARIVS.

Fructus non facit ſuos, niſi præſtet cautionem, & de diſtinctione in materia, diſc. 35. num. 9.
Legatum agnoſcere poteſt in ſolo vſu, vel alimentis, ibid. num. 8.

VVLGARIS SVBSTITVTIO.

Anomala caducatis gradibus antecedentibus ſequentium caducationem præſeruat, d. 3. n. 21.

VXOR.

Viro procreato, ex damnato coitu ſuccedit, excluſis cognatis, diſc. 10. num. 13. *vid.* Naturales.
Alia. *Vid.* Coniux.

FINIS.

PARS III.
HVIVS
VNDECIMI LIBRI
DE
RENVNCIATIONIBVS.

INDEX ARGVMENTORVM IN DISCVRSIBVS

Qui habentur in hoc Libro XI. Par. III. de Renunciationibus.

Disc. I.
Bononien. successionis de Fabrettis.

An renunciatio facta per filiam paternę successioni occasione ingressus in Monasterium, eam ab intestata patris renunciatarij successione excludat, ob existentiam aliarum filiarum æquè monialium, quæ non renunciarunt.

Et an huismodi renunciationes factæ per ingressas, vel ingressuras Monasterium, subiaceant solemnitatibus statutarijs.

Et de aliquibus generalibus prænotationibus ad hanc renunciationis materiam.

Disc. II.
Romana hæreditatis de Lanuuijs.

De eadem materia renunciationis factæ per fœminas profitentes in Monasterio, parentum, ac fratrum, aliorumque successionibus; An eas ità extraneas faciat, vt eorumdem renunciatariorum intestata successio, alijs remotioribus collateralibus potiùs aperiatur.

Disc. III.
Marsicana successionis.

De renunciatione facta per fœminam nubentem in sæculo ad fauorem fratris, cum expressione, vt ea realis esse debeat, an excludat renunciantem ab ipsius renunciatarij intestata successione; Qua occasione agitur de explicatione huiusmodi terminorum renunciationis realis, vel personalis, siue translatiuæ, vel extinctiuæ.

Disc. IV.
Romana fideicommissi de Steccatis.

De eadem materia renunciationis factæ per monialem, an sit realis, vel personalis, ad effectum, vt cessata persona contemplata, cessare debeat, necnè; Et de alia distinctione renunciationis trãslatiuæ, vel extinctiuæ; Et an renunciatio capiat fideicommissa.

Disc. V.
Romana seu Vrbeuetana successionis.

De eadem materia renunciationis factæ per fœminam carnaliter nubentem, an capiat fideicommissum, quod contineat strictam, ac pœnalem alienationis prohibitionem.

Disc. VI.
Romana fideicommissi.

De eadem materia renunciationis factæ per sororem fratribus occasione dotationis, an capiat fideicommissa per renunciatariorum obitum purificanda fauore renunciantis, adeoùt iura renunciata, ad extraneos etiam transmissibilia sint; Vel potiùs renunciatio dicatur personalis, adeoùt per renunciatarij mortem resoluatur; Et incidenter de solemnitatibus, præsertim illa insinuationis, quæ requiritur in donationibus, an in huiusmodi renunciationibus requiratur.

Disc. VII.
Bononien. successionis, seu fideicommissi.

De renunciatione facta per virum ingredientem Religionem, an dicatur persona-

ralis, adeoùt suffragetur ei soli, cuius intuitu facta est, ad cuius fauorem faciat numerum, & partem; Vel potiùs sit realis, itaùt eo habito pro non extante, suffragetur omnibus.

Et an renunciatio facta per ingredientem Religionem, capiat successiones obuentas post professionem.

Disc. VIII.
Auximana dotium.

De eadem materia renunciationis factæ per sorores vni, vel pluribus fratribus, an sit realis, vel personalis, siue translatiua, vel extinctiua, ad eumdem effectum, an scilicèt prodesse debeat solùm personis contemplatis, quibus facta est, vel potiùs omnibus coæquale ius habentibus; Et incidenter, an, & quando renunciatarius, seu refutatarius fideicommissi, vel alterius iuris sibi de futuro debiti, renunciantem in eius auctorem agnoscere dicatur, vt ad sibi incumbentia onera teneri debeat.

Disc. IX.
Viterbien. hæreditatis.

Renunciatio facta bonis paternis & maternis, an capiat successionem fraternam, in bonis, quæ ad fratrem defunctum obuenerunt à patre, & matre; Et de quibus bonis talis renunciatio intelligenda sit.

Disc. X.
Arianen. successionis.

De renunciatione facta per virum ingredientem Religionem, an illum excludat à successione parentum, vel aliorum, quorum fauore renunciatio facta est.

Disc. XI.
Sabinen. bonorum.

An renunciatio facta per ingredientem Monasterium, obstet intestatæ successioni eius, qui sit hæres renunciatarij, adeoùt quæstio non sit de immediata successione renunciatarij, sed de mediata.

Et an renunciatio facta per nouitium, subiaceat formæ præscriptæ per Concilium Tridentinum, vbi ea sit correspectiua, & ex causa onerosa.

Disc. XII.
Bononien. de Lucatellis.

An renunciatio facta patri binubo, capiat necessariam successionem renunciantis debitam in bonis eius matris, in exclusionem filiorum secundi matrimonij, Vel potiùs ista species successionis, remaneat extrà renunciationem.

Disc. XIII.
Romana donationis, vel hæreditatis.

De renunciatione, quæ per puellam in seculo nubentem, occasione donationis facta sit parentum, ac aliorum successionibus, quarum mentio habita sit, an dici possit inualida, vtpotè facta sine consensu eorum, de quorum successione agitur; Et an, & quando huiusmodi renunciationes exigant solemnitates statutarias, quarum defectus illis obstet, necnè.

Disc. XIV.
Fauentina, seu Rauennaten. renunciationis.

De materia læsionis, quæ cadat in renunciationibus, quæ per puellas occasione nuptiarum, ac dotis fiant, an, & quando intret, ipsamque renunciationem inficiat, necnè.

Et incidenter, an renunciatio, quæ inualida prætenditur, impediat, necnè actiones, vel remedia, quæ renuncianti aliàs competerent, si renunnciatio facta non esset.

Disc. XV.
S. Seuerinæ supplementi legitimæ.

An, & quando renunciatio facta per matrem prædefunctam, obstet filijs ex propria persona venientibus.

Disc. XVI.
Romana, seu Ianuen. renunciationis.

An, & quando valeat, & obligatoria sit renunciatio futuris successionibus viuentium, seu pactum de non succedendo ad materiam text. *in l. fin. Cod. de pact. & in l. pactum quod dotali C. de pact. conuent.*

Disc.

Disc. XVII.

Romana renunciationis, seu bonorum.

An, & quando renunciatio facta occasione ingressus in Religionem, vel Monasterium, resoluatur, seu aliàs cesset per mutationem status renunciantis, quia nempè ad sæculum redeat, siue ad Episcopatum, vel ad aliam dignitatem assumatur, aut ad aliam Religionem, vel Monasterium transeat.

Disc. XVIII.

Interamnen. renunciationis.

An renunciatio facta patri dotanti per filias occasione nuptiarum carnalium, istas excludat ab ipsius patris renunciatarij intestata successione, ob eius fratres, vel agnatos, qui ex Statuto patriæ fœminas excluderent, si agatur de bonis existentibus extrà territorium statuentis, in diuerso loco, in quo mors defuncti contingat, ac successio aperiatur.

SVMMA
SIVE COMPENDIVM

Eorum, quæ in Foro magis practicabilia continentur in hoc Libro XI. Par. III. de Renunciationibus.

INDEX CAVSARVM

Hoc titulo de Renunciationibus ordine alphabetico per Diœceſes diſpoſitus.

A

ARianen. ſucceſſionis, diſc. 10. fol. 38.
Auximana dotium, diſc. 8. fol. 33.

B

BOnonien. de Lucatellis, diſcurſ. 12. fol. 44.
Eadem ſucceſſionis de Fabrettis, diſcurſ. 1. fol. 1.
Eadem ſucceſſionis, ſeu fideicommiſſi, diſc. 7. fol. 31.

F

FAuentina, ſeu Rauennaten. renunciationis, diſc. 14. fol. 51.

I

INteramnen. renunciationis, diſcur. 18. fol. 68.

M

MArſicana ſucceſſionis, diſcurſ. 3. fol. 11.

R

ROmana donationis, vel hæreditatis, diſc. 13. fol. 47.
Eadem fideicommiſſi, diſcurſ. 6. fol. 24.
Eadem fideicommiſſi de Steccatis, diſcurſ. 4. fol. 16.
Eadem hæreditatis de Lanuuijs, diſc. 2. fol. 8.
Eadem renunciationis, ſeu bonorum, diſc. 17. fol. 62.
Seu Ianuen. renunciationis, diſc. 16. fol. 56.
Seu Vrbeuetana ſucceſſionis, diſc. 5. fol. 20.

S

SAbinen. bonorum, diſc. 11. fol. 41.
S. Seuerinæ ſupplementi legitimæ, diſcurſ. 15. fol. 53.

V

VIterbien. hæreditatis, diſcurſ. 9. fol. 35.

DE RENVNCIATIONIBVS DISCVRSVS PRIMVS.

BONONIEN. SVCCESSIONIS DE FABRETTIS INTER ALIQVA MONASTERIA MONIALIVM.

Responsum pro veritate.

An renunciatio facta per filiam paternæ successioni occasione ingressus in Monasterium, eam ab intestata patris renunciatarij successione excludat, ob existentiam aliarum filiarum æquè monialium, quæ non renunciauerunt.

Et an huiusmodi renunciationes factæ per ingressas, vel ingressuras Monasterium, subiaceant solemnitatibus statutarijs.

Et de aliquibus generalibus prænotationibus ad hanc renunciationis materiam.

SVMMARIVM.

1 *Quod materia renunciationum sit frequens & inuoluta, & quare.*
2 *Quare congruat repetere casus cadentes sub eisdem articulis.*
3 *Distinctiones, ac termini sunt notorij, sed punctus est in applicatione.*
4 *Quot species quæstionum cadant in materia.*
5 *De renunciatione extinctiua, seù abstentiua, & qualis sit.*
6 *De translatiua.*
7 *Quomodo dignoscatur, an sit extinctiua, vel translatiua.*
8 *De renunciatione reali.*
9 *De personali.*
10 *Quando vna, vel altera species dignoscatur, & de distinctione inter eam, quæ fit occasione matrimonij carnalis, vel spiritualis.*
11 *Quando hæc distinctio procedat, & quomodo intelligenda sit.*
12 *Facti series, seù casus particularis quæstionis.*
13 *An renunciationes, quæ fiant per ingressuros in Religionem in statu sæculari subiaceant solemnitatibus Statutorum laicalium.*
14 *cum tribus sequentibus, De eodem &c., vt non requirantur.*
18 *De ratione, ob quam dictæ solemnitates non requirantur.*
19 *Quando ea, quæ sunt onerosa, & prohibita censeantur fauorabilia, & permissa.*
20 *& duobus sequentibus, De distinctione, cum qua intelligenda sit vtraque opinio in quæstione, de qua nu. 14. & seqq.*
23 *An & quando renunciatio excludat monialem renunciantem, vel Monasterium à successione renunciatarij.*
24 *Ad quos effectus renunciationes procurari solent à puellis &c.*
25 *Quomodo voluntas renunciantis, & renunciatarij regulari debeat.*
26 *De applicatione ad casum specialem controuersiæ.*
27 *Vbi omnes fœminæ sint moniales, quarum vna renunciauit, & altera non.*
28 *Quid de concursu æquali fœminarum quarũ aliquæ sint nuptæ, & aliæ non.*

29 *Quod non debeant attendi formalitates verborum.*
30 *De errore procedendi cum generalitatibus non bene applicando ad casum.*

DISC. I.

1 SVccessionum, aliorumque iurium, ac bonorum renunciationes, quæ parentibus, vel fratribus (pro Italiæ præsertim communi vsu), occasione matrimonij carnalis, per puellas; Alterius verò spiritualis, per illos vtriusque sexus, fieri solent; Nimiùm frequentes in foro producunt quæstiones, antiquioribus penè ignotas, apud modernos autem nimiũ inuolutas, extensiuè quidẽ, ob earum frequentiam, magnam habentes latitudinem, intensiuè autem, intrà breues iuris cancellos restrictas, adeoùt, quoad ea, quæ iuris sunt, vnicus, ac breuis discursus, vniuersam materiam comprehendere sit aptus, cum nulla desuper dignoscatur legum antinomya, seù articulorum perplexitas; Latitudo autẽ, adinstar præsertim fideicommissariæ materiæ, ex eo prouenire videtur, quod facti, ac voluntatis potiùs quæstiones esse dignoscantur, ideoque certam generalem, seù vniformem regulam, cuicumque casui applicabilem, recipere non sunt aptæ, cum pro singulorum casuum peculiari qualitate, ac circumstantijs, varia decisio resultet.

Hinc proindè, vt in præmissa fideicommissaria, alijsque similibus materijs ambiguæ voluntatis aduertitur; Citrà 2 superfluæ repetitionis notam, plures casus, vel quæstiones, licèt sub eisdem terminis, vel conclusionibus cadentes, adnotare congruum est, vt ità ex dissimili eorũ, (quamuis prima fronte similium) determinatione, edoceamur, quomodo huiusmodi quæstiones decidendæ veniant, cum verè erroneum sit, idque tot æquiuoca producat, cum solis generalitatibus in hac materia procedere.

Apud omnes etenim, ex concordi sensu, recepta est generica propositio, super qua, vtpotè notoria, & indubitata, nau- 3 seatiuum quidem, ac irrisione dignum est magnam allegationum congeriem facere, ità cum improbo, ineptoq; labore, chartas inaniter replendo, vt scilicèt renunciantibus iura sua, non detur amplius regressus.

Punctus autem est in applicatione, ob eiusdem regulæ limitationes, quæ quatuor habent vias, ex quibus manant, atq; 4 fori quotidianas quæstiones producunt; Vnam scilicèt inualiditatis actus, ob aliquas non adhibitas solemnitates, cum tùnc renuncians pro non renunciante habeatur; Alteram comprehensionis, an scilicèt capiat successiones, vel iura, de quibus quæstio sit; Tertiam resolutionis, seù cessationis, ob causæ, vel præsuppositi cessationem, siuè ob status rerum immutationem; Et quartam demùm (positis validitate, comprehensione, & non resolutione), super actus rescissione, ex læsionis vitio.

Pro istis autem, vel earum alicuius limitationibus regulandis, totiusque materiæ tractatione; Duos habemus terminos generales, super ipsius renunciationis natura, seù qualitate, ex qua decisio quæstionis pendere videtur; Alia siquidem 5 est renunciatio, quæ extinctiua, seu abstentiua, vel abdicatiua dicitur, per quam ille, qui renunciat, nihil det, vel in renunciatarium transferat, sed solùm de medio se tollat, atque negatiuè se habeat, ità se faciendo, vel habendo mortuum, atque in rerum natura non extantem, vt alijs æqualibus, vel remotioribus locum aperiat; Siue vt ijs, qui aliàs cum eo aliquam obligationem, vel seruitutem habeant, disponendi libertatem tribuat, perindè, ac si non existeret.

Alia verò translatiua dicitur, quæ in ipso renunciante, iurium, vel bonorum præuiam saltim instantaneam, ac intellectualem præsupponit acquisitionem, 6 eademq; iura, vel bona renunciata, tanquàm propria, per implicitæ donationis speciem, in renunciatarium transfert, qui non iure suo per obstaculi remotionem, vt in præcedenti specie, illa obtinere dicitur, sed ex iure, vel persona ipsius renunciantis, in quo ipsum ius renunciatum substantiari, seù radicari dicitur, eius tamen vtilitas, vel effectus, renunciatarij commodo cedit.

Ad vnam verò, vel alteram speciem distinguendam, certant Iuristæ, aliquas desuper tradendo regulas pro huiusmodi natura, seù qualitate metienda, præsertim

tim verò in verborum formulis persistendo, & an bona, vel iura renunciata, in dativo, vel in accusativo posita sint, vt præsertim cæteris relatis aduertitur *per Rotam apud Bichium decis. 631.* cum similibus ponderationibus, seu veriùs frigiditatibus. Huiusmodi siquidem, vel similes verborum formulæ, aliqua quidem ponderatione dignæ videntur, ad vnum ex argumentis; seù adminiculis inducendum, quod alia confoueat, non autem, vt certam, ac determinatam regulam inducere id aptum sit, quasi quod, eò ipso, quod verba, vnam, vel alteram habeant formam, pro constanti (aliud non inquirendo) vna, vel altera renunciationis qualitas, vel natura statui debeat, cum frequentius, ex Notariorum potiùs loquendi stylo, verborum formulæ manent, quam ex voluntate ipsorum renunciantium, dum frequentiùs inexperti adolescentis, vel puellæ sunt, adeoùt, vere irridenda leguleica ineptia videatur, in sola verborum formalitate, principalem vim constituere, cum facti circumstantiæ, iuxtà consuetam coniecturalium naturam, seù regulam, vnitim ponderandæ sint, inter quas verisimile, seù inuerisimile potissimùm sortiri debet locum, ex regionis moribus, ac personarum qualitate arguendo.

7 Altera diuersæ qualitatis, vel naturæ distinctio est, inter eam renunciationem, quæ realis dicitur, ac eam, quæ sit personalis; *Realis* etenim ea est, per
8 quam renuncians non vnius, vel alterius personæ affectione moueatur, vel particularem habeat respectum; Sed generaliter, ac indeterminatè se mortuum faciat, atque à successionibus, vel iuribus renunciatis, extraneum, ac omninò alienum, non curando, an ad vnius, vel alterius personæ commodum renunciationis effectus cedat.

Personalis autem ea est, quæ vnius, vel plurium personarum intuitum, vel fauorem concernat, ad hoc, vt actus, vel
9 effectus renunciationis, earum tantùm, non autem aliorum commodo cedat, siuè per viam extinctiuæ, siuè per alteram translatiuæ renunciationis actus sequatur; Atque ab his distinctionibus, vel terminis, in omnibus controuersijs, seù discursibus repetendis, vel supponendis, tota materia pendet.

Ad huiusmodi autem realis, vel personalis, diuersas species distinguendas, pariter, ac magis se inuoluunt Scribentes, potissimùm verò ipsius renunciatio-
10 nis causam ponderando, an scilicet spiritualis, vel carnalis matrimonij, vel status occasione fiat, quasi quod renunciationes, quæ per puellas carnaliter nubentes fiant, personales censendæ sint; Reales autem illæ, quæ per vtriusque sexus personas, occasione professionis in Religione, vel assumptionis vitæ spiritualis fiant, vt hoc secundo casu amor Dei, ac vitæ spiritualis, præcipuum sit renunciandi motiuum, vt renuncians temporalibus omnibus abdicatis, promptiùs, ac expeditiùs Deo famulari, atque spiritualibus incumbere valeat, iuxtà distinctionem, super qua multa cumulat elaboratus *additionator ad decis. 523. par. 4. rec. tom. 3.* & pluries habetur *hoc titulo*, atque in pluries ibidem recensitis decisionibus, cū ea hodie volitet etiã per ora illorum, qui nullam facientes librorum aperturam, per traditiones more psytacorum sciunt totum id, quod dicunt.

Verùm erroneum pariter est, atque pragmaticorum consueta leguleica ineptia, in hac distinctione, certam vim constituere; Siuè ex ea certam, ac ge-
11 neralem desumere regulam; Vnius etenim, vel alterius vitæ, seù status qualitas, argumentum quidem est, cum alijs coniungendum, pro vna, vel altera renunciationis qualitate, vel specie metienda, non autem, vt certam inducat probationem, seù certam statuat regulam, cum tanquam quæstio voluntatis (ex ipsius substantia metienda), verè determinationem recipiat, pro singulorum casuum qualitate, & circumstantijs.

His igitur, pro omnium controuersiarum, seù discursuum generali norma prænotatis; Quatenùs ad hanc facti speciem pertinet; Cum ab intestato obijsset
12 Franciscus Maria Fabrettus, tribus superstitibus filiabus, quæ omnes vitam spiritualem eligentes, in diuersis Monasterijs professionem iam emiserant, quarum duæ amplam renunciationem (iuxtà illius Ciuitatis pingue formularium) patri, eiusque hæredibus fecerant; Altera verò non; Hinc propterea orta est controuersia, an renunciationes obstarent filiabus, quæ eas fecerant, seù Mo-

naſterijs ex earum perſonis venientibus, adeoùt inteſtata ſucceſſio, ſoli filiæ, quæ non renunciauerat, vel eius Monaſterio, debita eſſet; Seù potiùs omnibus æqualiter deberetur; Deſuper autem, meo pro veritate voto expetito, in notulis pro ſtylo tranſmiſſis, duo continebantur puncti; Primò ſcilicèt ſuper dictarum renunciationum inualiditate ob non ſeruatas illius Statuti Bononiæ ſolemnitates; Et ſecundò, quatenùs eſſent validæ, ſuper earum operatione.

Ad primum; Cum huiuſmodi renunciationes factæ eſſent per puellas in ſtatu merè ſæculari, priuſquam habitum monaſticum ſuſciperent; Hinc proindè
13 motiuabatur per Sapientes de partibus, quod ità remanerent Statuto ſubiectæ, ideoquè ob non ſeruatas ſolemnitates ab eo præſcriptas, renunciationes remanerent inualidæ, ob decretum annullatiuum eiuſdem Statuti, vt in ſpecie alijs relatis habetur *apud Grat. diſcept. 195. per tot. & Rotam apud Duran. deciſ. 121. num. 41. repetit. p.ar. 5. rec. dec. 125. & apud Dunozet. deciſ. 641.* vbi concordantes.

Verùm reſpondi, quod iſtud motiuum, parùm tutum videbatur, quoniam huiuſmodi renunciationes, vel diſpoſitiones,
14 quamuis in ſtatu laicali factæ, quoties id ſequutum ſit in limine ingreſſus in Religionem, eiuſquè ingreſſu, non ſubiacent ſolemnitatibus, vt firmatur *apud Buratt. deciſ. 461. num. 10. cum ſeqq.*, atquè recedendo à firmatis *apud Dunozett. dicta deciſ. 641.*, verùs eſſe ſtatuitur *coram eodem deciſ. 676.*; Iſtamquè poſteriorem opinionem Rota poſtmodùm ſequuta eſt pluries, præſertim *apud Otthob. deciſ. 10. num. 48. apud eumdem Dunozett. deciſ. 951. & 954. deciſ. 161. num. 8. & ſeqq. par. 10 rec.* & aduertitur *ſub tit. de donat. diſc. 15. & ſub tit. de Regular. diſc. 58.*

Et quãuis, vt *eod. diſc. 15. de donat. & d. 58. de Regular.* inſinuatur, id parũ probabile mihi videatur, quoniã ex magis recepta opinione, de qua ibi, in renũciatio-
15 nibus, alijſquè diſpoſitionibus, quæ per huiuſmodi ingreſſuros fiunt, antè ſuſceptionem habitus, & priuſquam nouitiorum ſtatum aſſumant, non requiruntur ſolemnitates præſcriptæ *per Sac. Concil. Trident. ſeſſ 25. de regul. cap. 16.* iuxtà deciſiones, & auctoritates ibidem allegatas, quaſi quod illæ ſolùm præſcriptæ ſint, ad occurrendum inconuenientibus, nè ipſimet Religioſi, habentes nouitium in eorum manibus, ac poteſtate, curando eum ità ad fauorem Religionis, vel aliorum, bonis ſpoliari, illum quamuis inuitum, vtpotè bonis temporalibus deſtitutum, cogant ad profitendum, vndè propterea reſultet inconueniens, quod ità inexpertus adoleſcens, ſeductionibus de facili ſubiectus, imprudentes diſpoſitiones facere poſſet, vtraquè ſolemnitatum via, ſeù beneficio ceſſante.

Attamen id non reputatur conſiderabile, ex ea potiſſimùm ratione, quod huiuſmodi diſpoſitiones, naturam habent donationum cauſa mortis, ſiuè vltima-
16 rum voluntatum, dùm non ſequuta profeſſione in Religione, reſoluuntur, ideoq; non afferunt renuncianti illud præiudicium irretractabile, cuius ratione ſolemnitates deſiderari ſolent, vt aduertitur *apud Buratt. dicta deciſ. 461.*

Intrat enim dilemma, quod *Aut* renũcians profeſſionem emittit, & tunc tanquam iam mortuus Mundo, temporalia curare non debet, cum eorum incapax ità efficiatur, ideoquè nil eius intereſt, an magis ad vnum, quàm ad alterum bona, quæ iam reliquit, pertineant; Aut non profitetur, et tunc, cum actus reſoluatur tanquàm ex ceſſante præſuppoſito, (vt alibi etiam hoc titulo aduertitur), idcircò nullum exindè reſultat præiudicium; Adeò vt, quemadmodum in teſtamentis, alijſquè vltimis voluntatibus, quę
17 per ingreſſuros fiunt, huiuſmodi ſolemnitates non deſiderantur, ita in præſenti contingat; Ideoquè probabilis ratio dubitandi ſolùm cadat, vbi renunciatio, vel altera diſpoſitio, ità concipiatur, quod etiam non ſequuta profeſſione, ipſoquè diſponente ad ſæculum regrediente, actus remaneat firmus, ac irretractabilis.

Iſtaquè videtur magis congrua ratio, quàm altera deducta ex §. *illud Auth. de*
18 *Monach. & cap. de his de Sepultur.*, cum qua plures procedunt relati *Sanchez ad præcept. Decal. lib. 7. cap. 6. nu. 19. & 20. Barboſ. in collect. ad Concil. dicta ſeſſ. 25. de regular. cap. 6. num. 35.*, & in ſupra allegatis deciſionibus, quod ſcilicèt habentibus hoc pium propoſitum, libertas diſponendi concedenda ſit, ideoquè temporalium legum vinculis detenti eſſe nõ

de-

debeant, quoniam reuera huiusmodi statutariæ prouisiones, quæ fiunt ad consulendum ætati, vel sexus imbecillitati, non continent onus, & ligamen, sed potiùs fauorem, ac beneficium eorumdem, vt ipsorum indemnitati consultum remaneat.

Ad instar eorum, quæ insinuantur *subtit. de testam. disc.* 8. in proposito *Sen. cons. Liboniani*, vt non importet testatoris li-
19 gamen, sed fauorem; Ac etiam circa prohibitiones, quæ fiant super legitima filiorum, quæ onera, & conditiones non recipit, vbi in eorumdem filiorum fauorem, ac prouisionem tendant circa prohibitionem, ne patri quæratur vsufructus, vel circa administrationem, seù aliam dispositionem; Ideoquè non videtur congrua ratio ex defectu eius applicationis.

Et nihilominùs, pluries de hac materia agendo, dicere consueui (quamuis deficientibus decisionibus, vel doctrinis ad
20 huiusmodi distinctionem descendentibus, ista reputaretur vnũ ex meis ratiocinijs), vt scilicèt vtraquè opinio in hoc proposito rectè conciliabilis videatur, inspiciendo qualitatem renunciationis; Si etenim ea benè ordinata sit fauore parentum, vel fratrum, seù aliorum, erga quos benè ordinata ratio, ità exigat, puta quia sint dotantes, seù aliàs benefactores &c.; Et tunc rectè posterior opinio recipienda veniat, cum tali casu etiam in renunciationibus, quæ fiunt per puellas carnaliter nubentes occasione dotis, quæ eis constituitur, probabiliùs huiusmodi solemnitates desiderandæ, non veniant, vt aduertitur infrà *disc.* 6.; Secùs autem, vbi facti circumstantiæ suadeant actus improbabilitatem, ac fraudis, vel seductionis probabilem suspicionem.

Potissimè verò vbi agatur de ingressuro Religionem capacem in communi, cũ
21 tunc nimium eiusdem renunciantis interesse soleat, renunciationem factam nõ esse, vel factam non subsistineri, ideoque bona deferri ad Religionem, vel Monasterium, Tùm ob quandam ferè communem Religionum, ac Monasteriorum consuetudinem, ab Ecclesia toleratam, vt ipsimet priores domini, in toto, vel in parte, suorum bonorum, seù eorum fructuum administrationem, ac dispositionem habeant; Tùm etiam ob casus, qui contingere possunt transitus ad Episcopatum, vel ad alium statũ, siuè de vna Religione ad alteram, adeoùt infinitum penè numerum agnouerim huiusmodi Religiosorum, qui faciendo renunciationem in adolescentia, quando id, quod agant forsan ignorant, præsertim circa temporalia, maiorem renunciationis, quàm professionis habuerint pœnitentiam; Ac etiam quia ità intrare videtur præmissa ratio, ob quam Concilium Tridentinum solemnitates præscripsit, quoniam ità, in ea tenera ætate seducti adolescentes, ab ijs, qui eorum bona captare studeant, induci solent ad ingrediendum Religiones, quamuis verum spiritum vocationis non habeant.

Ideoquè pro facti qualitate ista quæstio pro meo iudicio decidenda videtur, amplectendo vnam, vel alteram opinio-
22 nem, prout facti qualitas, seù renunciationis bonus ordo, ex prudenti arbitrio suadebit, non autem iudaico more cum generalitatibus in omni casu procedendo.

Quoueró ad alterum punctum principalem, circa validæ renunciationis ope-
23 rationem; Cum ad fauorem renunciantium, vel Monasteriorum ex earum persona venientium, ponderarentur ea, quæ cæteris relatis habentur firmata in puncto monialis, per Rotam *apud Dunozett. decis.* 346. *repetit. decis.* 543 *par.* 5. *rec.*, & post *Tamburin. de iur. Abb. decis.* 6., sæpius in alijs recepta, præsertim apud eũdem *Dunozett. dicta decis.* 641. *repetit. apud Marin. resol.* 190. *lib.* 2., qui Monasterij quoque iura tuetur.

E' conuersò autem, contra monialem renunciantem, vel eius Monasterium põderarentur firmata *apud eumdem Dunozett. decis.* 676., vbi in hac parte recedit à *dicta decis.* 641., ac etiam *coram Bichio decis.* 631., *& in Romana hæreditatis de Lanuuijs coram Taia in casu*, de quo infrà *disc. seq.* & in alijs.

Hinc proindè, vt eam, quæ dari potest, dictarum contrariantium decisionũ, aliarumquè auctoritatum conciliationẽ præberem, illaquè tollerem æquiuoca (si possibile est) cum quibus frequenter procedi sum expertus; Aduertebam (vt initio præmissum est) quod verè ista, non iuris, sed voluntatis, ac nudi facti est quæstio, ideoquè erroneum est, cum gene-

nera-

neralitatibus procedere, atquè decisiones in aliquibus casibus editas, cuicumquè applicare, cum ex casuum distinctione, eorumquè particulari qualitate, ac circumstantijs, varia decisio, pro eorum varietate pendeat.

Ad duplicem etenim effectum, huiusmodi renunciationes procurari, ac reportari solent; Primò nempè, ac principaliter, ad effectum obtinendi libertatem disponendi de bonis suis, etiam cum 24 extraneis, ità scilicèt tollendo obstaculũ necessariæ successionis ratione legitimæ, vel fideicõmissi, vel crediti dotium maternarum, aut ex dispositione *text. in l. fœminæ Cod. de 2. nupt.*, cum similibus, vt aduertunt, alijs relatis, *Apont. consil. 39 & 40. lib. 1. Cappc. Latr. decis. 3. num. 26. & seqq. Rot. apud Gregor. decis. 85. apud Dunozett. dicta decis. 346.* aliàs *543. par. 5. rec. apud Otthob. dicta decis. 10.* cum alijs *per Add. ad decis. 523. par. 4. rec. tom. 3.* & sæpius.

Ideoquè, vbi ipsius renunciatarij dispositio, de eius bonis inter viuos, vel per vltimam voluntatem accedat, cessant cõprehensionis quæstiones, & an ipsius renunciatarij hæreditas, vel successio sub renunciatione cadat, vt apud allegatos; Solumq; isto casu intrat inspectio nullitatis actus, ob non seruatas solemnitates, vel altera rescissionis ex capite læsionis.

Secundò autem in casu non factæ dispositionis, ac mortis ab intestato, procurari solent, ad effectum, vt ità, sublato renunciantis obstaculo, pinguior, ac integra fit successio aliorum filiorum, vel eorum, quos potiùs pater, vel qui renunciationem reportauit, eius voluit intestatos successores, quam renunciantem.

In huius autem voluntatis regulatione, ferè omnes huius materiæ quæstiones esse solent, atquè in ea, vt præmissum est, se inuoluunt Scribentes, qui merè pragmaticũ stylum sequendo, in generalitatibus, vel in decisionibus, ac doctrinis malè ad litteram immorantur, cum reuerà totum pendeat à distinctione casuum, siue 25 ab istorum circumstantijs verisimilem renunciantis, ac renunciatarij, præsertim istius voluntatem suadentibus, & àn immutato statu rerum, verisimiliter voluntas esset, vt renunciatio resolui, vel effectum sortiri non deberet, siue quod cogitato casu, ea facta nõ esset, iuxtà diuersas casuum species, de quibus in alijs cõtrouersijs *hoc eodem tit.*, ex quorum combinatione, ad veritatis notitiam, seù decisionis regulationem deueniri potest.

Applicando autem ad rem; In hac facti specie, agebatur de renunciationibus per filias patri dotanti factis de tẽ-
26 pore, quo filium masculum habebat, cuius intuitu, pro communi præsertim Italiæ vsu, nimiùm verisimile est, quod pater, filias ità prouidendo, de earum renunciatione sollicitus fuerit, vt ità, sublatis omnibus quæstionibus, quæ super statutorum intelligentia cadere solent, filius masculus familiam propagaturus, atquè paternam domum conseruaturus, integrum assem paternum, & maternum, aliorumquè maiorum obtineret, et consequenter potiùs ex voluntate renunciatarij, quàm ipsarum renunciantiũ, quæ inexpertæ puellæ ad hæc non solent cogitare, nec reflectere, an renunciationes essent personales potiùs, quàm reales, ideft factæ intuitu personæ fratris, eiusq; filiorum, vel eiusdẽ patris, quatenus frater quoquè deficeret, pro dicta disponẽdi libertate, quatenùs ista ad exercitium deducatur.

Vtraquè autem circumstantia cessante, ob fratris prædecessum, patri absque prole, atquè ob eiusdem patris obitum, ab intestato, superstitibus vna, vel pluribus filiabus, vel neptibus, & sic personis eiusdem sexus, vndè propterea non vrgeat ea ratio, quæ pro communi vsu, fauore sexus, ac agnationis vrgere solet, quoties altera non vrgeat personalis demerentia, tunc nulla subest congrua ratio, cur pater, vnas voluerit esse filias, & alias, (vt vulgò dicitur) priuignas, vt in his terminis patris renunciatarij ab intestato decedentis, pluribus relictis filiabus, quarum aliquæ renunciauerant, aliæ verò non, agunt *Bald. cons. 437. lib. 1. Crauett. cons. 42. Gall. cons. 64. n. 8. & 9.*, & alij, de quibus *apud Marin. dicta resol. 89. num. 20.*

Clarius verò, ac extrà controuersiam, vbi earumdem filiarum eadem sit conditio, dum omnes erant moniales professæ,
27 ex quarum persona æqualiter earum Monasterijs successio deferebatur, ideoquè non intrabat, illa diuersa ratio, quæ etiam inter filias, vel ex eadem ratione

inter

inter sorores, aliasquè decedentis renunciatarij coniunctos cum eadem proportione cadere solet, vbi earum dispar sit conditio, vel status, quia nempè aliquæ sint moniales iam professæ, aliæ verò nuptæ in sæculo, filios habentes, vel probabiliter sperantes; Siquidem cum spectato effectu, non ipsa filia, vel soror monialis succedat, sed monasterium, quod est extraneum; E conuersò autem ipsæ filiæ, vel sorores nuptæ, earumquè sperati filij, & descendentes successionem habeant, vndè propterea commodum saltem pro nostra spe, vel credulitate, futurum est proprij sanguinis, hinc proindè intrat ex verisimili voluntate, personarū discretio.

Eademquè intrat, vbi aliquæ ex filiabus, vel alijs fœminis essent iam nuptæ, & congruè dotatæ, aliæ verò adhuc in-
28 nuptæ, quoniam vbi etiam rerum status varietur, quia nempè posteà decedant masculi de tempore renunciationis existentes, adhùc tamen cessare non dicitur voluntas renunciatarij, vt resoluatur renunciatio, ex probabili motiuo, ità faciendi magis qualificata, & conspicua matrimonia illarum puellarum, quæ adhùc supersunt innuptæ iuxtà ponderationes, de quibus *sub tit. de feud. diff.* 14. in proposito legum vigentium in vtriusquè Siciliæ Regnis, super fœmina innupta, seù in capillo secundogenita in feudorum successione præferenda filiæ primogenitæ nuptæ, & dotatæ, cum ibi contentis declarationibus, atquè docet quotidiana praxis.

Atquè exindè desumebam rationem, ob quam iste pater de duarum filiarum primò in Monasterium ingressarum renunciatione sollicitus fuerit, non autem de illa vltimæ, quoniam defecto masculo, cuius intuitu has diligentias prudenter pro nostris moribus adhibebat, id neglexit, verisimiliter pro neglectis habendo etiam aliarum filiarum renunciationes.

Hinc propterea dicebam in hoc Responso, ac frequenter in alijs dicere consueui, quod pro meo sensu, contempti-
29 biles videntur ponderationes fieri solitæ ob formulas verborum, vel clausularum; Siue an renunciatio concepta sit etiam pro hæredibus extraneis; Vel an adsit, necnè verbum generale *quibuscumque*; Siuè an adsit verbum denotans realitatem, cum similibus ineptijs, ac frigiditatibus; Quoniam, vt aduertitur in pluribus discursibus sequentibus præsertim duobus proximis, satis notum est, quod istæ verborum formulæ non sunt Partium, sed Notariorum eas transcribentium ex formularijs, siuè (vt sæpiùs, tàm in Notarijs, quàm in ipsismet Aduocatis minutarum Consultoribus expertus sum) prò stylo transcribendi formulas, & cautelas adhibitas in renunciationibus factis per filias Principum, & Magnatum, habentium filios, vel agnatos, atquè pro facti qualitate principaliter reflectentium ad faciendum eam fœminam, etiam ex politicis, seù aliàs prudentialibus motiuis, tàm actu, quàm habitu omninò extraneam à successione; Atquè in hoc
30 consistit nostra simplicitas, ob quam reddimur apud aliarum scientiarum professores, contemptibiles, quod scilicèt, non distinguimus casum à casu, magnificando aliquam specialem doctrinam, non reflectendo ad diuersas circumstantias; Ideoquè in ista potissimum materia, principaliter, ac omninò præ oculis habenda est illa, quæ in omni alia, præsertim fideicōmissaria materia, adeò frequenter insinuata est propositio, vt non cortex, & formula verborum, sed substantia verisimilis voluntatis inquiri debeat prò facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs.

RO-

ROMANA

HAEREDITATIS

DE LANVVIIS

PRO

BERNARDO EVANGELISTA

CVM

MONASTERIO S. ANNÆ.

Casus decisus per Rotam pro Bernardo, postea concordatus.

De eadem materia renunciationis factæ per fœminas professentes in Monasterio, parentum, ac fratrum, aliorumquè successionibus; An eas ita extraneas faciat, vt eorumdem renunciatariorum intestata successio, alijs remotioribus collateralibus potiùs aperiatur.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones huius causæ.*
3 *Aliæ resolutiones in alia causa super eadem renunciatione,*
4 *Quod renunciatio esset realis, ac extinctiua, & quarè.*
5 *Illa quæ fit occasione Religionis est realis.*
6 *Quid operetur pactum de non petendo.*
7 *De difficultatibus aduersùs dictam realitatem.*
8 *Quod sit error concipere renunciationes puellarum latino sermone.*
9 *Quomodo istæ quæstiones decidi debeant, ac distingui species renunciationis.*
10 *Donatoris, vel renunciantis declarationi est deferendum, & quando.*
11 *De varietate resolutionum super hoc eodem puncto naturæ renunciationis factæ per Monialem.*

DISC. II.

CVM Placidia, & Scholastica de Lanuuijs per Patrem, (qui plures filios masculos habebat), cum consueta dote collocatæ essent in Monasterio Sãctæ Annæ, atquè pro communi vtu, ampliſſimam feciſſent renunciationem tàm parentum, quàm fratrum ſucceſſionibus, ad eorumdem, eorumquè hæredum, & ſucceſſorum quorumcumquè fauorem, cum amplis, ac effrænatis verbis, & clauſulis, quæ pro benè conſulto formulario in huiuſmodi renũciationibus adijci ſolent; Atq; defunctis alijs fratribus, omnia bona conſolidata eſſent in Hieronymo Prælato Vtriuſque Signaturæ Decano; Iſto imprudenter in decrepita ætate ab inteſtato defuncto, prætenſionem excitauit Bernardus quinto gradu ciuili per cognationem coniunctus, vt ſibi potiùs, quàm præfatis germanis ſororibus monialibus, quæ ob earum amplam renunciationẽ omninò extraneæ effectæ erant, hæc inteſtata ſucceſſio debita eſſet; Introductaquè cauſa coram A.C., Sententia ipſi Bernardo fauorabilis prodijt, in gradu appellationis approbata *per Rotã coram Taia*, cum bina reſolutione *ſub diebus* 21. *Iunij* 1661. & 23. *Iunij* 1662.; Cumquè aduersùs has reſolutiones noua audientia Monaſterio conceſſa fuiſſet, atquè ego pro Bernardo obtinente ſcribens, ad hùc difficultatẽ haberem; Hinc proindè, me conſulente, controuerſia finem habuit per concordiam, quæ attento præfatæ cauſæ ſtatu, nimium honeſta, potiuſquè Monaſterio vtilis fuit, ab eius etiam Aduocatis conſulta, atquè tunc per Rotam quoquè deſiderata.

Iſta igitur cauſa ità ſopita, conſimilem prætẽſionem excitauit alter eodem gradu coniunctus, atquè pro neutra parte me ſcribente, eo quia non poteramus ſcribere pro Monaſterio, minuſquè honeſtum cenſui ſcribere pro alia parte ob difficultates deſuper habitas, quas occaſione facilitandi concordiam in diſcurſu ad veritatem edito expiicaueram; In hac diuerſa cauſa, diuerſæ prodierunt reſolutiones *coram eodem Taia*, quoniam *ſub die* 20. *Aprilis* 1668. reſponſum fuit pro

Mo-

Monasterio, & *sub diebus* 27. *Februarij* 1665. & 11. *Martij* 1672. responsum fuit contrarium, atq; in hoc statu causa pendet.

Scribens igitur pro dicto remotiori cognato in exclusionem germanarum sororũ, more Aduocati deducebam firmata *per Rotam coram Dunozetto dec.* 676., & *coram Bichio decis.* 586. & 634., istæquè vltimæ decisiones in eadem causa *Ariminen. successionis*, approbatæ fuerunt *prima Aprilis* 1658. *coram Beuilaqua*; Quod scilicè cum renunciatio facta esset patri, & fratribus pro eorum hæredibus, & successoribus quibuscumquè, ità per istud generale, ac effrænatum verbum *quibuscumque* omnium complexiuum, etiam pro remotioribus coniunctis stipulatum censeretur, ideoquè renunciatio merè realis dicenda esset, quæ effecerit dictas fœminas omninò extraneas, seù mortuas, iuxtà firmata in supra allegatis decisionibus, præsertim *coram Bichio*, in quibus concordantes.

Clariùs verò, dum agebatur de renunciatione facta occasione ingressus in Monasterium, ac susceptionis vitæ spiritualis; Vndè propterea intrat præsumptio realitatis, quod scilicèt principale renunciantis motiuum fuerit amor Dei, & abdicatio à bonis temporalibus, vt expeditiùs Deo famulari valeat ex deductis *apud Otthobon. decis.* 10. *num.* 38. & latius *in Romana hæreditatis de Tuscanellis* 31. *Maij* 1649. *coram Meltio*, cuius mentio habetur infrà *in Romana fideicommissi de Steccatis disc.* 4. & in allegatis decisionibus *coram Bichio*.

Item quia, renunciatio concepta erat per pactum de non petendo, quod censeri facit renunciationem realem ex deductis *apud Montan. contr.* 10. *num.* 1. *Rouit. cons.* 42. *num.* 13. & 14. *lib.* 1. *Otthob. d. decis.* 10. *num.* 39. & 40. & plenè *in dicta Romana de Tuscanellis corã Meltio*, cum alijs in causæ decisionibus; Hisquè addebantur alia verba ampla ibi, *nullo vnquam tempore ex quauis causa, & occasione &c.* cum similibus.

Adhùc tamen (reflectendo ad veritatem) non modicam sentiebam difficultatem, stante meo sensu, in istis, vel similibus volontatis quæstionibus haberi solito, atquè *disc. præcedenti*, etiam insinuato, vt scilicèt verborum, & clausularum formulæ, vtpotè Notariorum, vel Consultorum magis, quàm ipsarum Partium, negligi debeant; Potissimè verò vbi, (iuxtà Vrbis, & Status Ecclesiastici, parùm laudabilem vsum), concipiantur instrumenta in lingua latina, super actibus puellarum, vel idiotarum personarũ, quæ nullatenus intelligunt huiusmodi formulas, vel clausulas, super quo plura colligit *Pignatell. consult. canon.* 12.; Ideoq; potiùs, ac omninò procedi debet inspecta subsistãtia verisimilis voluntatis, desumendæ ex rerum statu, ac fact. circumstantijs, eodem modo, quo in fideicommissis, alijsquè ambiguæ voluntatis quæstionibus, procedendum est.

Ista verò regula retenta, quodquè renunciatarij potiùs, de cuius successione agitur, quàm renunciantis verisimilis voluntas indagari debeat; Dicebã quod tunc huiusmodi verborum, & clausularũ operatio admittenda esset, quando aliqua verisimilitudo assisteret etiam fauore remotiorum transuersalium, puta (prò Italiæ præsertim moribus) fauore agnationis, & familiæ, in qua bona conseruarentur, excluso Monasterio, quod in effectu extraneum est; Siuè quod intrarent aliæ ponderationes, de quibus *disc. præcedenti*, vel iuxtà casum, de quo *in Romana testamenti, vel successionis* prò Cardinali Borromeo *sub tit. de testam. in supplemento* cum similibus, quæ prudenti homini suadeant, vt id verisimiliter volitũ esset.

Secùs autẽ, vbi turbato ordine legis, ac naturæ, atquè cessante dicto agnationis motiuo, resultaret effectus à partibus verisimiliter non cogitatus, nequè volitus, vt remotis cognatis penè ignotis, atque neglectis, sæpiusque parùm dignis, exclusis germanis sororibus, adeò probũ, benèquè ordinatum hæredem habentibus, successio aperiri deberet, cum id prorsus improbabile sit; Vt de me ipso dicere possem, quod ex magno sororũ numero tres, adhùc habens moniales professas, quæ occasione profitẽdi, amplã ad mei fauorẽ fecerunt renunciationem, vt in casu inteſtatæ mortis, mihi cordi esset potiùs successio remotorum agnatorum pro ea dilectione, quæ pro nostris moribus habetur erga familiam, & agnationem, vbi de illa adessent, non autem, vt in vim verborum, vel clausularum contentarum in instrumentis renunciationũ,

exclusis germanis sororibus, exosis, vel saltèm in nulla, vel modica respectiuè existimatione habitis agnatis successio deferretur.

Duplici præsertim in hac facti specie circumstantia accedente; Primò nempè, quod defunctus, donec vixit nimio amore sorores prosequebatur, aliquos autem ex huiusmodi cognatis fortè non cognoscebat, seù agnoscere nolebat.

Et secundò, quod vna ex dictis sororibus superstes, (ob alterius mortem, lite pendente, sequutam) valdè probata monialis in decrepita ætate constituta, cum iuramento quoque declarationem fecerat, quod earum voluntas fuisset, renunciandi intuitu fratrum, eorumquè descẽdentium; Ideoquè intrare videbatur cõ-
Ro clusio sæpiùs insinuata *sub tit. de donat.* & alibi, vt quoties aliqua probabilis dubietas cadere valeat, adeoùt dispositio non sit omninò clara, eaque declarationis, vel interpretationis capax sit, tunc ipsius donantis, vel renunciantis declarationi deferri debeat; Potissimùm auẽ, vbi ex probitate personæ, atq; ex cessatione notabilis interesse proximi, omnis excludatur affectationis suspicio, vt an præsenti rectè dici posse videbatur, cũ improbabile esset, quod probata monialis, quæ pro animæ salute, per sexaginta circiter annos vitã religiosam duxerat, iam decrepita, mortiquè proxima, cum animæ detrimento, absquè priuato interesse, hanc mendacem assertionem, per viam iuratæ, ac formalis declarationis, directæ ad alterius valdè notabile præiudicium, facere voluerit, ideoquè istæ nõ sunt quæstiones decidendæ cum verbis, sed cum facto, eiusquè circumstantijs, ac propterea non iuris scientia, sed iuris prudentia in earum determinatione adhibenda est.

Adhûc tamen, (quatenùs ad istã causam pertinet), relinquitur integer locus veritati, quoniam cum in vlteriori eius
Et progressu non scripserim, idcircò maturius iudicium efformare non potui, neq; intendo assumere illas iudicis partes, quę meæ non sunt; Benè verum, quod combinando istam causam, cum altera de qua infrà *dicto dist.* 4., atq; perpendendo decisiones in vtraquè respectiue proditas, non videtur quomodò benè comparantur, seù quomodo Aduocati, & Consulentes, veritatis iudicium congruè dare valeant, siuè litigantes de iustitia, vel iniustitia causarum monere.

MARSICANA

SVCCESSIONIS

PRO

OLYMPIA DE MACEROLIS

CVM

IACOBO, ET ALIIS PARITER DE MACEROLIS.

Casus decisus per Rotam pro Olympia.

De renunciatione facta per fœminam nubentem in sæculo ad fauorem fratris, cum expresione, vt ea realis esse debeat, an excludat renunciantem ab ipsius renunciatarij intestata successione; Qua occasione agitur de explicatione huiusmodi terminorum renunciationis realis, vel personalis, siuè translatiuæ, vel extinctiuæ.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Quod termini soleant confundi, ideoque sit distinguendum.*
4 *De quæstione, an renunciatio vni tantum, vel omnibus prosit, & an renuncians faciat numerum, & partem.*
5 *De altera quæstione inter renunciantem, ac eum, cuius fauore renuncians disposuit.*

6 *De quæstione in bonis renunciantis ad renunciantem obuentis, de cuius successione agatur.*
7 *Et altera in bonis, & successione renunciatarij, qui disposuerit.*
8 *De intestata successione renunciatarij.*
9 *Non censetur ista successio comprehensa in renunciatione.*
10 *De distinctione inter nubentem in seculo, vel in Monasterio.*
11 *De casu speciali controuersiæ.*
12 *De intelligentia verborum, vt renunciatio sit realis.*
13 *Attendi debent capitula potiùs quam instrumentum.*
14 *Clausulæ appositæ in executiuis non multum attendendæ.*
15 *De distinctione inter bona quæsita, & quærenda pro regulanda renunciatione.*
16 *Quomodo istæ quæstiones decidi debeant.*

DISC. III.

1 DEfuncto ab intestato Cõstantio de Macerolis, superstite Olympia germana sorore, carnaliter nupta, quæ occasione nuptiarum, in instrumento dotali, fratri dotanti amplissimam fecerat renunciationem, cum declaratione, vt ea realis, imò realissima semper esse, ac haberi deberet; Hinc Iacobus, Iulius, & Nicolaus dicti Constantij patrueles, prætensionem excitarunt, quod ipsis intestata successio debita esset, ac etiam altera fideicommissaria in bonis maiorũ; Introductaquè causa coram A.C., cum de facto in possessione bonorum se intrusissent, eorum fauore prodijt sententia; Deuoluta verò per appellationem
2 causa *coram Emerix sub die 4. Februarij* 1665., ad Olympiæ fororis fauorem prodijt resolutio, nequè vlteriorem progressum hucusquè causa habuit, vel quia concordata sit, vel ex alio ignoto accidenti.

Duo autem erant controuersiæ puncti; Primò scilicèt super paterno fideicommisso, & de hoc habetur actum in sua materia *sub tit. de fideicommiss. disc.* 46.; Et secundò super intestata successione fratris, super qua stante dicta amplitudine verborum, præsertim quod renunciatio perpetuò realis, ac realissima esse deberet; Scribentes pro agnatis remotioribus, ità dicebant, quod stante renunciationis realitate, dicta mulier habenda esset pro mortua, atquè in rerũ natura non existente, ideoquè ipsis, ità per obstaculi remotionem proximioribus effectis, successio debita esset; Cumquè terminos realitatis, & personalitatis, cum alijs extinctiuæ, vel translatiuæ renunciationis terminis confunderent, atquè auctoritates, vnos, vel alios per-
3 cutientes cumularent; Hinc proindè, ad æquiuoca tollenda, aduertebã, tàm iftius, quàm aliarum causarum occasione, vt ad casuum, vel effectuum distinctionem, aduerti deberet, nè aliàs (pro cõsueto stylo) quid pro quo caperetur.

Primus igitur casus controuersiæ cadere solet, an renunciatio facta vni fra-
4 tri, vel coniuncto, profit illi tantùm, vel etiam alijs fratribus, seù coniunctis, æqualem succedendi causam cum renunciatario habentibus, in concursu successionis tertij; Et sub qua dubitatione, cadit etiam altera, quæ sonat in idem, an scilicèt persona renunciantis, faciat numerum, & partem, & ad cuius fauorem, et de his agunt (cæteris relatis) *Fab. de Ann. conf.* 45. *Hodiern. controu.* 7. *Galeot. lib.* 2. *controu.* 8. *Bellon. iun. de iur. accresc. cap.* 5. *quæst.* 48., & habetur *in Bonon. disc.* 7.; Et tunc huiusmodi quæstionum decisio pendet à distinctione, àn renunciatio sit translatiua, vel extinctiua, vt primo casu profit renunciatario tantùm, cuius fauore persona renunciantis faciat etiam numerum, ac partem, quoniam fingitur, quod ipse renuncians succedat, atq; in eius persona successio substantietur, ac effectuetur, ad commodum tamen, ac vtilitatem renunciatarij; Siuè hic æqualem cum alijs habeat succedendi causam, vt frequentèr contingit inter fratres, quorum vni soror renunciationem fecerit; Siuè sit remotior, vel omninò extraneus considerandus tanquam procurator succedentis in rem propriam; Secundò autem casu, sublata de medio persona renunciantis, tãquam mortua, per ius non decrescendi, seù per remotionem obstaculi, æqualis remanet conditio omnium, æqualem succedendi causam habentium.

Istam autem distinctionem plerique faciunt sub diuersis terminis realitatis, & personalitatis, quasi quod, idem sit terminus translatiuæ, ac ille personalis, vtpotè ad fauorem certæ, ac determinatæ personæ facta; Idemquè sit extinctiua, ac realis, ideſt generaliter abdicatiua, à bonis, absquè contemplatione, potiùs vnius, quàm alterius personæ; Verùm hic est potiùs improprius loquendi modus, vndè meritò Rota, vbi de isto casu, vel effectu agit, præsertim *in Auximana dotium* 26. *Maij* 1655. *coram Bichio inter suas decis.* 631. de qua infrà *disc.* 8. vtitur dictis terminis magis proprijs, translatiuæ, & extinctiuæ.

Alter casus est, vbi pariter agatur de successione tertij, in concursu ipsiusmet renunciantis, ac hæredum renunciatarij, seù eorum, in quos renunciatarius, in vi-
5 ta, vel in morte de hac sperata futura successione disposuisset, & hic est propriè casus disputatus *in Romana fideicommissi de Vrsinis disc.* 6; Et tùnc decisio pariter pendet à dicta distinctione, an renunciatio sit translatiua, vel extinctiua, vt primo casu, successionis commodum spectet ad hæredem, vel successorem renunciatarij, in exclusionem ipsius renunciantis, ex iam dicta ratione, quod ius successionis substantiatur in persona renunciantis, ad commodum tamen, ac vtilitatem renunciatarij, seù eius hæredum, aut aliorum, in quo ipse disposuerit iuxtà terminos text. *in l. spem Cod. de donat.*; Quatenùs tamen agatur de bonis indifferentibus, quorum renunciatarij hæres, vel successor sit capax; Vbi enim est incapax, tùnc intrat difficultas deriuata ex pluries enunciata theorica *Bart. in l. qui Romæ* §. *duo fratres ff. de verborum obligatione*, de qua *in duobus discursibus proximè seqq.*

Isto etiam casu, Scribentes promiscuè vti solent dictis alijs terminis, personalis & realis, considerando personalitatem, tanquàm restrictionem renunciationis, ad solam personam, cui facta est, & quatenùs superuiuat, non autem, vt præmoriens transmittat commodum successionis ad extraneos, iuxtà difficultatem excitatam *apud Achill. decis.* 10. *de donat.*, quasi quod, cessante persona contemplata, cessaret causa finalis renunciationis pro illius resolutione ex regula textus *in cap. cum cessante*, & hic est articulus principaliter disputatus *in dicta Romana fi. deicommissi disc.* 6.; Sed iste promiscuus vsus huiusmodi terminorum, ad hos, vel similes effectus, non facit, vt generaliter, atq; pro regula, ad alios diuersos effectus, idem sit renunciatio realis, ac extinctiua.

Tertius casus est, vbi agatur de successione ipsiusmet renunciatarij, in illis solùm bonis, quæ ad eum obuenerunt ab
6 ipsamet renunciante, quia nempè fœmina renunciauerit germano fratri bona paterna, vel materna, atquè ad istius posteà morientis intestatam successionem, concurrant fratres consanguinei, vel vterini ex secunda vxore, vel respectiuè ex secundo viro suscepti, qui aliàs ex Statuto in bonis morientis æqualiter cum vtrinque coniunctis succedere possent, vt frequenter in consanguineis tantùm contingit; Siuè quod, filia renunciauerit bona materna eius patri tùnc habenti filios ex eodem matrimonio postmodùm defectos, & cui ab intestato morienti, succedere velint filij ex altero coniuge procreati, iuxtà casum tractatum *per Merlin contr.* 32. *lib.* 1. *Altogr. iun. controu.* 27. & alios apud eosdem, ac habetur actum *sub tit. de successionibus, in Romana successionis de Pellegris disc.* 33., ac in alijs; Et in his terminis intrat etiam distinctio, an renunciatio sit realis, vel personalis, capiendo pariter personalitatem pro restrictione ad certas personas, quasi quòd filia, vel soror renunciationem fecerit, solo intuitu fratrum vtrinq; coniunctorum, & quatenùs ad eorum commodum successio bonorum communis parentis deferatur, adeoùt, eis defectis, renunciatio resoluatur, tanquàm per remotionem consensus, & tanquàm ex cessante causa finali renunciandi, vndè propterea dicitur personalis; Vel èconuerso fuerit generalis, ac indefinita pro transmissione bonorum ad quoscumque, & ad quem effectum dicitur realis; Et tamen isti termini cadunt etiam cum præsuppositio, quod renunciatio sit merè translatiua; Ergò ex verbo denotante realitatem, non infertur perneceſsè ad qualitatem extinctiuam.

Quartus casus est, vbi agatur de successione ipsiusmet renunciatarij morientis cum testamento, seù aliàs, ad fauorem ex-

extraneorum disponentis de bonis, de-
7 quibus aliàs (secluſa renunciatione) in-
præiudicium renunciantis, in toto, vel in parte disponere non poterat, vt (e.g.) eſt filia, cui pater legitimam relinquere tenetur, vel ſoror, quæ à Statuto reintegratorio excluſa, habeat ius reintegrationis ad ſuam portionem fratre deficiente; Siuè vbi agatur de bonis antiquis, quorum medietas perneceſsè iuxtà Conſuetudines Neapolis relinquenda eſt, iuxtà caſum tractatum *per Marin. reſol. 191. lib. 2.*; Vel vbi de bonis fideicommiſſarijs, ad quæ renuncians ius habeat vocationis per mortem fratris, vel alterius renunciatarij iuxtà caſum, de quo *dicto diſc. 6.*, cum ſimilibus; Et tùnc plerique procedunt etiam cum eadem diſtinctione, perſonalitatis, vel realitatis, vt ſcilicèt, non conſtito de realitate, renunciatio tanquàm perſonalis, ceſſante perſona, euaneſcat, adeoùt ſuffragari nõ poſſit extraneis, in quos renunciatarius diſpoſuerit; Verùm hæc diſtinctio magis communiter reijcitur, quoties non appareat de hac reſtricta, & præciſa voluntate, dum huiuſmodi renunciationes à filiabus, vel ſororibus procurari ſolent ad hanc diſponendi libertatem acquirendam *Greg. deciſ. 85. Apont. conſ. 39. & 40. lib. 1.*, & infrà *diſc. ſeq.* & ſæpiùs.

Demùm (omiſſis alijs ad rem non facientibus); Quintus eſt caſus, qui in præſenti diſputatione cadebat, vbi ſcilicèt agatur de inteſtata ſucceſſione renuncia-
8 tarij in eius bonis proprijs indifferentibus; Et tùnc, Aut renunciatio eſt tranſlatiua, quàm aliqui iſto caſu (ſed erroneè ſeù impropriè) dicere ſolent perſonalem; Et tùnc impoſſibile eſt dicere, vt ſub ea veniat hæreditas, ac ſucceſſio ipſiuſmet renunciatarij, quoniàm hæreditas propria alicui donari non poteſt, neque datur extremum, in quo huiuſmodi translationis effectus verificari poſſit, vt infrà *dicto diſc. 6.*, atque de hoc nemo dubitat, vt etiam de plano admittebant Scribentes in contrarium; Aut eſt purè, ac ſimpliciter extinctiua, quàm pariter Aliqui (ſed impropriè, ac erroneè) dicunt realem; Et tùnc in primis inſpiciendum
9 eſt, an in renunciatione actum ſit de ſucceſſione ipſiuſmet renunciatarij; Si enim non apparet, tùnc iſta regulariter non cenſetur comprehenſa, vt in ſæpiùs allegata *Romana de Perottis coram Dunozett. dec. 346. repetit. dec. 543. par. 5. rec. ex num. 9. cum ſeqq.*; Si verò de hoc appareat; Et tùnc, licèt noſtri, multos caſus diſtinguere ſoleant, vt conſtat ex diligenter, ſatisque elaboratè deductis *per Marin. dicta reſol. 189.*, vbi, felici quidem ſtylo, compendiosè deduxit omnia, quæ per primarios Italiæ viros deducta fuerũt in celebri cauſa ſucceſſionis Principatus Venafri, & Comitatus Celani, à qua omnem eius fortunam mutuatus eſt, adeoùt dici poſſit, quod ibi materia magiſtraliter tractata ſit, vtpotè continens ſuccum omnium eorum, quæ per magis inſignes viros, non ſolùm illius Ciuitatis, & Regni, ſed etiam Curiæ Romanæ, aliarumque Italiæ Ciuitatum, elaborata fuerunt; Attamen (breuiùs agendo) vt pluriũ huiuſmodi cõtrouerſiarũ experimẽtũ dedit, quod genuina veritas ea eſſe videatur, quæ inſinuatur ſuprà *diſc. 1.*, & in alijs, quod ſ. iſta ſit quæſtio potiùs facti quàm iuris, ideoque non apta recipere generalem vniformem determinationem, ſed ſingulorum caſuum deciſio pendeat ab eorumdem particularibus, ac indiuiduis circumſtantijs, quæ vno, vel altero modo veriſimilem vtriuſque contrahentis, renunciantis ſcilicèt, & renunciatarij voluntatem ſuadeant, quia nempè renunciatarius probabiliter renunciationem à filio, vel ſorore procurare voluerit, vt alijs coniunctis, quamuis remotioribus, ex iuſta, & rationali cauſa, etiam inteſtata ſucceſſio deferatur iuxtà ponderationes, de quibus *dicto diſc. 1.*; Vel èconuerſo.

Ad id autem indagandum, aliqualiter conferre ſolet conſideratio cauſæ, ob quam renunciatio ſequatur, an ſcilicèt, ſit ob ingreſſum in Monaſterium, vel ob
10 nuptias carnales, vt primo caſu faciliùs vtriuſque contrahentis voluntas præſumatur pro qualitate extinctiua, ſeù realitate (ità impropriè dicta); Ex parte renunciantis ſcilicèt, vt non in gratiam potiùs vnius quàm alterius id egerit, ſed amore Dei, ac vitæ cœleſtis, ad quam vt expeditior fieret, temporalia à ſe omninò abdicare voluerit, ſeque mortuum Mundo facere; Renunciatarij verò, dùm veriſimile eſt, vt voluerit, eius ſucceſſionem, ac bona, deferri potiùs ad coniunctos, quamuis remotiores in ſæ-

culo

culo existentes, quàm ad renunciantem Religiosum, cum in effectu, non ad ipsum, sed ad Monasterium penitùs extraneum, successio deferri dicatur, vt aduertunt *Rouit. cons.* 43. *nu.* 7. *& cons.* 44. *lib.* 1., *Merlin. controu.* 5. *lib.* 1., *de Marin. dicta resol.* 189. *num.* 22. 190. *num.* 6. *cum seqq.*, *&* 191. *num.* 4. *Otthob. dicta decis.* 10. *in Romana hæreditatis de Toscanellis* 31. *Maij* 1649. *coram Meltio* cum concordantibus *disc. præceden.*

In illis autem, quæ in fæculo nubunt, præsumptio est in oppositum, quoniàm, cessantibus filijs, seù fratribus, vel alijs verisimiliter à renunciatario magis dilectis, & in quorum gratiam de communi vsu huiusmodi renunciationes à fœminis nubentibus procurari solent; Ac etiam cessante dispositione, ob cuius libertatem, vt suprà pariter renunciationes procurantur, tùnc ex verisimili vtriusque contrahentis voluntate, sub renunciatione, quantumuis ampla, & in forma extinctiua, seù reali concepta, casus dicendus est non compræhensus, vt ex magistrali, ac recepto consilio *Baldi* 437. *nu.* 2. *l.* 2. alijs pluribus cumulatis probat *Rouit. cons.* 23. *n.* 21. *lib.* 1. *Apont. dicto cons.* 39. *de Marin. dicta resol.* 189. *per totam, &* 191. *num.* 4 *& sequen.*, cum alijs *dicto disc.* 1, & in alijs.

Hinc proindè qualitas nuptiarum carnalium, vel spiritualium, iuxtà dictam communem, ac frequenter receptam distinctionem, non importat perneceſsè qualitatem extinctiuam, vel respectiuè translatiuam, siuè vt alij dicunt, personalitatem, vel realitatem, quoniàm stare simùl possunt, vt renunciatio facta per nubentem in sæculo sit purè, ac simpliciter extinctiua, quam aliqui impropriè dicunt realem, quodq; facta per ingrediẽtem Monasterium sit solùm translatiua, seù impropriè personalis, ac propterea, vna, vel altera qualitas, consideranda est ad metiendam voluntatem, istamque vno, vel altero modo faciliùs, & cum minoribus, vel respectiuè maioribus argumentis prçsumendam, vt apud allegatos; Apud quos, ac etiam *apud Altograd. iun. controu.* 27. reprobata habetur opinio *Caroli Antonij de Puteo in consilio vnico post consilia Oddi, & Menoch. cons.* 6. volentium, vt renuncians, quamuis occasione nuptiarum carnalium, simpliciter, ac indefinitè per alios quamuis remotiores à successione excludi debeat.

Ista igitur theorica ità constituta; Quatenùs pertinet ad applicationem ad hanc facti speciem; In primis agebatur de renunciatione facta per nubentem
11 carnaliter; Ac etiam ex instrumento renunciationis non constabat, quod renunciatum fuisset intestatę successioni ipsiusmet renunciatarij, quoniàm, licèt mentio fieret etiam de fraternis; Attamen id verificabile erat in successione, ac bonis Iulij Cæsaris alterius fratris, iam defuncti, vndè propterea benè intrabant firmata *in dicta decis.* 346. *Dunozett.* alias 543 *par.* 5 *rec.*

Et clariùs, quia renunciatio clarè concepta erat in forma translatiua, & per viam donationis, quo casu (vt suprà) res est indubitata pro excludenda comprehensione successionis ipsiusmet renunciatarij, cum hæreditas propria sibi ipsi donari non possit.

Illa verò verba, vt renunciatio cesseretur perpetuò efficax, ac realis, & realissima, (& in quibus totum erat fundamentum scribentium in oppositum),
12 riter, imò in satis ampliori formula continebantur in dicto casu tractato *per Marin. dicta resol.* 189. *in principio*, vbi verba præcisa illius renunciationis registrantur; Et tamen contrarium decitum fuit, ex ea congrua ratione, quod in quibuscumque humanis actibus, non cortex & figura verborum, sed substantia verisimilis voluntatis attendi debet.

Ac etiam quia, erroneum est dicere, vt verbum, seù terminus realitatis perneceſsè importet qualitatem, purè, ac simpliciter extinctiuam, quæ ità tollat omninò de medio personam renunciantis perindè, ac si non esset in rerum natura, dùm verba prædicta, rectè verificari possunt, atque operatiua remanent in ordine ad tertium, & quartum casum suprà exemplificatos, & ad quos, vel similes effectus, huiusmodi cautela introducta est, adijciendi hanc verborum amplitudinem.

Potissimè verò ex duplici circumstantia; Vna scilicèt, quod verba prædicta non erant in capitulis matrimonialibus, quorum substantia attendenda est, non
13 curata maiori amplitudine verborum per Notarium in instrumento appositа, nisi

niſi quatenùs hæc deſeruiat pro maiori robore, ac obſeruantia, & firmitate illius ſubſtantiæ, quæ in capitulis habetur, vt ſæpiùs in iſta, & omni materia aduertitur; Et altera, quod verba prædicta non erant in parte diſpoſitiua, ſed in clauſulis
4 executiuis adiectis pro eiuſdē renunciationis obſeruantia, & nè vnquam contrà renunciatarium, vel habentes cauſam ab eo, renuncians ad bona, vel iura renunciata regreſſum habere poſſet.

Longas quoque diſtinctiones, ac allegationes retexebant Scribentes in contrarium, ſuper ea diſtinctione, an ageretur de iuribus, ac ſucceſſionibus delatis, vel de deferendis, vt primo caſu ve-
15 rificabilis eſſet renunciatio translatiua, aliàs perſonalis nuncupata; In altero autem non caderet niſi extinctiua, aliàs realis, ex deductis *per Montan. conſou.* 10. *nu.* 5. *Donad. de renunc. cap.* 50. *nu.* 28.; *Verùm*, vltrà quod iſta diſtinctio non *ſubſiſtit*, cum etiam futuræ ſucceſſionis ſpes per viam venditionis, ſeù donationis, aut alterius ſimilis contractus in commercium deduci poſſit, vt frequenter habetur *hoc tit.* præſertim *d. diſt.* 6. & in deciſionibus in ea cauſa editis; Nō videbatur qualis in propoſito eſſet iſtius diſtinctionis effectus, cum illa ad alios fines, ſeù effectus adhiberi ſoleat.

Atque hinc edocemur, quàm erroneum ſit, cum ſolis generalitatibus concluſionum, vel doctrinarum, ac deciſio-
16 num in his materijs procedere, vt *diſc.* 1. & in alijs aduertitur, cū in huiuſmodi quęſtionibus, quæ sūt potiùs volūtatis, ac facti, ex iſtius circumſtātijs deciſio, prudenti, benèque regulato arbitrio deſumenda ſit.

ROMANA

FIDEICOMMISSI

DE STECCATIS

PRO

FRANCISCO ANT. ZAMBOTTO ET HIERONYMO CLEMENTINO

CVM

MONASTERIO SS. DOMINICI ET SIXTI.

Caſus variè deciſus per Rotam, poſteà in parte concordatus.

De eadem materia renunciationis factæ per monialem, an ſit realis, vel perſonalis, ad effectum, vt ceſſata perſona contemplata, ceſſare debeat, necnè; Et de alia diſtinctione renunciationis translatiuæ, vel extinctiuæ; Et an renunciatio capiat fideicommiſſa.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Prima reſolutio in alia cauſa ſuper hac renunciatione.*
3 *Reſolutiones in iſta cauſa.*
4 *Diſtinguuntur puncti cauſæ.*
5 *An renunciatio capiat certas ſucceſſiones.*
6 *De eodem, & an enumeratio ſpecierum reſtringat.*
7 *Quod debeat attendi ſubſtantia voluntatis.*
8 *In quo differant ſcholaſtici à forenſibus.*
9 *De particulari circumſtantia, quæ conſideratur in renunciatione monialium.*
10 *Quod amplitudo verborum, vel reſtrictio renunciationum proueniat à Notario.*
11 *De renunciatione hæreditatis certæ perſonæ.*
12 *Damnatur ſtylus procedendi cum formalitate verborum, & ſignificationibus grammaticalibus.*

13 *Dam-*

13 *Damnatur stylus adhibendi linguam latinam in instrumentis.*
14 *De realitate renunciationis factæ à moniali.*
15 *An & quando id procedat.*
16 *Renunciatio non capit ea, quorum hæres extraneus renunciatarij sit incapax.*
17 *Spes futuræ successionis potest cedi.*
18 *Quod renunciatio esset personalis.*
19 *In generali renunciatione non veniunt prohibita.*
20 *Declarantur conclusiones, de quibus nu.* 16. & 19.
21 *De eadem declaratione super alienatione commoditatis.*
22 *Monasterium ex persona Religiosi, quando succedat in fideicommissis.*
23 *De eadem personalitate, de qua num.* 18.

DISC. IV.

1 SVsceptis per Marcum Antonium Tuscanellam ex Hippolyta Steccata vxore, tribus filijs, nempe Maria Virginia, Cõstantia, & Curtio; Cum prima in Monasterio SS. Dominici, & Sixti, professionem emittere vellet, consuetam fecit amplam renũciationem Marco Antonio patri dotanti *de bonis, ac successionibus paternis, maternis, auitis, fraternis, patruorum, & aliorum, tam ab intestato, quàm ex testamento, vel fideicommisso &c.*; Defunctisque priùs Curtio, deindèque, tam patre, quàm matre, (in qua consolidatum erat ex persona Ludouici eius patris fideicommissum à Petro Paulo dicti Ludouici patre ordinatum); Hinc orta est inter Constantiam in fæculo nuptam, ac præfatam sororem monialem, seù eius Monasterium controuersia, præsertim super intestata successione Marci Antonij patris; Introductaque causa *coram Vicario* de voto Rotæ *coram Meltio sub die* 31. *Maij* 1649. in causa intitulata *Romana hæreditatis de Tuscanellis*, Constantiæ fauorabilis resolutio prodijt, quæ ansam dedit concordiæ.

Defuncta verò postmodùm Constantia sine prole, instituto hærede Hieronymo Clementino secundo viro; Cum eadem, adhùc viuens per concordiam initam cum Francisco Antonio Zambotto ad dictum fideicommissum vocato, sibi appropriatis, ac extractis aliquibus bonis ex causa quarumdam detractionum, fideicommissi præuentiuam restitutionem fecisset dicto Francisco Antonio; Contrà istum, Monasterium prædictum ex persona dictæ monialis, ad fideicommissum absque dubio priùs vocatæ, iudicium instituit 3 *in Rota coram Bourlemont*, atque *sub die* 10. *Februarij* 1662. fauore Francisci Antonij prodijt resolutio, quæ deindè reuocata fuit per contrarias resolutiones fauore Monasterij *sub diebus* 15. *Iunij* 1665. & 4. *Februarij* 1667., deindèque deuentum est ad concordiam, firma remanente lite, cum Hieronymo Cõstantiæ hærede, occasione bonorum vt suprà, à fideicommisso extractorum, istaque causa adhùc pendet in eadem Rota sub diuersa intitulatione *Romana bonorum*, de qua *sub tit. de iudic.* vel sub altero *de fideic. in supplemento.*

In his autem disputationibus; Cum fideicommissum esset litterale, atque secluſa renunciatione, extrà controuersiam pariter esset prior vocatio dictæ monialis, dùm Franciscus Antonius de- 4 scendens à testatore per filiam fœminam subsidiariè vocatus erat, post defectum descendentiam dicti Ludouici filij masculi; Hinc proindè quæstio consistebat in operatione dictæ renunciationis; Eaq; duas habebat partes, vel punctos; Primò nempè, an istud fideicommissum sub ea comprehensum esset; Et secundò, posita comprehensione ad fauorem filiorum, ac descendentium *Marci* Antonij patris renunciatarij, an istis defectis renunciatio esset resoluta.

Primus punctus, nullum continebat iuris articulum, adeoùt determinatio, vno, vel altero modo facta, de iniustitia positiua redargui posset, dùm totum cõsistebat in nudo facto deducto ex renun- 5 ciationis verbis, siuè ex eorumdem verborum interprætatione, circà quam vt potè ex iudicantis arbitrio, vel intellectu pẽdentẽ, certũ iudicium desuper cõstitui non valet, ob humanorum ingeniorum varietatem, ob quam in dies experimur, vt data etiam æquali peritia, & integritate, id, quod vni videtur album, alteri videatur nigrum; Ideoque in huiusmodi ambiguæ voluntatis quæstionibus, rectè, ac frequenter practicatur causarum fa-

tum,

tum, quod in eo consistit, vt Iudicum ingenia vnam, vel alteram capiant interpretationem, quamuis, summa integritate accedente, nulla concurrat operatio voluntatis, sed ea solùm sit intellectus (vt reuerà semper, vel saltim frequentiùs, contingit in Rota, alijsque primarijs, & qualificatis Curiæ Tribunalibus, à quibus etiam leuissima, & remota sordium, seu corruptelæ suspicio omninò abest).

Cum etenim in renunciatione enumeratæ essent parentum, auorum, fratrum, patruorum, ac aliorum successiones; Ista verò fideicommissaria successio
6 esset proaui, idcircò cadebat comprehensionis quæstio; In qua tamen, mihi (pro Francisco Antonio fideicommissario scribenti, ac etiam pro Hieronymo, qui illi pro eius iure adhærebat), reflectendo ad solam veritatem, probabilior videbatur intellectus primo loco traditus, pro comprehensione, quoniam cum præcederent verba generalia, omnium successionum comprehensiua ibi, *successiones quascumque ascendentium, & alias quascumque, in quibus ipsa renuncians succedere potuit, vel poterit*; Hinc proindè intrat regula, quod subsequens enumeratio specierum, demonstratiuè potiùs, quàm taxatiuè, seu restrictiuè apposita censetur, ideoque non corrigit, neque restringit præcedens genus.

Magisque, pro meo iudicio, stringebat pluries in præcedẽtibus insinuata propositio, quę huiusmodi quæstionũ ambiguæ volũtatis, perpetua est, ac primaria regulatrix, vt substantia verisimilis voluntatis, non autem verborum cortex, seù formalitas, vel nuda grammaticalis significatio attendi debeat, quoniam immorari in rigore verborũ pertinet ad grammaticos, & pædagogos, non autem ad Iurisprudentiæ professores.

Atque in hoc differunt scholastici à forensibus, quod primi, iuris scientiæ tantùm, cum ingenij acumine vacant;
8 Alij verò iurisprudentiæ, atq; cũ maturo iudicio potiùs, quàm cum ingenio, et subtilitatibus procedunt, ideoquè meritò dicitur iurisprudentia potiùs quàm iuris scientia.

Cum etenim ageretur de renunciatione facienda per monialem, quæ Mundo mori debebat, adeoùt, quæcumque successiones, verè, ac spectato effectu, non ipsius, sed Monasterij extranei vtilitatem percuterent; Potissimè autem, vbi (vt in Curia), recepta est opinio Canonistarum super immediata Monasterij successione, nullatenùs curato assensu, vel dissensu ipsius personę professę, cuius ratione successio deferatur; Hinc proindè nulla suppetebat congrua ratio, seù verisimilitudo, ob quam, curando renunciationem aliarum successionum, ista comprehendi non debuerit.

Potissimè verò stantibus dictis verbis generalibus omnium comprehensiuis; Specierũ etenim enumeratio, (vt pluries in praxi expertus sum), prouenire solet
10 ab ineptis cautelis Notariorum, qui cum imperiti sint, volentes se facere peritos, aliqua pro cautela addunt, quæ potiùs nocent; Vt præsertim frequens, penèque quotidiana praxis docet in illis exiguis legatis, quæ fieri solent filiabus dotatis, quæ per Statutũ à successione excluse sunt, adijciendo titulũ institutionis, seù faciendo mentionem legitimæ, iuxtà ea, quæ habentur *sub tit. de legitim. & detract.* præsertim *disc.* 3. & 4., cum pluribus similibus, quorum vnum habetur, præsertim *sub tit. de Regal. disc.* 105.

Non omnis enim specierum enumeratio, ità in verbis attendi debet; Vt vltra plura similia, quæ desuper ponderari possent,
11 habemus in hac speciali materia renunciationis, quoniam prohibitũ est eam fieri de hæreditate certæ personæ viuentis, quæ absq; eius consensu vsq; ad mortem perseueret; Secùs autem vbi fiat de quibuscumquè successionibus, etiam futuris personarum viuentium; Istoquè casu, si genus præcedat, deindeq; aliquarum personarum specialis mentio fiat, non per hoc intrat regula prohibitiua, cum id demonstratiuè, seù maioris expressionis gratia factum censeatur, vt aduertitur infrà *disc.* 16. & alibi.

Ideoquè semper damnabile, pro meo sensu, censui stylum, in iudicando, vel consulendo, procedendi cum verborum
12 formalitatibus, eorumquè grammaticalibus significationibus, quoties probabilia non accedant argumenta, vt ea verba studiosè, atquè ex partium præordinata voluntate adiecta sint; Potissimùm verò, vt aduertitur suprà *discur.* 1., & alibi, vbi, prò damnabili potiùs, quàm

13 pro commendabili stylo, mulierum, ac idiotarum contractus, vel dispositiones in latina lingua per Notarios extendantur.

Quouerò ad alterum huius causæ punctum, an scilicèt, posita huius successionis comprehensione; Stante quod renunciatio facta erat Marco Antonio patri, ac etiam Curtio fratri, vtroquè, eorumq; etiam descendentia defectis, ista renunciatio resoluta censenda esset, tanquam ex cessantibus personis contemplatis; Quamuis ego Scribens pro remotiore de diuerso genere ad fideicommissum vocato, insisterem in iam firmatis in dicta alia causa vsquè ab anno 1649. *coram Meltio*, in qua non scribebam, super hu-
14 ius renunciationis realitate, deducta ex pacto de non petendo, ac verborum amplitudine, et fortiùs ex iam in præcedentibus insinuata distinctione, inter renunciationes factas per ingredientes Monasterium, et illas, quæ fiunt per nubentes in sæculo, vt prima species realis, ac omninò extinctiua censenda esset, faciens renunciantem mortuũ, quasi quod non vnius, vel alterius personæ interitu, sed ex motiuo spiritus, vt temporalia abijcerentur, facta censeatur.

Attamen, reflectendo ad veritatem, in hac parte probabilior visa est succumbentia, potiùs quam victoria; Tum ex
15 ponderatis *dicto disc.* 1., & in alijs, vt ista distinctio, spectato communi vsu, quoties agatur de Monasterijs, vel Religionibus capacibus in communi, cum quadam etiam permissiua, seù conniuenti administratione, ac dispositione in particulari, continere videtur piam meditationem, in praxi fortè verificabilem antiquis temporibus, in quibus nostri maiores scripserunt, quando Religionũ tanta multiplicatione, ac relaxatione, seù commoditate non vigente, nonnisi ex solo feruore spiritus, Religionum, ac Monasteriorum ingressus sequebatur; Secus autem hodiernis temporibus, quoniã dicta capacitatis circumstantia accedente, ista distinctio verè idealis videtur; Ideoquè prò sola legaleica simplicitate admittenda est; Benè tamen est considerabilis, in ordine ad regulandum, non quidem renunciãtis voluntatem, sed potiùs illam renunciatarij, vt alijs alijs, vel etiam agnatis transuersalibus prudenter bona deferãtur, vt *dicto disc.* 1., & in alijs aduertitur.

Et clariùs quoniam, cum verisimiliter pater renunciatarius non cogitaret ad tristem, ac insperatum euentum extinctionis propriæ descendentiæ masculinæ, & fœmininæ, probabiliter sperandæ ex duobus filijs vtriusquè sexus carnalibus nuptijs destinatis: illi autem de alte-
16 ro genere subsidiariè ad fideicõmissum vocato, sibi essent omninò ignoti, ac penitus extranei; Hinc proindè rectè adaptabilis remanebat magistralis theorica *Barthol. in l. qui Romæ §. duo fratres ff. de verbor. oblig. num. 24. & in l. Gallus §. & si peremptæ num. 4. ff. de liber. & posthum.*, de qua habetur particulariter actum *disc. sequenti*, quod scilicèt noluisset propriam filiam, quamuis monialem, excludere, vt locũ aperiret penitùs extraneis, ac ignotis; Ideoquè iuxtà dictam theoricam, vtriusquè renunciantis scilicèt, ac renunciatarij voluntas verisimiliter deficere videbatur, ac propterea, in hac parte, posteriores resolutiones magis placuerunt, atquè probabiliores visæ sunt.

Non placuerunt autem in altera parte, in qua excluditur etiam ius Hieronymi hæredis mediati dicti Marci Antonij
17 renunciatarij, quoniam renunciationis tenor ostendebat, vt illa, non solùm concepta esset in forma extinctiua, seù abdicatiua, (cum ista esset solùm verificabilis respectu Marci Antonij patris in propria eius successione, & legitima), sed etiã in forma translatiua, atquè per speciem donationis, per quam receptum est, vt etiam spes futurarum successionum, potissimum verò earum, quæ trahant originem à causa de præterito, in extraneũ transferri possit ad textum *in l. spem Cod. de donat.* cum cõcordantibus, de quibus infrà *in Romana fideicommissi disc. 6.*; Et consequentèr, quod ista successio caderet sub donatione ad commodum hæredum dicti Marci Antonij, pro quibus quoq; ipse stipulatus fuerat.

Aduersùs hoc fundamentum, Scribẽtes pro Monasterio, duo deducebant, quæ per Rotam in posterioribus decisionibus amplexa fuerunt; Primò nempè, quod ista renunciatio facta esset, in-
18 tuitu, & contemplatione etiam Curtij fratris, qui domum, ac agnationem conseruaturus, & propagaturus erat, ideoquè

tan-

tanquam personalis, cessata persona, cessauerit, atquè proficere non deberet hæredi extraneo, iuxtà auctoritates latè in decisionibus (forsan præter necessitatē) cumulatas.

Et secundò, quod cum fideicōmissum contineret strictissimam prohibitionem alienationis, sub pœna caducitatis, ità
19 intraret altera regula, seù conclusio de iure vera, atq; in eisdē decisionibus plenè exornata, de qua, etiam infrà *disc. seq.*, vt in generali dispositione, vel renunciatione non veniant bona prohibita, & ex quorum alienatione, vel cessione incursus pœnæ sequi potest, et de qua habetur etiam *sub tit. de feud.*, *& sub altero de emphyteus.*; Ac etiam in proposito hypothecæ generalis non compræhendentis ex hac ratione bona iurisdictionalia, aliaquè prohibita, habetur *sub tit. de credito disc.* 13. *&* 151., cum similibus.

Quamuis etenim ista conclusio, in abstracto de iure vera sit; Attamen fallacia videbatur in applicatione, quoniam cum agatur de huiusmodi renunciationibus generalibus, quibus danda est ope-
20 ratio possibilis, seù compatibilis, vndè propterea non intrat incompatibilitas, quæ cadit, quando de certæ rei vera, & omnimoda alienatione agatur; Hinc proindè, renunciatio verificabilis, ac operatiua remanet, in fruitione, seù commoditate, quæ etiam in prohibitis transferri potest in extraneum, remanentibus penès capacem, dominio, ac possessione, ex ijs quæ habentur pluries deducta *sub dicto tit. de feud.* præsertim *discur.* 61. *& sequ.*, *& sub tit. de emphyt. disc.* 44., *& dicto disc.* 13. *&* 151. *de cred.*, atquè docet praxis quotidiana in fortioribus terminis pensionum ecclesiasticarum, vt in sua materia *sub tit. de pensionibus*; ità enim successio rectè subsistatur in persona vocata, eius tamen commodum, (vt nudi facti est), ad renunciatarium pertinet.

Et licèt replicaretur, atquè in decisionibus admittatur, quod ob effrænatam prohibitionem, nequè ista species aliena-
21 tionis admittenda sit; Attamen id verè nullum, nec facti, nec iuris fundamentū habere videbatur; Verius autē subsistere videbatur dilemma, quod ego deducebam, cui tamen vltima decisio respondere conatur, sed responsio non satisfacit, quod scilicèt; Aut ista est simplex prohibitio expressiua eius, quod de iure inest, pro illo maiori effectu, qui resultare solet, vbi prohibitioni legis, accedat etiam altera hominis, vt *in* sua materia *sub tit. de fideic.*; Et tunc nil prohibet, dictæ commoditatis, vel vtilitatis alienationem, ipsius renunciantis iure durante; Aut prohibitio est talis, vt suadeat eni-
22 xam prohibentis voluntatem, vt bona, verè, ac de facto, semper permaneant penès personas de sanguine, iuxtà casum de quo *disc. seq.*, et tunc Monasterium remanebat incapax succedēdi etiam durante vita monialis, iuxtà distinctionem de qua *sub tit. de fideicommiss. disc.* 63. *& seqq.*

Minus solida quoquè videbatur altera responsio, super personalitate, seù restrictione renunciationis ad personam fratris, eiusquè descendentium, cuius respectu sororum, abstinendo à speratis successionibus, se extraneam facere voluerit
23 iuxtà firmata *in Marsicana successionis 4. Februarij 1665. coram Emerix* edita in casu, de quo supra *disc. præced.*, cum qua in vltima decisione nimiùm processum fuit; Tum quia, verba contrarium expressè probare videbantur, ob stipulationem *pro hæredibus*, *& successoribus quibuscumque*; Tum clariùs quia inanis, ac fatua fuisset renunciatio, de qua non oportebat sollicitudinem aliquam habere, dum etiam sine illa, stāte Statuto 145. Vrbis, renuncians exclusa remanebat, nullumquè ius habebat in concursu fratris, eiusquè filiorum; Ideoquè istud personalitatis motiuum, esset rectè considerabile, in casu inteſtatæ successionis, & nè ob omnimodam realitatem locus fieret remotioribus iuxtà casum, de quo *in dicta Marsicana dicto disc. præced.*, non autem vbi agatur cum eo, cuius fauore renunciatarius, vel eius hæres disposuerit iuxtà deducta infrà *disc.* 6.; Atquè in hoc mihi videbatur, quod consisteret æquiuocum, quodquè propterea resolutiones in hac parte parùm probabiles essent.

ROMANA

SEV

VRBEVETATA SVCCESSIONIS

PRO

CATHARINA ARDICCIONA

CVM

HERCVLE MISSINO.

Casus decisus per Rotam pro Hercule, postea concordatus.

De eadem materia renunciationis factæ per fœminam carnaliter nubentem, an capiat fideicommissum, quod contineat strictam, ac pœnalem alienationis prohibitionem.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Impugnantur, & de ratione.*
4 *Renunciatio non capit ea, quorum hæres extraneus renunciatarij sit incapax, ideoque resoluitur.*
5 *Super eadem conclusione, & an procedat etiam in bonis fideicommissarijs.*
6 *De eodem pro affirmatiua vt capiat.*
7 *Quod non possit dari certum iudicium in causis, ideoque excusentur Aduocati.*
8 *De varietate iudicandi super eodem puncto.*
9 *De materia comprehensionis renunciationis, & an veniant fideicommissa.*
10 *Renunciatio facta per puellas occasione matrimonij carnalis, vel spiritualis, an & quando subiaceat læsioni, vel nullitati &c.*

DISC. V.

1 PRæsupposita facti serie, de qua in hac eadem causa *sub tit. de fideicomm. disc.* 104.; Postquàm Hercules reus, ac possessor succubuit in puncto fideicommissi, conuolauit ad alterum renunciationis, quam occasione nubendi, Catharina fecerat fratri; Assumptaquè proindè disputatione super dubio, an obstaret renunciatio, *sub diebus* 3. *Ianuarij* 1661. & 22. *Maij* 1662. *coram eodem Albergato*, affirmatiuæ prodierunt resolutiones; Cumquè inter vnam, & alteram dispurationem, admissi fuissent ad causam Tarusij eiusdem Catharinæ
2 filij, vtpotè vocati ad fideicommissum pœnale, quod ob alienationem, eorum fauore apertum erat, *eadem die* 22. *Maij* 1662. pro ipsis responsum fuit, idquè ansam dedit concordiæ, per quam controuersia finem habuit.

Mihi, tàm pro Catharina, quàm pro filijs scribenti, Reflectendo ad solam veritatem, etiam post causam sopitam, nul-
3 la ex his resolutionibus placuit, etiã hæc posterior, quæ me scribente obtenta fuit; Credebam etenim, quod Vel renũciatio Catharinæ obstare non deberet, vtpotè per fratris renunciatarij mortem resoluta; Vel quod si obstaret, adeoùt operatiua esse posset ad fauorem hæredis extranei renunciatarij, purificatum non esset fideicommissum pœnale ad fauorem substitutorũ durante vita Catharinæ, propter dilemma, quod mihi videbatur clarum.

Aut enim renunciatio importare dicebatur formalem alienationem ipsorũ bonorum per fideicommittentem strictissimè prohibitam, explicata voluntate veræ, ac effectiuæ permanentiæ ipsorum bonorum penès descendentes vocatos; Aut non, quia nempè importaret cessionem commoditatis compatibilem cum prohibitione alienationis iuxtà *insinuata disc. præcedenti.*

Si non importabat formalem alienationem prohibitam, adeoùt, vlteriori substituto non opponente, extraneus hæres renunciatarij, iurium renunciatorũ capax esset; Et tunc de consequenti re-

sul-

fultabat, quod nulla adeſſet contrauentio, ideoquè improbabilis eſſet reſolutio fauore ſubſtitutorum.

Si verò dictam prohibitam alienationis ſpeciem importabat, vnde propterea pœnæ locus fieret, in excluſionem, tàm renunciantis, quàm renunciatarij; Et tũc dicebam, quod intraret pro meo iudicio ſolidum, benèque applicabile motiuum *eodem diſc. præcedenti* inſinuatum deductum ex theorica *Bart. in l. qui Romæ §. duo fratres num. 24. ff. de verb. oblig. & in l. Gallus §. & ſi parente num. 4. ff. de liber. & poſthum. & conſ. 58. in 3. dub. lib. 1.*, quod ſcilicèt renunciatio, quantumuis ampla, etiam deducendo ad ſpeciem bona prohibita, & differentia, vbi facta ſit perſonæ capaci, ex veriſimili ſubintellecta vtriuſquè voluntate intelligenda venit, reſpectu huiuſmodi bonorum perſonalis, reſtricta ſcilicèt ad ipſum renunciatarium, eiuſquè deſcendentes, vel alios ab eo cauſam habentes, qui ſint capaces, non autem, vt ob incapacitatem extranei hæredis, ità aperiretur locus remotiori, vel extraneo, abſquè aliqua renunciatarij, vel eius hæredis vtilitate, cõtra eiuſdem veriſimilem voluntatem, et conſequenter, vt dicta renunciatio ceſſet, ſeù reſoluatur; Dictamquè *Bart.* theoricam communiter DD. ſequuntur ex ijs, quæ cæteris relatis habentur *apud Honded. conſ. 36. lib. 1. Bero. conſ. 97. lib. 1. Peregr. de fideicom. art. 52. nu. 73. cum ſeqq. Surd. conſ. 446. num. 13. & conſ. 517. num. 14. cum ſeqq. Cyriac. contr. 4. num. 19. & ſeq. Schrader. de feud. par. 8. cap. 5. nu. 27. Fulgin. de emphyt. tit. de renunc. quæſt. 2. num. 1. cum ſeqq. Rot. deciſ. 186. par. 3. rec.* & inſinuatur pluries *ſub tit. de feud.*, & ſub altero *de emphyt.*, atquè poſt has diſputationes firmatur in duabus vltimis deciſionibus editis *in Romana fideicõmiſſi de Steccatis*, de qua *diſc. præcedenti.*

Et quamuis Scribentes in contrarium (inter quos erat vnus doctiſſimus quidẽ, adeoùt in parte doctrinali, atquè indiuiduorum notitia ob magnos inexplicabiles ſtudij camerarij labores non cognouerim maiorem, merè tamen pragmaticus, ſuper nuda doctrina), inſiſterent, in eo quod, tàm *Bartolus*, quàm alij ſuperius allegati, ac cæteri apud eos, loquantur in terminis feudalibus, vel emphyteoticis, nè ſcilicèt fieret locus deuolutioni ad fauorem domini, vel ſucceſſioni ad fauorem remotioris agnati, vigore inueſtituræ in forma pacti, & prouidentiæ, non autem in terminis fideicõmiſſorum, in quibus de concluſione plenè agit *Odd. de fideic. quæſt. 11. num. 118. & ſeqq.* vbi plura deducendo hincindè, nil decidit, ſed remanet incertus, vel dubius.

Nihilominùs iſta reſponſio, quæ aliquem recepit plauſum, pro meo iudicio, omninò contemptibilis videbatur, indignaquè aliquo diſcurſu, quoniam punctus non eſt in peculiari lege, vel in peculiari natura feudi, vel emphyteuſis, ſed eſt in ratione veriſimiliter deficientis voluntatis, quæ capit omnia, quibus ea congruat, ſiuè vbi idem reſultet effectus; Iſtamquè inſipiduram nimium frequenter experiri occaſio præbuit ob hũc deteſtabilem pragmaticum abuſum immorandi in cortice, ſeù littera doctrinarum, vt præſertim in caſu, de quo *ſub tit. de credito diſc. 13. & 151.* & in alijs, ideoquè frequentèr, (ſed ſemper vtiliter, & oportunè), eãdem declamationem repetere oporter.

Poſtmodũ verò in his terminis fideicõmiſſarijs id agnouit, ac firmauit quoquè Rota in ſupra inſinuatis deciſionibus editis in caſu, de quo *diſc. præcedenti*, in cuius diſputationibus, ego, qui contra renunciantem, pro renunciationis efficacia ſcribebam, non negabam concluſionis veritatem, ſed eius congruam applicationem, in caſu, & ad effectum de quibus agebatur, cum in reliquis eadem ſit ratio, ideoquè non videtur, cur eadem eſſe non debeat iuris diſpoſitio.

Quamuis etenim, ob omnimodam vnionem, inter matrem, & filios, *in iſto* caſu effectus eſſet idem; Nihilominùs eadem reſolutio, ità intrare debuiſſet, ſi dicti ſubſtituti fuiſſent de diuerſo genere, nullamquè connexionem cum matre habuiſſent, vndè propterea intrare debuiſſet dictum abſurdũ, quod bonis priuati remanerent, tàm renuncians, quàm renunciatarius, vt aperirentur extraneo, quo nil improbabilius.

Hinc autem, combinando iſtum caſum, cum altero de quo *dicto diſc. præcedenti*, edocemur, quàm varia ſint hominum iudicia, varijquè, ac incerti cauſarum euentus, ad quod reflectere deberent Morales, quando penitùs ignoran-

do

do quid dicant, loquuntur de Aduocatorum, ac forensium conscientia, vt insinuatur etiam *sub tit. de fideicom. discur. 179.* & alibi pluries, præsertim *sub tit. de iudic.* in relatione, & praxi Curiæ, occasione agendi de Aduocatis, & Curialibus.

Siquidem in eodem articulo, eademquè fideicommissariorum bonorum specie, cum eadem circumstantia prohibitionis alienationis, in isto casu resolutũ fuit contra renunciantem, & in præcedenti pro eo; Cum tamen res potiùs esse debuisset in oppositum, dum in isto casu agebatur de renũciatione facta per nubentẽ in sæculo, quæ iuxtà generales propositiones, pluries in præcedentibus insinuatas, strictiùs intelligenda est, magisquè personalis; Ibi verò facta occasione ingressus in Monasteriũ, quæ latiorẽ habet interpretationem, atquè realis potiùs præsumi solet.

Actum quoquè fuit in his disputationibus de eodem puncto comprehensionis, de quo *dicto disc. præcedenti*, an scilicèt sub renunciatione facta successionibus, venirent illæ, quæ aperiantur ex causa fideicommissi; Et quamuis ego, more Aduocati, plura deducerem pro nõ comprehensione, deducendò, atq; plenè cum allegationibus exornãdo vulgarem propositionẽ, quod renunciatio dicitur stricti iuris, ac strictissimè intelligenda est; Ponderando etiam differentiam, quæ datur in iure, inter spem futuræ successionis, quæ nullam trahat causam de præterito, vt sunt merè euentuales, ac speratę bonorum indifferentium testatæ, vel intestatæ successiones; Et inter istam spem antiquorum fideicommissorum, trahentẽ causam de præterito, et super quibus, ac similibus propositionibus, pro consueto inepto stylo, superfluæ chartarum repletiones fieri solent; Attamen reflectendo ad veritatem, (Partibus pro consuetudine insinuatã) credebam, quod hoc motiuum non subsisteret, quodquè in hac parte resolutiones remanerent probabiles; Tum quia verba erant nimiũ ampla, ideoquè attenta etiam littera, seù grammaticali significatione, huiusmodi comprehensionem probabant; Tùm etiam, et pro meo sensu fortiùs, attenta substãtia voluntatis, quæ in hoc principaliter attendi debet, vt *disc. præced.*, & in alijs aduertitur, ac plenè, pluribus pro stylo relatis, in terminis comprehensionis fideicõmissi sub renunciatione, ac virtuali comprehensione, firmatur *in Romana fideicõmissi de Cosciaris coram Corrado dec. 161. par. 10. rec.*

Proùt actum fuit de renunciationis inualiditate, pro qua ex hac parte deducebantur decisiones editæ *in alia Vrbe-* 10 *uetana impress. par. 4. rec. tom. 3. decis. 523. & 724.*; Verùm eodem sensu veritatis retento, (Partibus quoquè ab initio insinuato) nequè erat solidum fundamentũ, cum dictæ decisiones in suo casu, ex eius circumstantijs essent probabiles, vtpotè continentes renunciationem bonorum, ac iurium iam quæsitorum, seù delatorũ, prò nimiũ incongrua recompensa, aliæquè accedebant circumstantiæ claram læsionem redolentes, ideoquè applicabiles non erant ad hanc facti speciem, in qua agebatur de illa renunciatione, quæ prò communi, ac laudabili consuetudine Italiæ, enunciata per Rotam *in Asculana renunciationis 1. Julij 1652. coram Cerro*, & in alijs, fieri solet patri, & fratribus, à fœminis de facto in virorum familiam transeuntibus, atquè exeundo à domo fraterna, seù paterna, quodammodo pro extraneis reputari solitis, ideoq; eis sufficere debeat cõgrua dos, quæ dari dicitur, tanquam futurarum omnium successionũ præuentiuum pretium, seù emolumentũ, ideoquè magna differentia est inter vnum casum, & alterum, totumquè propterea in huiusmodi quæstionibus consistit in applicationibus.

Præiudicium autem, quod huic Parti dictæ resolutiones produxerunt, fuit notabile, quamuis fortè crederetur, quod nullum adesset, eo quia esset idem dare matri, ac eius filijs concordibus, quoniã ità oportuit amittere omnes fructus à die motæ litis, vsquequò determinatũ fuit, vt filij venirent ad causam.

ROMANA

FIDEICOMMISSI

PRO

CREDITORIBVS HENRICI, ET FRANCISCI DE VRSINIS

CVM

ISABELLA VRSINA DE CARPINEA.

Casus decisus per Rotam pro Creditoribus.

De eadem materia renunciationis factæ per fororem fratribus occasione dotationis, an capiat fideicommissa per renunciatariorum obitum purificanda fauore renunciantis, adeoùt iura renunciata, ad extraneos etiam transmisibilia sint; Vel potiùs renũciatio dicatur personalis, adeoùt per renunciatarij mortem resoluatur; Et incidenter de solemnitatibus, præsertim illa insinuationis, quæ requiritur in donationibus, an in huiusmodi renunciationibus requiratur.

SVMMARIVM.

1 *CAsus Controuersiæ cum resolutionibus causæ.*
2 *De differentia inter decisiones, & discursus.*
3 *De ratione, ob quam adhibetur titulus, vel nomen Discursuum.*
4 *De prohibitione disponendi de bonis iurisdictionalibus in Statu Ecclesiastico.*
5 *Distinguuntur puncti, seù inspectiones huius causæ.*
6 *An, & quando pretium succedat loco rei.*
7 *In generali dispositione non veniunt bona alienari prohibita.*
8 *Quando adesse dicatur, necnè in Castris qualitas feudalis.*
9 *Constitutiones Apostolicæ super prohibita alienatione iurisdictionalium non distinguunt feuda ab allodialibus.*
10 *Quare feudalia, & iurisdictionalia in renunciationibus solèant exceptuari.*
11 *De conclusione, quod sub renunciatione non veniant ea, quorum hæres extraneus est incapax.*
12 *Quomodo dignoscatur an renunciatio sit realis, vel personalis, siuè translatiua, seù extinctiua.*
13 *Quod eadem renunciatio possit eodem tempore esse translatiua, & extinctiua.*
14 *De* decis. Achill. *vt cessante agnatione contemplata, non per hoc cesset renunciatio.*
15 *Quando donatio ob certam causam resoluatur cessante causa.*
16 *De renunciatione, quæ importet solùm liberationem renunciantis ab onere.*
17 *Regula vt cessante causa &c. limitatur vbi effectus est consumatus.*
18 *Spes futuræ successionis translatiuè cedi, vel renunciari potest.*
19 *Declaratur, quando ista conclusio procedat.*
20 *De eodem de quo num. 16.*
21 *Ad quem finem frequentius renunciationes procurentur.*
22 *De insinuatione requisita in renunciationibus.*
23 *De differentia inter insinuationẽ de iure communi, & ex Statuto Vrbis.*
24 *Iuramentum facit cessare insinuationem requisitam de iure, non autem illam ex Statuto.*
25 *De differentia inter diuersas species insinuationis.*
26 *De Constitutione Ægidiana, & de Carpensi, & de differentia inter eas.*
27 *De erroribus pragmaticorum circa doctrinas.*
28 *Quando insinuatio requisita in donationibus, requiratur in renunciationibus.*
29 *Non sunt assumendæ quæstiones iuris, vbi tolli possunt ex facto.*
30 *Mulier dotari dicitur de suo, vbi dos sit intuitu renunciationis.*
31 *Quomodo sit æstimandus valor iurium, quæ renunciantur.*
32 *Insinuatio non intrat in donatione cum onere.*
33 *An in donatione iuris quærendi requiratur*

ratur insinuatio.

34 *De eadem conclusione, de qua num. 18.*

35 *De alia conclusione de qua num. 16.*

36 *Quando renuncians non dicatur aliquid dare, ac patrimonium minuere.*

37 *Onera, & vincula minuunt de valore.*

38 *De insinuatione requisita in remissione proprij iuris, quando intret &c.*

DISC. VI.

1 POstquam super puncto fideicommissi, ac super altero Bullæ Baronum, ad fauorem Comitissæ Isabellæ prodierunt *in Rota coram Veroſpio*, resolutiones de quibus *sub tit. de feud. disc. 84. & sub tit. de fideicom. disc. 37.*; Me hoc motiuum ab initio promouente, succumbentes creditores Henrici, & Francisci dictæ Isabellæ fratrum, conuolarunt ad renunciationem, quam ipsa nubendo occasione dotis per fratres sibi constitutæ ad eorum fauorem fecerat, atquè coram *eodem Veroſpio* fauore creditorū pro renunciationis obstantia responsum fuit, *sub diebus 3. Decembris 1655. & 9. Maij 1659.*, ad quarum resolutionum normā expedita sententia, in gradu appellationis cōfirmata fuit *corā Beuilaqua* pręuia vnica decisione *sub die 21. Iunij 1660.*; Commissaq; denuò per Signaturam pro frequentiori stylo, causa *coram Taia*, cum clausula *constito quod sit locus Statuto de duabus conformibus*, pro istarum exequutione responsum fuit *sub diebus 17. Februarij 1661. & 24. Maij 1662.*, atq; ità causa finem habuit.

Quamuis enim in prima instantia, altera *coram Veroſpio* circumferatur Decisio *sub die 29. Maij 1656.*, attamen reuerà nō est Decisio, sed Discursus; Quando etenim ob aliquas difficultates vota concordia non sunt, solet quandoque Rota (pro stylo quidem commendabili) demandare causæ Ponenti, vt benè recognito facto, Discursum super ijs, quæ hincindè vrgeant, edat, vt ità partibus, earumquè defensoribus ad eius normam propria motiua comprobantibus, seù melius elucidantibus, atquè illa Partis aduersæ strictè reprobātibus, melior veritatis inquisitio habeatur, vt patet *apud Mantic. decis. 247. Penia decis. 1600. Duran. decis. 285. Bich. decis. 306.*, & in alijs pluries, ideoquè Discursus discreti sunt à decisionibus.

2 Atq; hinc edoctus fui istū Discursuum terminū meis adnotationibus tribuere, atq; in forma discursiua examinare veritatē aliquarū forensiū quæstionū, ex ijs, quas in longè maiori numero fortè vltrà 3 duplum, vel triplum, disputare occasio dedit, alijs sub silentij tenebris relictis, quia regulæ prudentiales, aut Partium præiudicia prohiberent.

In disputationibus autem (& quidem acerrimis) desuper habitis, quatuor fuerunt puncti; Primò nempè cum quæstio esset super locis montium, alijsquè bonis prouenientibus ex pretio oppidi, seù castri Montis Rotundi venditi in vim Bullæ Baronum iuxtà celebrem *decisionem 36. par. 5. rec.*, adeò frequentèr enunciatam *sub tit. de feud.* ad materiam dictæ Bullæ, atquè renunciatio contineret exceptuationem bonorum iurisdictiona- 4 lium, de quibus prohibitum est *disponere* per actus inter viuos sine licentia Apostolica per Constitutiones, de quibus *sub tit. de credit. disc. 13. & 151.*, ac *sub tit. de feud. disc. 62. cū seqq.*, an dicta loca mōtiū venirent sub renunciatione; Secundò 5 super cōpræhensione renunciationis, an scilicèt caperet casum fideicommissariæ successionis per eorumdem renunciatariorum obitum aperiendæ; Tertiò in idem, super eiusdem renunciationis natura, seù qualitate, an scilicèt esset realis, vel personalis; seù respectiuè translatiua, vel extinctiua, ad effectum illius resolutionis per cessationem personarum; Et quartò demùm, vbi esset translatiua redolens donationem inter viuos, an corrueret ob non adhibitam insinuationis solemnitatem à Statuto Vrbis 150. requisitam, sub decreto annullatiuo in summa excedente ducatos bis centū, qui important hodiernos scutos monetæ centum quinquaginta.

Quatenùs pertinet ad primum; Scribentes pro actrice dicebant (et benè), quod absquè necessitate assumendi quæ- 6 stionem pluries insinuatam *præsertim sub tit. de emphyt. disc. 58.*, & *sub tit. de credit. disc. 35.*, ac etiam pluries *sub tit. de feud.*, an scilicèt, & quando pretium succedat loco rei, eiusquè naturam assumat; Id planum est in pretio obuento ex alienatione castrorum, aliorumquè bonorum,

rum, quæ vendantur per Congregationem Baronū in vim Bullæ prædictæ, quę ità expresse disponit, vt pluries habetur ad eiusdem Bullę materiā *sub tit. de feud.*; Et cōsequenter posita omnimoda subrogatione, dicebant quod dictum oppidū, seu castrum, non cadebat sub renunciatione, dum castra, & feuda exceptuata
7 fuerant; In idem deducendo etiam propositionem pluries insinuatam, vt sub genericis dispositionibus non veniant bona feudalia, seù aliàs alienari prohibita, vt *eod. disc.* 13. & 151 *de feud.*

Meritò autem istud motiuum neglectum fuit, adeoùt post primas disputationes, per eosdem Scribentes derelictū
8 sit, quoniā feudalis qualitas non aderat, ex iā firmatis per Rotā *in Sabinen. Mōtis Rotundi coram Coccino decis.* 93. *par.* 5. *rec.* pluries allegata *sub tit. de feud.* super exclusione propriæ, ac strictæ qualitatis feudalis in huiusmodi castris & locis, quæ per Barones Romanos possidentur;
9 Quamuis ad effectum de quo agebatur, id nihil referret, dum stantibus Constitutionibus Apostolicis, de quibus *sub tit. de feud. disc.* 62. & pluribus sequentibus, & *sub dicto tit. de credit. disc.* 13. & 151. idem importat.

Verùm corruebat motiuum, ex eo, quod renunciationis tenor clarè comprobabat, vt partium voluntas fuerit faciendi amplam renunciationem generā-
10 lem de omnibus, & quibuscumque bonis, ac iuribus de præsenti, vel de futuro competentibus, quodque dicta exceptuatio, seù præseruatiua non percuteret substantiam renunciationis, vt sub ea comprehensa non essent bona feudalia, & iurisdictionalia, ex deficiente voluntate renunciandi, sed solùm pro quadam cautela adhiberi solita, ad effectum euitandi pœnas in eisdem Apostolicis Constitutionibus contentas, quatenùs earum prohibitio casum comprehenderet, vt aduertitur præsertim *sub tit. de feud. discurs.* 85., & in eadem causa *in supplemento*.

Dicta verò prohibitio in præsenti non intrabat, dum renuncians nullum ius de præsenti habebat, neq; aliquid in renuncia-tarios trāsferebat, vt infrà, sed solū renūciatio importabat remissionē proprię spei incertæ, ac euentualis, quod dici non potest, vt importet ipsorum bonorum propriam, vel impropriam alienationem.

Secundus punctus, pariter modicam habuit difficultatem, quoniam licèt bona fideicommisso, aut inuestituræ, vel deuolutioni subiecta, vbi præsertim stri-
11 ctam, ac pœnalem habeant alienationis prohibitionem, sub huiusmodi renunciationibus non cadant, iuxtà theoricam *Bart.*, de qua *in duobus discursibus proximè præcedentibus*; Attamen id procedit, quando vrgeat ratio, cui eadem theorica innixa est, quia nempè, data renunciationis operatione, super exclusione personæ renunciantis, commodum non esset renunciatarij, vel habentium causam ab eo, sed esset extraneorum, vel remotiorum contrà verisimilem vtriusq; voluntatem; Secùs autem, vbi dicti absurdi, seù inuerisimilitudinis ratio cesset, quia nempè quæstio sit cum habentibus causam à renunciatario, in cuius commodum, ac vtilitatem, renunciationis effectus redundet absque mixtura tertij extranei, vel remotioris venientis independenter infringendo ius vtriusque, ideoque dicebam, quod conclusio esset vera, malè tamen applicata.

Maior igitur, ac tota quæstio fuit super tertio puncto concernente qualitatem, seù naturam renunciationis, an scilicèt esset realis, vel personalis, siue translatiua, vel extinctiua, pro eodem effectu resolutionis, vel cessationis, ob cessationem personæ contemplatæ, vt in extraneos hæredes, bona, ac iura renunciata transitum facere non potuerint.

In hoc autem puncto; Cum ego, & cæteri pro parte creditorum Scribentes, conuincenter probaremus, quod ista renunciatio esset quoq; in forma trans-
12 latiua; Tùm attento contextu verborum, quod scilicèt successiones, ac bona, & iura renunciata posita essent in accusatiuo, non autem in datiuo, vel ablatiuo, iuxtà distinctionem, de qua habetur in præcedentibus, ac etiam infrà *in Auximana disc.* 8. & *in decis.* 631. *Bichij*, quæ in ea causa de tempore istarum disputationum iam edita erat, (& quæ causa mihi inea scribenti impulsum dedit ad promouendum istud motiuum renunciationis, ità dando spiritum causæ penè mortuæ); Tùm etiam ob clausulas *ponens, dans, transferens &c.*, ac si-

miles in proposito considerari solitas ex deductis *dicto disc.* 8.

Respondebant Scribentes pro actrice dupliciter; Primò nempè, quod cum expressè diceretur, quod renuncians huiusmodi renunciationem faciebat ergà fratres, eorumque filios, ac descendentes contemplatione agnationis, ità in verbis habebatur personalitas, adeoùt intraret vulgaris regula textus *in l. ille aut ille ff. de legat.* 3. quod in claris, & expressis non intrent quæstiones, & argumenta.

Et secundò, quod cum renuncianti competerent bona, & iura duplicis generis, illa scilicèt quæsita, ac de præsenti competentia, pro dote de paragio, &
13 alia, de futuro super successionibus obuenturis, præsertim ex isto fideicommisso, quod per plorum renunciatariorum mortem putrificari potuisset, ac etiam ob eorumdem intestatam successionem, ità sequebatur, quod eadem renunciatio vtramque naturam respectiuè haberet, translatiuæ, & extinctiuæ; Primam scilicèt in bonis, ac iuribus iam quæsitis, ac de præsenti competentibus; Alteram verò in illis de futuro, iuxtà distinctionem, de qua *ex Bald. conf.* 437. *lib.* 1. & alijs, *Montan. contr.* 10. & *Donad. de renunc. tom.* 1. *cap. fin. num.* 28. *cum seq.*

Prima responsio, circà renunciationis causam restrictam ad contemplationem agnationis, sublata fuit *cum decis. vnic. Achill. de donat.*, cum qua (pro stylo de-
14 ferendi antiquarum decisionum auctoritati) processum fuit, potissimè stante eius canonizatione *per Rot. mediam dec.* 587. *par.* 1. *rec.* & in alijs, de quibus in huius causæ decisionibus; Quod scilicèt, vbi donans, vel renuncians sibi expressè non consulit de pacto reuersiuo tùc sola expressio contemplationis hunc effectum non operatur, neque impedit, quin bona, vel iura donata, vel renunciata, transeant ad donatarij, vel renunciatarij hæredes, vel successores, quamuis extraneos.

Ista responsio ità generaliter sumpta, mihi (quamuis more Aduocati causæ inseruientis eam deducerem, nimiùmque laudarem) non placebat, ex ijs, quæ in
15 materia resolutionis donationis, cessante donandi causa, ad quam donator expressè se restrinxerit, vbi probabilia accedant argumenta, quod eadem causa non esset solùm impulsiua, sed finalis, ac principalis, habentur *sub tit. de donationibus disc.* 8. & *seq.*

Bene tamen credebam, quod motiuum non intraret in hac facti specie, ex eius qualitate, & circumstantijs, dum donatio, seù renunciatio non continebat bo-
16 na, & iura, quæ siue de præsenti, siue de futuro ex ipsius renunciantis persona, ac iure, transferantur in donatarium, seù renunciatarium, qui ità ipsum renunciantem, vel donantem agnosceret in eius auctorem, in quibus terminis intrat quæstio *super dicta decis. Achill.* cum alijs, de quibus *dicto disc.* 8. *de donat.*, sed verè, ac propriè versabamur in casu, de quo in celebri *Signina castrorum dec.* 12. 292. 320. & 323. *par.* 6. *rec.*; Siue in altero, de quo *sub tit. de fideicommiss. disc.* 94. & *dec.* 587. *par.* 1. & 598. *par.* 3. *rec.*, & *dec.* 161. *par.* 10. cum similibus, quod scilicèt ille, qui iam erat dominus, ac possessor bonorum, cum onere restitutionis, & fideicommissi ad fauorem alterius, qui præmori potuisset, ità ad acquirendum libertatem bonorum, renunciationem obtinere curauit, per quamdam speciem liberationis ab eo vinculo, vel onere, tanquam per remotionem obstaculi, ità faciendo voluntariè se præmortuum; Et consequenter non intrant termini pacti resolutiui, seù regressus ad iura propria donata ex regula *cum cessante &c.*, dum nihil transtulit, sed renunciatarius tanquam dominus, ac possessor, continuauit iure suo primæuo, remouendo solùm dictum obstaculum incerti oneris restitutionis; Ideoque ista bona, in instanti renunciationis, acquisierunt libertatem, cuius effectu consumato, non intrat dicta
17 regula *cum cessante*, inter cuius limitationes illa præcipua est, vt non cesset effectus iam consumatus ex deductis *per Tiraquell.* ad hanc regulam *limit.* 12. *num.* 1. & *per tot. Mantic. decis.* 131. *nu.* 4. & communiter.

Quoueró ad alterum motiuum, vt in iuribus de futuro, verificari non possit renunciatio translatiua, sed perneceséè dicenda si extinctiua, iuxtà suprà al-
18 legatum *consil. Baldi, & controu.* 10. *Montan.*, quæ in hac materia nimiùm circumferri solet; Rota in decisionibus, contenta fuit responsione, quam ego &

cæ-

cæteri deducebamus delumpta ex textu *in l. ſpem Cod. de donat.*, quod ſcilicèt etiã futurarum ſucceſſionum ſpes in contractum donationis, vel venditionis deduci poteſt, vbi præſertim agatur de renunciatione generali, adeoũt non intret illa prohibitio, quæ propter votum captandæ mortis, prohibita eſt, vbi agatur de ſucceſſione certæ perſonæ iuxtà *text. in l. fin. Cod. de pact.*, de quo in alijs *hoc eod. tit.*

Pariter iſta reſponſio, ità ſimpliciter ſumpta, in hac facti ſpecie periculoſa videbatur; Illa ſiquidem rectè procedit, vbi agatur de ſucceſſionibus aliarum perſonarum, in quibus verificari valeat id, quod in præcedentibus inſinuatur, vt ſcilicèt, ſucceſſio ſubſtantietur in renunciante, ex cuius perſona, ac iure, capiat renunciatarius, vel habens cauſam ab eo, quamuis incapax, in ſola vtilitate ſeù commoditate, & tanquam renunciatarij procurator in rem, ſeù cauſam propriam; Et in his terminis rationabiliter deducta *per Montan. dicta contr. 10.* impugnantur *per Camill. de Medic. conſ. 35. num. 15. & per Fab. de Ann. conſ. 45. num. 28. cum ſeqq.* ac per alios, cum id nihil prohibeat, quoties ceſſaret dicta inteſtio, quæ reſultat ex diſpoſitione textus *in l. fin. Cod. de pact.*

Secùs autem, vbi agatur de ſucceſſione aperienda per mortem ipſiuſmet renunciatarij, in bonis per ipſum poſſeſſis, cum implicet, vt res mea, denuò mea effici valeat, atque ad me per alium transferri, & conſequenter, actus renunciationis non poteſt importare niſi remiſſionem, ſeù extinctionem iuris ſperati per renunciantem, iuxtà ſupradictos terminos remotionis obſtaculi, ac propterea improprij remanent termini dicti textus *in l. ſpem*; Atque in hac parte, benè pro meo iudicio, dicebant Scribentes in contrarium.

Verum obiectum ſolidè remouebatur cum dicta alia reſponſione, effectus liberationis bonorum iam conſumati, quodque propterea, vbi renunciatarij obijſſent ab inteſtato, atque de bonis renunciatis non diſpoſuiſſent, renunciatio non excluderet perſonam renunciantem à dicta ſucceſſione, ex deductis in præcedentibus; Secùs autem, dum iam renunciatarij diſpoſuerant tanquam de bonis iam ità liberis effectis.

Aliam quoq; nimiùm efficacem ponderabam rationem, ſeù circumſtantiam dictæ perſonalitatis excluſiuam, & quæ apertè comprobabat renunciatariorum
20 voluntatem, ità acquirendi prædictam bonorum libertatem, ab eo fideicommiſſi nexu, cui ea ſubiacere poterant, fauore fœminæ renunciantis, quatenùs ipſis abſque prole decedentibus, eius caſus fieret; Quod ſcilicèt renunciatio aliàs omninò inutilis eſſet, atque manifeſtam fatuitatem redoleret, dum tam ex ordinatione fideicommiſſi, quàm ex Statuto Vrbis fœminarum excluſiuo, maſculis exiſtentibus, donec ipſi fratres viuerent, vel eis decedentibus, ſuperſtitibus filijs maſculis, ſiue fœminis, eadem renuncians nullum ius habebat.

Ideoque dicendum eſt, id quod in præcedentibus inſinuatur, quod ſcilicèt huiuſmodi renunciationes frequentiùs principaliter reportari ſolent, ad effe-
21 ctum acquirendi dictam diſponendi libertatem, quodque propterea, vbi ageretur de ipſorum renunciatariorum inteſtata ſucceſſione, in concurſu remotiorum, tunc rectè procederent ea, quæ ex parte renunciantis deducebantur, vt donatio durare non deberet; Secùs autem in præiudicium creditorum, vel aliorum, ad quorum fauorem renunciatarij diſpoſuerant, quoties diſpoſitio, ſecluſo obſtaculo renunciantis, effectum ſortiri poteſt, quia nempè non intret ratio, cui innixa eſt ſuprà enunciata theorica *Bartoli in l qui Romæ §. duo fratres ff. de verborum oblig.* & alibi; Iſtique mihi videbantur huius controuerſiæ termini.

Demùm quoad quartum punctum prætenſæ inualiditatis renunciationis, ob non adhibitam inſinuationis ſolemnitatem; Ijdem Scribẽtes pro actrice, qui
22 in hoc puncto acriter inſiſtebant, nimiùmque in eo laborarunt, materiam inuoluere videbantur, commiſcendo, ſeù veriùs confundendo concluſiones, ſeù auctoritates percutientes illam inſinuationis ſolemnitatem, quæ requiſita eſt per Ægidianam Conſtitutionem in omnibus contractibus quomodocumq; læſiuis minorum, ac mulierum reſpectiuè, cum altera inſinuatione, quæ de iure communi in donationibus tantùm requiſita eſt, eadem iuris diſpoſitione in-

nonata, ac etiam alterata in Vrbe per eius Statutum *cap.* 150.; Tùm circà summam, quæ de iure est solidorum 500., qui ex magis communi, & recepta sen-
23 tentia important scuta 700. circiter nostrorum temporum, vt aduertitur in sua materia *sub tit. de donationib.* præsertim *disc.* 60., Statutum verò se restrinxit ad summam ducatorum bis centum de carolenis, qui important scuta 150. monetæ iuliorum decem pro quolibet, siue, iuxtà currentem auri valorem, scuta centum auri.

Tùm etiam, tollendo efficaciam iuramenti, cuius ratione dicta solemnitas à iure communi inducta, penè idealis remanere videtur, dum magis communi-
24 ter receptum est, vt iuramento accedente, illius defectus non attendatur, vt in dicta sua materia *de donat. dicto disc.* 60. & in alijs.

Longè autem isti termini differunt inter se, quoniam prima species insinuationis, restricta non est ad veras, ac puras donationes tantùm, vt est altera; Sed per-
25 cutit omnes, & quoscumque contractus, qui læsiui, ac aliàs præiudiciales esse possunt; Ideoque in pluribus causis, in quibus agitur de hac speciali materia renunciationum, disputatur de hac infectione resultante à defectu huius insinuationis, non autem alterius, quæ in donationibus requiritur.

Æquiuocum autem erat, huiusmodi decisiones, ac auctoritates deducere in hac facti specie, in qua solemnitas desiderata per Ægidianam non intrabat,
26 cum ageretur de muliere maiore, de qua dicta Constitutio non disponit, vtpotè agens de minoribus tantùm; Et quamuis eiusdem Constitutionis contextus probet, vt ea, quæ in minoribus statuta sunt, ad mulieres quoque extensa fuerint; Nihilominùs (vt pluries aduertitur in sua materia *sub tit. de alienat. & contract. prohib.*), ista est extensio facta *per Carpensem*, in qua non intrat confirmatio, ac respectiuè extensio ad Vrbem, vniuersumq; Statum immediatũ Ecclesiasticum facta per Sixtum IV., & Paulum III., vndè propterea operatiua est intrà limites propriæ Prouinciæ Marchiæ Anconitanæ.

Itaq; est vnus ex intolerabilibus modernorum erroribus, adeò frequentium æquiuocorum productiuis, quod immorando in sola superficie litteræ, atq;
27 dendo solis indicibus, seù repertorijs, quidquid reperitur sub eo nomine, seù termino, qui cadat in quæstione, cum improbo, indigestoque labore, consarcinatur, non distinguendo casuum, vel terminorum diuersitatem.

Strictè igitur ad insinuationem requisitam in donationibus; Quamuis in vltimis præsertim disputationibus tertiæ instãtiæ *coram Taia*, nimiùm inter Scri-
28 bentes hinc indè certatum fuerit, super applicatione theoricæ *Baldi in l. illud nu.* 11. *Cod. de sacrosanct. Eccles.*, à qua deriuat conclusio, quod in donatione, vel renunciatione iuris quærendi, hæc solemnitas non requiratur; Nihilominùs Rota in decisionibus, deducendo aliquid hinc indè, ob votorum diuersitatem, nihil determinare voluit, euitando difficultatem cum solo facto; Et quidem prudenter, quoniam, (vt pluries insinuatur,) forensium nimia imprudentia, imò
29 ineptia, seù iudicij imbecillitas est, assumere iuris quæstiones in abstracto, seù reducere causam ad articulos iuris, qui ob ingeniorum varietatem semper periculosi sunt, quoties difficultas tolli potest ex facto.

Ista siquidem renunciatio, non erat merè gratuita, & lucratiua, sed correspectiua ad pinguem, ac excessiuam dotem, quam fratres, vltrà illud paragium, quod ex obligatione debitum erat, soro-
30 ri constituebant, & qui excessus dicitur pretium futuræ spei renunciatæ, adeòt puella dotem ità, non de paternis, vel fraternis, sed de proprijs bonis habere dicatur, vt pluries aduertitur in sua materia *sub tit. de dote*, præsertim *disc.* 154. & 155. & in alijs ibi enunciatis.

Valor autem, seù pretium huiusmodi renunciationum, metiri debet de præsenti, idest de tempore renunciationis, & quantùm communi peritorum iudicio æstimaretur, seù vendi posset ista spes,
31 quæ inanis remanere potest, iuxtà illam æstimationem, quæ datur in iactu retis, vel in incerta alea, atque pro frequentiori vsu in illis sponsionibus, quæ vulgò *lotto* nuncupantur, quarum exemplo vtitur vltima decisio *coram Taia*, & de quibus habetur *sub tit. de alienat. & contract. prohib. disc.* 47. & *sub tit. de vsur. disc.* 36.;

Itaque

Iſtaque valutatione attenta, certum remanebat, quod neq; adæquabat dictum exceſſum, quoniam cum eſſet quædam ſpes, quæ pro naturali curſu probabiliter non erat euentura per mortem duorum iuniorum fratrum ſine prole, iuuenum ac robuſtorum, qui ſæcularem vitam ducebant, idcircò ceſſabat quæſtionis occaſio in radice, dum ita nil remanebat, quod donationi, atque lucratiuæ cauſæ referri poſſet, in quo caderet inſinuationis inſpectio.

Clariùs verò, quoniam hæc renunciatio non erat pura, neque libera, ſed continebat onus fideicommiſſi ad fauorem
32 deſcendentium eorumdem donatariorum, quo caſu etiam vera, & pura donatio tanquam oneroſa, & cauſatiua, non ſubiacet inſinuationi ex deductis *dicto diſc.* 60. *de donat.*, & aduertitur etiam in vltima deciſione *coram Taia*, ac in alijs.

Verùm quatenùs pertinet ad dictam concluſionem, ſeù quæſtionem, an ſcilicèt in donatione, vel renunciatione iuris quærendi, inſinuatio requiratur;
33 Quamuis ego, & cæteri pro hac parte ſcribentes, ſimpliciter deduceremus regulam negatiuam deductam ex dicta theorica *Baldi in l. illud Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* de qua cæteris relatis *Tiraquell. in l. ſi vnquam* verbo *donatione largitus numer.* 180. *& ſeqq. Gabr. de donat. concluſ.* 1. *Mantic. de tacit. lib.* 13. *tit.* 5. *num.* 16. *Rota apud Buratt. deciſione* 333., *& in ſupra allegatis deciſionibus* 12. 292. 320. *&* 323. *par.* 6. *rec.*; Attamen reflectendo ad veritatem, mihi videbatur, quod æquiuocum eſſet cum hac generalitate procedere, quodquè procedi deberet cum ſequenti diſtinctione.

Aut etenim agitur de illa futuræ ſpei, vel iuris quærendi renunciatione tranſlatiua, quæ per ſpeciem donationis, iuxtà dictos terminos textus *in l. ſpem Cod. de donat.*, fiat de vna, vel pluribus ſperatis
34 ſucceſſionibus, quæ per parentum, vel aliorum coniunctorum mortem aperiẽdæ ſint; Et tunc, vbi præſertim eſt ſpes de futuro, radicata in cauſa de præterito, vt in his fideicommiſſarijs ſucceſſionibus contingit, vel in feudalibus ſiuè emphyteoticis, quæ reſultant ab inueſtitura pacti, & prouidentiæ, cum ſimilibus, certum eſt, quod iſtud ſperatum ius, pro magis proxima, & veriſimili, ſeù reſpectiuè remota, & inueriſimili ſpei verificatione, ſuum habet pretium, ſeù valorem, eodẽ modo, quo (iuxtà exempla ſuperius tradita) iactus retis, ac incerta alea, ſiuè ſponſio, regulando huiuſmodi incertitudinem, cũ ponderationibus, de quibus *ſub tit. de Regal. diſc.* 30. *& ſeqq.*, *& ſub tit. de donat. diſc.* 54., adeoùt in emptionis, & venditionis contractum deduci valeat, ac de conſequenti intrare poſſit læſio, ſeù circumuentio, iuxtà terminos textus *in l.* 2. *Cod. de reſcindend. vendit.*, ideoquè de conſequenti rectè intrat inſinuatio, quatenùs huius ceſſæ ſpei valor à iure communi, vel ſtatutario præfinitam ſummam excedat, cum ſit transferre ius, quod in illa ſpe iam de præſenti competit, vt in ſpecie aduertitur *apud Gabr. dicta concluſ.* 1. *de donat. nu.* 77., et conferunt quæ habentur *dicto diſc.* 154. *& ſeqq.* & in alijs *ſub tit. de dote*, vt dos, quæ per patrem, vel fratres datur puellæ renunciationis intuitu, conſtitui dicatur potiùs de ipſius puellæ bonis tãquam dictæ ſpei pretium; Ergo ſpes habet ſuum valorem.

Aut verò agitur de renunciatione illi neceſſariæ ſucceſſioni, quæ ſperetur per
35 ipſius renunciatarij mortem, vt in præſenti; Et tunc reuerà (vt ſuperius in tertio puncto aduertitur) non intrant termini donationis, vel translationis, ſed potiùs illi abſtentionis, faciendo ſe mortuum, ſeù tollendo ſe de medio, tanquã per remotionem obſtaculi, ſeù per quãdam præuentiuè declaratam futuram nõ agnitionem, quæ non importat ius formatum, ſed ſimplicem facultatem, ex cuius vſu, ſeù exercitio, & non aliàs ius reſultare dicitur, iuxtà notata ad textum *in l. qui autem ff. quæ in fraudem creditor.*, de quibus *ſub tit. de credito diſcur.* 40. *&* 136. *& ſeq.*; Et in his terminis procedunt dictæ auctoritates, præſertim ſuperius allegatæ deciſiones *in Signina Caſtrorum par.* 6. *rec.*

Ità enim renuncians, nihil transferre dicitur, cum ſit ſpes, quæ non exiſtere, atq; caducari poteſt, ideoquè ſuum patrimonium diminuere non dicitur, neque verè pauperior effici, minuſquè renun-
36 ciatarius aliquid de nouo acquirit à renunciante in ſe translatum, cum ità in eius antiquo dominio, ac iure perſeue-

rer,

ret, meliorato quidem, sed ità per accidens, ac insensibiliter, per remotionem illius seruitutis, vel resolutionis, cui eius dominium subiacebat; Eodem modo, quo dominus rei, vsustructus, vel alterius seruitutis onus habentis, eo cessato, nullum ius de nouo acquirere dicitur, sed suum antiquum continuat, ità melioratum, per cessationem accidentis; Ad instar eorum, quæ habentur apud Beneficialistas de iure, quod Ordinarij collatores obtinent conferendi beneficia reseruata Sede Papali vacante, ob expiratas regulas Cancellariæ, siuè ob Apostolica Indulta, iuxtà formam antiquam ante Constitutionem Vrbani VIII., vt in sua materia *sub tit. de benef.* cum similibus.

Importat siquidem huiusmodi obstaculi remotio renunciatarij locupletationem, in eo maiori valore, quem bona per ipsum possessa acquirunt, ob remotionem oneris, quod de pretio, seù valore, pro illius qualitate, notabiliter minuit, 37 ex deductis in proposito locorum montium vinculatorum *dicto titulo de Regal. disc.* 30. *cum seqq. & sub tit. de camb. disc.* 2., ac etiam *sub tit. de feud. disc.* 99., *& sub tit. de credit. disc.* 53. & 139., occasione agendi generaliter de diminutione, quam etiam pecunia patitur ratione cautionis, vel obligationis de restituendo prioribus, vel potioribus creditoribus; Adeóut renunciatarius, qui subiectus erat vinculo, prius possideret bona valoris (e. g.) scutorum 150., quæ ita effecta sunt valoris 200., sed è conuerso renuncians, verè, & de facto non fit pauperior, neque suum patrimonium diminuit.

Et quamuis, vt aduertitur *dicto tit. de donat. disc.* 60., etiam in remissione insi- 38 nuatio requiratur, nihilominùs procedit in remissione iuris iam quæsiti, atq; actualiter competentis, iuxtà distinctionem de qua in terminis textus *in l. qui autem ff. quæ in fraud. creditorum dicto disc.* 40. & 136. *cum seq. de credito.*

BONONIEN.

SVCCESSIONIS

SEV

FIDEICOMMISSI

Ad instantiam

IOANNIS PHILIPPI DE PODIIS

CVM

CHRISTOPHORO.

Responsum pro veritate.

Dè renunciatione facta per virum ingredientem Religionem, an dicatur personalis, adeoùt suffragetur ei soli, cuius intuitu facta est, ad cuius fauorem faciat numerum, & partem; Vel potiùs sit realis, itaùt eo habito pro non extante, suffragetur omnibus.

Et an renunciatio facta per ingredientem Religionem, capiat successiones obuentas post professionem.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Renunciatio translatiua prodest solùm renunciatario, cuius fauore persona renunciantis facit numerum, & partem.*
3 *Quod ista sit quæstio facti.*
4 *Quando renunciatio sit translatiua.*
5 *De eodem ob clausulas.*
6 *De eodem ob correspectiuitatem.*
7 *An translatiua renunciatio dari valeat in successionibus de futuro.*
8 *De successione de futuro, trahente causam de præterito.*
9 *An renunciatio facta per ingredientem Religionem capiat successiones delatas post professionem.*

DISC. VII.

PRæsuppositò, quod fideicommissum ordinatum per Ludouicum de Astis, purificatum esset æqualiter ad fauorem Christophori, Antonij, & Elisabetræ nepotum dicti Ludouici ex Clara filia, seù Ioannis Philippi dictæ Elisabetræ filij, & de quo fideicommisso habetur in sua materia *sub tit. de fideicommiss. disc.* 32.; Cum Antonius, in Ordine Minorum Conuentualium professus, in limine professionis, ad præscriptum Sac. Conc. Tridentini *sess.* 25. *de Regular. cap.* 16., renunciauerit, atq; cesserit Christophoro fratri omnia eius bona & iura, necnõ successiones, quomodocumquè, tàm ex testamento, quàm ab intestato sibi deuolutas, ac deuoluendas, cum clausulis amplissimis, præsertim illis *ad habendum, & constituti, ac promissione euictionis*; Cumquè fideicommissum prædictum, post dicti Antonij, iam emissam professionem, purificatum esset; Hinc orta est dubitatio, inter dictos Christophorum, & Ioannem Philippum, an stante dicta renunciatione, æqualis deberet esse eorum successio, perindè, ac si persona dicti Antonij renuntiantis, de medio sublata esset; Vel potiùs hic, numerum, & partem facere deberet ad fauorem Christophori renunciatarij, adeoùt iste duas obtinere deberet portiones; Siuè, an potiùs portio dicti Antonij, vtpotè delata, post professionem, deberetur Religioni capaci in communi; Atquè super his consultus pro veritate ex parte Ioannis Philippi, qui æqualem successionem desiderabat.

Contra ipsum requirentem, ad fauorem Christophori, dixi probabilius respondendum videri, quoniam vbi expressè, vel coniecturaliter constat, quod renunciatio ad fauorem vnius tantùm facta sit, illa, vtpotè translatiua potiùs, quã extinctiua, ità redolens speciem donationis, renunciatario tantùm prodesse debet, vt ità, reijciendo, seù declarando *cons.* 6. *Dini* & sequacium, post *Gulielm. de Cuneo, & Rayner. de Forol.* & alios, firmant *Bald. in l. pactum num.* 6. *Cod. de Collation.* vbi *Castrens. num.* 8. & cæteri *Ias. in l. auus nepcis numer.* 4. *ff. de pactis Bellon. iun. de iur. accresc. cap.* 5. *quæst.* 48. *num.* 15. *cum sequen. Surd. cons.* 446. *num.* 14. benè *Galeot. lib.* 2. *controu.* 10. *à num.* 7. *ad* 20. latè *Fab. de Ann. cons.* 45. *num.* 13. *cum seq. & num.* 46. *cum seqq.*; Et hanc opinionem, præsupposita qualitate renunciationis translatiuæ, non autem extinctiuæ, tanquàm absolutam, sæpiùs tenuit *Rota* præsertim *in Auximana dotium* 26. *Iunij* 1655. *coram Eichio inter suas decis.* 631., *in Maceraten. hæreditatis* 27. *Maij* 1658. *coram Verospio in Bonon. bonorum, seù successionis de Sigighellis* 2. *Martij* 1663. *coram Otalora in fine*, & habetur sæpius in alijs *hoc eod. tit.* præsertim in dicta *Auximana discur. seq.*; Ex quibus liquet, vt ista sit quæstio potiùs facti, seù applicationis, super natura scilicèt, seù qualitate renunciationis, quoties eius verba sint ambigua, àn
3 scilicèt cẽsenda sit personalis, vel realis, siuè (vt alij dicunt) translatiua, vel extinctiua, quoniam posito, vt ea sit personalis, seù translatiua, (quod in proposito sonat in idem), certum est, vt prodesse debeat soli renunciatario, tanquam donatario, atquè per renunciantem solùm contemplato, non autem alijs, secùs è cõuerso.

Quod autem præsens renũciatio esset personalis, seù translatiua, clarè ostendebat illius tenor, dum concepta erat per verba meram donationem, expressè denotantia, vndè propterea, vt aduertitur
4 *in dicta Auximana dotium coram Eichio*, & in alijs, in claris non intrant præsumptiones, & argumenta ad vulgarẽ regulã text. *in l. ille aut ille ff. de legat.* 3.; Nequè immorandum est in ijs, quæ in casu dubio considerari solent per DD. plenè deductos *per Fab. de Ann. dicto cons.* 45. *& apud Bortiglier. de success. ab intest. theorem.* 49. *num.* 18.

Vltrà verò dicta verba donationem redolentia, accedebant etiam, promissio euictionis, clausulæ *ad habendum*, & *Constituti*, & alia similia, quæ apud allegatos
5 pro translatiua, & personali qualitate cõsiderari solent; Et clariùs, quia expressè dicebatur, vt iura cessa, soli Christophoro acquirerentur quod repugnat renunciationi reali, seu extinctiuæ, vt ponderat *Fab. de Ann. dicto cons.* 45. *num.* 46. *cum seq.*; Ac etiam quia renunciatio nõ fue-

rat

rat merè gratuita, neque dici poterat facta solo amore Dei, vt abijcerentur temporalia, vt aliqui in huiusmodi renunciationibus factis per ingredientes Religionem, ponderare solent; Quod tamen, vt alibi aduertitur, hodie non de facili verificatur, vbi agatur de Religionibus capacibus, sed ob correspectiuam obligationem Christophori fratris soluen-
6 di etiam de proprio Religioso renunciãti singulis annis libras 200. eius vita naturali durante, vt in proposito renunciationis factę per sororem dotatam illi fratri, à quo solùm dotata fuit *Bellon. iun. dicto cap. 5. quæst. 48. num. 19. & 20.*

Difficultas solùm cadere videbatur, vt translatiua, seu personalis renunciatio non congrueret iuri de futuro, de tem-
7 pore renunciationis adhùc non delato iuxtà distinctionem, de qua Scribentes *apud Bottiglier. dicto theorem. 49. num 18. & seq. Hodiern. controu. 7. nu. 15.* & apud alios de quibus *disc. præced.*

Verùm aduertebam, quod ista distinctio procedit in dubio, secùs autem vbi actus, expresse, vel coniecturaliter sonat in donationem, ac translatiuam cessionẽ; Simplex enim iuris præsumptio, quæ resultat ex qualitate rei cessæ, suffocata remanet à contraria probatione expressa, vel à fortioribus præsumptionibus, vt plenè *Fab. de Ann. d. cons. 45., & in Romana fideicõmissi 9. Maij 1659 corã Verospio*, & in alijs eius cõfirmatorijs coram *Beuilaqua, & Taia* editis in casu de quo *disc. præced.*, vbi de differentia renunciationis successioni iã delatæ, et alterius speratæ, seu deferendæ, atque respectu deferendæ, de alia distinctione, an de successione tertij, vel de illa ipsiusmet renũciatarij, ex ea clara ratione, quod in iure, prohibitum non est, spem futuræ successionis vendi, seu donari, aut aliàs in contractum deduci ad text. *in l. spem Cod. de donat.*, cum sola difficultas, quæ in proposito cadere solet, percutiat casum venditionis, vel cessionis hæreditatis certæ personæ sine illius cõsensu, cuius perseuerantia requiritur vsque ad mortem; Siuè sit ob votum captandæ mortis; Siuè ad conseruandum testandi libertatem ad *text. in l. finali Cod. de pactis cum concord.*; Secùs autem, vbi agitur de hereditatibus, ac successionibus in genere, cum dicta difficultas procedat, vbi agatur de successione certæ, ac determinatæ personæ vt pluries in alijs *hoc eod. tit.*; Et clarius ad effectũ, de quo in præsenti, dũ agebatur quidem de iure de futuro, ac sperato sed originem trahebat à causa certa de præterito, quo casu certũ est, quod dicta
8 difficultas non intrat ex deductis *per Rouit. decis. 87. numer. 15. & 16. Rot. decis. 12. numer. 7. par. 6. rec., decis. 161. par. 10.*, & in dictis decisionibus *Romana fideicommissi*, de qua *discur. præced.*, & frequentèr.

Ad excludendum autem dictum Christophorum, reddendamquè æqualem, ac meliorem conditionem Ioannis Philip-
9 pi; Cogitabam, an dicta portio spectaret ad Religionem, à qua cessio obtineri posset, stante quod successio aperta erat post professionem, et sic in tempore inhabili, in quo Religiosus ex persona propria nullum ius succedendi habebat, cũ in Rota, & Curia recepta sit opinio Canonistarum, vt successio ex persona monaci delata, directè, ac immediatè deferatur Monasterio, quod ex persona, & iure proprio succedere dicitur; Et ex qua ratione plures tenent, vt huiusmodi donationes, seù translatiuæ renunciationes, quæ fiunt per ingressuros Religionem, non comprehendant successiones post professionem delatas, seù apertas, vt tenent *Corn. & Soccin.*, & alij relati *per Fab. de Ann. dicto cons. 45. num. 94. Andreol. controu. 310. num 24. Alto grad conf. 42. num. 30. & conf. 43. num. 40. & sequen. lib. 2.*

Verùm, et hoc fragile fundamentum esse dixi, quoniam (quicquid allegati teneant) magis recepta est contraria opinio *Decij, & Couarr.*, & aliorum, de quibus *apud eumdem Fab. de Ann. dicto conf. 45. num. 95. cum pluribus sequen.*, quod etiam benè probat *Rouit. conf. 44. numer. 21. & sequen. lib. 1., & decis. 85. nu. 2.*, & firmauit *Rota in d. decis. 161. par. 10. rec.*, vbi in specie de renunciatione capiente ad commodum renunciatarij futurum fideicommissum, quod per ipsiusmet renunciatarij mortem purificatum fuit, post emissam monialis renunciantis professionem; Monasterium enim prætendere no potest bona & iura per professum in alterum distracta, & translata, priusquam professionem emitteret, et ideò si hæc spes est alienabilis,

& in contractum deducibilis, nulla subest ratio, ob quam huiusmodi successio antè professionem iam distracta, per Monasterium prætendi valeat.

AVXIMANA DOTIVM

PRO AVGVSTINO GALLO CVM BERNARDINO FRATRE

Casus decisus per Rotam pro Augustino.

De eadem materia renunciationis factæ per sorores vni, vel pluribus, fratribus, an sit realis, vel personalis; Siue translatiua, vel extinctiua, ad eumdem effectum, an scilicèt prodesse debeat solũ personis contemplatis, quibus facta est, vel potius omnibus coæquale ius habentibus; Et incidenter, an, & quando renunciatarius, seù refutatarius fideicommissi, vel alterius iuris sibi de futuro debiti, renuncians tem in eius auctorem agnoscere dicatur, vt ad sibi incumbentia onera teneri debeat.

SVMMARIVM.

1 *AN, & quando refutatarius agnoscat in auctorem refutantem, vt ad eius onera teneatur.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De effectu resultante ex personalitate renunciationis.*
4 *Ex quibus personalitas probetur.*
5 *Quod substantia voluntatis potiùs attendi debeat, quam famulari verbis.*
6 *De eodem de quo num. 4. ad arguendam personalitatem in verbis.*
7 *De eodem attenta substantia facti.*
8 *Quomodo istæ quæstiones decidi debeant.*

DISC. VIII.

1 RE tenta facti serie, de qua in hac eadem causa *sub tit. de fideicom. disc.* 195; De duobus inter istos fratres in Rota disputatum fuit; Primò nempè, an onus dotandi filias, quod patri primogenituræ possessori incumbebat, transfusum esset in filium primogenitum, cui eiusdem primogenituræ præuentiuam refutationem fecerat; Atquè in ibi enunciatis decisionibus benè deciditur affirmatiuè, ob receptã distinctionem, quod Aliud est habere se negatiuè, seù abstentiuè, non agnoscendo ius delatum, vt ità locus proximè succesſuro aperiatur, cum tunc iste obtinere dicatur iure suo per solam remotionem obstaculi, non agnoscendo refutantem in auctorem; Aliud autem vbi id sequatur, post iuris agnitionem, cum tunc dicatur formalis translatio, atquè refutatarius, durante iure refutantis, seù renunciantis, iſtum agnoscat in eius auctorem, atquè ex eius iure potiùs possidere dicatur, saltèm respectu onerum iam impressorum, seù cõtractorum de tempore factæ renunciationis, ex ibi deductis.

Altera verò quæstio fuit super renunciatione, quam dictæ filiæ, per Augustinum, aliosque fratres dotatæ, ad eorum fauorem fecerant, quoniam cum dotatio facta non esset de ipsorum renunciatariorum bonis proprijs, sed de obuentis ex communis matris bonis, ità dicebat Bernardinus primogenitus Reus cõuentus, vt renunciatio per sorores facta, etiam ipsi tanquam matris cohæredi suffragari deberet, vtpotè intuitu communium bonorum, quasi quod, non personalis, sed realis, siue non translatiua, sed abstentiua esset renunciatio per singulos respectiuè facta.

Quamuis autem in præcedentibus de-

essionibus enunciatis *dicto disc. 195. de fi-*
dei, sine dente & quasi per transennam
de ista renunciationis natura agatur. At-
2 tamen cum in hac praetensione firmiter
insisteretur, idcirco formalis ac particu-
laris disputatio assumpta fuit *coram Bi-*
thio, atque *sub die 26. Maij 1655.* prodijt
resolutio Augustino, alijsque fratribus
renunciatarijs favorabilis, super transla-
tiua, seu personali qualitate.

Hoc enim posito, de consequenti re-
sultabat effectus insinuatus *disc. 1.*, & in
alijs praecedentibus, qui per Scribentes
3 in contrarium non negabatur, vtpote de
iure certus, vt renunciatarijs tantùm,
non autem alijs renunciatio prodesset;
ideoque persona renunciantis habita,
perinde ac si non renunciasset, numerum,
& partem faciat ad favorem renunciata-
rij, qui tanquam procurator in rem pro-
priam renunciantis, omnia iura, huic com-
petentia, exercere valeat; Itaque resolu-
tio forte aliam dedit concordiae, quae
controversiae finem imposuit, eaq; habe-
tur impressa inter illas *Bichij decis. 631.*

Mihi pro Augustino, alijsque fratri-
bus renunciatarijs scribenti (reflectendo
etiam ad solam veritatem), talis resolutio
probabilis, beneq; fundata visa est, cum
4 huiusmodi personalem, seu translatiuam
qualitatem suaderent, tam instrumenti
littera, seu contextus, attenta verborum
& clausularum formalitate, in qua potis-
simùm insistere videtur decisio desuper
edita, quàm fortius attenta substantia
veritatis, seu verisimilis voluntatis Par-
tium, quae pro meo sensu pluries insinua-
to magis, ac principaliter attendi debet,
quoniam (vt mea est dicendi consuetudo).
Voluntas est domina seu Regina, ver-
ba verò & clausulae sunt famulae, seu an-
cillae, quae dominam comitantur, eique
famulantur, ac inseruiunt, ideoque non
5 debent eam opprimere, vel suffocare; In
idem suffragante dicto Apostoli, quod
spiritus est qui viuificat, littera verò oc-
cidit, ideoque ista illi famulari debet, non
autem eum opprimere, atque praevalere,
dum ita esset dare, quod seruus domina-
retur proprio domino; Et tamen
pragmaticum vulgus non de facili id
percipit, neque practicat, sed potius
oppositum, procedendo cum sola littera,
prorsus negecto spiritu, atque non con-
siderando, quod frequentius verba, &
clausulae, nõ sunt Partium, sed Notarij, vel
alterius sapientis compositoris scripturae.

Attenta igitur prima parte litteræ, seu
formalitatis verborum, & clausularum,
plura concurrebant dictam qualitatem
suadentia; Primò nempè ob verba *dona-*
6 *re, & cedere*; Secundò quod bona, & iu-
ra renunciata posita non essent in dativo
vel in ablativo, sed in accusativo, qui
videtur modus distinguendi, vnam spe-
ciè ab altera; Tertiò ob clausulas *ponens*
constituens, transferens &c.; Quartò, quod
cum de tempore renunciationis dicta
materna successio iam delata esset, idcir-
cò non cadebat dubitatio, de qua suprà
disc. 6. & in alijs, vbi agatur de iuribus
futuris, ac speratis, ab eis congruat, nec-
nè terminus translatiuae renunciationis,
cum de ea non dubitetur in iuribus, ac
bonis iam de praesenti competentibus.

Attenta verò altera solidiori parte,
substantiq scilicèt verisimilis voluntatis,
videbamur versari in *terminis nimium*
claris, qui clariores remanebant ex fa-
7 mulatu, siue comitatu dictorum aliorum
argumẽtorum, quia nempè dictus frater
primogenitus alijs ditior, & qui capitis
domus figuram faciebat, cui onus in-
cumbebat sorores decenter collocare,
quamuis pluries requisitus esset, id ne-
glexerat, ideoque ipsis sororibus nimium
adultis, ipsisque fratribus, ex ista causa,
exosus redditus erat; Alij verò fratres,
cum eorum diligentijs, & incommodis,
proprias maternae successionis portiones
in aliquo diminuendo, vt dotes sororibus
constituerent, de illarum collocatione
solliciti fuerunt, ideoque peculiaris gra-
titudinis ratio ipsis assistebat, manifestè
autem dicto alteri fratri resistebat.

Atque hinc edocemur id, quod plu-
ries insinuatum est, quod istæ non *sunt*
quæstiones iuris, sed facti, & ambiguæ
voluntatis, ideoque prorsus erroneum
8 est, cum generalitatibus, vel cum clau-
sularijs, seu grammaticalibus verborum
significationibus procedere, dum prin-
cipaliter reflectendum est ad *facti* circ-
umstantias, ex quibus substantia vo-
luntatis renunciantis, ac renunciatarij
desumenda venit, deseruientibus verbis,
& clausulis, ac generalitatibus pro qua-
dam norma, vt legaliter, non autem de
proprio capite interponatur arbitrium,
cui haec materia commissa est.

VI.

VITERBIEN.

HAEREDITATIS

PRO

CARDINALI GVALTERIO

CVM

LAVRENTIO CHISIO.

Casus decisus per Rotam pro Cardinali, postea concordatus.

Renunciatio facta bonis paternis & maternis, an capiat successionem fraternam, in bonis, quæ ad fratrem defunctum obuenerunt à patre, & matre; Et de quibus bonis talis renunciatio intelligenda sit.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De distinctione inter carnaliter & spiritualiter nubentes.*
4 *Renunciatio facta bonis paternis, & maternis non capit fraterna, licèt à parentibus obuenerint.*
5 *Fallit, si constet de diuersa voluntate.*
6 7 & 8 *De argumentis huius voluntatis.*
9 *De eodem, & quomodo hæc voluntas reguletur.*
10 *Expenduntur argumenta, de quibus nu. 6. & seqq. 11. & 12.*
13 *Attendi debent capitula potiùs, quàm instrumentum.*

DISC. IX.

1 IVxtà seriem, de qua in hac eadem causa *sub tit. de succes. disc. 16.*, Victoriã Chisiam, Poggio fratri ab intestato succedere volẽtẽ, ex duplici capite, Laurentius, & Franciscus, ex fratre prædefuncto nepotes, excludere prætendebant, in bonis scilicèt intrà territorium Viterbiense, ex illius Ciuitatis Statuto excludente sorores propter fratres, & in illis, extrà territorium, ex renunciatione per eam facta, quandò competenter dotata, nupsit Paulo Gualterio; Vndè introducta causa in Rota, ad ipsius Victoriæ fauorem super bonis, præsertim extrà territorium in exclusionem huius secundi obiecti responsum fuit *sub diebus 10. Iunij 1639. & 19. Maij 1643. coram Roias* inter eius impressas *dec. 66. & 206.*, (de quo tempore ad hanc Curiam adhùc non accesseram); Reassumpta verò post diuturnum silentium causa prædicta per Cardinalem Gualterium hæredem Iulij dictæ Victoriæ priùs defunctæ filij, & hæredis *coram Taia*, datoque duplici dubio; Vno scilicèt circà operationem Statuti in bonis intrà territorium, de cuius resolutione habetur *in dicto disc. 16. de succes.*, & altero circà punctum renunciationis, an standum esset in aliàs vt
2 suprà decisis; Sub *die 2. Maij 1664.* dictæ resolutiones confirmatæ fuerunt, ex eodem fundamento in prioribus decisionibus contento, quod cum renunciatio concepta esset de bonis paternis & maternis, operatiua non esset in fraternis, ex renunciationis natura, vt strictè ad limites iurium renunciatorum intelligi debeat; Potissimè verò, vbi per nubentem
3 in sæculo fiat, in qua non cadit consideratio, quæ militare solet in ingredientibus Monasterium, vt finis, seù causa principalis renunciandi, esset bonorum temporalium abiectio in vniuersum, ob amorem Dei, & vitæ cœlestis, adeoùt aliquæ successionum, vel bonorum species, dici possint, vt stent potiùs demonstratiuè, faciendo generaliter renunciantem Mundo mortuam; Quicquid enim sit de huiusmodi considerationẽ in dicto casu; Receptum est, vt ea regulariter non intret in hoc altero casu carnaliter nubentis, iuxtà distinctionem, de qua in alijs *hoc eodem tit.* frequenter.

Et licèt bona, de quorum successione agebatur, pro maiori parte, ac penèin toto, ab vtroque parente prouenirent; Attamen id non operabatur renunciatio-
4 nis obstaculum, quoniam non attenditur origo bonorum, seù causa mediata, sed causa immediata, illorumq; qualitas de tempore successionis, quandò, non amplius paterna dicenda sunt, sed fraterna, vtpotè de fratris defuncti do-

minio effecta, atque cum reliquo eius patrimonio confusa, ex deductis *in ijsdem decisionibus coram Rotas*, & vltrà ibi deducta, habetur *apud Spad. conf.* 352. *lib.* 2. *Cirocc. discept.* 58. *num.* 45. & 46. *Donad. de renunc. cap.* 20. *num.* 25. *Adden. ad dec.* 375. *num.* 23 *par.* 4. *rec. tom.* 2. apud quos concordantes.

Non negabant Scribentes pro Laurentio reo conuento, veritatem huius propositionis *in genere*; *Verùm dicebant*, quod cum ista sit quæstio voluntatis, illa etiam ex adminiculis rectè desumi po-
5 test, quod scilicèt tam renuncians, quàm renunciatarius, loquendo de paternis, & maternis, *intellexerint* etiam de mediatis, quamuis fraterna effecta essent, inspecta scilicèt origine, ac demonstratiuè potiùs seù impropriè, quàm propriè, ac taxatiuè ex deductis, præsertim *apud Surd. conf.* 267. *num.* 27. & *conf.* 562. *nu.* 5. *Soccin. conf.* 287. *nu.* 35. *lib.* 2. *Minad. conf.* 22. *num.* 6. cum alijs, qui pro ratione dubitandi habentur deducti *in Bonon. de Armis coram Merlino inter suas decis.* 22. & 62. aliàs post alterum *Merlin. de legitimâ decis.* 47 & 48., vbi magistraliter examinatur huiusmodi materia renunciationis conceptæ de bonis paternis & maternis, an ista capiat, postquàm effecta sunt fratris, de cuius successione agitur, & quæ decisiones firmantes negatiuam, sunt in terminis fortioribus renunciationis factæ per monialem.

Ad huiusmodi autem voluntatem probandam, plura per dictos Scribētes ponderabantur; Primò nempè, quod de tempore successionis iam obijsset Franciscus pater, itaùt facto iam casu successionis, bona renuncianti, pro eius portione delata, in stricta, & propria significatione, non essent ampliùs paterna, sed propria, & tamen dicuntur paterna, ergo Partes stare noluerunt in præcisa, & stricta significatione verborum, vt ponderatur *apud Soccin.* & *Minad.* vbi suprà.

Secundò, quod stante Statuto exclusiuo fœminarum propter masculos, renunciatio non remaneret in aliquo verificabilis, seù operatiua, si in dicta stricta
7 significatione capienda esset, vndè propterea nè actus remaneat fatuus, subintelligenda est dicta voluntas, ex[illegible]mendi bona paterna, & materna, spectata origine, seù causa mediata ex deductis *apud Surd.* vbi suprà.

Et tertiò, stante renunciatariorum obseruantia deducta ex renunciatione facta per alteram sororem pariter nuptam, in qua specificè agebatur etiam de
8 fraternis, quorum comprehensio etiam deducebatur ex amplitudine verborum instrumenti super capitulis matrimonialibus postmodùm initi.

Scribens Ego in hac vltima disputatione pro Cardinali actore, non negabam, vt generaliter ac in abstracto dicta limitatio esset vera, quoniam sæpiùs
9 minùs scriptum, quàm dictum, seù vo[illegible]tum esse solet, atque *in illis*, quæ à dispo. nentium, vel contrahentium voluntate pendent, vera & recepta propositio est, vt istius substantia potiùs quàm cortex, & figura verborum spectari debeat; Dicebam tamen (etiam cum sensu veritatis, vt Rota admisit), quod cessaret fundamentum facti, seù probationis talis voluntatis, cuius ponderata *inditia* inefficacia videbantur.

Quatenùs enim pertinet ad primum; Licèt mors patris sequuta esset, non indè tamen bona desierant esse paterna, cum non constaret, quod renuncians pro eius
10 portione successionem agnouisset, sine qua agnitione, certum est, vt dici non possent bona propria, cum possit ille, cui successio delata est, non agnoscere, ad communiter notata *in l. qui autem ff. quæ in fraud. credit.*

Quoueròad secundum, *de infructuositate*, seù non operatione, facilior erat responsio; Tùm quia plura aderant bona extrà territorium, in quibus, cessante
11 statutaria exclusione, absque dubio renuncians ius successionis habebat; Tùm quia etiam in bonis intrà territorium Statuto subiectis, remanebat spes, seù potentia succedendi, dum illud Statutum non est simpliciter, ac perpetuò exclusiuum, sed temporaliter, donec extent fratres excludentes, vel eorum descendentes, à Statuto contemplati, quibus defectis, fœmina excluſa reintegratur ad propriam portionem, ideoque etiam in istis renunciatio operatiua remanebat; Cum enim argumentum superfluitatis, seù fatuitatis, nimiùm debile in iure reputetur, hinc ad illud excludendum, sufficit qualis qualis ratio.

Et quoad tertium, illud potiùs retorque-

quebatur ex argumento ducto à discretiua per text. *in l. vnica §. fin autem Cod. de caduc. tollen.*, dum enim in vna renuncia-
12 tione actum est de fraternis, signum est, quod in altera, in qua omissa fuerunt, partes noluerunt, & quando voluerunt dixerunt; Et quæ dicebantur de amplitudine verborum, de plano pariter cessare videbantur, Tùm quia ipsa quantumuis prægnantia rectè operatiua, & adaptabilia erant ipsis speciebus, ad quas restricta erat renunciatio, cuius maiorem vim & obseruantiam prægnantia verborum potiùs percutiebat; Tùm etiam quia, cum instrumentum, in quo amplitudo verborum continebatur, initum esset, non animo nouandi, sed solùm pro executione & obseruantia capitulorum matrimonialium.

Hinc proindè istorum tenor tantùm attendendus erat, quoniam hæc dicuntur verba Partium, earumque voluntatis veram faciunt probationem, cum verba in-
13 strumenti dicantur potiùs Notarij, ex formularijs, vel imperitia sæpiùs in magna copia adijci solita, vt in his specialibus terminis habetur *apud Capyc. Latr. decis. 2. num. 3. vers. secundò dicebatur*, & latiùs *per adden. ibidem num. 6. & sequen.*, atque generaliter recepta propositio est in omni ferè materia insinuata, vt capitulis potiùs, quàm instrumento deferendum sit, quoties non constet, vt istud ex interuallo initum sit animo nouandi, prioremque conuentionem in capitulis contentam immutandi, vt præsertim *subtit. de emphyteus. disc. 13. & 14. & subtit. de fideicommiss. disc. 179.* & alibi; Concordia verò controuersiæ finem dedit.

ARIANEN.

SVCCESSIONIS

PRO

P. MARCO LANDIMARO.

Responsum pro veritate, cum subsequuta concordia.

De renunciatione facta per virum ingredientem Religionem, an illum excludat à successione parentum, vel aliorum, quorum fauore renunciatio facta est.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De æquitate, cum qua in hac materia procedendum est fauore coniunctorum in exclusionem Monasterij, vel Religionis.*
3 *Quod renunciantis declarationi deferri debeat.*
4 *De effectibus resultantibus à natura renunciationis, & an sit extinctiua, vel translatiua.*
5 *De eadem distinctione.*
6 *Quod renuncians non prohibetur succedere renunciatario.*
7 *Quæ regula in hac materia detur, & quomodo iudicandum sit.*
8 & 9 *De circumstantijs arguentibus, vnam, vel alteram speciem renunciationis.*
10 *Statutum exclusiuum fœminarum deseruit in hoc pro argumento.*
11 *De Constitutione Regni Neapolitani super exclusione fœminarum propter masculos.*
12 *De modo interpretandi renunciationem, & quare benignè fauore hæredum renunciatarij contrà renunciantem debeat interpretari.*

DISC. X.

CVM Michael in sæculo nuncupatus, qui Marci nomen in Religione Prædicatorũ assumpsit, professionem emittere deberet, amplam renunciam, iuxtà pluries enunciatum communem Italiæ vsum, de omnibus iuribus, ac bonis de præsenti, & futuro, fecit Angelo patri, ac Francisco & Marco Antonio fratribus; Cumque defunctis, primò Angelo patre, cuius intestatam successionem obtinuerunt præfati Franciscus, & Marcus Antonius filij in sæculo existentes, deindè obijsset Franciscus superstitibus filijs, atq; vltimò decesserit Marcus Antonius clericus sæcularis in sacris, eiusque intestatam successionem agnouerint aliqui ex prædefunctis germanis sororibus, ac etiam fortè ex dicto altero fratre nepotes, dictusquè Religiosus, cui frater defunctus aliquas subuentiones pro extraordinarijs religiosis vsibus suppeditare solebat, acquiesceret, quatenùs tamen nepotes eumdem cõtinuarent stylum, donec viueret, ipsi autem id indiscretè negarent; Hinc proindè idem in statu Magistri in eius Religione constitutus, atq; Vrbem pro alijs Religionis negotijs adiens, me pro veritate desuper consuluit.

1

Quamuis autem, ego crederem, vt bonum ius, sibi super intestata successione fratris assisteret, adeoùt de rigore, 2 suam virilem cum nepotibus in stirpes succedere volentibus, obtinere deberet, de consequenti transmissibilem ad eius Religionem, seù Conuentum, seù verius ex tunc delatam; Adhùc tamen, pro ea congruentia, quæ mihi cordi esse consueuit, non de facili expoliandi bonorũ proprietate coniunctos, seù domos, & familias, vt Religiones, ac Monasteria ditentur, idcircò, edidi quidem Respõsum ad eius fauorem, vt ità dicti nepotes, eorumquè Consultores eorum imprudentiam agnoscendo, honesta patrui desideria implerent, donec viueret, nè aliàs amitterent bona in proprietate; Ipsi autem Religioso consului, vt acquiescceret, aliud non promouendo; Non quod eius acquiescẽtia dictis nepotibus posset suffragari, cũ iuxtà opinionem Canonistarum, bona, & successiones, quæ Religioso professo deferuntur, directè, ac immediatè acquirantur Monasterio, seù Religioni independenter à Religioso, cuius 3 velle, vel nolle non attenditur; Sed vt ex laudabili motiuo charitatis, cum solo silentio euitaret coniunctorum damnum; Idquè absquè conscientiæ, seù iurium Religionis læsione fieri posse credebam, (quamuis meum nõ sit de ijs, quæ forum internũ percutiunt, agere, vtpotè extrà meam spheram); Siquidem, vt aduertitur præsertim in specie Religiosi *jubet de testam. disc.* 35., licèt post professionem cesset potestas reuocandi, vel disponendi, non tamen cessat potestas declarandi eius animum, quem in renunciatione habuerit, vt bona in illis de sanguine remaneant; Ac etiam circa dictam declarationem habetur *supra disc.* 2.

In Responso itaquè desuper ea ad materiæ elucidationem, atquè protestandis æquiuocis, cum quibus aliqui Cõsultores dictorum nepotum procedebant 4 in hac materia renunciationis, an scilicèt illa esset personalis, vel realis, seù, (vt alij distinguunt) àn extinctiua, vel translatiua, adeoùt resultet pluries enunciatus effectus, de quo præsertim *supra disc.* 2. & 3., vt personam renunciantis indefinitè mortuam faciat perindè, ac si in rerum natura non esset, vndè propterea locus fiat alijs quamuis remotioribus nullatenus cognitis, nequè contemplatis; Distinguebam sex diuersas quæstiones, siuè sex diuersos casus, in quibus huiusmodi terminorũ distinctiones pro diuersis respectibus cadunt, iuxtà distinctiones de quibus *in discursibus præcedentibus*, & præsertim *disc.* 3., vt ità dignosceretur, quod plures auctoritates, 5 quæ desuper pro consueto abusu per dictos Consultores de partibus cum nimia cõsueta prolixitate, superfluisq; allegationum apparatibus deducebantur, percutiebant diuersos terminos, illos scilicèt præsertim, in quibus contentio sit inter renunciantem, ac testamentarios renunciatarij hæredes, vel alios, cum quibus ipse in vita, vel in morte disposuerit.

Dicebam igitur, quod casus præcisus quæstionis esset ille, de quo supra *disc.* 1. 6 & 2., super quo tanquam magistralis circumferri solet pluries enunciata *deci-*

sio

sio 346. Dunozetti repetit. decis. 43. par. 5. rec., & post Tamburrin. de iur. Abbat. tom. 3. decis. 6., vbi scilicèt agatur de ipsius renunciatarij inteſtata ſucceſſione, vt tali caſu, quoties efficacia non vrgeat argumenta, quod renuncians omninò ſe mortuum facere voluerit omnibuſquè, abſquè perſonarum exceptione, vel particulari affectione, ſeù reſpectu, locum cedere, non prohibeatur ſuccedere, niſi è conuerſo ad certas perſonas reſpectum habuerit, ità cum aliquo pleniori calamo, præter genium ac ſtylum, cumulando deciſiones, ac auctoritates præſertim deductas in deciſionibus editis *in Romana fideicommiſſi de Steccatis*, de qua ſupra *diſc. 4.*

Ac etiam ſubſungendo idem quod habetur *diſc. 1.* & in alijs, vt ſcilicèt in huiuſmodi quæſtionibus, cèrta, & determinata regula generalis, cuicumquè caſui applicabilis, dari non poſſit, ſed de-
7 ciſio ex ſingulorum caſuum particularibus circumſtantijs metienda ſit; Ideoquè (vt pluries aduertitur), prorsùs erroneum eſt, cum generalitatibus procedere, ſiuè cum doctrinis, vel deciſionibus, quę in aliquibus caſibus prodierint, quoniam in huiuſmodi quæſtionibus, facti, ſeù voluntatis, ſtant benè ſimul, vt in vno caſu aliqua argumenta, vel adminicula ſufficiant, in altero autem, quamuis penè identifico, eadem, ac longè maiora inſufficientia ſint, quia ſic vnius, vel reſpectiuè alterius caſus qualitas, pro locorũ, vel perſonarum diuerſitate, ſeù ob alias circumſtantias exigat.

Applicando autem ad rem; Plura accedebant argumenta huiuſmodi realitatem de ſtricto iure excludentia, quod-
8 què renuncians motus nõ fuerit ex pluries enunciata ratione, quæ in ingrediẽtibus Religionem, vel Monaſterium põderari ſolet, quod ſcilicèt ex ſolo ſpiritu religionis, ac abijciendi temporalia, vt ſpiritualibus, expeditiùs vacare poſſet, renunciatio facta eſſet; Tùm quia vt in præcedentibus aduertitur, non de facili hæc ratio hodie ad praxim reducitur in profitentibus in Religione, vel Monaſterio habente capacitatem in communi ex rationibus ponderatis præſertim *diſc.* 1. & 2.

Tùm etiam quia, ſpecialiter, ac expreſsè conſtabat de diuerſa renunciantis voluntate ſe non omninò abdicandi à temporalibus; Primò quia reſeruata
9 pro communi ſtylo quadam annua vitalitia præſtatione, ſibi conſuluit de pacto reſolutiuo, ac regreſſu ad iura renunciata; Et ſecundò quia ſibi expreſsè reſeruauerat futuras ſucceſſiones, vel diſpoſitiones teſtamentarias, ac aliàs quoquè inteſtatas, dum renunciatio ad certos caſus reſtricta erat; Ideoquè illa vnica, ac ſimplex iuris præſumptio, ſuper qua Scribentes de partibus integra folia auctoritatibus replebant, vt ſcilicèt renunciationes, quæ fiunt occaſione ingreſſus in Religionem, reales potiùs, vel extinctiuæ præſumantur, ità per contrariam probationem omninò eliſa remanebat.

Tunc autem probabiliùs contra hunc Religioſum renunciantem reſpondendum fore credidiſſem, quando militan-
10 te Statuto fœminarum, & cognatorum excluſiuo, agnatis inteſtata ſucceſſio debita eſſet, adeoùt iſta admiſſio religioſi, quæ ſpectato effectu, non ad ipſius, ſed ad Monaſterij extranei fauorem tenderet, agnationis præiudicium redoleret, contra commune votum, ſaltèm noſtræ Italiæ moribus attentis, vt in præcedentibus aduertitur, Attamen iſta conſideratio non cadebat in caſu quæſtionis, dũ in Regno Neapolitano huiuſmodi Statutorum vſus non habetur, ſolumquè
11 viget conſtitutio generalis, quæ incipit *In aliquibus &c.* excludens fœminas propter maſculos à ſucceſſione patris tantùm, à qua nequè omninò eas extraneas efficit, dum eis non tollit legitimam, cuius loco dos de paragio ſuccedit; Dictamquè Conſtitutionem de paterna tantùm ſucceſſione in verbis loquentem, Regni Sapientes extenderunt ad maternam, cuius reſpectu idem in praxi receptum eſt, ideoque non capit fraternam, multò minùs illam patruorum, vel aliorum remotiorum, vndè propterea intrat ordo iuris communis nouiſſimi ſuper ſolo gradu, ſublata antiqua prærogatiua agnationis, & ſexus; Et conſequenter dicta ratio agnationis, cuius fauore diuerſa voluntas ſubintelligenda videtur, non militabat.

Adhùc tamen, reflectendo ad veritatem, atquè retinendo meum ſenſum, vt

in

12 in his quæstionibus, quæ sunt potiùs facti, & voluntatis, quam iuris, negligi debeant generales DD. traditiones, seù conclusiones, quandoquè continentes legulcicos rigores ab humana ratione, seù communi sensu naturali extraneos, sed indagandi substantiam verisimilis voluntatis, non quidem renunciantis, sed potiùs, ac principaliter renunciatarij, qualis scilicèt fuerit eius finis, renunciationem procurando; Adhùc sentiebam aliquam difficultatem contra religiosum renunciantem, quoniam licèt renunciatio facta esset, patri, & fratribus; Attamen isti vocati erant ex prouidentia potiùs patris renunciatarij, qui prouidendo istum filium de vitalitia subuentione, prudenter de eius renunciatione sollicitus fuit, nè bona in præiudicium filiorum, ac descendentium, ad Religionem, seù Monasterium extraneum transitum facerent; Istaquè ratione attenta, illa applicabilis quoquè ad rem videbatur, cum contendentes essent dicti renunciatarij descendentes, ac hæredes sanguinis. Quemadmodùm enim (vt pluries insinuatur) renunciatario de iuribus renunciatis disponente, respondendum est pro eo, cuius fauore dispositum sit; Ita in casu intestati quando verisimilitudo suadeat morientis voluntatem; Ideoquè libentiùs dictam acquiescentiam consului, atquè ità sequutum fuit, et quidem laudabiliter.

SABINEN.

BONORVM

PRO

MONASTERIO MONIALIVM ARCIS ANTIQVÆ

CVM

MARONIIS.

Casus disputatus coram A. C., resolutus pro Monasterio.

An renunciatio facta per ingredientem Monasterium, obster intestatæ successioni eius, qui sit hæres renunciatarij, adeoùt quæstio non sit de immediata successione renunciatarij, sed de mediata.

Et àn renunciatio facta per nouitium, subiaceat formæ præscriptæ per Concilium Tridentinum, vbi ea sit correspectiua, & ex causa onerosa.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *Quæ interdicta possessoria admittat appellationem.*

3 *De forma renunciationis faciendæ per nouitios.*

4 *Quod ista forma non requiratur in correspectiuis.*

5 *Frater vterinus, an teneatur dotare.*

6 & 7 *De ratione, ob quam inducta est dicta forma per Concilium Tridentinum.*

8 *De dotibus monialium remissiuè.*

9 *Quando contractus ex causa dotis non subiaceant solemnitatibus statutarijs.*

10 *Quod in his materijs procedi debeat attenta substantia veritatis, non autem cum formalitate verborum.*

11 *Qualis dicatur substantia veritatis in huiusmodi renunciationibus, quæ fiunt*

fiunt per puellas.

12 *Quando dicatur actus correspectiuus ex ratione meritorum.*

13 *Quod erroneum sit concipere renunciationes puellarum, & idiotarum personarum lingua latina, atquè insistere in significatione verborum.*

14 *De eodem, & quando in verbis fieri debeat fundamentum.*

15 *De renunciationis realitate, eiusque operatione.*

16 *Quod ista esset potius renunciatio personalis, & trãslatiua, & quarè renuncians non excludatur.*

DISC. XI.

1 VOlens Hippolyta Antonia professionem emittere in Monasterio Arcis Antiquæ, atquè prò stylo, diuerso assumpto nomine Claræ, amplã fecit renunciationem de omnibus eius bonis, & iuribus, ac præsertim de illis, quæ sperare poterat ex materna dote, vel successione Tertiæ matris, ad fauorem Hieronymi *fratris* vterini, qui eam, in toto, vel in notabili parte, de proprio dotauerat; Dictoquè Hieronymo postmodum ab intestato defuncto, eius integram successionem obtinuit dicta Tertia mater superstes, istaquè etiam ab intestato defuncta, Maronij eius ex fratre nepotes, qui secluſa dictæ filiæ monialis persona, erant proximiores, prætendentes, vt ob dictam renunciationem ipsis hæc successio delata esset, possessionem bonorum hæreditariorum præuenerunt; Quare Monasterium coactum fuit recurrere ad interdictum possessorium adipiscendæ *quorum bonorum*, (quod pariformiter cum altero in casu testati competente ex dispositione textus *in l. fin. Cod. de edict. Diu. Adrian. toll.*, immissionis dicitur);

2 Verùm quia istud, ex dispositione iuris canonici, speciem petitorij habere videtur, dum reputatur appellabile, quodquè non suffragetur dispositio textus *in l. vnica Cod. si de moment. possess.*, ob contrariam dispositionem iuris canonici, per quam, iuxtà opinionem in praxi receptam, excepto summarijssimo possessorio retinendæ, quod vulgò manutentionis dicimus, ac altero associationis in vim facultatis, vel pacti de capiendo propria auctoritate (quoties tamen vnum, vel alterum decernatur per decretum interloquutorium, & nõ alias) est appellabile; Dum Ægidiana Constitutio, quæ in Vrbe, & Statu Ecclesiastico dictam iuris ciuilis dispositionem restituit, vtpotè reputata lex laicalis, nõ capit causas, in quibus adsit mixtura personarum, vel bonorum ecclesiasticorum; vt *sub tit. de Iudic.*, ac alibi pluries aduertitur; Hinc proindè Monasterium, nè cogeretur per tres instantias hanc litem subsistinere, obtinuit in Signatura Gratiæ committi causam A. C. cum voto duorum eius Locumtenentium, appellatione rẽmota, atquè ab istis sententiam fauorabilem, cum iustitiæ quidem fundamento, reportauit.

In disputationibus autem desuper habitis, duo fuerunt puncti, quorum vterq; singulariter, ac de per se sufficiens dicebatur pro dicta resolutione Monasterio fauorabili, multò verò magis vtroque simul iuncto; Primò nempè, ob dictæ renunciationis nullitatem, ob non seruatam formam præscriptam a Sac. Concilio Tridentino *sess. 25. de regular. cap. 16.*, adhibendam in renunciationibus faciendis per nouitios.

Ea enim defectiua erat, ob deficientem licentiam Episcopi, seù eius *Vicarij*

3 Generalis; Ac etiam quia, nequè constabat, an elapsi essent decem menses nouitiatus, vt requiritur ex deductis *apud Merlin. decis. 869. num. 5. & 6.*, & aduertitur alibi *hoc eodem tit.*, ac in altero *de Regular.*; Et secundò circa dictæ renunciationis obstãtiam, dum illa in specie continebat maternam successionem, de qua erat quæstio.

Quatenus pertinet ad primum; Vltrà ea, quę in solo facto consistebant, de quibus in Curia, ad Aduocatos agere pertinere non solet, super probatione scilicèt licentiæ Episcopi, vel *Vicarij*, quæ per testes probari prætendebatur; Dicebant Scribentes pro reis conuentis, quod admisso etiam dictæ formæ certo defectu, adhùc tamen id obstare non deberet, quoniam Conciliaris dispositio procedit in renunciationibus, quæ, siuè sint transl-

4 latiuæ, siuè extinctiuæ, ex beneuolentia, seù aliàs ex mera voluntate renunciantis fiant; Secùs autem vbi ageretur de

contractu oneroso, merèque correspectiuo, cum tunc istud Conciliare decretum non intret; Istumquè dicebant esse casum, dum frater vterinus, qui aliàs dotare non erat obligatus, saltèm non facta excussione paternorum, ac maternorum
5 bonorum, ac aliorum, quorum prior esset dotandi obligatio iuxtà ordinem recensitum *sub tit. de dote disc.* 142., eam dotauerat, istoquè intuitu, in renunciationis instrumento dicebatur, quod ea fieret.

Non negabam ego scribens pro Monasterio veritatem dictæ propositionis, cum reuerà Conciliare decretum, illas
6 percutiat irretractabiles renunciationes, quæ, siuè ad fauorem Monasterij, siuè ad fauorem alterius, absquè forma ibi præscripta fiant, illud parere possent incõueniens, vt renuncians ità bonis denudatus, cogatur quamuis inuitus, profiteri; Atquè ob eamdem rationem prohibitũ est renunciationes fieri nõ nisi per duos menses ante professionem, ideſt post iam
7 decursos decem menses nouitiatus, vndè propterea nouitius iam Religionis Institutũ expertus fuerit, atq; hoc non obstante in eodem proposito perseueret, quoniam, vt aduertitur in sua materia *sub tit. de Regularibus*, & alibi, isti duo menses ante professionem, ex veriori, ac omninò recepta interpretatione, adiecti solùm sunt ad demonstrandum, quod adminus debent esse lapsi dicti decem menses, adeoùt duo solũ superfint, & nè prius iste actus fieri valeat; Si verò maior terminus decurrerit, adeoùt renunciatio sequatur complero anno, atquè in ipso professionis limine, tunc illa erit melior, magisq; ità satisfactum erit intentioni, vel rationi Sacri Concilij; Istæ autem rationes cessant in actibus merè onerosis, & correspectiuis, ad limites tamen correspectiuitatis, ac iuxtà ea, quæ *sub tit. de donat.* pluries habentur in materia insinuationis, aliarumquè solemnitatum, quæ per legem communem, vel municipalem in donationibus desiderantur, vt eas adhibere non oporteat in donationibus verè causatiuis, & onerosis, & aduertitur supra *disc.* 6.

Negabam verò applicationem *dictæ* limitationis ad casum controuersiæ, quoniam instrumẽti tenor ostendebat, quod dictus frater, iam dotem dederat ferè per annum, dum ad præscriptum Decretorum Sacræ Congregationis, de quibus
8 ad materiam dotis monialium *sub tit. de dote disc.* 167., oportet illius depositum facere, antequam puella admittatur ad Monasterij ingressum, siuè ad susceptionem habitus, nullo accedente pacto, vel conuentione super huiusmodi renunciatione, quam in dicto instrumento dicebatur sponte fieri, ex motiuo gratitudinis, ac beneuolentiæ absquè eo quod ad id cogi posset; Vndè propterea scribendo more Aduocati deducebam ea, quæ habentur *sub tit. de dote disc.* 17. & 18., in proposito exemptionis, quam habet causa dotis, vel matrimonij à solemnitatibus, quoniam intelligitur, vbi actus
9 dici possit præcisè, vel moraliter necessarius; Siuè vbi congruat ratio priuilegij fundata in fauore matrimonij, vt illud scilicèt sequatur; Secùs autem vbi iam sequutum sit, ex ibi deductis.

Verùm reflectẽdo ad *veritatem*, agnoscebam, quod hæc responsio, quamuis in suo casu, seù in abstracto vera, adhùc tamen vitio applicationis magis laborabat; Procedendum etenim esse aduertebam in ista quæstione, cum adeo frequentèr insinuata verissima, imò in iudicando, & consulendo, necessaria pro-
10 positione, vt attendi debeat substantia veritatis, desumenda ex ipsa massa facti, eiusquè circumstantijs, voluntatem Partium arguentibus, non autem insistendo in verborum formalitatibus, quæ frequẽtiùs proueniunt ex ineptijs Notarioꝝ, non autem ex voluntate Partium; Potissimè verò in huiusmodi paruis locis, atquè vbi agitur de puellis, ac personis idiotis, vt in præsenti.

Ea verò substantia veritatis videbatur, quod ob carentiam bonorum pa-
11 ternorum, aliorumquè ascendentium ex eo latere, onus dotandi hanc puellam, incumbebat matri, cui etiam, sine obligatione legali, incũbebat illud onus, quod infert naturale votum maternum; Cum autem bonorum maternorũ qualitas, ad id proportionata non esset, dum consistebant in stabilibus, quæ in paruis locis non sunt facilis venditionis, ad effectum obtinendi pecuniam numeratam, in qua, iuxtà enunciata Decreta, depositum facere oportet; Hinc proindè, procedendo cum eo præsuppositio,

to, quod ſecluſis iuris ſubtilitatibus, inducit ordo naturæ, quod bona materna, poſt collocatam hanc puellam, integrè deuenire deberent ad alterum vnicum filium ſecundi matrimonij, cuius intererat eadem bona non diſtrahi, ſed pro eo conſeruari, ſtantè quod pecunias habebat, ità inductus fuit, dum adhùc in tenera ætate exiſteret, per matrem ad id agendum, cum præſuppoſito renunciationis, quæ veriſimiliter, primariò habita fuit in intentione, quamuis ità ex interuallo ſubſequuta eſſet, ob credulitatem, quod priùs fieri non poſſet, cum non omnibus notum ſit, quod ea fieri poterat ante ſuſceptionem habitus, atquè in ſtatu merè ſæculari, quando, ex magis recepta ſententia, iſta Conciliaris forma non intrat ex deductis in dicta ſua materia *ſub tit. de Regular.*; Ac propterea actus verè correſpectiuus dicendus videbatur.

Et nihilominùs, vbi etiam cum ſola littera verborum, procedendum eſſet, vt puella ex motiuo gratitudinis id egiſſet,
12 adhùc tamen pro meo ſenſu, idē dicendum veniret, tanquam in actu remuneratorio, & ob illa merita, quæ de iuſtitia iſtud præmiū ex pluries enunciato Italiæ communi vſu exigere videbantur; Vndè propterea intrarent ea, quæ in ſua materia *ſub tit. de donationibus*, ac etiã *ſub tit. de feud. diſc.* 94. habentur de donatione verè remuneratoria habente ſpeciē contractus correſpectiui, & onerosi.

Atquè hinc monemur, quàm magna ſit conſueta Aliquorū ineptia, in huiuſmodi, vel ſimilibus actibus geſtis præſertim per mulieres, vel idiotas, ac ſim-
13 plices perſonas, procedendi cum formalitatibus verborum inſtrumenti; Potiſſimè verò (vt inſinuatum eſt), vbi illud, iuxtà huius regionis abuſum, conceptū ſit in lingua latina, cōtrahentibus ignota; Ac etiam quia iuxtà frequentiorem vſum paruorum locorum, imò, & magnarum Ciuitatum, quoties non agatur de illis grauioribus negotijs, in quibus Minutæ per plures dies anteà præparari ſolent, atquè per manus Ad-
14 uocatorum, ac Sapientum tranſmitti, vſus eſt, quod adnotatur per Notarium in parua Schedula ſubſtantia inſtrumenti, faciendo, vt dicitur, Imbreuiaturam, ſeù baſtardellum, poſtmodùm verò domi in prothocollo, vel in alia nitida ſcriptura, deſuper extenditur inſtrumentum, iuxtà formularia; Et conſequenter, prorsùs erroneus videtur iſte ſtylus, procedendi cum formalitate litteræ, ſeù verborum, niſi quando, alijs in contrarium magis non vrgentibus, probabilitas accedat, vt ea fuerit Partium intentio, quæ in verbis explicata ſit.

Quouerò ad alterum punctum, efficaciæ, ſeù operationis renunciationis; Scribentes pro Reis conuentis, cum copiotis allegationum apparatibus, deducebant propoſitiones pluries in præcedentibus inſinuatas, præſertim, ob tunc
15 iam æditas deciſiones *in Romana de Lanuuijs* de qua ſupra *diſcur. 2.*, ſuper realitate renunciationum, quæ fiant occaſione ingreſſus in Monaſterium, vt ità, renunciante habita pro mortua, inteſtata ſucceſſio, dictis tranſuerſalibus aperiretur, vtpotè proximioribus, ac primis.

Verùm, (in ſenſu etiam veritatis), deducendo eadem quæ ſupra *diſcur. 1. & 2.*, & in alijs habentur; Dicebam, quod
16 verè iſta inſpectio realitatis, vel extinctiuæ renunciationis non intrabat, cum in verbis renunciatio expreſsè concepta eſſet in forma translatiua, atquè per ſpeciem donationis; Ità fundamentum conſtituendo, potiùs, ac principaliter in dicta ſubſtantia veritatis, quæ ſuperiùs occaſione ſolemnitatum ponderata eſt, quod ſcilicèt maternæ ſucceſſionis ſpes iuxtà terminos *in l. ſpem Cod. de donat.*, ſiuè eiuſdem ſpei commodum, eſſet quidem in hæreditate dicti fratris renunciatarij; Sed quoniam hæc hæreditas, naturæ ordine turbato, obuenerat in ipſam matrem, de cuius inteſtata ſucceſſione agebatur, idcircò caſus præbebat huiuſmodi iuris confuſionem, quodquè bona, & iura fraterna, effecta eſſent materna, ac propterea, ità deficeret perſona habilis, quæ, facto caſu maternæ ſucceſſionis, iſtaque ſubſtantiata in perſona filiæ renunciantis, illius commodum, ac vtilitatem acciperet; Et ſic, quod de renunciatione non poſſet opponere, niſi ipſe renunciatarius, vel eius hæres, ſiuè alter, qui in hæreditate ius haberet, vt in hoc propoſito verificari poſſet, ſi eiuſdem

renunciatarij hæreditas, ære alieno grauata esset, quoniam ob illam personarum diuersitatem, quam inuentarij beneficium producit, siuè ob alteram, quæ etiam sine inuentario conseruatur ob ius, vel interesse tertij, quod impedit actionum confusionem iuxtà ea, quæ habentur *sub tit. decredito disc.* 40., & alibi pluries, ità hæreditas fratris renunciatarij, fingeretur persona diuersa ab ea ipsius matris; Et consequenter, vt facto casu huius intestatæ successionis, illaquè substantiata in persona renunciantis, eius commodum esset dictæ hæreditatis, ad beneficium creditorum, aliorumquè interessatorum, siuè substitutorum, quatenùs adessent; Istiquè videbantur veri, ac proprij termini istius casus; Ac propterea, vt cessato interesse alterius ius habentis, rectè dicta confusio inducta esset, cum isto casu, nulla considerabilis ratio vrgere videretur, cur filia excludi deberet ab intestata successione matris, cuius, non autem fratris renunciatarij hæc bona dicenda erant; Ideoquè ex hoc fundamento, non autem ex altero inualiditatis renunciationis ob formam Conciliarem non seruatam, resolutio iusta, benèque fundata visa est, cum reuerà censenda non esset illa voluntaria, & gratuita donatio, seù renunciatio, de qua Conciliare decretum agit, sed potiùs correspectiua recognitio veritatis, & obligationis.

BONONIEN.

DE LVCATELLIS

PRO

ANNA MARIA

CVM

EIVS FRATRIBVS CONSANGVINEIS

Responsum pro veritate.

An renunciatio facta patri binubo, capiat necessariam successionem renuncianti debitam in bonis eius matris, in exclusionem filiorum secundi matrimonij, Vel potiùs ista species successionis, remaneat extra renunciationem.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *An renunciatio facta per filios primi matrimonij ad fauorem parentis binubi tollat dispositionem* l. fœminæ Cod. de secundis nuptijs.
3 *De eodem, & quæ opinio sit verior.*
4 *Quod in hac facti specie renunciatio caperet istum casum.*
5 *De eodem, vbi renunciatio facta est pro hæredibus quibuscumque.*
6 *An, & quando filij secundi matrimonij participent de donatione facta contemplatione primi matrimonij.*
7 *De distinctione renunciationis facte occasione ingressus in Religionem.*
8 *Quod sit renunciatio translatiua, & de effectu.*

DISC. XII.

1 SVsceptis per Cæsarem, ex Siluia prima vxore, tribus filiabus, alijsquè filijs ex secunda procreatis; Cum à duabus ex dictis filiabus primæ vxoris Monasterium ingressis, consuetam re-

renunciationem reportasset, atquè facto quodam legato Annæ Mariæ alteri filiæ, vniuersales hæredes instituisset filios masculos secundi matrimonij; Hinc dicta Anna Maria, innixa dispositioni text. *in l. fœminæ Cod. de secund. nupt.*, prætensionem excitauit, quod sibi, vltrà ea, de quibus ad eius fauorem per patrem dispositum fuerat, præcipuam detrahere deberet integram dotem maternam, non solum propriæ portionis, sed etiam sororum, dicta renunciatione non obstante, vtpotè non capiente casum huius pœnalis, ac necessariæ successionis; Cumque desuper quidam Aduocatus de partibus discursum ædidisset, eo communicato, ex parte eiusdem Annæ Mariæ meum pro veritate consilium expetitum fuit.

In dicto autē discursu, elaboratè quidem examinabatur in abstracto quæstio, insinuata etiam *sub tit. de succes. ab intest.* 2 *disc. 31.*; An scilicèt renunciationes, quas filij primi matrimonij patri binubo faciunt, cōprehendant, necnè, casum huius necessariæ successionis à lege delatæ; Atquè deducendo vtriusq; sententiæ sequaces; Pro negatiua, vt scilicèt istam successionem non capiat, deducebat *consil. 90. Aretin.*, quod plures sequuntur, & præsertim *Boer. dec. 184. n. 1. cum seqq. Aluarad. de coniect. defunct. volunt. lib. 2. cap. 3. §. 2. Io. Ant. de Nigr. in cap. Regni*, quod incipit *mulier. dotarium nu. 56. Hodiern. in l. hac edictali q. 11. n. 12. cū seqq. Merlin. lib. 1. contr. 32. Bottiglier. de succes. ab intest. theorem. 51. per tot. Molin. de ritu nupt. lib. 3. quæst. 85. nu. 10. & seqq.* apud quos concordantes.

E' conuerso autem concludebat, quod contraria opinio *Alex. cons. 149. lib. 7.* & aliorum, quos refert *Surd. cons. 244.*, & *Rota decis. 290. par. 9. rec.* videretur magis communis, dum *Rota* loco citato *nu. 4.*, eam talem appellat, et cōsequenter, quod huic potiùs deferendum esset.

Quamuis autem ego idem sentirem, ideoq; contra ipsam filiam primi matrimonij, quæ meum votum expetijt respōderem, principaliter motus ex particula- 3 ribus facti circumstantijs; Nihilominus, quatenus pertinet ad dictam quæstionē, in abstracto, vt etiā aduertitur *d. disc. 31. de succes.*; Dicebam, quod probabilior videretur prima opinio super non comprehensione, quando facti circumstantię aliud non suaderent, quia nempè, vt aduertitur *dicto tit. de succes.*, cessaret applicatio nimium congruæ rationis, cui dicta prior opinio fauore filiorum primi matrimonij innixa est, vbi præsertim de inteſtata patris successione agatur, quod scilicèt asperum, ac improbabile videatur, vt adeò melior esse deberet conditio filiorum secundi matrimonij, qui in iure ciuili minus fauorabiles reputantur, quā sint illi ex primo, dum integram dotem proprię matris obtinerent, absq; eo quod filij primi matrimonij aliquā illius participationē haberent, et è conuerso participarent etiam de dote primæ vxoris.

In hac verò facti specie, contrarium probabilius dicendum veniebat; Tum quia renunciatio sequuta erat post tran- 4 situm ad secunda vota, eaquè in specie continebat dispositionem textus *in dicta l. fœminæ*; Tum clarius, quia non agebatur de successione ab inteſtato, adeoùt, incerta, seù ambigua existente renunciatarij voluntate, lex ob dictam nimiùm cōgruam rationem, ità illam interpretetur; *Vbi verò, conditū sit testamentum*, factaq; dispositio de bonis renunciatis, tunc, vt pluries in præcedentibus aduertitur, cessant illæ quæstiones, quæ in successionibus ab inteſtato cadere solent, quoniā vnus ex finibus, vel causis, ex quibus huiusmodi renunciationes procurari solent, est ille obtinendi libertatem disponendi ex deductis *per Apost. cons. 39. & 40. lib. 1. Rota apud Greg. decis. 85.* & admittitur *in decis. 346. Dunozett. repetit. decis. 543. par. 5. rec.* cum alijs pluries deductis *hoc eod. tit.*

Potissimè verò, dum renunciationes conceptæ erant pro hæredibus quibuscumq; quod in specie pōderatur *in dicta decis. 290. par. 9. rec.*; Tunc etenim ijdem *Aluarad.*, & *Molin.*, ac *Merlin.*, & alij, 5 contrariæ opinionis sequaces id admittunt, ex ea probabili ratione, quod cum ita pater renunciatarius libertatem haberet disponendi de huiusmodi bonis ad fauorem extraneorum, saluo solū iure legitimæ filiorum, non videtur prohibēdus disponere ad fauorem filiorū secundi matrimonij, vt in proposito donationis contemplatione primi matrimonij, vt quoties filij ex eo procreandi, iure mixti fideicommissi vocati non sint, non prohibeantur de illa participare filij diuersi

berſi matrimonij, vt *eod. tit. de ſucceſſ.*, ac altero *de donationibus* aduertitur, cum legis prohibitio, quæ diſponendi facultatem adimit, percutiat ſecundum coniugem ſuperſtitem iuxtà textum *in l. hac edictali Cod. de ſecund. nupt.*, non autem filios, dum perſonæ ipſius coniugis conditio deterior per legem effecta eſt, quã illa cuiuslibet extranei.

Ponderabam in ratione motiuandi ad fauorem dictæ Annæ Mariæ, quod cum ageretur de renunciatione facta occaſione electionis vitæ ſpiritualis in Monaſterio, 7 ità iuxtà diſtinctionem pluries inſinuatam, dicenda eſſet renunciatio realis, ſeù extinctiua, vtpotè facta principaliter ex motiuo vitæ ſpiritualis, et abdicationis temporalium, et conſequenter, quod ità renunciantibus habitis pro mortuis, atquè in rerum natura non exiſtentibus, tanquam per remotionem obſtaculi, integra materna ſucceſſio dictæ filiæ ſæculari delata eſſet, quodquè ità euitaretur quæſtio in radice.

Verùm inſinuabam, quod motiuum eſſet fragile, ob deficientem facti aſſiſtẽtiam, dum renunciatio expreſsè cõcepta 8 erat in forma translatiua, & per ſpeciem donationis; Clariùs verò quia non agebatur de ſucceſſione deferenda, & ſperata, adeoùt recurrere opus eſſet ad terminos textus *in l. ſpem C. de donat.*, de quibus præſertim ſupra *diſc. 6.* & in alijs, ſed agebatur de ſucceſſione iam delata, & quæ ità etiam agnita ſupponebatur, dũ vt præmiſſum eſt, in renunciatione deducebatur ad ſpeciem materna ſucceſſio cum ſpecifica mentione *dicti textus in l. fœminæ*; Ideoquè rectè intrabat vulgaris regula textus *in l. ille aut ille ff. de leg. 3.*, quod in claris, & expreſſis non intrant quæſtiones, & argumenta.

ROMANA DONATIONIS, VEL HÆREDITATIS PRO SAVO PORCARIO CVM FRATRIBVS DE PINEA.

Caſus diſputatus coram A. C., reſolutus pro Sauo.

De renunciatione, quæ per puellam in ſæculo nubentem, occaſione dotationis facta ſit parentum, ac aliorum ſucceſſionibus, quarum mentio habita ſit, an dici poſſit inualida, vtpotè facta ſine conſenſu eorum, de quorum ſucceſſione agitur; Et an, & quando huiuſmodi renunciationes exigant ſolemnitates ſtatutarias, quarum defectus illis obſtet, necnè.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Renunciatio intelligitur ab inteſtato, non autem ex teſtamento.*
3 *De inualida renunciatione hæreditatis viuentis.*
4 *De ſolemnitatibus ſtatutarijs in Vrbe in renunciationibus minorum, & mulierum.*
5 *In claris, & expreſſis ceſſant quæſtiones.*
6 *Declaratur concluſio, de qua num. 2.*
7 *Item declaratur concluſio, de qua nu. 3., vt procedat in renunciatione generali.*
8 *Etiamſi aliquæ perſonæ deducantur ad ſpeciem.*
9 *De eodem, & quãdo verè procedat diſpoſitio* text. in l. fin. Cod. de pact.

10 *De*

10 *De solemnitatibus Statuti, de quibus num.* 4.

11 *De promissione facti alieni, quando, & quomodo sit obligatoria.*

12 *Quod non congruat, vt sponsa de futuro tractet cum sponso.*

13 *De eadem materia solemnitatum in renunciationibus, & quando rigorosè in eis procedatur.*

14 15 & 16 *De eadem cum distinctione casuum.*

17 *Et an solemnitates requirãtur in renunciatione iuris quærendi.*

DISC. XIII.

1 NVptijs destinata A. de Porcarijs cum B. de Pinea eius coniuncto, constituta per patrem, vel fratrem, iam conuenta congrua dote, iuxta communem huius regionis vsum, amplam fecit renunciationem, in forma expresè translatiua per speciem donationis, ad fauorem Iulij fratris, eiusquè filiorum, & descendentium masculorum, de omnibus, & quibuscumquè testatis, ac intestatis parentum, vel coniunctorum, hæreditatibus, & successionibus, & signãter de illa matris adhùc viuentis; Cumquè ista moriens, dictam filiam hęredem instituisset, ista quoquè defuncta, aduersùs eius filios, & hæredes, Sauus Iulij defuncti filius, ex persona propria quoquè expresè vocatus, iudicium immissionis coram A. C. instituit ad bona prouenięntia ex dicta hæreditate matris, atque pro actore, post plures disputationes, prodijt sententia, exequutioni etiam demandata.

In disputationibus autem desuper habitis; Cum Actoris intentio absquè dubio fundata esset, idcircò qnæstio cadebat, in Reorum exceptionibus, quæ tres erant; Prima nempè super conclusione
2 de qua cæteris relatis *apud Dunozett. decis.* 346. *repetit. decis.* 543. *par.* 5. *rec.* pluries in præcedentibus enunciata, quod huiusmodi renunciationes, quamuis amplæ de quibuscumquè hæreditatibus, etiã certæ personæ viuentis (data validitate) intelligendæ veniant ab intestato, non autem ex testamento, de quo etiam plenè *apud Surd. decis.* 14. ibiquè *Hodiern. in addit. de Marin. resol.* 194 *lib.* 2. cum ibi deductis.

Secundò, quod vbi agitur de renunciatione hæreditatis personæ viuentis, ea inualida est, vbi non accedat consensus ipsius, de cuius hæreditate, vel succes-
3 sione agitur; Imò nequè eius interuentus sufficit, nisi accedat etiam perseuerãtia vsquè ad mortem, cum iste consensus sit quandocumq; reuocabilis; Siuè id proueniat ex ratione tollendi votum captandæ mortis; Siuè ex altera non reddendi illum intestabilem, ad notum text. *in l. fin. Cod. de pact.* cum concordantibus *apud Altograd. conf.* 40. *cũ duob seqq. lib.* 2. *Rota apud Bich. dec.* 119. *repetit. dec.* 166. *par.* 9. *rec.* & in alijs.

Et tertiò dicta renunciatio inualida dicebatur ob non adimpletam formam Statuti 151. Vrbis, dum vocatus nõ fuerat eiusdem puellæ renunciantis desti-
4 natus sponsus, tanquã vnus ex proximioribus, eoquè neglecto, alij remotiores vocati, vel eorum loco, curator adhibitus fuerat, quod importat nullitatem, ex pluries deductis in sua materia *sub tit. de alien. & contract. prohib.*

His tamen non obstantibus; Scribens pro actore (etiam cum sensu veritatis), contrarium dicebam probabilius esse, quodquè dictæ exceptiones subsistentiã non haberent; Singulas etenim examinando; Quatenùs ad primam pertinet, difficultas de plano tollebatur ex facto, adeoùt intraret vulgaris regula textus *in l. ille aut ille ff. de leg.* 3. latè exornata *per Rot. decis.* 44. *n.* 14. *par.* 11. *rec.*, quod in claris, & expressis non intrant præsumptiones, & argumenta, dum renunciatio
5 in verbis, expresè, nimiùmq; clarè cantabat de quibuscumquè hæreditatibus, & successionibus, etiam ex testamento; Id etenim, etiamsi ex causa de futuro, prohibitum non est fieri posse ad fauorem tertij per viam renunciationis trãslatiuæ iuxtà pluries enunciatos terminos textus *in l. spem Cod. de donat.*

Dicta verò conclusio, vt renunciatio non excludat renunciantem à testata successione, percutit terminos diuersos,
6 extinctiuæ scilicèt renunciationis factæ, per quam renuncians tollat se de medio, atquè abdicet à se ius succedendi ab intestato, vt alijs æqualibus, vel remotioribus, per remotionem obstaculi locum

ape-

aperiat; Siuè vbi agatur etiam de translatiua renunciatione, quę facta esset ei, de cuius hæreditate, vel successione agitur, quia nempè eumdem renunciantem instituat, seù aliàs cum eo disponat, eodem modo quo cum quocumq; extraneo disponere posset, cum renunciatio tollat quidem omne ius, quod renuncianti in renunciatarij bonis, vel successione competere posset, eum tamen non inhabilitat, nè ipse renunciatarius disponere valeat cum eodem renunciante, ideoque isti termini extranei erant à casu quæstionis.

Plana quoque remanebat solutio secundi obiecti, quoniam vltrà responsionem deduci solitam ex nota *decis. 350. Afflict.*, de qua dubitat *Rota apud Bich.* 7 *dicta decis. 119. repetit. decis. 166. par. 9. rec.*; Difficultas cessabat, ex eo quod dispositio dicti textus *in l. fin. Cod. de pact.*, procedit, vbi agatur de renunciatione, vel alio contractu super hæreditate personæ certæ, ac determinatæ; Secùs autem vbi sit generalis, de omnibus, & quibuscumquè hæreditatibus, & successionibus; Quoties tamen generalitas affectatè adiecta non sit ad legem fraudandã, quia nempè substantia veritatis sit, quod actũ esset de persona certa, & determinata, in qua tantùm casus esset verificabilis iuxtà *decis. 89. Franch.*, quæ reputatur in materia magistralis cum concordantibus relatis *ibid. per Add.*; Secùs autem vbi ista suspicione cessante, verè renunciatio sit generalis, cum tũc cesset ratio prohibitionis, ideoq; actus valeat.

Idquè adeò verùm, vt nequè obstet, quod aliquæ personæ ad speciem deducantur, cum id continere dicatur enu-
8 merationem specierum iam sub genere cadentium gratia maioris declarationis, vt *apud Franch. ibidem*, & *Rot. apud Buratt. decis. 366.*; Et conferunt quæ habentur *sub tit. de iure patron.*, quod licet istud ius in contractũ donationis absq; Ordinarij consensu deduci non valeat, multò verò minùs in illum emptionis, & venditionis, in quo pretium accedat; Attamen, vbi agatur de donatione, vel venditione vniuersitatis, cui iuspatronatus accessoriè annexum sit, istud sub tali cõtractu venit, atquè nil refert, quod eius mentio specialis fiat, dummodò eius ratio in pretio non habeatur, quoniam expressio facta censetur de eo, quod tacitè inerat, gratia maioris declarationis.

Clariùs verò, quoniam prohibitio cõtenta in dicta *l. fin. Cod. de pactis*, verè percutit illas futuræ hæreditatis renun-
9 ciationes, quæ ad fauorem extraneorũ, ità alienas hæreditates captare sollicitorum, parum laudabiliter, ac præter communem vsum, seù ex parte renunciantis præter regulas prudentiæ fiant, cum tunc intret *suspicio seductionis*, vel malarum artium; Secùs autem vbi id fiat ad fauorem parentum, vel fratrum dotãtium, ex communi Italiæ vsu, pro iusto motiuo regionis moribus adaptato, vt sufficiat fœminas congruè dotare, quod què istæ tanquam prouisæ, à paterna domo exeuntes, atquè in illam viri transeuntes, quodammodo extraneæ fiant, nequè aliud prętendere debeãt, quasi quod dos, quæ eis datur, sit præuentiuum emolumentum, seù cõgruum *pretium huiusmodi spei*, cum aliàs melior esset conditio fœminarum, quàm masculorum, contra omnem probabilitatem, & communem vsum; Ideoquè erroneum prò meo iudicio videtur, dispositionem, seu terminos *dictæ l. finalis*, indefinitè in omni casu attendere, dum potiùs cum dicta distinctione procedendum videtur, malam vel respectiuè bonam fidem attendendo; Ad instar eorum, quæ *sub tit. de credito* habentur ad materiam textus *in l. per diuersas, & l. ab Anastasio Cod. mandat.*, cum similibus, ac propterea, quod sit quæstio, pro facti qualitate decidenda, inspiciendo, an congruat, necnè ratio prohibitionis.

Quoverò ad tertium punctum solemnitatum; Difficultas cessabat ex facto, in
10 quo illarum implementum ex eiusdem instrumenti facie patebat; Nil obstante, quod neglectus esset dictus proximior, quoniam cum iste iam destinatus esset puellæ sponsus, hinc proindè duplex vrgebat nimiùm congrua ratio, ob quam ille adhibendus non erat, ideoquè prudenter neglectus fuit, atquè habitus pro non extante; Primò nempè quia absolutum, atquè in praxi quotidiè receptum est, vt proximiores interessati, ad id inhabiles sint, atq; vocari non debeant, sed habendi sint pro non extantibus, vt in sua materia *sub tit. de alien. & contract. prohib.*

probib., atquè talis iſte rectè dici poterat nimium intereſſatus in huiuſmodi renũciatione, vt ea non ſequeretur ob commodum, quod ipſe, eiuſquè filij aliàs ſperare potuiſſent, ex renunciandis hæreditatibus, ac ſucceſſionibus.

Vndè propterea, vt in propoſito promiſſionis facti alieni habetur *ſub tit. de credit. diſc.* 124., receptũ hodiè habemus, quod licèt regula ſit, vt promittens factum alienum, ad aliud nõ teneatur niſi
11 ad diligentias, quibus adhibitis excuſatur, quoties clauſula *ita quod &c.*, vel alia æquipollens, aut alia particularis circumſtantia diuerſimodè non ſuadeat; Attamen vbi agitur de huiuſmodi renunciationum promiſſionibus, quæ per ſpõſum nomine ſponſæ in tabulis dotalibus fiãt, dicta concluſio ſuper excuſatione à diligentijs reſultante, nõ intrat ob præſumptam colluſionem inter ſponſum, & ſpõſam, quodquè ille apparenter adhibendo diligentias, in ſubſtantia, ac de facto cõtrarium affectet ob eius intereſſe, iuxtà optimam obſeruationẽ *Aponte de poteſt. Proreg. tit. de ſucceſſ. mulier. num.* 10. *Caualer. deciſ.* 64., & ſequuntur moderniores communiter, vt patet ex deductis loco citato, vndè propterea intereſſe erat indubitatum.

Et ſecundò quia manifeſtè reſiſtebat ratio cõgruentiæ, ac honeſtatis, vt puella, ità familiariter tractare deberet cum
12 eo, qui eius futurus ſponſus deſtinatus erat, dũ proximiores adhibendi ſunt, nõ prò ſola cerimoniali, ac materiali præſentia, vt frequentiùs praxis docet, ſed eorũ interuẽtus debet eſſe formalis, quo mediante impleatur finis, vel ratio, ob quam ille deſideratus eſt, vt ſcilicèt benè certiorent puellam de actu per ipſam faciendo, ac de effectibus, & præiuditijs exindè reſultantibus, explorãdo eius voluntatem, an libera, & determinata ſit, necnõ indagãdo, an expediat, quod etiã per Iudicẽ faciendũ eſt, ſolus etenim cerimonialis interuentus, reputatur inanis, vt aduertitur in ſua materia *ſub tit. de alien. & contract. prohibitis*; Et conſequẽter requiritur, vt familiariter, proximior cum puella tractet, quod vtiquè, incongruum, ac indecorum eſſet; Ideoquè dicebam, quod iſte coniunctus, eligendo ſtatum coniunctioni contrarium, vt eſſet huius mulieris vir, ità coniunctioni renunciando, ſe extraneum effeciſſe videbatur.

Cæterùm, vbi etiam iſte ſolemnitatũ defectus adeſſet; Quamuis in Curia huiuſmodi quæſtio ſoleat eſſe quotidiana, ob illum præſertim defectum, qui reſultat ab inſinuatione non facta, ad formam Ægidianæ Conſtitutionis, cuius in hoc propoſito mentio habetur ſupra *diſc.* 6.,
13 dum pro frequentiori vſu, huiuſmodi renunciationes, fieri ſolent per puellas nuptijs deſtinatas, quæ in minori ætate adhùc exiſtunt, adeoùt penè centies, quãdò pro nullitate, & quandò pro validitate ſubſtinenda, id tàm in Rota, quàm in Tribunali A.C., alijſq; Tribunalibus, diſputauerim, præſertim in caſu, de quo *ſub tit. de de dote diſc.* 34., ac etiam in illa *Ariminen. bonorum*, in qua prodierunt variæ reſolutiones 24. *Maij* 1660., 22. *Iunij* 1661., & 12. *Iunij* 1665. *coram Beuilaqua*, cum ſimilibus, quæ in Rotæ deciſionibus frequentèr leguntur; Attamen, iſta eſt vna ex illis materijs, in quibus nimiùm euidentem cenſui pragmaticorum errorem, procedendi cum generalitatibus, atq; propoſitiones in vno caſu admiſſas, cuicumquè alteri applicãdi, non diſtinguendo caſus, eorumq; circumſtantias, ex quibus pendere debet inſpectio, àn legis communis, vel municipalis ratio cõgruat, ob quam huiuſmodi ſolemnitates adinuentæ ſunt.

Aut enim agitur de renunciatione, præſertim translatiua, quæ extraneo, vel remotiori non dotanti fiat, vndè propterea *circumuẽtionis* ratio intret, multò verò magis ſi de bonis, ac iuribus iam
14 quæſitis iuxtà caſum, de quo *deciſ.* 523. & 724. *par.* 4. *rec. tom.* 3., cum quibus procedi ſolet, atq; præſertim proceſſum fuit *in dicta Ariminen.*; Et tunc rectè intret rigor ſolemnitatum, quoniam militat ratio, ob quam illæ adinuentæ ſunt; Idemquè, ſi in forma extinctiua fieret renunciatio, quæ nullum haberet probabile motiuũ, vt ità remotior, qui eam affectauit, per huius obſtaculi remotionem, proximior effectus, illas obtineat ſucceſſiones, quæ renuncianti debitæ ſint.

Aut verò agitur de illa renunciatione, quæ, iuxtà communem, ac rationabilem Italiæ vſum, fiat per puellam occaſione nuptiarum ad fauorem patris dotantis, vel fratrum, à quibus congruam dotem

accipiat, et tunc prorsùs erroneum, ac improbabile videtur, istam speciem renunciationis, regulare cum illo rigore, cũ
15 quo dicta alia species regulanda venit, ob longè diuersam rationem; Ista etenim species fauorabilis, ac rationabilis potiùs dicitur, benignèque in ea procedendum est, cum actus dicatur prudens, ac laudabilis, vt in specie aduertitur *per Rotã in Asculana renũciationis 1. Iulij 1652. & 22. Maij 1651. coram Cerro*, quarum posterior est impressa *decis. 15. par. 11. rec.*; Istaquè videtur vera, nimiumque probabilis distinctio; Ad cuius comprobationem conferunt, quæ habentur *dicto disc. 34. de dote*, ac etiam firmata *in Romana renunciationis coram Otthobonter suas decis. 82. in fin.*, & in eadem *coram Cerro decis. 23. par. 11. rec.* in proposito renun-
16 ciationis factæ, ex rationabili motiuo conseruandi bona in agnatione cum similibus; Ac propterea, ad istas facti circumstantias reflectendum est, atquè cum ista distinctione procedendum videtur, non autem generaliter, ac indefinitè pro omni casu illam attendere, cum in hoc præsertim pragmaticorum ineptia consistere videatur.

Dicebam quoque, scribendo more Aduocati, quod cùm ageretur de renunciatione iuris quærẽdi, solemnitates ne-
17 cessariæ non essent, iuxtà firmata *apud Buratt. decis. 333.*, & in decisionibus editis in causa, de qua supra *disc. 6.*; Verùm agnoscebam, quod motiuum non esset tutum, meritò in specie reiectum *in dicta Ariminen. coram Beuilaqua*, de qua supra *dicto disc. 6.*

FAVENTINA

SEV

RAVENNATEN. RENVNCIATIONIS

PRO

AVGVSTINO MAIOLO

CVM

THERESIA PARITER MAIOLA.

Casus disputatus coram A. C., resolutus pro Augustino in ordinatorijs tantùm.

De materia læsionis, quæ cadat in renunciationibus, quæ per puellas occasione nuptiarum, ac dotis fiant, an, & quando intret, ipsamquè renunciationem inficiat, necnè.

Et incidenter, an renunciatio, quæ inualida prætenditur, impediat, necnè actiones, vel remedia, quæ renuncianti aliàs competerent, si renunciatio facta non esset.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*

2 *An, & quando renunciatio, quæ prætendatur nulla, impediat exercere primæuas actiones.*

3 *De læsione in renunciatione regulanda.*

4 *De eodem.*

5 *Quando non sit renunciatio, sed potiùs venditio hæreditatis, vel actionis.*

6 *Traditur regula, seù distinctio, cum qua ista materia læsionis in renunciationibus est regulanda.*

DISC. XIV.

1 AVgustinus senior de Maiolis, scripto hærede Io. Francisco filio in pupillari ætate existente, huic sine filijs decedenti substituit Dominicum, & Iosephum eius germanos fratres; Duabus verò filiabus reliquit dotem librarum 14. m. pro qualibet, ea lege adiecta, vt prædicta dote contentæ, amplam renunciam facere deberent in forma consueta; Cum autem defuncto dicto Io Frãcisco, parùm post pupillarem ætatẽ completã, factus esset casus dictæ substitutionis, ad fauorẽ Dominici tantùm superstitis, defunctaq; etiam esset, adhùc viuente fratre, vna ex dictis filiabus, vndè propterea Theresia altera superstes, iure successionis obtinuit medietatem legati facti alteri sorori, et sic haberet pro dote libras 21. m.; Cuperet autem habere dotem maiorem, & æqualem illi, quæ filiabus dicti Dominici constituta erat in libris 28. m. circiter; Hinc proindè, eodem Dominico defuncto, cum tutoribus Augustini eius filij, & hæredis, conuentio inita est, cum consensu, & interuentu matris eiusdem Theresiæ, super suppletione dictæ maioris dotis, cuius intuitu renunciationem fecit de omni, & toto, eo quod in paterna hæreditate, ex persona propria, & ex illa dicti Io. Francisci, tàm ipsa, quàm eius mater prætendere possent, atq; ità stante dicto supplemento, qualificatis contractis nuptijs, ipsa, eiusquè vir, sub prætextu, quod ista renunciatio enormissimam læsionem contineret, iudicium immissionis corã A.C. ad bona paterna instituerunt pro tertia parte cadente sub legitima debita dicto Io. Francisco, cuius erat hæres, vtpotè à substitutione exempta; Verùm post plures acerrimas disputationes, potiùs facti, quàm iuris, vt infrà, prodijt Rei cõuenti absolutoria ab obseruatione iudicij, ob intentati remedij incompetentiam, merita negotij principalis intacta relinquendo.

In disputationibus autem desuper habitis, duæ fuerunt inspectiones; Vna scilicèt circa iudicij ordinem, super intentati remedij competentia, vel incompetentia; Et altera in meritis negotij principalis, circa prætensam ænormissimam læsionem, ex qua nullitas renunciationis deducebatur.

Quatenùs igitur pertinet ad primum; Scribentes hinc indè, concordabamus in theorica, quæ in hac materia recepta habetur ex deductis in sua materia *sub tit. de iudic.*, super ista quæstione, an scilicèt & quando, concordia, vel renunciatione non obstante, hoc interdictum cõpetat, eo modo, quo ex primæuo iure competeret, si renunciatio, vel cõcordia non adesset; Distinctio etenim est, quod;

2 Aut nullitas actus manifesta est, atquè incontinenti probata, adeoùt dici valeat vitium patens, siuè intrinsecum, quod aliam extrinsecam non exigat iustificationem, quæ altioris indaginis dici valeat, vndè propterea certum sit, quod in tret decretum annullatiuum ipso iure, & tunc, actu habito pro infecto, perindè ac si in rerum natura non esset, rectè cõpetunt, atquè exerceri possunt ea remedia, vel actiones, quæ iam competebant ante initam transactionem; Aut è conuerso, id probabilem habet dubitationem, adeoùt extrinsecas exigat iustificationes, à quibus pendeat infectio, quæ propterea dici non valeat ipso iure incõtinenti probata, sed exigat formalem Iudicis declarationem, et tunc secùs dicendum sit, vt scilicèt præcedere debeat iudicium rescissorium, quo mediante, per rem iudicatam, vel per tres conformes, tollatur priùs de medio renunciationis, vel concordiæ obstaculum, eoque sublato, priora iura exerceantur iuxtà *decis. 550. Caualer. num. 4. decis. 86. num. 9. par. 6. rec.* cum alijs plenè deductis in alia *Fauentina primogenituræ 23. Iunij 1666. coram Beuilaqua* ædita in casu, de quo *sub tit. de fideic disc. 39.*, ac habetur in dicta sua materia *sub tit. de iudic.*

Ista igitur theorica concorditer constituta vtpotè vera, & recepta; Discordantia erat super applicatione; Scribentes etenim pro actrice, probando valorem bonorum hæreditariorum dicti Augustini senioris eius patris, quorum tertia pars pro legitima debita erat dicto filio instituto, ex

3 cuius iure actrix, tanquam hæres veniebat, ità dicebant notoriam, ac euidentem esse infectionem, cum supponeretur, vt

hæc tertia pars importaret libras circiter centum mille, dictum verò supplementum, datum in recõpensam importabat solùm libras septem mille, vndè propterea, etiam attenta dispositione iuris cõmunis, adesse dicebatur læsio pluſquàm enormissima, redolens absquè dubio dolum, ex quo resultat nullitas actus ipso iure, absquè necessitate recurrendi ad remedium rescissorium, quod resultat ex dispositione textus *in l.2.Cod.de rescind.vend.* iuxtà distinctionem, de qua *sub tit. de empt. & vendit.disc.27.*; Multò magis stãte Statuto Ciuitatis Rauennæ, vbi cõtractus initus fuerat, per quod, vltrà solemnitates materiales in contractibus præsertim minorum, requiritur iusta causa vtilitatis.

Scribens ego pro Reo conuento, dicebam quod in hoc consisteret fallacia, ità in aere calculando valorem bonorũ, quæ per defunctum possidebantur, dum
4 oportebat calculare quoquè æs alienum, aliaquè onera detrahenda, necnon detrahi deberent bona existentia in territorio Fauentino, in quibus Dominicus patruus, vel idem Augustinus consobrinus, ex illo Statuto, cuius mentio habetur in sua materia *sub tit. de successionibus*, actricem quamuis sororem excludebat, etiam ab eiusdem Io. Francisci vltimò defuncti intestata successione; Atquè super hoc magnæ fuerunt disputationes, super valore scilicèt dictorum bonorum, ac etiam an dicti Dominicus, & Augustinus dici possent ciues Fauentini, quibus dictum Statutum suffragaretur; Siuè àn nomina debitorum, aliaque negotia ad dictum Augustinum seniorẽ spectarent, et quatenùs spectarent, an loco circumscriberentur, vel potiùs personam sequerentur, ad effectum inspiciẽdi, an caderent sub dicto Statuto, necnè, quæ omnia, magnam, ac altissimæ indaginis discussionem exigebant, cum extrinsecis iustificationibus, cum quibus oportebat firmare dictæ hæreditatis statum, ex quo pendebat quantitas legitimæ, quę exempta à dicto Statuto, caderet sub intestata successione actrici debita, ex quo regulanda veniebat læsio; Ideoque omninò firmum remanebat, vt ineptum esset intentatũ remediũ, vndè propterea probabiliter, ac fundatè prodijt dicta sententia absolutoria, ab obseruatione iudicij, intacta relinquendo merita, dum eorum inspectio à dicto statu pendebat.

Hinc proindè, (quatenùs ad secundam inspectionem meritorum pertinet) quæstio erat potiùs facti quàm iuris, an scilicèt firmata quantitate, quæ actrici pro dicta fratris successione debita erat, factaquè proportione pro summa correspectiuè soluta, adesset necnè prætensa læsio, quæ annullationi, vel rescissioni aditum præberet.

Cum etenim non ageretur de illa consueta renunciatione, quæ iuxtà plures enunciatum Italiæ vsum, per puellas, occasione dotationis, patri, vel fratribus,
5 de futuris incertis speratis successionibus fieri solet, sed ageretur de iuribus iam delatis, & quæsitis, quæ cedebantur extraneo, tanquam per speciem emptionis, & venditionis; Hinc proindè videbamur esse in terminis cessionis, seù venditionis hæreditatis, vel incertæ aleæ, cuius exitus bonus, vel malus resultare debebat à statu hæreditatis, quæ poterat remanere damnosa, adeoùt læsio potiùs esset ex parte pupilli renunciatarij iuxtà terminos textus *in l.1. & 2. tot.tit. ff.& Cod.de hæred. vel act.vendit.*, dum hæreditate detecta minus idonea, euictio non intrat, nullumquè ius cessionario aduersùs cedentem competit ex deductis *sub tit. de empt. & vendit. disc.26.*, ac etiam in sua materia *sub tit. de hæred. & hæredit.*; Iftiquè termini verè, ac propriè potiùs in ista causa cadebant, quàm termini generales renunciationis.

In hoc autem proposito læsionis, quæ deduci solet aduersùs huiusmodi renunciationes, quæ per puellas occasione ma-
6 trimonij carnalis, vel spiritualis, recepta dote, fiant omnibus earum iuribus, ac hæreditatibus, & successionibus; In pluribus nimiùm frequentibus disputationibus in hac materia habitis, tàm in Rota, quàm coram A.C., alijsquè Curiæ Tribunalibus, ac etiam extra Curiam respondendo pro veritate, præsertim *in Rota in Fulginaten. renunciationis coram Priolo* pro Iosepho Lilio cum Vrsula nepte, in qua prodijt priùs ad effectum firmandi statum bonorum *discursus sub die* 20. *Iunij* 1661., deindè verò *sub die* 25. *Maij* 1662. prodijt resolutio fauorabilis

Iose-

Ioſepho renunciatario Reo conuento, ob non iuſtificatam læſionem, dum Vrſula renunciationem ob congruam dotem à patre acceptam ei fecerat; Reflectendo ad veritatem, pro meo ſenſu dicere conſueui idem, quod occaſione ſolemniratum habetur *diſc. præcedenti*, & in alijs, vt ſcilicèt, prorsùs erroneum ſit in hac materia cum generalitatibus procedere, ſiuè cum deciſionibus, vel doctrinis percutientibus caſus, vel terminos diuerſos, cum veriùs procedendum videatur cum eadem ibi inſinuata diſtinctione.

Aut etenim agitur de bonis, vel iuribus iam agnitis, & quæſitis, vel ſaltèm delatis, ac de præſenti certitudinaliter competentibus, quorum renunciatio fiat patri, vel fratribus intuitu dotis, quam filiæ, vel ſorori quamuis diuiti, ac aliundè prouiſæ, de proprio præſtare tenentur, adeoùt non intret ratio correſpectiuitatis, ſeù præuẽtiuæ perceptionis emolumenti, ac æſtimationis iurium renunciatorum; Et tunc rectè intrent termini læſionis, quoties facti circumſtantiæ non ſuadeant, quod ità ſuadentibus legibus polyticis, vel ſtatus, vel alia probabili ratione, ſiuè vſu regionis, vel perſonarum, id redoleat donationem prudenter, atquè ex probabili motiuo factã, adeoùt ſit actus, qui mereatur à prudẽtibus laudari; Atquè ità cum publicis, ſeù benè præmeditatis tractatibus, ac negotiationibus geſtus ſit, vt ab eo dicatur abeſſe illa ſuſpicio, quæ in priuatæ fortunæ puellis cadere ſolet, ſeductionis, ac doli, vel concuſſionis; (Licet vbi dicta polytica, ſeù ſtatus ratio intrat, nimium clara pro meo iudicio ſit Iuriſtarum ineptia, huiuſmodi quæſtiones cum eorum leguleicis propoſitionibus tractare, ac decidere, cum deciſionem recipiant ab eo iure, quod inſinuatum habetur *ſub tit. de dote diſc.* 146.)

Aut verò agitur de ſperatis iuribus de futuro, iuxtà frequentiorem contingentiam; Et tunc inſpiciendum eſt, an actui aſſiſtat, necnè, eadem benè ordinata ratio de qua ſupra, illa præſertim pluries inſinuata, quæ reſultat à communi regionis, vel perſonarum vſu, adeoùt actus dicendus veniat prudens, ac rationabilis, qui à prudentibus laudari mereatur, vel è conuerſò imprudens, ac læſiuus, vt dolì, vel ſeductionis, aut concuſſionis probabilem redoleat ſuſpicionem; Et in ſumma videtur quæſtio facti, pro iſtius qualitate decidenda, certam non de facili recipiens regulam cuicumquè caſui applicabilem, vndè propterea manifeſta videtur pragmaticorum ineptia cum generalitatibus hanc materiam tractare, & decidere.

S. SEVERINAE

SVPPLEMENTI

LEGITIMÆ

PRO

HELYSABETTA OLIVERIA

CVM

ILLIS DE BONA ET ALIIS.

Caſus deciſus per Rotam pro Helyſabetta.

An, & quando renunciatio facta per matrem prædefunctam, obſtet filijs ex propria perſona venientibus.

SVMMARIVM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutio cauſæ.*
3 *Renunciatio matris non nocet filijs ex perſona propria.*
4 *Fallit quando renunciatio matris eſt propter dotem.*
5 *Declaratur.*
6 *Quomodo ſunt extendendæ deciſiones, & in quibus eis deferendum ſit.*
7 *De concluſione de qua num. 4. declaratur*

cum

cum distinctione.

8 *Reijcitur distinctio repræsentationis.*

9 *Non placet conclusio, de qua numer. 4. & 7.*

10 *Quando auo sit imputandum cur dotem donauerit.*

11 *De hac implicita donatione dotis.*

12 *Et quomodo leges debeant intelligi, & practicari.*

DISC. XV.

1 IVxta facti seriem, de qua in hac eadem causa *sub tit. de legitim. & detract. disc.* 8.; Cum Marcus Antonius, scriptis hæredibus Emanuele, & Dominico nepotibus ex Maria filia prædefuncta, ac Iosepho ex Prudentia altera filia pariter prædefuncta, necnon quibusdam nepotibus ex fratre; Elysabettæ nepti ex eadem Maria certum reliquisset legatū, dictaquè Elysabetta non acquiescendo auito iudicio, legitimæ supplementum petierit; Introducta causa *in Rota coram*

2 *Taia sub die* 31. *Maij* 1666. fauorabilem reportauit resolutionem, quæ fortè concordiam produxit, dum (quod sciam), causa vlteriorem disputationis progressum non habuit.

De duobus autem actum fuit; Primò nempè de dicto supplemento, eiusque quantitate in genere, secluſa renunciatione, quam dicta Maria mater fecit; Et secundò, an hæc renunciatio actrici obstaret, necnè; De primo autem agitur *in dicto disc.* 8. *de legitim. & detract.*

Quatenùs igitur pertinet ad punctum renunciationis, cuius validitas præsupponebatur; Scribens ego pro dicta Elysabetta actrice dicebam, quod fundata erat eius intentio in propositione tradi-

3 ta *per Bart. in l. qui superstitis ff. de acquir. hæred.*, quam sequuntur ibidem *Roman.*, *Castr.*, *Alex.* & alij relati *per Surd. cons.* 133. *nu.* 18. *cum seqq. Andreol. contr.* 212. *nu.* 1. *Fontanell. de pact. claus.* 5. *glos. vnic. par.* 1. *num.* 59. *& seqq. de Marin. resol.* 189. *& 192. lib.* 2. *& in addit. ad Reuert. decis.* 157. *num* 3.; Quod scilicèt renunciatio facta per matrem non obstet filijs ex persona propria venientibus, vt præsertim nostra ætate, scribentibus hinc indè, ferè omnibus Europæ primi nominis I. C., materia hæc examinata fuit in graui causa, in qua, ex dictorum Scribentium laboribus, commendabili quidem, ac fœlici stylo *de Marin.* composuit *dicta resol.* 189.; Et habetur etiã *per Rot. decis.* 2. *post Galerat. de renunc.* & in alijs.

Non negabant Scribentes pro hæredibus reis conuentis, dictæ conclusionis veritatem; Insistebant verò in limita-

4 tione tradita *per Roman. in dicta l. qui superstes num.* 7., cum quo pertranseunt alij relati *per Surd. cons.* 355. *num.* 43. *in fin.*, et cũ quo pertransit *Rota apud Rotas decis.* 399. *num. fin. & in Ariminen. bonorum* 24. *Maij* 1660. *coram Beuilaqua*; (Licèt enim ab ista decisione recessum fuerit coram Vicecomite, attamen recessus non est respectu huius conclusionis, sed ob nulliratem renunciationis ex defectu solemnitatum, vt in præcedentibus aduertitur faciendo mentionem huius causæ *Ariminen.*, in qua ego scribebam); Vt scilicèt, id non procedat, quãdo agatur de renunciatione, quæ per matrem facta esset intuitu dotis per eam acceptæ, quoniam iniustum esset, vt filij, eorumdem iurium duplicatum emolumentum assequantur, dum vt supra dictum est, puella, quæ intuitu dotis huiusmodi renunciationem facit, prænentiuũ spei emolumentum, vel pretiũ cum dote obtinere dicitur.

Facilis tamen fuit obiecti solutio ex solo facto, absquè necessitate assumendi articulum iuris de quo infrà, cum actrix non esset matris hæres, nilquè haberet

5 de materna dote, et consequenter cessabat in radice illa ratio, cui dicta limitatio innixa est; Atquè cum hac responsione de plano processum fuit, iuxtà cõmendabilem stylum Tribunalis, licèt quandoquè moderno tempore (nimiùm quidẽ damnabiliter) ille corrumpi soleat; Quod scilicèt assumendæ non sunt eua-

6 gatoriæ quæstiones iuris præter necessitatem causæ, cuius plana resolutio resultet ex solo facto, idquè verè sit causa resolutionis, vndè propterea alia, quæ, dictum stylum corrumpendo, in decisionibus deducuntur, potiùs Extensoris priuatum sensum continere videntur, quæ verè decisionis auctoritatem nõ habent, vt pluries antiqua, media, & moderna Rota protestata est; Verùm protestatio

pa-

partũ proficua est, præsertim apud inferiores Iudices, qui pro moderno inepto vsu, decisiones, ac auctoritates in sola littera attendendo, non curant ad has reflexiones, vel ratiocinia descendere.

Cæterùm, vbi etiam in actrice qualitas hæreditaria adesset, vndè propterea ipsa, in toto, vel pro eius virili, possideret dotem maternam, cuius intuitu renunciatio facta erat, adhùc tamen dicebam, vt dicta limitatio non intraret, cũ ea procedat quando, iuxtà modernam frequentiorem cautelam, renunciatio etiam pro filijs, alijsquè descendentibus facta esset, cum promissione obseruantiæ; Tunc etenim, licèt ista dicatur promissio facti alieni, dum filij non veniunt tanquam hæredes matris, sed ex iure, ac persona propria; Nihilominùs, cum materna hæreditas teneatur ad quanti interest pactũ seruari, intrat hodie recepta propositio, de qua pluries *sub tit. de fideicom.* & alibi, vt regula textus *in l cum à matre Cod. de rei vendicat.*, quæ obligat hæredem ad habendum ratum factum sui auctoris, & nè illud impugnare valeat, quatenùs vires hæreditariæ suppetant, procedat etiam in iuribus ex propria persona competentibus, inuentarij beneficio non obstante.

7 Secùs autem vbi dicta promissio pro filijs facta non sit, quoniam tunc renunciatio facta censetur pro solo iure renũciantis, quatenùs in eius fauorem purificetur sperata successio, cui renunciatum est, ipsa verò præmoriente, dictaq; spe caducata, actus euanescit tanquam per inanem exitum illius retis, cuius iactus, ità in conuentionem deductus dicitur, et consequenter per renunciantem vel eius hæredem nulla fit contrauentio renunciationi; Vt reiecta variatione aliquorum, ità distinguendo habetur *apud Franch. decis. 67. vbi add.*, & præsertim modernus elaboratus *de Luca* cõcordãtes referunt, ac habetur *apud Surd. de Marin.* & alios collectos *per Andreol. dicta contr. 212. nu. 3. & seqq. Michalor. de fratr. par. 3. cap. 12. nu. 35. cum seqq.*, ac supponitur *per Rot. in dicta dec. 2. post Galerat.* & in alijs.

Quamuis etenim aliqui distinguere soleant, an filij indigeant repræsentatione personæ eorum matris, quæ renunciationem fecit, puta quia, ex beneficio repræsentationis, concurrere velint cum patruis, vel cum auunculis; Attamen
8 est distinctio, quæ nullum habet probabile fundamentum, quoniam ille, qui remotior, ex hoc repræsentationis beneficio, proximiori æqualis redditur, non venit ex iure personæ repræsentatæ, cuius hæreditaria qualitate indigeat, sed venit independenter iure suo, & ex beneficio, quod lex ità, per quamdam imaginem sui parentis, nepotibus concedere voluit.

Benè verum quod, tàm istius, quàm plurium consimilium causarum frequenti occasione, reflectendo ad veritatem,
9 iste semper visus est quidam indiscretus, parumquè rationabilis rigor leguleicus, humanæ rationi, siuè verisimili Partium intentioni, contrarius, dum ità melioris cõditionis erunt fœminæ, earumquè descendentes, duplicem sortientes ex aui hæreditate portionem; Vnam scilicèt occasione maternæ dotis; Et alteram propriæ portionis iure successorio; Masculis autem primi gradus, vel nepotibus ex eis, vnicã tantùm portionem obtinentibus, quod vtiquè absurdum, nimiumquè improbabile videtur.

Ac propterea, licèt de stricta iuris censura, rectè dici valeat, quod sibi imputet parens, cur dotem filiæ donauerit, adeoùt ea in speciem peculij aduentitij
10 transitum fecerit, vndè propterea filij eam obtinere dicantur ex beneuolentia matris, tanquam de eius patrimonio, de quo (salua legitima) poterat extraneis gratificari, siuè poterat in vita, debita, vel onera contrahere, adeoùt ius filiorum inutile remaneret, quodq; propterea debebat relinquere dotem in suis cõnaturalibus terminis profectitiæ, quæ mortua filia, ipso superstite, ad eum iure consolidationis redijsset, iuxtà regulam textus *in l. dos à matre C. de iur. dot.*; Quodquè vbi etiam ob eam consuetudinem, quæ *Martini* dicitur, viri, ac filiorum superexistentia, dictam consolidationem seù reuersionem impediat, adhùc tamen, iuxtà veriorem, magisq; receptã sententiam, nepotes dotem obtinere dicuntur iure vocationis dictæ Consuetudinis directè ab auo, & ex eius substantia, vndè propterea conferre, vel imputare tenentur; Ideoq; absurdum resultat ab ipsius parentis culpa, malaquè prouiden-

dentia, quam sibi ipsi imputare debet, faciendo donationem filiæ, quæ potiùs iure extranei donatarij consideranda venit.

Nihilominùs, ista, et si in puncto iuris vera sint, adhùc tamen cõtinere vidẽtur quasdã legales subtilitates vix peritis I.C. cognitas, ad quas proindè contrahentes, præsertim personæ idiotæ reflectere non solent, sed pro ea naturali veritate, quæ pluries in præcedentibus insinuatur, parentes cogitant solũ filias prouidere, vt ità de paterna domo exeuntes, cum vniuersa earum posteritate, ab ea extraneæ efficiantur, quodquè infectio primitiuæ inficiat omnem deriuatiuam; Istaquè videtur substantia veritatis, ac verisimilis voluntatis Partium.

Potissimè quia, vt in his terminis aduertitur *sub tit. de dot. disc.* 31. *cum duobus seqq. & discur.* 154. & alibi; Quoties hæc donatio non proueniat ex plusquã clara, & explicita patris voluntate faciendi huiusmodi donationem filiæ tanquã
11 extraneæ, ex aliquo merito, vel affectione personali, adeoùt, secluso etiam motiuo paternæ obligationis, vel altero necessitatis dotandi, ac prouidendi filiam, adhùc eadem donatio facta esset; Sed huiusmodi donatio iuxtà legales subtilitates ab omni probabilitate, ac ratione alienas deduceretur ex forma stipulationis, de qua *dicto disc.* 31. *& seqq. de dote*; Quoniam tunc reuerà id videtur prouenire potiùs ex ignorantia Notariorum, qui nescientes quid dicant, neq; verborũ, seù clausularum vim, seù operationem percipientes, vno vel altero modo stipulationem concipiendo, causant huiusmodi effectus, contrahentium voluntati de directò contrarios.

Ad id autem cuperem, vt reflecterent magna, supremaquè Tribunalia, quæ Iudicibus inferioribus iudicandi normam
12 præbent, reflectendo etiám ad frequenter insinuatam legalem historiam de qua præsertim *sub tit. de seruit. disc.* 1., quod scilicèt legum ciuilium vsum habemus, non ex imperiali auctoritate Iustiniani, quæ ad id nos cogat, vndè propterea intrare valeat propositio, quod lex quãuis dura, seruãda sit, sed illã habemus, quia populi, eas tanquam rationabiles, ac benè, prudenterq; ordinatas, receperunt, ideoquè ad limites rationis practicari debent, non autem cum huiusmodi rigoribus, qui humanæ rationi, atq; cõmuni vsui nimiùm aduersi sunt; Istaq; est ratio, ob quam aliarum scientiarum professores, illi præsertim moralis philosophiæ, hanc legalem, adeò abhorrent facultatem, eamquè dicunt Reipublicæ potiùs pernicioſam quodquè Mundum inuoluerit; Malí enim effectus huiusmodi, non resultant à legibus, quæ sanctæ sunt, ac rationabiles, sed ab earum mala intelligẽtia, et à praxi, seù à verè damnabili, ac nauseatiuo pragmatico vsu doctrinarum ad litteram, ac more collectorio, vno alterum transcribente absquè aliquo discursu.

ROMANA
SEV
IANVEN. RENVNCIATIONIS
PRO
HIERONYMO PANESIO
CVM
LVCA, & IO. PAVLO ETIAM DE PANESIIS

Disc. pro veritate in congressu.

An, & quando valeat, & obligatoria sit renunciatio futuris successionibus viuentium, seù pactum de non succedendo ad materiam tex. *in l. fin. Cod. de pact., & in l. pactum quod dotali Cod. de pact. conuent.*

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Ad materiam pacti de successione viuen-*

viuentis, & an prohibitio manet etiã à iure canonico.

3 *De eodem, vt prohibitio ſit etiam de iure canonico, & de diſtinctione inter pactum affirmatiuum, & negatiuum.*

4 *De conſenſu eius, de cuius ſucceſſione agitur.*

5 *De voto Auctoris in caſu.*

6 *De Statuto Ianuæ eximente teſtamentum à querela inofficioſi.*

7 *Quod ſit error cum generalitatibus procedere in quæſtione de qua numer. 2. & 3.*

8 *De pacto ſuper ſucceſſione ipſius met paciſcentis, aſſecurando eius ſucceſſionem ad fauorem alicuius, an ſit nullum, vel reuocabile.*

9 *De eodem, & quare diſpoſitio legis ciuilis, hodiè non debeat attendi.*

10 *Expenditur ratio voti captandæ mortis.*

11 *De altera ratione adimendi liberam facultatem teſtandi.*

12 *Et de altera concluſione, quod pactis hæreditas dari non poteſt.*

13 *De pacto hæreditatis viuentis facto per ſperatum ſucceſſorem ad fauorem tertij.*

14 *De diſtinctione, an ſit pactum generale, vel ſpeciale.*

15 *De renunciatione facta ad ſolum effectum libertatis diſponendi.*

16 *Qualis eſſet caſus præſentis controuerſiæ, in qua renunciatio eſſet valida.*

DISC. XVI.

1 IOannes Baptiſta Paneſius, inſtituto Hieronymo vno ex eius filijs, in quibuſdam bonis, conditionem præſcripſit, vt ipſe renunciare deberet ſucceſſioni in bonis Hieronymæ matris, & vxoris reſpectiuè, prout ſequuta morte teſtatoris, volens Hieronymus obtinere diſpoſita ad eius fauorem, in dicti præcepti exequutionem renunciationem fecit, dictaquè Hieronyma ea præterito, hæredes inſtituit Lucam, & Io. Paulum alios filios, quos idem pater inſtituerat; Sequuta verò dictæ teſtatricis morte, Hieronymus, qui in Vrbe moram trahebat, diſſimulatis renunciatione, ac teſtamento, curauit ſe declarari hæredem ab inteſtato pro tertia parte, atquè pro eadem virili in eius faciem deſcribi quædam loca montium hæreditaria; Superuenientes autem dicti eius fratres hæredes inſtituti, iudicium deſuper introduxerunt coram Theſaurario, à quo prodijt ſententia eis fauorabilis, vnde Hieronymus per appellationẽ cauſam introduxit in Camera, incertum tamen eſt, an vlteriorem proſequutionem habuerit.

In congreſſu autẽ Aduocatorũ, qui ex laudabili ſtylo deſuper habitus fuit, ad effectũ cõſulendi, an expediret appellationem proſequi, ac etiam, ſuper proſequutionis directione; Aliqui, ingenioſi 2 quidem, ac elaborati iuuenes, multa deducebant ad materiam textus *in l. fin. Cod. de pact.*, & *l. pactum quod dotali Cod. de pact. conuent.*, in propoſito renunciationis, vel pacti de hæreditate certæ perſonæ adhùc viuentis, ſine eius expreſſo conſenſu, examinando, an iſte deberet eſſe expreſſus, vel ſufficiat tacitus, ac implicitus, & qualis ſcientia ad hunc effectum deſideretur; Aſſumendo etiam quæſtionem, an hæc prohibitio reſultet ſolùm à iure ciuili (in quo caſu iuramentum eam tolleret), vel etiã à iure canonico, quod iuramentum etiam infringat.

Atquè hinc reſultat altera diſtinctio, quã alij faciunt, inter pactũ affirmatiuũ, & pactum negatiuum, quaſi quod prima ſpecies, iuris canonici quoquè prohibi- 3 tionem habeat, ideoquè iuramentum non operetur; Secùs autem altera; Cuius tamen contrarium alij magis communiter tenent, vt ſcilicèt indiſtinctè prohibitio, de vtroquè iure procedat, quoniam pactũ negatiuum ex parte renunciantis, implicitè, ſinè in conſequentiam ſub ſe includit affirmatiuum ex parte recipientis, ex ijs quæ firmant DD., quos pro conſueto nimiùm elaborato, (quamuis non multum fœlici) ſtylo, colligit ad hanc materiam *Caſtill. lib. 3. contr. cap. 9.*, & habetur *per Rotam deciſ. 33 par. 6. rec.*, & *deciſ. 166. par. 9.* repetit. *apud Bich. deciſ. 119.*, & *per Add. ad Buratt. deciſ. 894.*; Nimiùm in ſpecie magnificando, pro currenti moderna ineptia, doctrinam *Surd. conſ. 480. num. 21.* tanquam indiuidualem in terminis præciſis

renunciationis factæ maternæ hereditati, ob paternum præceptum.

Potissimè verò quia supponebatur nõ constare, quod præfata Hieronyma testatrix scientiam dictæ prohibitionis, ac renunciationis respectiuè haberet, neque de eius consensu expresso, cum tacitus, vel præsumptus, seù coniecturalis, iuxtà vnam opinionem, non sufficiat, vel iuxtà alteram; deduci non posset, nisi concludenter probata scientia pacti, cũ animus trahi nõ possit ad ignorata; Atque ità concludebant, quod hæc renunciatio, vtpotè inualida, obstare nõ deberet, et consequenter, quod competeret quærela inofficiosi.

Diuersa fuit mea opinio, contra ipsum Hieronymum requirentem, quodquè propterea, sententia Thesaurarij esset iusta, benèque fundata; Siuè quod vbi etiam præmissa subsisterent, eius actio operatiua esse non posset, nisi in sola legitima, quæ importabat tertiam dictæ tertiæ portionis, quo casu ex facti circumstantijs, ob paternam dispositionem, non expediebat litem prosequi, cuius vtilitas consistebat, quando integra tertia pars, iure successionis ab intestato obtineri potuisset; Tum quia ob clausulam codicillarem, quæ in omnibus ferè testamentis de stylo apponi solet, ad solam legitimam effectus huius quærelæ restringi videtur, ex deductis in sua materia *sub tit. de testam.*; Tum etiam clarius, stante Statuto Ianuæ disponente, vt salua legitima, vitium præteritionis, vel exhæredationis testamentis obstare non debeat ex deductis *eod tit. de testam.* præsertim *disc.* 60.

Verùm vbi de dicto puncto inualiditatis renunciationis agendum esset; Adhùc aduertebam ad idem, quod occasione fideicommissi conuentionalis habetur *sub tit. de fideicom. disc.* 141., vt scilicèt erroneum sit, ità cum huiusmodi generalitatibus procedere, pluresquè casus inter se diuersos confundere, cum iuxtà ferè generalem pluries insinuatam regulam, forensium quæstionum, congrua decisio, pendere videatur ex casuũ distinctione, ex qua resultat conclusionum, seù doctrinarum congrua applicatio, aliàs verò resultant illa æquiuoca, quæ adeò inualuerunt ex isto [illegible]derborum errore, ità non distinguendi paleam à tritico.

Distinguendo igitur diuersos casus; Primus est de illo, hæreditatis, vel successionis pacto, quod fieret per ipsum, de cuius hæreditate, vel successione agitur, ad fauorem alterius pacisc entis, vel tertij in eius gratiam, iuxtà illum frequentiorem vsum, qui habetur in Hispania, præsertim in Catalonia, ac etiam quandoquè in Italia, illorum pactorum, quæ per Hispanos *hæreditamenta* dicuntur occasione matrimoniorum, quod scilicèt parentes sponsæ, in partem dotis, & parentes sponsi iure donationis contemplatione matrimonij, paciscuntur de eorum futura hæreditate, vel successione, ad fauorem filij, vel filiæ respectiuè, vndè propterea intret dubietas, an hæreditas pactis dari possit, iuxtà terminos textus *in dicta l. pactum quod dotali, & l. hæreditas Cod. de pact. & l. ex ea Cod. de inutil. stipulat.*

Isto autem casu, varias habemus opiniones; Aliqui enim credunt, vt indefinitè, siue de tota, siue de quota agatur, pactum sit inutile, quodque matrimonij fauor, vel iuramentum illud non saluet; Alij verò distinguunt, vt cessante iuramento, vel fauore matrimonij, dicta nullitas indefinitè intret, siue agatur de tota, siue de quota; Quatenùs verò vna, vel altera circumstantia accedat, tunc intret distinctio, an agatur de tota, vel de quota; Vt primo casu actus sit nullus, iuramento, vel fauore matrimonij non obstante; In altero autem, cesset quidem nullitas, sed actus sit quandocumque reuocabilis, ideoque necessaria sit voluntatis perseuerantia vsq; ad mortem, ex ijs quæ cæteris relatis habentur *per Rotam apud Roias decis.* 282. 317. & 455., cum quibus proceditur *dec.* 137. *nu. fin. par.* 11. *rec* & in alijs.

Quamuis autem, vt aduertitur *eod. disc.* 141. huiusmodi ac similes propositiones, quas habemus in istis pactis, siue in donationibus omnium bonorum præsentium & futurorum, vel in reciprocis pactis de succedendo, mihi non placeant, atque continere videantur quamdam leguleicam simplicitatem; Attamen iste non erat casus; Discurrebam verò de eo, vt infrà, (citrà euagationis notã), ad tollendà æquiuoca, seu ad distinguendum auctoritates, quæ desuper confundebantur;

tur; Dicebam etenim quod hæc nullitas deducitur ex illis iuris ciuilis subtilitatibus, cum quibus sub antiquo Romano Imperio in illis temporibus procedebatur, quando diuersi erant mores, ex quibus fortè prudēter, ità statuere oportuit, ob inconuenientia scilicèt, quæ tunc exindè resultare, experientia docebat; Ac etiam quia iurisiurandi religio fortè apud illos ethnicos non ità afficiebat, vt apud Christianos ex Diuina, & canonica lege afficere debet; Ideoque non videtur subesse congrua ratio, cur ille, qui profitendo in Religione, siue faciendo aliquod delictum, ob quod seruus pœnæ efficiatur, possit se reddere intestabilem, siue etiam talem se reddere per solam donationem inter viuos fauore piæ causæ, & id facere non possit per aliam conuentionem ab eius libera, & sincera voluntate manantem, iurisiurandi religione munitam, & quare iuramentum afficere non debeat, neque in eo intret generalis regula textus *in cap. quamuis pactum de pact. in 6. & cap. per vestras de donat. inter vir. & vxor.*, vt semper iuramentum seruari debeat, quoties æternæ salutis interitus, vel bonorum morum naturalium offensio, siue publici fauoris principalis ratio aliter non suadeant, dum ex pluribus rationibus, quæ desuper à Iuristis deduci solent, nulla videtur adeò vrgens, quæ naturalem libertatem disponendi de bonis suis impedire debeat, siue iuramenti efficaciam tollere.

Tres enim rationes in huiusmodi, vel similibus pactis ponderari solent; Vna scilicèt voti captandæ mortis; Altera se reddendi intestabilem; Et altera quod
10 hæreditates pactis dari non possunt; Prima verò non intrat, vbi pactum innixum sit ordini, seu rationabili motiuo naturæ, quod nempè concipiatur fauore liberorum, vel aliorum, quos successores sibi quis destinauerit, ità assecurando alteram partem contrahentem matrimonium de huius destinationis certitudine, ac irreuocabilitate; Neque ex communi praxi istud captandæ mortis votum, quod fortè tunc vigebat, ob christianam pietatem iunctam cum coniunctione sanguinis, præsertim vbi de filijs agitur, iuxtà frequentiorem huiusmodi pactorum praxim, auditur operatiuum; Si enim ista ratio vigeret, inualida quoque censeri deberent Statuta, de quibus habetur *sub tit. de dote disc.* 104. *& seq.*, & in eius magis peculiari sede *sub tit. de succes. disc.* 40. & in alijs, vt præsertim mulieribus in dote, necessaria sit filiorum successio, neque mater in eorum præiudicium disponere possit, dum ità resultaret, quod filij, de parentis successione certificati, eius mortem accelerare curarent, cum nulla disparitatis ratio inter pactum & Statutum quoad hunc effectum dignosci videatur, ideoque cum in Statutis id non attendatur, non videtur, cur in pactis attendi debeat.

Quouerò ad aliam rationem adimendi sibi facultatem testandi, vt *eodem disc.* 141. *de fideic.* aduertitur, non videtur subesse ratio, cur fauore Ecclesiæ, vel
11 piæ causæ id fieri possit, & cur iurisiurandi religioni eadem virtus, vel operatio tribuenda non sit, quoniam si ista facultas competeret de iure naturæ, ità & taliter, quod neque volentes, possint homines ea se priuare, sequeretur quod lex positiua illi derogare non potuisset, neque intestabiles reddere filios familias, seruos, ac monachos, & alios, minusque reddere intestatos eos, qui certas solemnitates, vel formam non seruarent; Meritò autem lex positiua id facere potuit, eò quia verius est, vt hæc testandi facultas proueniat à mera benignitate iuris positiui fauore testantium, qui illi renunciare possunt.

Magisque à iure positiuo merè ciuili, manat altera ratio, quod hæreditas pactis dari non potest, & consequenter fortiùs iuramentum huius legis obstaculum
12 tollere debet; Solùm etenim huiusmodi pacta eodem modo, quo donationes vniuersales testandi facultatem adimentes, ratione nimiæ imprudentiæ, seu prodigalitatis, aliquam redolere videntur suspicionem doli, vel circumuentionis, aut imbecillis iudicij, vndè propterea ille resultet naturalis defectus, qui iuramenti vim tollat, quasi quod inuerisimilis dispositio sit; Ideoque vbi iustum, ac probabile motiuum accedat, ob quod illa successio, quæ ex ordine naturæ, vel ex motiuo affectionis testato, vel intestato alicui destinata est, ità ex quodam vsu, vel ad maiorem successoris vtilitatem

pro aliquo qualificato matrimonio faciendo, seu pro gradus, vel dignitatis assecutione, aut ex alio iusto motiuo sequeretur per pactum irreuocabile, præsertim iuratum, tunc non videtur, quidnam id prohibeat; Fortius verò, vbi id sequatur occasione firmandi cum alio conuentionale fideicommissum reciprocum, iuxtà deducta *dicto disc.* 141. *de fidei.*

Alter casus est, vbi agatur de pacto, vel renunciatione hæreditatis tertij adhuc viuentis, ad fauorem alterius pacisscentis, vel renunciatarij, vndè propterea tres personæ concurrant, nempè renuncians, renunciatarius, & ille de cuius
13 hæreditate, vel successione agitur; Et tunc subdistinguitur inter renunciationem extinctiuam, quæ idem importat, ac pactum de non succedendo, & translatiuam, quæ supponit successionis delationem, & acquisitionem in renunciatario, in quo substantiata remaneat, eius tamen emolumentum, vel vtilitas cedat ad commodum renunciatarij, iuxtà distinctionem, de qua pluries in præcedentibus.

Primo etenim casu, siue in prima specie, vbi pactum fiat ad fauorem eius, cui de iure successio, remoto renunciantis obstaculo, in totum, vel pinguius debita sit, non videtur ad quid desiderari debeat, (vt aliqui credunt), expressus consensus eius, de cuius successione agitur, cum in ipsius libertate repositum sit, tale pactum eludere, vtpotè intelligendum, ac operatiuum in casu intestatæ successionis, non autem in casu testamenti, ex quo renuncians recipere non prohibetur; Multo verò magis, vbi hoc pactum de non succedendo, saperet speciem malignitatis, vt renuncians inhabiliteretur absque vtilitate renunciatarij, vel alterius, in cuius gratiam ipse de hoc pacto sollicitus fuit; Atq; tunc intrat ratio huius pacti improbatiua, adimendi s. tertio testandi libertatem; Istumque casum percutiunt ea, quæ tam longa & inuoluta serie deducuntur *per Castill. dicto lib.* 3. *cap.* 9. vbi ad satietatem cumulantur alij de materia agentes, ac etiam agitur *per Rotam dicta dec.* 33. *par.* 6. & 166. *par.* 9. aliàs *dec.* 119. *Bichy.*

In altera verò specie renunciationis translatiuæ, non intrat dicta ratio impediendi libertatem testandi, quoniam, posita testamentaria dispositione ad renunciantis fauorem, iste succedere dicitur, atque dispositio effectum sortiri, dum successio substantiata remanet in renunciatario, quem sicuti nulla lex, vel ratio prohibet, obtentam successionem alteri cedere ad terminos textus *in l.* 1. & *tot. tit. ff. & Cod. de hæred. vel act. vendit.*, ita neque prohibet cedere præuentiuè spem, siue spei emolumentum ad terminos textus *in l. spem Cod. de donat.*, de quibus suprà *disc.* 6. & in alijs pluries.

Benè tamen isto casu, quando agitur de renunciatione hæreditatis, vel successionis certæ, ac determinatæ personæ, intrat altera ratio voti captandæ mortis, quam ad materiam textus *in dicta l. fin. Cod. de pact.* ponderant DD. relati *per Ca.*
14 *still.* & alios vbi suprà, ideoque adhibetur distinctio pluries in præcedentibus insinuata, præsertim *disc.* 13. inter renunciationem generalem successionibus, ex maiorum morte speratis, & vbi de illa certæ, ac determinatæ personæ agatur.

Verùm pariter erroneum videtur, ità simpliciter ac indefinitè huiusmodi distinctionem attendere, illam cuicumque casui applicando, quoniam pariter recipienda venit cum eadem distinctione, de qua suprà in primo casu, an scilicèt renunciatio iustum habeat motiuum ex parte vtriusque, talesque contineat circumstantias, vt dicta ratio non congruat, vel è conuersò; Si etenim omninò extraneus, studio ità captandi alienas hæreditates, ac successiones, futurum verisimiliter speratum successorem alicuius, ad id inducat, & tunc meritò pro actus improbatione respondendum est; Tum ob dictam rationem voti captandæ mortis; Tum etiam quia est res mali exempli magnam redolens seductionis, vel confusionis, vel alterius doli, & fraudis suspicionem, ideoque permittenda non est potiùs ex præsumendo defectu naturali, qui iuramentum quoq; inefficax reddit, quàm ex subtilitatibus iuris ciuilis; Secùs autem è conuersò, vbi ex iusto ac rationabili motiuo id sequatur ad fauorem personæ, in qua dicta ratio voti captandæ mortis non intret.

Ponamus enim quod pater, pinguius, ac

ac vltrà propriam obligationem, carnaliter, vel ſpiritualiter dotando, & collocando filiam, reportet ab iſta translatiuam renunciationem futuræ ſperatæ hereditatis eius vxoris, ac matris reſpectiuè, non videtur quænam lex, vel ratio id prohibeat, cum præſumendum non ſit, quod vir vxorem occidere velit, vt eius ſucceſſionem ità obtineat, quoniam eadem præſumptio (vt ſuprà inſinuatum eſt) admittenda veniret etiam in filijs, vt occiderent matrem, cuius neceſſariam ſucceſſionem lex municipalis eis defert; Siue improbandæ eſſent omnes donationes vniuerſales bonorum, ac iurium præſentium, & futurorum, quæ alicui fierent cum vſusfructus reſeruatione, quæ actum à nullitate præſeruat, nam ità in donatario intraret eadem ratio captandæ mortis, quæ pariter intraret in omnibus filijs in ſucceſſionibus neceſſarijs, quæ ex fideicommiſſo, vel maioratu, ſiue ex feudali inueſtitura pacti & prouidentiæ debentur; Igitur manifeſta ineptia videtur cum huiuſmodi generalitatibus procedere, cum id intelligendum veniat, ad limites potiùs dictæ alterius rationis, fraudis, & illicitæ captationis alienarum hæreditatum viuentium, ab imprudentibus adoleſcentibus, vel à puellis, adinſtar prohibitionis *Macedoniani*, ſiue adinſtar diſpoſitionis textus *in l. per diuerſas, & l. ab Anaſtaſio Cod. mandati &c.*

Quamuis autem præmiſſa omnia extranea eſſent à caſu controuerſiæ, qui verè diuerſus eſt vt infrà; Attamen congruum cenſui, in diſcurſu deſuper edito, (citrà enagationem, à meo ſtylo, ac genio nimiùm abhorritam) ea recenſere, ad tollenda æquiuoca, dum Alij, ingenioſi quidem, ac elaborati, in eorum diſcurſibus, ſtudendo cum moderno inſipido pragmatico ſtylo, totam eruditionem conſtituere in inani chartarum repletione, cum allegationum copia, deducebant auctoritates ac deciſiones, quæ dictos diuerſos caſus, vel terminos percutiunt, vndè propterea tot frequentia reſultant, in hac facultate intolerabilia æquiuoca.

Proprius igitur, atque præciſus controuerſiæ caſus eſt, vbi per illum, cui ex legis diſpoſitione aliqua neceſſaria ſucceſſio debita ſit, renunciatio fiat illi, de
15 eius ſucceſſione agitur, ad effectum, vt tanquam per remotionem obſtaculi, vel neceſſitatis à lege inductæ, ille acquirat diſponendi libertatem de omnibus, iuxtà caſum illius renunciationis, quam filius agnoſcens ſe moriturum, à matre reportauit, ne ob legitimam ei debitam in proprietate, eius hæreditas diminutionem, vel ſciſſuram patiatur, de quo *apud Otthob. deciſ. 182. & dec. 23. par. 11. rec.*, & de quo caſu habetur *ſub tit. de teſtam. diſc. 43.*; Siue iuxtà illum, de quo in celebri *Signina caſtrorum deciſ.* 12., 292., 320., & 323. *par. 6. recent.*, quod ſcilicèt hæres grauatus reſtituere hæreditatem, vel bona alteri, renunciationem ab iſto huic futuræ ſperatæ ſucceſſioni per eius mortem obtinere ſtuduit, vt ità bonorum libertatem acquireret, vt aduertitur *ſuprà diſc. 6.* & in alijs pluries; Tunc etenim id nil prohibet; Vt in his terminis renunciationis, quæ per parentes à filiabus procurantur occaſione earum dotationis, ac etiam à filijs maſculis occaſione ingreſſus in Religionem, pluries in præcedentibus *inſinuatur*, iuxtà *conſ. 39. & 40. Apont. lib. 1. Gregor. dec. 85.* & admittitur *in deciſ. 346. Dunozetti repet. deciſ. 543. par. 5. rec.* & in alijs.

Et hic erat caſus, quod ſcilicèt, prouidus pater, communicato conſilio cum vxore, ac matre reſpectiuè, agnoſcendo vnius ex filijs profuſam naturam, vt
16 vtrumque paternum, ac maternum aſſem à ſciſſura, & diſſipatione præſeruaret, ad commodum aliorum filiorum, quos magis prudentes reputabat, timeret autem ne poſt eius mortem, iſte filius, de quo ſuſpicabatur habebat, matrem induceret ad moriendum ab inteſtato, ſiue aliàs ad eius fauorem diſponendum, ità occurrere voluit, dictum filium congruè prouidendo ſub hac lege, cuius intuitu ei reliquerat plus quàm de bonis proprijs ex neceſſitate rationæ legitimæ debitum eſſet, vndè propterea ità in illo exceſſu obtinuit de præſenti pretium incertæ ſpei maternæ ſucceſſionis, & conſequenter non debebat vtrumq; obtinere; Solaque difficultas cadere potuiſſet quando ipſa mater, iſta renunciatione non obſtante, eumdem filium hæredem inſtituiſſet, ſeu aliàs ipſius fauore diſpoſuiſſet; Sed cum dictæ renunciationi innixa, diſpoſuerit iuxtà finem à viro deſi-

dera-

deratum, ità explicitè constabat de eius consensu, quodque totum gestum esset de mutuo consilio; Ideoq; edocemur, quàm erroneum sit in hac materia, cum solis generalitatibus procedere.

ROMANA

RENVNCIATIONIS

SEV

BONORVM

PRO

VRBANO ET MARIO DE MILLINIS

CVM

IO. CELSO FRATRE.

Casus decisus per Rotam pro Vrbano & Mario, postea concordatus.

An, & quando renunciatio facta occasione ingressus in Religionem, vel Monasterium, resoluatur, seu aliàs cesset per mutationem status renunciantis, quia nempè ad sæculum redeat, siue ad Episcopatum, vel ad aliam dignitatem assumatur, aut ad aliam Religionem, vel Monasterium transeat.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Quod sint distinguendi casus.*
4 *De resolutione renunciationis ob egressum à Religione ex nullitate profess. mis.*
5 *De alio casu resolutionis ob egressum puellæ à conseruatorio.*
6 *De egressu à Religione Societatis Iesu, vel similium.*
7 *De eodem, & quid operetur quartum votum.*
8 *De egressu ob incorrigibilitatem.*
9 *De transitu de vna Religione ad aliam, vel de vno Monasterio ad alterum.*
10 *De egressu occasione Episcopatus, vel alterius dignitatis.*
11 *De eodem; & de indulto testandi Episcoporum.*
12 *De egressu ob suppressionem Religionis.*
13 *Quid vbi professus in Religione suppressa, prius professus esset in altera Religione.*
14 *De eadem conclusione, de qua num. 10. & seq.*
15 *An resolutio placeat necnè.*
16 *Distinguuntur plures casus, vel species bonorum ante, vel post egressum à Religione.*
17 *Gratia Principis intelligenda est sine præiudicio tertij.*
18 *Religiosus factus Episcopus, an succedat in feudo.*
19 *Quod quandoq; resolutiones prodeant ex regulis prudentialibus.*
20 *Ponderantur facti circumstantiæ, ob quas renunciatio non debeat obstare.*
21 *Quare cum decisionibus & doctrinis generalibus in omni casu procedendum non sit.*

DISC. XVII.

1 CElsus, adhuc in sæculo existens, ob iam factam deliberationem assumẽdi statum regularem in Religione Clericorum Regularium Minorum, amplam consuetam renunciationem fecit, ad fauorem Vrbani, & Marij, aliorumque fratrum; Cum autem emissa iam professione, Apostolica auctoritate, legitimè translatus fuisset ad Congregationem Boni Iesu Rauennæ, quæ postmodum passa est suppressionem, enunciatam *sub tit. de locat. disc. 25.*; Vndè propterea, eius professores (vt generaliter de plerisque paruis Religionibus suppressis nostra ætate vidimus), statum clericorum

sæcu-

fæculariuta aſſumpſerunt; Atque in hoc ſtatu, dictus Celſus iam conſtitutus, ab altero prædefuncto fratre hæres inſtitutus eſſet, iuxtà ſeriem de qua *ſub tit. de teſtamen. diſcur.* 38.; Hinc inter ipſum, ac præfatos Vrbanum, & Marium eius fratres fæculares, lis exorta fuit, tam ſuper dicti teſtamenti validitate, quàm etiam ſuper dictæ renunciationis duratione, vel reſolutione reſpectiuè, ac etiam ſuper eiuſdem Celſi ſtatu, cum alij fratres prætenderent, quod non eſſet fæcularis, ſed vtpotè primo regulari voto adhuc adſtrictus, ad primam Religionem regredi, vel aliam æqualis inſtituti ingredi deberet; De primo autem puncto teſtamenti habetur *dicto diſc.* 38. *de teſtam.*; Et de altero ſtatus regularis habetur in ſua materia *ſub tit. de Regularibus diſc.* 38.

Quatenus igitur ad hunc punctum renunciationis pertinet, propoſita cauſa *in Rota coram Cerro*, coram quo omnes
2 prædictæ aliæ pendebant, *ſub die* 20. *Februarij* 1658. pro teſtamẽti validitate ad fauorem Celſi, & è contrà pro renunciationis obſtãtia ad fauorem aliorum fratrum reſponſum fuit, iſtaquè reſolutio, quæ habetur impreſſa *deciſ.* 314 *par.* 12. *rec.*, produxit concordiam, quæ controuerſiæ finem dedit; Verùm, vt aduertitur *dicto diſc.* 38. *de teſtam.*, mihi res videbatur in oppoſitum, vt ſcilicèt in quæſtione teſtamenti, pro inualiditate, in iſta verò quæſtione renunciationis, pro eius non obſtantia reſponderi debuiſſet ad effectum dictæ teſtatæ ſucceſſionis, quatenùs teſtamenti validitas prę ſupponenda eſſet.

Cum autem in diſputationibus deſuper habitis, Scribentes pro dicto Celſo renunciante, cum copioſa allegationum
3 congerie, in idem cumularent ea, quæ per DD. tractata habentur ſuper diuerſis quæſtionibus cadentibus ratione mutationis ſtatus religioſi, qui bona renunciauit, ſeù aliàs dimiſit, vel de eis diſpoſuit, intuitu profeſſionis; Vbi ſcilicèt Religioſus tranſeat de vna Religione ad alterã; Vel vbi à Religione egrediatur ob promotionem ad Epiſcopatum; Vel vbi aliàs regrediatur ad fæculum abſq; dicta occaſione dignitatis; Hinc proindè, ad veritatem melius indagandam, atquè ad æquiuoca tollẽda, aduertebam ad huiuſmodi quæſtionũ, vel caſuum diſtinctionem, qua mediante, ſegregarentur etiam auctoritates, quas deſuper habemus, vt ità earum congrua reſultet applicatio.

Primus igitur caſus eſt, vbi egreſſus à Religione, cum regreſſu ad fæculum, reſultet ob profeſſionis nullitatem reſultantem ex illis pluribus nullitatis ſpeciebus, quæ recenſentur in ſua materia
4 *ſub tit. de Regular.*; Et tunc renunciatio reſoluitur, tanquàm ex ceſſante cauſa, ſeù tanquàm ex falſo præſuppoſito, ad inſtar illius reſolutionis, quæ reſultet à renunciatione, vel alia diſpoſitione facta per nouitium, vel per ingreſſurum, qui poſtea, mutato conſilio, profiteri noluerit; Vt in ſpecie de reſolutione huiuſmodi renunciationis, cæteris relatis habetur *in Romana, ſeù Florentina tranſactionis* 4. *Aprilis* 1660. *coram Cerro impreſſ. poſt collect. Bonden. deciſ.* 75. *& deciſ.* 50. *poſt Zuff. de legitim. proceſſ.* edita in caſu, de quo *dicto tit. de Regular. diſc.* 47.; Ideoquè omnia, quæ iſtum caſum percutiant, extranea erant ab illo controuerſiæ, dũ profeſſio legitimè ſequuta erat, atque diù effectum ſortita, regreſſus autem ad fæculum, obuenerat ex accidentali ſuppreſſione Religionis.

Atquè à ſimili idem dicebam, pro veritate conſultus *in Ariminen. renunciationis* pro Anna Maria Tingola, quæ occa-
5 ſione ingreſſus in quoddam Conſeruatorium, ſeù domum puellarum, ad inſtar monialium, cum promiſſione caſtitatis, & obedientiæ viuentium, renunciationẽ fecerat, deindèque egreſſa fuerat ex quibuſdam prouiſionibus Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, atquè ad propriam domum reuerſa, quoniam licèt non intrent iſti termini annullatæ, vel aliàs diſpenſatæ profeſſionis, dum huiuſmodi mulieres, veram profeſſionem nõ emittunt, neq; ſpirituale matrimoniũ contrahunt ex ijs, quæ habentur *ſub tit. de Iuriſdict. diſc.* 45. *& ſub tit. de dote diſc.* 5. *&* 167.; Attamen rectè ijdẽ intrant termini, fiuè eadem ratio, quod ſcilicèt puella, non callendo has iuris ſubtilitates, ac diſtinctiones, quæ vix Iuriſperitis innoteſcunt, ità cogitando de facto ſtatum monaſticum aſſumere, ibiquè prouiſa de victu, alijſquè neceſſarijs colle-

gia-

gialiter viuere, suorum bonorum, ac iurium renunciationem fecit, aliàs non facturа, ideoq; intrat eadẽ regula *cum cessante &c.*, siuè altera, cessantis præsuppositi, vndè resultat defectus volũtatis; Nisi expressè casus præuisus esset, atquè non obstante egressu conuentum sit, vt renũciatio effectum sortiri debeat iuxtà casum, de quo *in Neapolitana donationis sub tit. de donat. disc.* 15, cum tunc intrẽt potiùs alij termini læsionis, vel restitutionis in integrum.

Alter casus est, vbi sequuta sit professio, qua non obstante, absquè occasione Episcopatus, vel alterius dignitatis, professus qui renunciationem fecit, ad sæcu-
6 lum redierit, in statu merè sæculari, absq; aliqua Apostolica dispensatione, quia nempè suę Religionis Institutum, ità cõcedat, vt praxis docet in Societate Iesu, in qua, non obstante emissione triũ generalium vororum, castitatis, paupertatis, & obedientiæ, quæ post nouitiatũ pro omniũ Religionum stylo fiunt, donec sequatur altera professio magis solemnis quarti voti, liberum est Superioribus, cum quadam claudicatione contractus, professum dimittere, quamuis ipse pro libito discedere non valeat, istequè est casus de quo agitur *in Bonon. successionis de Zanis coram Bichio inter suas decis. 52. & 625. repetit. decis. 32. par. 9. rec., & decis. 349. par. 11.*, & de cuius seriè habetur *sub tit. de succes. ab intest. disc. 5.*

Quamuis autem istæ decisiones per dictos Scribentes magnificarentur, tanquàm punctuales, ac percutientes casum præcisum; Adhùc tamen dicebam, quod
7 extraneæ erant, quodquè manifesta fallacia esset in applicatione; Tùm quia in eo casu, renunciatio continebat expressum pactum resolutiuum, in casu quo sequeretur egressus, cum iste casus in hac Religione, ex singulari Instituto, sit frequenter contingibilis, ideoquè præuisus; Tùm etiam quia, licèt prima professio minus solemnis, quæ fit ad præscriptum Sacri Concilij Tridentini, nonnisi expleto integro, & continuo probationis anno, imò biennio, sit vera professio, ac professores sint veri Religiosi; Attamen ijdem quodammodo re. nent statum sæcularem, ad quem, vt supra, patere solet aditus, dum retinent dominium, & possessionem bonorum, iuxtà modum de quo *sub tit. de testam. disc.* 36., ac etiam *sub titulo de Regular.*; Quinimò retinent pensiones ecclesiasticas super beneficijs sæcularibus, quarum sunt incapaces Regulares professi, et consequenter dici potest quædam status Regularis assumptio conditionalis, quæ perfectionem recipit ab implemento, siuè à purificatione explicitæ, vel implicitæ conditionis, alterius magis solemnis professionis, in emissione quarti voti, ob quod cõtrahitur incapacitas de qua *dicto discur. 36. de testam.*; Vndè propterea, defecta conditione, tanquam per speciem postliminij, priorem statum sæcularem reassumat, iuxtà ea quæ habemus de dispositionibus conditionalibus sub conditione suspensiua, vel resolutiua, vt prima defecta, vel altera purificata, remaneat actus, ità infectus, vel resolutus, ac si nunquam gestus esset; Rectèque *intrant* eadem, quæ de renunciatione facta per nouitium, egredientem non emissa professione, superius habentur.

Tertius casus est, vbi Religiosi professi egressus à Religione, resultet ex eius culpa, quia nempè sit dimissus tanquam
8 incorrigibilis; Et tunc certum videtur, vt renunciationis resolutio prætendi nõ valeat, quoniam, vt aduertitur in dicta sua materia *sub tit. de Regular.*, ità dimissus, in ijs, quæ sint sibi fauorabilia, & priuilegiatiua, habetur pro sæculari potiùs quàm pro Religioso, *in ijs* autem, quæ sint onerosa, vel præiudicialia, adhùc perseuerat in eo statu, ad instar filij familias, vel libertini ingrati, vt amittat patriæ potestatis, vel libertatis effectus fauorabiles, retineat autem odiosos, nè aliàs ex delicto commodum reportet.

Quartus casus est, vbi non mutetur status religiosus in genere, sed benè mutetur status *in specie*, ob *transitum* de vna Religione ad alteram, siuè de vno
9 Monasterio ad aliud; Et de hoc habetur particulariter actum *in Neapolitana transitus dicto tit. de Regular. discur. 39.*; Atquè in viris maior quæstio cadere solet, vbi inter vnam Religionem, & alteram, vigeat omninò diuersa ratio super capacitate bonorũ etiam in vniuersum; Putà quia, professus in Religione Capuc-

cino-

cinorum, seù Minorum Obseruantium, quæ est omninò incapax tàm in particulari, quàm in communi, ex Apostolica dispensatione, seù aliàs ex legitima licentia Superiorum transeat ad aliam Religionem capacem in communi iuxtà casum, de quo *apud Buratt. decis. 510.* cum alijs *dicto disc. 39. de Regularibus*; Sed pariter auctoritates, quæ istum casum percutiunt, extraneæ remanebant à nostro, ideoquè segregari merebantur.

Quintus casus est, vbi Religiosus professus, ad sæculum redeat occasione Episcopatus, vel alterius dignitatis, quę eum-
10 dem operetur effectum; Et de isto agunt DD. moderni potiùs, quàm antiqui, qui in varias scinduntur opiniones.

Resolutionem etenim renunciationis, ac recuperationem bonorum, iure postliminij, tanquam ex cessante causa, subsistinent, cæteris per eos relatis, *Molphes. cons. 1. & cons. 39. Donat. Lainensis rer. regular. tit. de renunc. cap. 20. nu. 6. & 7.* alijquè moderni Morales.

Contrarium verò rectè probant *Fab. de Ann. cons. 45. de Marin. resol. 185. nu. 4 lib. 2.*; Istamquè veriorem esse probat *Rouit. decis. 10.*, vbi testatur, ità ab eo Sacr. Consilio decisum fuisse, ex regula, quod monachus factus Episcopus non desinit esse monachus, neque à votis regularibus absolutionem obtinet, vel dispensationem assequitur; Nisi quoad incompatibilia cum eo statu, vt sunt, disciplina regularis in vita clausträli, sub obedientia Superioris, & aliqua incapacitas in particulari.

Adeoùt magis receptũ videatur, quod indulta testandi, quæ Episcopis concedi solent, indigeant dispensatione, seù no-
11 ta speciali tanquam per speciem duplicis dispensationis, quando agitur de Episcopis regularibus, vt habetur *sub tit. de testam disc. 9.*; Ideoquè probabilior videtur hæc posterior opinio, quam tenere quoquè videtur Rota per argumẽtum ex deductis *apud Buratt. dicta decisione 510.* cum concordant. *per Add. apud eum decis. 576.* (quamuis adhuc occasio non dederit istum casum præcisum ex professo disputare.)

Sextus demùm est præcisus casus præsentis controuersiæ, vbi scilicèt regressus Religiosi professi ad sæculum, sit solùm accidentaliter, ac de facto, per sup-
12 pressionem Religionis, vel Monasterij; Et tunc aduertebam, quod duplex cadebat inspectio; Vna scilicèt generalis pro quibuscumquè Religiosis, ità accidentaliter ad sæculum redeuntibus; Et altera specialis, in casu præciso respectu dicti Celsi, qui renunciationis resolutionem prætendebat.

Isto etenim secũdo casu, aliqua maior vrgere videbatur ratio contra ipsum Religiosum, quoniam in ista suppressa Congregatione, egressus non erat, directè, ac immediatè, adeoùt dici posset, vt ità cessante causa, cessaret effectus, ipseq; resti-
13 tutus esset primæuo statui, in quo erat ante professionem, quam in ista Religione emissam, in alia non fuisset emissurus, dum iuxtà præmissam facti seriem, ipse professionem emiserat in Religione Clericorum Minorum, à qua, ex Pontificia dispensatione, vel Sacr. Congregationis licentia pro maiori eius commoditate transitum fecerat; Et consequenter, ex ijs quæ habentur in hac eadem causa *dicto tit. de Regular. disc. 38.*; Vel sibi incumbebat necessitas redeundi ad primam Religionem, à qua causatiuè solùm dimissus fuerat, ideoq; contrà eumdem retorquebatur dicta regula *cum cessante &c.*, in qua totum erat eius fundamentum; Vel aliam æqualem ingredi tenebatur; Vel ad summum, vbi permanentia in sæculo permitteretur, ità aliquod maius vinculum habebat, ob duplex votum; Ideoquè notabilis videbatur esse differentia inter istum, et illos, qui immediatè à sæculo in Religionem ingressi, ab ista suppressa egredientes, ad idem sæculum redeunt.

Verùm, vbi etiam ista particulari circumstantia cessante, agendum esset de prima inspectione generali; Adhuc tamen, vbi tanquam verior tenenda esset
14 posterior opinio in precedenti casu recensita, quod scilicet per promotionem ad Episcopatum, renunciatio non resoluatur; Multò magis in præsenti id dicendum esset tanquam in casu minus dubitabili, vt huiusmodi Religiosi, dispensati non censeantur à votis compatibilibus cum vita non clausträli, in habitu clericorum sæcularium; Ac etiam ex cessante illa ratione, quæ in Episcopis con-

siderari solet, vt in ea dignitate constituti, pro illius decore, temporalium bonorum subsidio magis indigeant, dum iuxtà enunciata in specie huius Religionis *dicto disc. 25. de Locat.*, & frequenter praxis docet aliarum Religionũ, quæ suppressæ fuerunt, ex earumdem Monasteriorum redditibus huiusmodi Religiosis, qui extra claustra in habitu clericorum sæcularium viuere debent, in ipsamet suppressione, assignari solet quædam moderata præstatio, quæ substentationi sufficiat proportionata vitæ religiosæ, non autem pompis sæcularibus, vt sequitur in ijs, qui ad Episcopatum promouentur, vbi præsertim splendor natalium ità exigat iuxtà quotidianã praxim, ideoquè aliqua notabilis differentia dignosci videtur inter vnum casum, et alterum.

Cæterum, licèt Rota cum his generalitatibus processerit, ideoquè pro obstantia renunciationis responderit, etiã
15 pro dicta testata successione, quæ obuenerat post Religionis suppressionem; Attamen (reflectendo ad veritatem) resolutio placuit quidem quoad bona parentum, delata ante renunciationem, vel etiam postea, durante statu religioso etiam de facto, & priusquam dicta suppressio sequeretur, nõ autem placuit respectu istius successionis (licèt maior quæstio, seù maior quæstionis effectus, primã bonorum speciem percuteret.)

Hinc proindè in hoc proposito distinguebam tres casus, vel tres bonorum species; Primò nempè illorũ, quæ iam
16 quæsita per renunciantem in statu sæculari, vel saltèm delata per speciem renunciationis translatiuæ, quæ formalem donationem redolet, per ingressurum religionem renunciata sint; Secundò circa ea bona, quæ renunciatarijs acquisita sint ex persona, & iure proprio, tanquam per remotionem obstaculi personæ religiosæ, quæ per renunciationem extinctiuã, se fecit, à successione extraneam; Et tertiò circa bona, quæ obueniant ex successione, vel alio iure, postquam Religiosus, vel ob dictum casum suppressionis Religionis, vel ob promotionẽ ad Episcopatum, siuè etiam ex gratiosa dispensatione à claustris, ac statu monachali, egressus est, atquè ad sæculum redijt, vi-

uendo in habitu, & statu clerici sæcularis, nõ tamen per annullationem professionis, quæ valida, & perfecta præsupponenda est.

In primo, & secundo casu, omninò verior videtur opinio, de qua *apud Rouitã d. decis. 10.* cum concordantibus, vt ista restitutio sæculo, quæ ex facto Papæ prouenerit, non debeat habere oculos retrò, neque tollere ius tertio quæsitum,
17 nisi expressè voluntas accedat, ad instar eorum, quæ *sub tit. de Regal. disc. 148. & 160.* habentur, circa potestatem Papæ tollendi ius tertij, vt id in dubio præsumendum non sit, sed semper gratia, vel aliud factum Principis intelligi debeat sine præiudicio tertij, præsertim occasione agendi de restitutione banniti, in qua tamen aliqua maior vrget ratio restituto fauorabilis; Atquè vbi hæc voluntas accedat, in alienis Principatibus, eorumquè laicalibus Tribunalibus per Iuristas explicari solitis cum vocabulo Terrarũ Imperij, cadere potest quæstio potestatis, de qua in specie agere occasio non dedit.

In tertio autem casu bonorum obuentorum post egressum plures distinctiones cadere videntur; Aut etenim per renunciationem à Religioso factam in forma extinctiua, vel reali, successio, vel aliud ius delatum non cederet ad commodum renunciatarij, eiusquè successoris, sed ad commodum remotioris, vel extranei, iuxtà casus de quibus supra *disc. 1. cum pluribus seqq.*, et tunc rectè sequenda sit opinio *Molfes. & sequacium*, vt hæc restitutio sæculo tollat, obstaculum renunciationis, tanquam ex cessan-
18 te causa; Ad instar eorum, quæ plenè disputata habentur *per Fagnan. in cap. quæ in Ecclesiarum de constit. ex nu. 104.*, & enunciantur *sub tit. de feud. discur. 54.* circa capacitatem succedendi in feudis, Religiosi professi, qui promotus ad Episcopalem dignitatem, ad sæculum redierit.

Vbi verò contentio sit cum renunciatario, vel cum veniente ex eius persona, ac iure; Et tunc; Aut renunciatio est merè realis, ac in forma extinctiua, per quã renuncians, ità se neget, ac de medio tollat, faciendo se mortuum, tãquam per remotionem obstaculi, et pariter probabilior

bilior videtur dicta opinio *Molphes.* & sequacium, vt intret eadem ratio, seù regula *cũ cessãte*, &c. quę operatiua videtur in isto casu, in quo effectus consumatus non est, non autem in duobus alijs vtsupra principaliter distinctis; Ex ea differentiæ ratione, quod ibi intrat eiusdem regulæ limitatio, quando effectus iam in esse productus, & consumatus fuerit, quæ non intrat isto casu.

Si autem agatur de renunciatione in forma translatiua, per speciem donationis, vel alterius correspectiuæ cessionis, iuxtà pluries enunciatos terminos textus *in l. spem Cod. de donat.*, atquè renunciatio sit talis, quod etiam capiat successiones ex testamento, vel ex alia simili hominis dispositione, puta ex donatione, vel fideicommisso conuentionali, siuè ex inuestitura feudali, vel emphyteotica &c.; Et tunc, tanquam quæstio potiùs facti, & voluntatis, quàm iuris, pro facti qualitate, & circumstantijs decidi debeat; Aut enim est renunciatio correspectiua, in qua dici valeat, vt id, quod pro ea receptum est, sit pretium incertæ seù euentualis spei renunciatæ, ac verisimiliter præuisæ, vt præsertim verificabile est in ea spe de futuro, quæ ex antiqua fideicõmissi, vel inuestituræ, seu Statuti causa radicem trahat; Et tunc restitutio Religiosi effectum tertio præiudicialem causare non debeat, ex eisdem rationibus de quibus supra; Aut verò est gratuita, & originata ex solo motiuo, vel præsuppositio vitæ religiosæ, in qua per Religionem prouisus, non indiget temporalibus, quorum obuentio de iure non tendit ad commodum ipsius Religiosi in particulari, sed ad illud Religionis, vel Monasterij in communi; Et tunc secùs dicendum sit, quodquè rectè intret dicta ratio regulę *cũ cessãte &c.* siuè altera deficientis præsuppositi, ex eisdem rationibus, ac fundamentis de quibus *sub tit. de donat. disc.* 12. *& seq.* in proposito cessantis, vel resolutæ donationis ex cessato præsuppositio.

Licèt enim renunciatio facta sit in forma personali, vel translatiua; Attamen id isto casu sequi solet, pro eo effectu pluries in præcedentibus considerato, vt scilicèt renunciatio prosit solùm illi, in cuius gratiam facta est, non autem alteri non contemplato, sed retento præsuppositio, cum quo facta est, non autem tollit, vt eo cessato, actus cessare non debeat; Clarius verò vbi agatur de causa omninò de futuro ex causa testati, quæ in sensu plurium, nequè in renunciationibus adhùc durantibus intrat ex pluries *hoc eod. tit.* insinuatis.

Cum igitur in hoc vltimo casu versaremur, nempè testatæ successiones ex causa merè de futuro, verisimiliter de tempore renunciationis non præuisæ, ac sequutæ de tempore, in quo renunciationis causa, vel præsuppositum cessauerat, atquè religiosus ad sæculum redierat; Hinc proindè, de stricta iuris censura, resolutio huius causæ, mihi (quamuis eam obtinenti), non placuit, parumquè probabilis visa est; Quamuis in substantia de positiua iniustitia redargui non mereatur; Vel quia pro meo iudicio probabilior esset testamenti nullitas ex testatoris amentia, ex deductis *dicto disc. 38. de testam.*; Vel quia, 19 ob facti circumstantias, ità nimiùm laudabiliter exigerent regulæ prudentiales, cum quibus, inferioribus, ac pedaneis Iudicibus procedere non conceditur, benè tamen, quandoquè magnis, ac supremis Tribunalibus collegiatis iuxtà declarationes, vel distinctiones, de quibus *sub tit. de iudic.* in relatione, seù praxi Curiæ Romanæ, occasione agendi de eodẽ Tribunali Rotæ, ac etiam de Cõgregationibus Cardinalium; Ideoque vt *eodem disc. 38. de testam.* insinuatur, placuit exitus causæ, sed non placuit via; Siuè placuit resolutio, sed non placuit ratio.

Alia etiam ponderatione accedente (quam tamen Scribẽtes pro ipso renunciante non faciebant), quod scilicèt, posita in testatore prudentia, seù benè ordinato discursu, ità probabile esset, vt ratio, seù principale motiuum, ità parùm rationabiliter testandi, prætereun- 20 do scilicèt duos fratres vxoratos, quorum vnus nimiùm numerosa prole oneratus erat, ac instituendo fratrem clericum in sacris iam constitutum, fuerit ad effectum, vt ità istum in statu sęculari de facto viuentem, destitutum autem proprijs bonis patrimonialibus, quæ in vim renunciationis possessa erant per alios

fratres, congruè prouideret, vt iuxtà gradum suæ nobilitatis viuere posset cũ debito decore; Siquidem, siuè verè effectus esset sæcularis, siuè non, dum de facto viuebat in sæculo, in habitu, & statu sæculari, apud vulgus, cui huiusmodi distinctio ignota est, ità indecorè viuendo, nobilitati, seù dignitati familiæ præiudicium causat, dum etiam clericis sæcularibus, imò fortiùs in Vrbe, ex qualitate Principatus, magis incũbit eadẽ necessitas, quæ sæcularibus, viuendi cũ decore, atquè non intrat ratio, quæ militat in regularibus viuentibus in claustris, dum idem est victus, & vestitus nobilis, ac plebei, vt ità distinguendo ponderatur *in Romana fideicommissi de Cuppis sub tit. de fideicom. disc.* 64.; Et consequenter ità esset de directo destruere voluntatem testatoris, atquè tollere bona ei, quem ipse prouidere voluit, eaquè dare alijs, quos ipse noluit, ac abhorruit; Atquè hinc edocemur, quàm erroneum sit, decisiones in vno casu editas, 10 cuicumquè alteri applicare, cum ista resolutio potiùs prouenerit ex prudentialibus motiuis, quæ (laudabiliter quidem), resultabant ex circumstantijs particularibus facti.

INTERAMNEN.

RENVNCIATIONIS

PRO

FRATRIBVS PETRI &c.

Responsum pro veritate.

An renunciatio facta patri dotanti per filias occasione nuptiarum carnalium, istas excludat ab ipsius patris renunciatarij intestata successione, ob eius fratres, vel agnatos, qui ex Statuto patriæ fœminas excluderent, si agatur de bonis existentibus extra territorium statuentis, in diuerso loco, in quo mors defuncti contingat, ac successio aperiatur.

SVMMARIVM.

1 *Facti series.*
2 *De Statuto Bergomen. exclusiuo fœminarum.*
3 *Renunciatio non excludit renunciantem à successione renunciatarij.*
4 *Lex communis, vel municipalis dicitur testamentum morientis ab intestato.*
5 *Quod renunciatio deseruiat pro interpretatione voluntatis morientis.*
6 *Statutum attendi debet etiam extrà territorium pro voluntate morientis.*
7 *Ciuilitas non contrahitur, neque amittitur ex mora occasionali.*
8 *Possunt retineri duæ ciuilitates, vna originaria, & altera domiciliaria.*
9 *An moriens censeatur se conformare cum legibus loci domicilij, vel originis.*

DISC. XVIII.

1 CVM Petrus, origine Bergomensis, iuxtà istius industris nationis consuetudinem, in Ciuitate Interamnen. mercaturam fundacariam exerceret, atquè prole masculina destitutus, duas haberet filias, istas nimium congruè dotando, ab eis, iuxtà sæpius enunciatum Italiæ vsum, amplam renunciationem reportasset, deindeque in eadem Ciuitate ab intestato obijsset; Hinc super eius successione, ac hæreditate consistente in mercibus, alijsquè bonis, etiam stabilibus existentibus in eiusdem Ciuitatis territorio, orta est quæstio, inter eiusdem Petri germanos fratres, & dictas filias, quarum exclusio per fratres prætendebatur, ob dictæ renunciationis amplitudinem

iuxtà

iuxtà casum præcisum de quo supra *in Marsicana discur.* 3. ex fundamentis ibi ponderatis, pro remotioribus transuersalibus, contra fœminam proximiorem renunciantem, atquè desuper (incertum est ex cuius parte) pro veritate consultus fui.

Respondi, quod vbi procedendum esset, cum sola dispositione, seù terminis iuris communis, atquè non intraret circumstãtia Statuti Ciuitatis Bergomi cõmunis patriæ defuncti, & fratrum, per quod, agnati intra certum gradum quãuis remotiorem, excludunt filias, vel alias fœminas proximiores, & de quo Statuto agitur *in Anconitana seù Bergomen. sub tit. de succes. ab intest. disc.* 19.; Tunc planum esset bonum ius filiarum, quibus absquè dubio, de iure communi, debita est patris intestata successio, etiam in exclusionem parentum; Multò vero magis in exclusionem fratrum absq; aliquo renunciationis obstaculo, dum veriùs est ex deductis *d. disc.* 1. *& 2. cum alijs seqq.* & præsertim in dicto valdè simili casu de quo in allegata *Marsicana disc.* 3., vt renunciatio, nõ excludat renunciantem ab intestata renunciatarij successione; Nisi superst persona verisimiliter prædilecta, in cuius gratiam ipse renunciatarius de renunciatione sollicitus fuerit, puta fauore filiorum masculorum, vel etiã quandoquè transuersalium agnatorũ, vbi præsertim agatur de fœminis ingredientibus Monasterium, iuxtà ponderationes, de quibus præsertim supra *dicto disc.* 1.; Ideoq; cum nulla diuersa voluntatis defuncti argumenta haberentur, atquè ageretur de renunciatione facta per filias carnaliter nuptas, vndè propterea non intraret ratio, quæ cadere solet in eligẽtibus vitam spiritualem, ità planũ remanere videbatur, vt renunciatio obstare non deberet, iuxtà sensum, aliorum, qui desuper quoquè consulti fuerant.

His tamen non obstantibus; Contrarium mihi probabilius videbatur, stante dicto Statuto excludente filias ab intestata successione patris propter fratres, ex recepta propositione de qua pluries in sua materia *sub tit. de succes. ab intest.*, ac etiam frequenter *sub tit. de fideicom.*, & habetur etiã *sub tit. de testam. disc.* 25., quod scilicèt, lex communis, vel municipalis dicitur testamentum morientis ab intestato, qui præsumitur voluisse cum legis ordine se conformare, atquè ità testari, quamuis nulla adesset renunciatio, multò magis dum de illa sollicitus fuit, misteriosè quidem, ac prudenter, adeoùt renunciatio inutilis, vel fatua dici non posset, stãte opinione hodie in praxi magis recepta, de qua pluries in dicta sua materia *sub tit. de succes.*, vt huiusmodi Statuta vtramquè personarum, ac bonorum copulatiuam subiectionem exigant, ideoquè suam non faciant operationem, in bonis extra territorium statuentis.

Ita etenim, mihi videbatur, quod sufficienter explicata esset, siuè argui posset defuncti verisimilis voluntas, faciendi filias, cum congrua dote, per renunciationem extraneas, vt fratribus, vel agnatis, iuxtà patrias leges, successionem aperiret, quatenùs contingeret ab intestato decedere, remouendo dictum obstaculũ, quod ex Legistarũ subtilitatibus, ab humana ratione, seù communi vsu extraneis resultat.

Et consequenter quod benè intraret conclusio, de qua *Rota apud Merlin. dec.* 447. *repetit decis.* 355. *par.* 5. *rec. num.* 13. *cum seqq.* & pluries insinuata *sub tit. de fideic. & eod. tit. de succes. ab intestato*, & alibi, quod scilicèt ità veniant sub statutaria dispositione, etiam bona extra territorium statuentis, vbiquè sita sint, non in ratione auctoritatiua Statuti, sed in ratione voluntatis morientis, quę individua est, ac vbiquè in eius bonis pariformiter operatiua, sine distinctione locorum, quoties ista non produceret obstaculum potestatis iuxtà deducta *sub tit. de dote disc.* 104. *& seq.*, ac etiam *eod. tit. de succes.* pluries.

Nequè obstare dicebam, quod idem defunctus quoquè vixerit extrà patriam in hoc diuerso Principatu, in quo etiam obijt, ac bona habebat, quoniam vera, receptaquè est conclusio pluries insinuata *sub tit. de præeminen.* ad materiam ciuilitatis præsertim *disc.* 37., *& sub tit. de Regal. disc.* 104., ac etiam *sub tit. de matrim. discur.* 14., quod occasionalis mora, quamuis diuturna in aliquo loco, puta ratione mercaturæ, vel officij, seù feudi, aut curialitatis &c., non tollit ciuicam qualitatem naturalem, seù originariam,

nequè

neque inducit qualitatem domiciliariã in loco, nisi accedat expressa, vel adminiculatiua probatio diuersæ volũtatis, qua etiam accedente in hac secunda parte contrahendi scilicèt domicilium in loco habitationis, non per hoc resultat desertio, seù amissio alterius ciuilitatis naturalis ex altera conclusione insinuata locis proximè citatis, & præsertim *dicto disc.*14. *de matrim.*, vt plures ciuilitates in eadem persona sint rectè compatibiles, ideoquè vtramquè originariam scilicèt, & domiciliariam, eodem tempore, obtinere, ac retinere valeat, ad omnes effectus ex vtraque resultantes, multò magis, dum in hac facti specie non dabatur probatio contrahendi domicilium in loco occasionalis moræ. 8

Vbi verò dicta vtraq; ciuilitas accederet, tunc intrare potuisset ratio dubitandi, an potiùs, cum vnius, quàm alterius loci legibus moriens voluerit se confestim reddere; Atquè procedendo cum solitis Legistarum subtilitatibus, debuisset responderi, vt voluntas regulanda esset ex hoc secundo loco, vbi seruandum erat ius commune, quod in concursu prævalere debet statutario; Adhùc autem mihi, ex rationibus ponderatis pluries *d.tit.de succeß.ab inteſt.* ac etiam *dicto disc.*25. *de testam.*, contrariũ probabilius visum esset, cum nostri Itali mores conseruationi bonorum in agnatione magis adaptati videantur, ex ibi deductis. 9

SVMMA
SIVE
COMPENDIVM

Eorum, quæ in praxi magis frequentia continentur in hoc Lib. XI. Par. III. de Renunciationibus.

SVMMARIVM RVBRICARVM.

I.

Proemialia, *à num. 1. ad 6.*

II.

De renunciationis diuersis speciebus, earumquè diuersa materia, seù qualitate, *à num. 7. ad 13.*

III.

De effectibus, qui ex vna, vel altera specie, seù qualitate resultant, *à numer. 14. ad 15.*

IV.

De compræhensione renunciationis, quidnè sub ea veniat, *à num. 16. ad 26.*

V.

De renunciationis resolutione, vel cessatione, *à num. 27. ad 31.*

SVMMARIVM.

I.

1 *ISTA materia intensiuè breuis, ac restricta est, extensiuè autem lata.*

2 *Regula generalis est, vt renunciantibus non detur amplius regressus ad iura renunciata.*

3 *De quæstionibus inualiditatis renunciationis ob non seruatas solemnitates in contractibus minorum, & mulierum.*

4 *De alijs ob non seruatas solemnitates à Concilio Tridentino præscriptas in renunciationibus, quæ fiunt per nouitios.*

5 *De alijs similibus ob votũ captandæ mortis, vel quia de hæreditate viuentis, quæ pactis dari non possit.*

6 *Distinguuntur Rubricæ, seù inspectiones materiæ.*

II.

7 *De distinctione inter renunciationes iurium quæsitorum, & quærendorum, & de terminorum, seù vocabulorum diuersitate ex hoc resultante.*

8 *De alia distinctione renunciationum, quæ fiant ob nuptias carnales, vel spirituales.*

9 *Maior distinctio est inter extinctiuas, seù reales, et translatiuas, seù personales.*

10 *Qualis sit renunciatio extinctiuá, seù realis.*

11 *Et qualis translatiua, seù personalis.*

12 *Quando detur renunciatio, quæ eodem tempore sit realis, & personalis.*

13 *Quomodo dignoscatur an renunciatio sit extinctiua, vel translatiua, & qualis sit vera regula.*

III.

14 *De effectibus resultantibus à renunciatione extinctiua.*

15 *De alijs effectibus resultantibus à translatiua.*

IV.

16 *Regula est, vt renunciatio strictè, ac rigorosè ad limites verborum intelligi debeat.*

17 *Declaratur, seù distinguitur, quando stricta, & rigorosa, vel potius lata, & benigna interpretatio fieri debeat.*

18 *Renunciatio puellarum, quæ dotantur est connaturalis moribus Italiæ, ideoq; fauorabilis.*

19 *Quomodo ista quæstio decidi debeat.*

20 *Iura competentia ex testamento non veniunt sub renunciatione absque speciali mentione cum declaratione.*

21 *Alienari prohibita, pariter non veniunt.*

22 *Quomodo interpretanda sit renunciatio, quæ fiat personæ capaci de iuribus non transmissibilibus ad extraneos.*

23 *Quod sub renunciatione non veniant iura competentia ex dispositione* l. fœminæ Cod. de secund. nupt.

24 *Renunciatio successioni alicuius, non capit, quod ex eiusdem testamento obtineatur.*

25 *De regula generali super comprehensione, & quid veniat in renunciatione.*

26 *Filij matris, quæ renunciauit, non prohibentur venire ex persona propria.*

V.

27 *De materia regressus resignantis ad beneficium resignatum.*

28 *De regressu donatoris ad bona donata, & generaliter de pactis resolutiuis.*

29 *De qua resolutione, vel regressu in præsenti agitur.*

30 *De regressu, vel resolutione ex cessatione personæ contemplatæ renuntiarij.*

31 *Quid de renunciatione Religiosi, qui transeat ad laxiorem Religionem, aut fiat Episcopus, seù aliàs ad sæculum redeat.*

I.

PROEMIALIA.

NImiùm lata, & extensiuè, frequens ista renunciationum materia esse dignoscitur, intensiuè autem brevis, nimiumquè restricta est; Theoricè siquidem, in paucis consistit; Practicè autem, plures, ac frequentes inuoluit quæstiones, quæ ipsius renunciationis naturam, seù speciem, aut comprehensionem, vel interpretationem, seù resolutionem concernunt.

Ad hæc igitur, iuris theorica restringitur; Regula enim generalis plana est, 2 vt eorum iura renunciantibus, ad ea regressus amplius non detur, nisi renunciationis nullitas, vel non comprehensio, siuè resolutio, aliter suadeat, prætatæquè regulæ limitationem producat.

Nullitatis quæstio, huius materiæ peculiaris non est, quoniam ex illis generalibus regulis, vel formis procedit, quæ alias dispositiones inter viuos irreuocabiles 3 percutiunt, siuè personæ inhabilitatem, aut ipsius actus solemnitatem, cõcernant A; Isto renunciationis actu, prò frequentiori cõtingentia, huiusmodi quæstionibus ansam præbente, cum prò communi, præsertim Italiæ vsu, puellæ in adhùc minori ætate constitutæ (vndè propterea duplex ætatis, ac sexus impedimentũ accedat), carnalis, vel spiritualis matrimonij occasione, renunciationes parentibus, ac fratribus, alijsq; coniunctis facere soleant.

Idemque faciunt adolescentes, qui virorum Religiones ingrediantur, ibique professiones emittant, ob nouam formam à Concilio Tridentino inductam; Ideoq; 4 sub donationum, ac etiam prohibitorum cõtractuum, & Regularium sedibus particularibus de hoc agitur, cum tam renũciationibus, quàm etiam donationibus, alijsq; dispositionibus generaliter id congruat B.

Siue vbi ex eo, quod ex voto capiendæ mortis, aut ex prohibita futuræ certæ 5 hæreditatis pactione, actus infectio resultet, quod pariter diuersos terminos percutit C.

Ista itaq; peculiaris renunciationum materia, (validitate actus præsuppositâ), 6 quatuor habet inspectiones; Primò scilicèt super eius natura, seu qualitate; Secundò super effectibus ex vna, vel altera specie, seu natura resultantibus; Tertiò super comprehensione, quidnè sub renuncia-

A. *de his agitur sub tit. de alien. & contract. prohib. disc. 28. cum plurib. seqq. & hoc tit. disc. 13.*

B. *de his agitur sub tit. de donat. disc. 15. & suo tit. de Regular. disc. 58. & 59.; & hoc tit. disc. 11.*

C. *hoc tit. disc. 13. & 16., & tit. de fideicommiss. disc. 141.*

ciatione veniat; Et quartò super eius resolutione, vel cessatione, ideoque de his, cum distinctis Rubricis, vel capitulis agere pro clariori notitia congruit.

II.

De renunciationum diuersis speciebus, earumque diuersa natura, seu qualitate.

PLures habentur generales renunciationum distinctiones; Aliæ siquidem sunt, quæ iura iam delata, & agnita concer-
7 nant, Alia verò, quæ delata, sed non agnita, vel neq; delata, sed sperata percutiant; Siue in idem, quæ de bonis ac iuribus, iam quæsitis, vel de quærendis fiant, vt in vna specie *Repudiationis*, in altera verò, *Renunciationis* terminus cadat; Verùm licèt stricta, propriaq; loquendi ratio id exigat, adhuc tamen promiscuus est istorum terminorum vsus, ideoq; non ex eo, quod vnus, vel alter sit adhibitus, perneceſsè ad vnam, vel alteram infertur speciem, cum facti, *seu veritatis* potiùs attendatur substantia, quàm verborum formalitas; Potissimè quia Notarijs non de facili subtilis hæc distinctio innotescere solet.

Alia est renunciationum distinctio, quæ à causa illas faciendi manat, vt scilicèt; Aliæ sint, quæ carnalium nuptiarum
8 occasione fiant; Aliæ verò, quibus ingressus in Religionem, vel Monasterium, aut ecclesiastici status susceptio causam præbeat, ob diuersos effectus exindè resultantes.

Tertia verò magis operatiua, & specialis distinctio est, (& super cuius applicatione penè omnes fori quæstiones circumferri videntur, maioremque æqui-
9 uocorum incursum praxis docet) inter eas renunciatiationes, quæ extinctiuæ, et quæ translatiuæ sint.

Extinctiua etenim ea est, quæ renunciantis personam de medio tollat, mortuamq; efficiat, seu pro tali haberi faciat, perindè ac si in rerum natura nunquam extiterit, vel non extet, vndè propterea,
10 o accidentaliter potiùs, & consequutiuè, alijs profit per remotionem obstaculi, vt ità scilicèt tollendo se de medio, qui sunt remotiores, proximiores fiant, suoque iure, testatam, vel etiam intestatam, directam, vel obliquam successionem obtineant, non autem ex iure renunciantis.

Translatiua verò est ea, quæ donationis, vel cessionis speciem redoleat, ob quam renunciatarius, quamuis remotior, vel extraneus, alios vincat proximiores,
11 non quidè iure suo, sed ex illo renunciantis, cuius personam repræsentat, & in qua substantiatur successio, cuius commodum renunciatario cedat.

Hæc autem distinctio sub diuersis vocabulis explicari solet, quia nempè, extinctiua, realis quoq; dicatur, quasi quod, non vnius, vel alterius personæ intuitu ea facta sit, sed negatiuè se habendo ad ipsa bona; Translatiua verò explicatur, cum vocabulo personalis, vtpotè ad fauorem certæ personæ facta.

Non tamen iste personalitatis terminus, qui huic etiam casui adaptabilis est, ad illum præcisè restrictus dignoscitur,
12 cum etiam extinctiuæ, seu reali renunciationi adapretur ea, cum qua certæ personæ intuitu renuncians de medio se tollere, ac mortuum se facere voluerit, vt ita persona contemplata, iure suo per remotionem obstaculi, successiones, aliaque iura renunciata pleno iure obtineat; Ea tamen cessante, neque de iuribus renunciatis ex defectu voluntatis disponente, illa resoluatur, ideòq; renuncianti integrum sit ad iura renunciata regredi, seu illa ex nouo successionis casu, per ipsius renunciatarij deficientiam, obtinere, A.

Quæstiones igitur super huiusmodi distinctionum, vel terminorum congrua applicatione, ex facto cadunt, quando sci-
13 licèt de vna, vel altera extinctiuæ, vel translatiuæ, seu realis, vel personalis renunciationis specie agatur.

Super hoc autem, ex renunciandi causa, vnius, vel alterius speciei argumentum deduci solet, vt scilicèt vbi ex causa spirituali ingressus in religionē fiat, extinctiua, seu realis potiùs censenda sit, quasi quod nō ex vnius, vel alterius personæ dilectione, sed pro tēporaliū abiectione, vt expeditius Deo famulari valeat, ac spiritualibus vacari, facta sit renunciatio; Secùs autem vbi carnalium nuptiarum occasione facta sit, vt tunc translatiua, seu personalis potiùs ex tempo-

A. *de his distinctionib. habetur à disc.* 1. *ad* 11. *hoc tit.*

rali dilectione censenda veniat.

Alia esse solet ponderatio verborũ, an scilicèt ampla, & effrenata sint pro hæredibus, & successoribus quibuscumque, vel potiùs maiorem habeant restrictionem, vt primo casu realis, in altero autem personalis censeatur.

Et Alij casum põderant, in quo bona, vel iura renunciata posita sint, vt scilicèt vbi in accusatiuo, trãslatiuã seu personalẽ denotent, vbi verò in datiuo, vel ablatiuo, extinctiuam, seu realem significent.

Veriùs tamen est, vt huiusmodi distinctiones, vel ponderationes, aliquod quidem præbeant argumentum vnius, vel alterius qualitatis, quoties contraria probatio expressa, vel præsumpta, quæ ex fortioribus argumentis oriatur, contrarium non suadeat, non autem vt perneceſsè concludant; Facti etenim potiùs quàm iuris quæstio est, ideoque ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs id desumendum venit, veritatis, aut verisimilis voluntatis substantia potiùs, quàm huiusmodi verborum formalitatibus, vel renunciandi occasione attentis, vt in sua sede latiùs aduertitur. B.

III.

De effectibus ex vna, vel altera renunciationis specie, vel natura resultantibus.

QVando simpliciter, ac indefinitè verè extinctiua, seu realis renunciatio fit, per quam renuncians principaliter id agat, vt à bonorum, ac iurium renunciatorum acquisitione extraneum se faciat, atque pro mortuo se habere velit, istaq; 14 sit principalis, seu finalis renunciandi causa; Quamuis alia occasio, vel alicuius personæ dilectio, ad id agendum impulsum dederit, indefinitè remotiori locus aperitur, non ex ipsius renunciantis iure, sed ex proprio illius, qui per huius obstaculi remotionem, ex remotiore proximior effectus est, ideoque pariformiter omnibus in eodem gradu existentibus, vel idem ius habentibus, actus prodest, perindè ac si persona renunciantis mortua esset, vel nunquam in rerum natura extitisset.

Minusque cessatio personæ, vel causæ, quæ impulsum ad id dedit, renunciationem resoluit, seu cessare facit, vtpotè renunciationis effectu, illicò, ac perfectè consumato.

Vbi verò translatiua sit, vel personalis, triplex resultat diuersus effectus; Primò nempè, vt eidem renunciatario aliàs non disponenti, renuncians in ipsismet 15 bonis, ac iuribus renunciatis succedere non prohibeatur; Secundò, vt renunciatio, renunciatario tantùm prosit, eiusque successoribus, vel alijs capacibus, quorum fauore disposuerit, vel disponere potuerit, non autem alijs à renunciante vel renunciatario verisimiliter non contemplatis; Et tertiò, vt cessante persona contemplata, vel altera, in qua ipsa persona, præsuppositа potestate, disposuerit, ad iura renunciata debeatur regressus, ipsaque renunciatio resoluatur, vel cesset, tanquam ex cessante causa, vt pariter latiùs in propria sede aduertitur. C.

IV.

De comprehensione bonorum, ac iurium, & quænam sub renunciatione veniant, necnè.

STrictam, ac rigorosam renunciationis interpretationem fieri debere, vt quo minus renunciantі præiudicet, pro regula Iuristæ communiter statuunt; Veriùs 16 autem est, vt renunciandi causa, seu renunciantis qualitas pro moribus regionis, attendi debeat; Vbi etenim illa renunciatio fit, quæ extraneo absq; pro- 17 babili motiuo fiat, adeoùt ea intret donatio, vel remissio, quæ perditionem redoleat, atque pro renunciantis, ac renunciatarij qualitate, circumuentionis suspicionem aliquam habeat, rectè dicta regula stricta, nimiùmque rigorosa interpretatio ad verborum limites intret; Secùs autem vbi renunciationis occasio, vel renunciantis, ac renunciatarij qualitas pro moribus regionis, rationabilem eam reddat, vt potissimè illa renunciatio reputari solet, quæ pro Italiæ vsu, per 18 puellas carnaliter, vel spiritualiter decenter collocatas, accepta dote, patri, vel fratribus fiat, cum tunc lata potiùs, ac benigna interpretatio facienda sit.

Hinc proindè, certa, & generalis regula, cuicumque casui applicabilis non-

de

B. *locis citatis à disc. 1. ad 12.*

C. *locis proximè citatis à disc. 1. ad 12.*

de facili desuper statuenda est, cum ex
19 facti qualitate, ac circumstantijs decisio pendeat, an æquitas, vel fauor renuncianti potiùs, quàm renunciatario assistat, vel è contrà. D.

Vbi verò de ijs iuribus agatur, quæ directè, vel obliquè, ex testamento competant; Regula est, vt sub renunciatione
20 non veniãt, nisi eorum specialis mentio, cum certa notitia testamenti accedat; Adhùc tamen, quia voluntatis, non autem potestatis quæstio est, si verborum amplitudo, vel occasionis, aut personarum, seù recompensæ qualitas, istorum iurium cõprehensionem suadeat, eamq; verisimilem reddat, illa iuris præsumptio, quæ à dicta regula manat, contrariæ probationi, ex fortioribus etiã præsumptionibus resultanti, cedere debet E.

Ea quoquè bona, vel iura sub renunciatione, absquè speciali mentione non cadunt, quæ renũciari, vel cedi sub pœna
21 prohibitum sit, cum prò delicti, ac pœnæ exclusione, fieri debeat interpretatio F.

Siuè vbi cessat quidem prohibitio in renunciatario, cui nulla obstet incapacitas, quæ tamen, eo defecto, in hærede,
22 vel successore dignoscatur; Tunc etenim, nè remotiori, vel extraneo tàm per renunciantem, quàm per renunciatariũ nõ contemplato, locus aperiatur, limitatè ad personã capacem renunciationem factam esse censendum est, vt ea defecta, integrum renunciantis ius remaneat, ac si ea facta non esset G.

Ea quoque necessaria, seù pœnalis successio, quam lex contra binubum parentem, primi matrimonij filijs reseruat,
23 sub renunciatione regulariter non venit, nisi verba, seù aliæ facti circumstantiæ limitationem regulæ inducant H.

Prout alicuius etiam particularis personæ successioni facta renunciatio, quæ valida supponatur, ea non capit, quæ
24 ex testamentaria, vel aliàs expressa dispositione eiusdem, de cuius successione agitur, veniunt, nisi validè ista quoquè spes renunciata sit I.

Et in summa, facti, ac voluntatis est quæstio, quæ comprehensionem includat, vel excludat, ideoquè certam regu-
25 lam generalem, cuicumquè casui applicabilem non facilè recipit, sed pro facti qualitate decidendum est, substantiam voluntatis, potiùs quàm verborum formulas, vel generales iuris regulas, aut præsumptiones attendendo, vt latiùs in sua sede, cum ea, quæ facti sunt, ac voluntatis, sub compendio firmè explicabilia non sint.

Sub non comprehensione quoquè cadunt renunciantis filij, quibus ex propria persona, proprioquè iure venienti-
26 bus, non obstat matris renunciatio, nisi pro eis, qui sint renunciantis hæredes, quoquè facta sit, vel ità suadeat æquitas, quia dotem habeant, ob quam renunciatio facta sit pro facti qualitate L.

V.

De renunciationis resolutione, vel cessatione, ac regressu ad bona vel iura renunciata.

ILLE regressus, qui resignantium beneficia ecclesiastica fauore, ex lege resignationis, vel ex iuris dispositione, ob
27 pensionis non solutionem, aliumuè defectum conceditur, sub hac materia non cadit, cum sub ea, quæ peculiaris beneficiorum est, cadat, suamquè sedem habeat.

Idemquè in eo regressu, qui donatori, ob non implementum legum, vel onerum, quæ in donatione adiecta sint, do-
28 natori conceditur, cum id pariter propriam, ac particularem donationum sedem habeat; Vt etiam habent pacta resolutiua, vel resciſſoria, quæ in correspectiuis etiã, ac onerosis contractibus adijciantur M.

De illa siquidem renunciatione in hac sede agitur, quæ delatis bonis, ac iuribus, vel (frequentius) deferendis, ac spera-
29 tis successionibus, occasione matrimonij per puellas, vel occasione mortis ciui-

D. *ibidem locis proximè citatis.*
E. *ibidem.*
F. *ibidem præsertim disc. 4. & 5.*
G. *ibidem proximè.*
H. *hoc tit. disc. 12.*
I. *disc. 13.*
L. *hoc tit. disc. 15.*
M. *sub tit. de donat. & sub tit. de fideicom. & sub tit. de benef.*
N. *disc. 1. & seqq. ad 11.*

lis, quæ ab assumptione status Regularis, per illos vtriusquè sexus fiat, an scilicèt, rebus in eodem statu non permanentibus, ipsoquè statu immutato, tanquam ex cessante causa, vel cessante præsupposito, resoluatur, ac cesset.

Vbi autem in renunciatario, status rerum immutatio sequatur, quia nempè deficiat, adeoùt renunciante superstite, iurium, ac bonorum renunciatorum cōmodum, non personæ contemplatæ, sed eius extranei hæredis, vel successoris futurū sit; Tunc à superius enunciata natura, seù qualitate renunciationis decisio pendet, an scilicèt, ea realis, vel respectiuè personalis potiùs censenda sit, vt hoc secundo casu, in quo personæ contemplatio finalis, ac taxatiua fuerit, cesset, secùs autem è contrà, quia nempè renunciatarius pro disponendi libertate, quam ad exercitium deduxerit, de renūciatione sollicitus fuerit N.

Maior itaquè cadit quæstio, vbi in ipso renunciante, *status* immutatio sequatur, adeoùt ea cesset qualitas, quæ renunciationis causa fuit, nequè aliàs facta esset, quia nempè (gratia exempli) ille, qui in arctiori, & incapaci Religione professionem emissurus, renunciationem fecerit, ad laxiorem, & capacem in communi, cum aliqua etiam permissiua priuata commoditate transitum faciat; Siuè occasione Episcopatus, vel alterius Dignitatis ad sæculum de facto redeat; Aut quod ob Religionis suppressionem, vel ob Apostolicam dispensationem, idē redditus ad sæculum de facto sequatur, cum similibus.

Quamuis autem, aliquis desuper opinionū conflictus inter Scribentes dignoscatur; Verius tamen est, vt regulariter, in eo effectu, qui iam ante rerum immutationem sequutus, vel consumatus est, causæ productiuæ cessatio resolutionem non inducat; Secùs autem, vbi de illis quæ adhùc effectum sortita non sint; Id autem nequè certam, ac generalem recipit regulam, cum pariter pro facti qualitate decisionē recipiat ex ijs distinctionibus, & circumstantijs, de quibus in sua sede latiùs habetur O.

Vbi enim resolutio sequatur, ob adhùc nō perfectam renunciandi causam, quia nēpè Regularis destinata professio, cuius intuitu renunciatio facta sit, tàm de facto, quàm de iure, suum non sortiatur effectum, vel si de facto sortiatur, euentus tamen ineffectuationem de iure detegat, quia nempè inualida sit professio, ideoquè causa ad nō causam reducatur, atquè renuncians priorem statum, nunquam verè dimissum, cuiusdam postliminij iure reassumat, tunc, non cessationis, vel resolutionis, sed imperfectionis, vel non effectuationis termini cadunt; Nisi expresè de actus firmitate, isto etiam casu validè cautum sit P; Cum alijs in sua sede insinuatis.

N. *disc.* 1. *& seqq. ad* 11.

O. *hoc tit. disc* 17.

P. *ibidem, & sub tit. de donat. disc.* 15.

INDEX
RERVM NOTABILIVM

Quæ continentur ſub hoc titulo de Renunciationibus.

A

ACTIO

AD iura, & bona ſemel renunciata, quando competat. *vid.* Renunciatio ob ingreſſum in Religionem *verſ.* Rediens. *vid.* Agnatio.

Et quid vbi renunciatio eſſet nulla, ea prius de medio non ſublata, diſc. 14. num. 2.

AGNATIO

Eius motiuo ceſſato, an renuncianti detur regreſſus ad bona renunciata abſque alio pacto reuerſiuo, diſc. 6. numer. 14. & 15.

Statutum excluſiuum fœminarum deſeruiret pro adminiculo, diſcur. 10. numer. 10.

Renunciatio facta pro ea conſeruanda; an requirat ſolemnitates, diſcur. 13. numer. 16.

ALIENATIO

Bonorum iuriſdictionalium. *vid.* Bona.

APPELLATIO

Quænam interdicta poſſeſſoria illã admittant, diſc. 11. num. 2.

B

BONA

DOminium, & poſſeſſio ipſorum, an & quando per Ieſuitas retineatur. *vid.* Ieſuitæ.

Feudalia, ſeù alias alienari prohibita non veniunt ſub generali diſpoſitione, diſc. 6. num. 7.

Quid de illorum commoditate, diſc. 4. ex num. 20.

Vid. Renunciatio quoad Compræhẽſionem.

Fratris *vid.* Fratris.

Iuriſdictionalia in Statu Eccleſiaſtico ſunt prohibita alienari, diſc. 6. num. 4.

Et Conſtitutiones Apoſtolicæ ſuper illorum prohibita alienatione non diſtinguunt feudalia ab allodialibus, num. 9. ibid.

Renunciata, an & quando quis recuperet. *vid.* Agnatio, & Renunciatio ob ingreſſum in Religionem *verſ.* Rediens.

C

CAPITVLA

POtiùs quam inſtrumentum attendi debent, diſcur. 3. num. 13. diſcur. 9. num. 13.

CASTRVM

Quando dicatur habere qualitatem feudalem, diſc. 6. num. 8.

CIVILITAS

Non contrahitur neque amittitur ex mora occaſionali, diſc. 18. num. 7.

Originaria, & domiciliaria ſimul retineri poteſt, num. 8. ibid.

CLAVSVLÆ

Appoſitæ in executiuis parum attendendæ, diſc. 3. num. 14.

Quales inducunt renunciationem tranſlatiuam, diſc. 6. ſub num. 12., diſcur. 8. num. 6.

COMMODITAS

Rei prohibitæ alienari, an abdicari poſſit à renunciante, eo ſaltèm viuente, diſc. 4. ex num. 20.

COMPRÆHENSIO

Vid. Renunciatio quoad Compræhenſionem.

S. CONC. TRID.

Seſſ. 25. de Regul. cap. 16. ſuper forma renun-

nunciationis nouitiorum, discur. 11. num. 3.

De ratione ob quam dicta forma introducta sit num. 6. & 7. ibid.

Non intrat dicta forma Conciliaris in actibus correspectiuis, num. 4. ibid.

An intret ante susceptionem habitus, disc. 11. num. 11. in fine remiss.

CONCVRSVS

Inter fœminam nuptam, & innuptam, monialem, & non monialem in successione, *vid.* Fœmina.

CONSENSVS

Certæ personæ viuentis, cuius hæreditati renunciatur, requiritur, & in eo perseuerare debet vsquè ad mortem, discur. 4. numer. 11. discur. 13. num. 3. disc. 16. num. 4.

Non procedit in renunciatione generali, sed vbi solùm agatur de hæreditate personæ certæ, ac determinatæ, disc. 13. num. 7. disc. 16. num. 14., vbi declaratur.

Nisi tamen generalitas affectatè adiecta esset ad legem fraudandam, sub num. 7. ibid.

Neque procederet etiam, quod aliquæ personæ deducerentur ad speciem, num. 8. ibid.

Et quando propriè procedat, num. 9. ibid.

CONSTITVTIO

Apostolica super prohibita alienatione bonorum iurisdictionalium, nõ distinguit feudalia ab allodialibus, disc. 6. num. 9.

CONTRACTVS

Ex causa dotis, quando subiacere dicatur solemnitatibus, disc. 11. sub nu. 8. & 9.

D

DECISIO

SAcr. Rotæ Rom. quid differat à discursibus, disc. 6. num. 2.

DECLARATIO

Donatoris, vel renunciantis, quando sit attendenda, disc. 2. num. 10. discur. 10. num. 3.

DILIGENTIÆ *vid.* Maritus.

DISCVRSVS

AVCTOR cur adhibuerit hunc terminũ in suo Theatro, disc. 6. num. 3.

DOMICILIVM *vid.* Ciuilitas.

DOMINVS

Rei habentis onus vsusfructus, vel alterius seruitutis, illo cessato, nihil de nouo acquirere dicitur, disc. 6. num. 36.

DONATIO

Contemplatione matrimonij, an participetur à filijs secundi matrimonij, discur. 12. num. 6.

Quid in bonis renunciatis, discur. 3. num. 6.

Futuræ successionis, seù illius spei fieri poreſt, disc. 3. num. 15. disc. 4. nu. 17. disc. 6. num. 18. & 34. disc. 7. sub num. 7.

Vbi præsertim agatur de iure de futuro, & sperato originem trahente à causa certa de præterito, disc. 7. num. 8.

Declara prout disc. 6. num. 19.

Quomodo incertitudo sit regulanda, d. 6. sub num. 34.

Et an intrent termini læsionis, ibidem.

Et an requiratur insinuatio, ibidem & num. 36.

Vid. Consensus.

Iuris quærendi, an requirat *insinuationem*, disc. 6. num. 28. & 33. cum seq.

Quid in remissione proprij iuris, num. 38. ibid. *vid.* Insinuatio.

Quando resoluatur ex cessante causa, seù præsuppoſito, disc. 6. num. 14. & 15.

DOS

An dari debeat per fratrem vterinum, disc. 11. num. 5.

Data filiæ, an imputetur nepotibus in legitimam Aui, disc. 15. sub num 10.

Donata quando dicatur, discur. 15. numer. 11.

Monialium deponenda *est* antequam puella admittatur ad ingressum *Monasterij*, disc. 11. num. 8.

Mulieri constituta dicitur de proprio, *vbi* data fuit intuitu renunciationis, disc. 6. num. 30. & 34. in fine.

Quando contractus ex illius causa subiacere dicatur solemnitatibus, disc. 11. sub n. 8. & 9.

Renunciatio eius intuitu facta nocet filijs licet propria persona venientibus, disc. 15. ex num. 4.

Vid. Mater.

E

EGIDIANA

REquirens insinuationem in donationibus non comprehendit mulierem maiorem, disc.6. num.26.

Fallit in extensione facta per Carpensem, quæ tamen procedit in sola prouincia Marchiæ, ibid.

Vid. Insinuatio.

EGRESSVS

A Religione. *vid.* Renunciatio ob ingressum in Religionem *vers.* Rediens.

EPISCOPVS

Licentia ipsius, seù Vicarij requiritur in renunciationibus monialium, disc. 11. num. 3.

Regularis obtinens indultum testandi indiget nota speciali, & de ratione, disc. 17. num. 11.

Vid. Renunciatio ob ingressum *vers.* Rediens ad sæculum.

EXCLVSA

A quibus successionibus dicatur persona renuncians. *vid.* Renunciatio quoad cõprehensionem.

EXTRANEVS. *vid.* Hæres.

F

FACVLTAS

SEV licentia Episcopi in renunciationibus. *vid. Episcopus.*

FOEMINA

Nupta, quæ renunciauit, an concurrat cum innupta in successione renunciatarij, disc. 1. num. 28.

Quid vbi vna sit monialis alia verò existat in sæculo, numer. 27. ibidem, & disc 4.

Et quid vbi omnes fœminæ sint moniales, quarum vna renunciauerit, aliæ non, disc. 1., sub num. 26. & seq.

Vid. Renunciatio ob ingressum in Religionem.

Vid. Mulier.

FEVDVM

Bona feudalia nõ veniunt sub generali dispositione, disc. 6. num. 7.

Quid de illorum commoditate, disc. 4. ex num. 20. *vid.* Bona.

Castrum quando dicatur habere huiusmodi qualitatem, disc. 6. num. 8.

FIDEICOMMISSVM

An comprehendatur sub renunciatione, discur. 4. num. 5. discur. 5. num. 9. disc. 6. num. 11.

vid. Renunciatio quoad Comprehensionem.

FILII

Secundi matrimonij, an & quando participent de donatione facta contemplatione primi matrimonij, discur. 12. numer. 6.

Quid in bonis renunciatis, discur. 3. num. 6.

Venientibus ex persona propria, quãdo obstet renunciatio facta per matrem. *vid.* Mater.

FRATER

Vterinus, an debeat dotare, discur. 11. num. 5.

FRATRIS

Bona, an dicantur comprehensa sub renũciatione facta bonis paternis, & maternis, si ista ad illum peruenerint, disc. 9. per tot.

G

GRATIA

PRincipis intelligenda est fine præiudicio tertij, disc. 17. num. 17.

H

HÆREDITAS

Certæ personæ viuentis renunciari non potest absquè istius consensu perseuerante vsquè ad mortem, disc. 4. num. 11. *vid.* Consensus Pactum Successio.

HÆRES

Renunciantis succedit, vbi renancians prèmortuus fuerit renunciatario, discur. 15. sub num. 7. *vid.* Mater.

Renunciatarij extraneus, an obtineat ea bona quorum ipse esset incapax. *vid.* Renunciatio quoad Comprehensionem. Renuncians, Fœmina.

Tene.

Teneturr habere ratum factū defuncti etiã in iuribus ex persona propria competentibus, disc.15. sub num.7.

I

IESVITÆ

EGressi à Religione, an recuperent bona renunciata, disc.17. numer.6. & 7.

Post emissionem trium votorum, licèt verè dicantur professi religiosi, adhùc retinere dicuntur statum sæcularem, disc. 17. sub num.7.

Et retinent dominium, & possessionem bonorum, ibid.

Et retinent pensiones Ecclesiasticas super beneficijs sæcularibus, ibid.

Post emissionem autem quarti voti resultat incapacitas, *ibid.*

IMMISSIO

In vim *l. fin.* vel quorum bonorum, an competat renuncianti ad bona renunciata sub prætextu nullitatis, vel læsionis ea de medio non sublata, discur.14. num.2.

IMPVTATIO

Dos data filiæ, an imputetur nepotibus in legitimam aui, disc.15. sub num.10.

INSINVATIO

An, & quando requiratur in renunciationibus, disc.6.ex nu.22. & 28.

Et quid in donationibus iuris quærendi, discur.6. numer. 28. & 33. cum seq.

Et in remissione proprij iuris, num. 38. ibid.

Vid. Solemnitas.

De iure communi quid differat ab ea, quæ requiritur à Statuto Vrbis, numer. 23. ibid.

Iuramentum supplet illam, quæ requiritur de iure communi, secus illam ex Statuto disc.6. num.24.

Requisita ab Ægidiana non comprehendit mulierem maiorem, disc.6. num.26.

Quam solum comprehendit extensio facta per Carpensem, quæ procedit solùm in Prouincia Marchiæ, ibid.

Summa solidorum 500. de iure communi importat scut. 700. circiter, discur.6. num.23.

Et summa ducatorum bis centum ex Statuto Vrbis importat scut. 150. ibidem.

INSTRVMENTVM

Non deberet concipi in lingua latina præsertim inter mulieres, disc.4.numer.13. disc.2.num.8.

Vid. Capitula.

IVRAMENTVM

Supplet defectum insinuationis requisitæ de iure communi, secùs illam ex Statuto Vrbis, disc.6.num.24.

L

LÆSIO

AN & quando intret, & regulanda veniat in renunciationibus, discur.5. num. 10. disc.14. ex num. 3.

Enormissima operatur nullitatem ipso iure absque remedio rescissorio, *l.2.* disc.14. sub num.3.

Vid. Immissio.

LEX

Communis, vel municipalis dicitur testamentum morientis ab intestato, disc.18. num.4.

Fœminæ Cod. de 2. nupt., an comprehensa dicatur sub generali renunciatione, disc. 12. ex num. 2.

LICENTIA *vid.* Episcopus.

MARITVS

Promittens sponsam renunciaturam non excusatur ob adhibitas diligentias, disc. 13. num.11. vbi de ratione.

Vid. Promissio.

M

MATER

RENunciatio ipsius non nocet filijs venientibus ex persona propria, discur. 15.num.3.

Fallit quando renunciatio facta sit intuitu doris, num.4. ibid.

Declara prout num.7. & seq. ibid.

Et an distinctio repræsentationis subsistat, num.8. ibid.

Et quid si illa præmoriatur renunciatario, disc.15. sub num.7.

MONACHVS

Factus Episcopus, in quo remaneat Monachus, disc.17. sub num.10.

Vid. Renunciatio ob ingressum in Religionem *vers.* Rediens ad sæculum.

MONASTERIVM

Quando ex persona Monachi succedat in fideicommissis, disc.4.num.22.

Suppressum si fuerit, an Monaci recuperent bona,& iura renunciata,disc.17. ex num.12.

Et quid vbi professus in Religione suppressa,prius professus esset in altera Religione,quæ extet, num.13.ibid.

Vid. Religiosus.

MONIALIS

Dos est deponenda ante susceptionem habitus,disc.11.num.8.

Ingrediens aliquod conseruatorium non dicitur emittere veram professionem, disc.17.sub num.5.

Renunciatio an dicatur *realis*, vel *personalis*, *seù extinctiua*, vel translatiua, & de alijs. *vid.* Renunciatio quoad Ingressum in Religionem *vers.* Monialis, & Renunciatio Realis, vel personalis.

MORA

Occasionalis non inducit domicilium esse contractum, disc.18. num.7.

MVLIER

Dotari dicitur de proprio, vbi dos sit intuitu renunciationis, disc.6.num.30. & 34. in fine.

Maior non comprænditur sub Ægidiana requirente insinuationem, discur. 6. num.26.

Quam solum comprænditur extensio Carpensis, ibid.

Renuncians, an faciat numerum, & partem, & ad cuius fauorem, disc.3.sub nu. 4. remiss.

Vid. Fœmina.

N

NEPOS

AN huic imputetur dos matris in legitimam sibi debitam in bonis aui; disc.15. sub num.10.

NOTARIVS

Non deberet concipere in lingua latina contractus mulierum, discur. 2. num. 8. disc.4. num.13.

NOVITIVS

Amplius profiteri nolens, an recuperet bona & iura renunciata, disc. 17. num. 4. & 5. *vid.* Renunciatio ob ingressū &c. sub *vers.* Rediens.

Renunciare debet iuxtà formam *S.C.Trid. sess. 25. de Regular. cap.16.* de qua verb. *Concilium Tridentinum*.

NVLLITAS

Professionis, an operetur, vt egressus à religione recuperet bona, & iura renunciata, disc.17.num.4.

Vid. Renunciatio ob ingressum in Religionem *vers.* Rediens.

Renunciationis, an operetur, vt ea de medio non sublata, possint exerceri primæuæ actiones,disc.14. num.2.

NVMERVM

Et partem an faciat renuncians,& ad cuius fauorem, discur.3. sub numer. 4. remissiuè.

NVPTA. *vid.* Fœmina.

P

PACTVM

DE non petendo efficit renunciationem realem, disc.2.num.6.

De non succedendo, seù renunciatio futuris successionibus viuentiū, an, & quādo valeat, disc.16. per tot.

De rationibus sententiæ negatiuæ,nu. 10. ibid.

Distingue casus de quibus ex num. 8. ibid.

Vid. Consensus, & *vid.* Donatio.

Reuersiuum vbi renuncians non apposuit, sola contemplatio agnationis non sufficit, disc.6.num.14.

PARS. *vid.* Numerus.

PENSIO

Ecclesiastica super beneficijs secularibus retineri potest per Iesuitas ante emissionem quarti voti, disc.17. sub num.7.

PRETIVM

An, & quando succedat loco rei, discur.6. num.6. remiss.

Affirmatiua procedit, vbi agatur de pretio obuento ex alienatione Castrorū, aliorumque bonorum, quæ vendantur per Congregationem Baronum, d.6.n.6.

PRINCIPIS

Gratia intelligitur sine præiudicio tertij, disc. 17. num 17.

PROFESSIO

Emisti non dicitur per mulierem ingredientem in aliquod Conseruatorium, disc. 17. sub num. 5.

Iesuitarum. *vid.* Iesuitæ.

Nulla an operetur, vt egressus a Religione recuperet bona, & iura renunciata, disc. 17. num. 4.

PROHIBITIO

Disponendi de bonis iurisdictionalibus in statu Ecclesiastico, disc. 6. num. 4.

Et Constitutiones Apostolicæ super illorum prohibita alienatione, non distinguunt feudalia ab allodialibus, num. 9. ibid.

PROMISSIO

Facti alieni ad aliud non obligat, nisi ad diligentias, disc. 13. num. 11.

Nisi adesset clausula, *ità quod* &c., ibid.

Vel nisi agatur de renunciatione, quæ per sponsum nomine sponsæ promittatur, disc. 13. sub num. 11.

Q

QVALITAS

Feudalis, quando inesse dicatur alicui Castro, disc. 6. num. 8.

R

REFVTATARIVS

Quando agnoscat in auctorem refutantem, vt ad eius onera teneatur, disc. 8. num. 1. *vid.* Renunciatarius.

REGRESSVS

Ad iura, & bona renunciata, quando competat, *vid.* Renuncians.

RELIGIOSVS

Vid. Nouitius, & Renunciatio ob ingressum in Religionem, Iesuitæ.

RENVNCIANS

An faciat numerum, & partem, & ad cuius fauorem, disc. 3 sub num. 4. remiss.

Declaratio ipsius, quando sit attendenda, disc. 2. num. 10. disc. 10. num. 3.

Immissioni ad bona renunciata. *vid.* Immissio.

In successione tertij, an concurrat cum hæredibus renunciatarij, vel alijs ab eodem causam habentibus, discur. 3. numer. 5.

Et an succedat ipsimet renunciatario in bonis, quæ ad renunciantem alias spectarent, disc. 3. num. 7.

Et quid in bonis proprijs renunciatarij ex num. 8. ibid. disc. 18. num. 3. disc. 1. num. 23.

Vid. Renunciatio quoad Comprehensionem.

Regredi non potest ad iura renunciata, disc. 1. num. 3.

De quatuor limitationibus remissiuè num. 4. ibid. Et *vid.* infrà *vers.* Vbi.

Quid vbi Religiosus egrediatur à Religione ob aliquam causam, puta Dignitatem &c. *vid.* Renunciatio ob ingressum in Religione *vers.* Rediens, & *vid.* Agnatio. Immissio.

Respectu successionis renunciatarij nihil dare dicitur, neque suum patrimonium diminuere, disc. 6. num. 35. & 36.

Renunciatarius tamen dicitur fieri locupletior ob cessationem oneris, & seruitutis, disc. 6. num. 37.

Si præmoriatur renunciatario, hæredes renunciantis succedunt, non obstante renunciatione, disc. 15. sub num. 7.

Vid. Mater.

Vbi expressè sibi non consuluit de pacto reuersiuo, sola expressio contemplationis agnationis hunc effectum non operatur, disc. 6. num. 14.

Sed iura donata, vel renunciata transeunt ad hæredes renunciatarij licèt extraneos, ibid.

Declara prout ex num. 15. ibid.

RENVNCIATARIVS

An transmittat commodum successionis ad extraneos, disc. 3. num. 5. in fine, disc. 6. ex num. 4.

Dicitur fieri locupletior quoad successionem renunciãtis ob cessationem oneris, & seruitutis, disc. 6. num. 37.

Voluntas eius potiùs quàm illa renuncian-tis est attendenda, disc. 2. num. 9.

Vid. Refutatarius.

RENVNCIATIO IN GENERE

Ad quos effectus à puellis procurari soleat, discur. 1. num. 24. disc. 3. num. 7. in fine disc.

disc.12. sub numer.4.
An prosit filijs, vel respectiuè fratribus ex diuerso matrimonio, disc.3.num.6.
Hæreditatis certæ personæ viuentis. *vid.* Consensus Pactum.
Insinuationem an requirat. *vid.* Insinuatio. Solemnitas.
Intelligitur ab intestato, non autem ex testamento, disc.13.num.2.
Declara prout num.2.ibid.
Læsioni an subiaceat, disc.5. num.10. disc. 14. ex num.3.
Nulla vbi sit, an absquè eo quod illa de medio fuerit sublata, intentari possint actiones primæuæ, disc.14. num.2.
Quando importare dicatur solam liberationem renunciantis ab onere, disc.6.num. 16. & 20.

RENVNCIATIO QVOAD COMPRÆHENSIONEM.

Bona iurisdictionalia, an capiat, disc.6.ex num.6.
Quid de feudalibus, seù aliàs alienari prohibitis, disc.6.num.7.disc.4.num.11.
Et quid in illorum commoditate, discurs.4.ex num.20.
Compræhendit portiones debitas vigore Statuti reintegratiui, disc.9.num.11.
Facta bonis paternis, & maternis, an & quando capiat fraterna ab ipsis parentibus obuenta, disc.9.per tot.
Fideicommissum an capiat, disc. 4. num.5. disc.5.num.9.disc.6.num.11.
L. fœminæ C. de secundis nup. dispositionem an tollat, disc.12.ex num.2.
Non capit ea, quorum hæres extraneus renunciatarij sit incapax, disc.4. num. 16. disc.5.num.4.
Sed restricta censetur ad renunciatarium, eiusque descendentes capaces, discurs.5.num.4.
Et an id procedat in bonis fideicommissarijs, vel solùm in feudalibus, & emphyteuticis, disc.5.num.5.& 6.
Quid vbi processum sit per viam donationis, seù renunciationis translatiuæ, disc.6.num.14.& seq.
Renunciatarij successionem non compræhendit, disc.3.ex num.8.
Etiam quod mentio fieret de bonis fraternis, & renunciatarius esset frater, vbi adessent alij fratres, num.11.ibid.
Et etiam quod dictum esset, vt renunciatio deberet esse realis, & realissima, nu.12.ibid. *Vide* Renuncians & Fœmina.
Successiones obuentas post professionem, an capiat, disc.7.num.9.

RENVNCIATIO EXTINCTIVA, VEL TRANSLATIVA QVANDO DICATVR.

Extinctiua, seu abstensiua qualis sit, discurs. 1.num.5.discurs.3.num.4.
Et quid translatiua, disc.1.num.6.
De modo cognoscendi vnam, vel alteram speciem, disc.1.num.3.disc.3. nu.15. disc.6.ex num.12. disc.7. ex num.4. disc. 8.num.4.& 6.disc.10.num.8.& 9.disc.11. num.16.
Vbi agatur de iuribus delatis, translatiua est verisimilis; Si verò agatur de iuribus quærendis, extinctiua solùm cadit, disc.3.num.15.disc.7. num.7.disc.6.n.13.
Declara prout disc.3. num.15. disc.6. num.18.disc.7.num.7.
Quid si habeant originem de præterito, disc.7.num.8.
Potest eodem tempore esse extinctiua, & translatiua, disc.6.num.13.
Terminus realitatis non conuenit semper extinctiuæ, nec personalis, translatiuæ, discurs.3.sub num.4.
Translatiua prodest solùm renunciatario ad cuius fauorem est facta, non autem alijs, disc.3.num.4.disc.7.ex num.2.
Extinctiua verò prodest omnibus ibidem.

RENVNCIATIO OB INGRESSVM IN RELIGIONEM.

Ad quos effectus à puellis procurari soleat, disc.1.num.24.disc.3. num.7.in fine, discurs. 12.sub num.4.
Monialis requirit licentiam Episcopi, vel Vicarij, disc.11.num.3.
An illam excludat à successione renunciatarij, disc.1.num.23.
Et quid vbi omnes fœminæ sint moniales, quarum vna renunciauerit, aliæ non, disc.1.sub num.26.& seq.
Quid in concursu fœminæ nuptæ, & innuptæ, num.28.ibid.
Vel vbi vna sit monialis, alia verò existat in sæculo, num.27.ibid. & disc.4.
An obstet intestatæ successioni eius, qui sit hæres renunciatarij, disc.11.n.16.
Et an capiat successiones obuentas post professionem, disc.7.num.9.
Vide Renunciatio quoad Comprehensionem.

Nouitius seruare debet formam Sac. Conc. Trident., de qua *vide* Conc. Trid.

Realis potiùs, quàm personalis censeri debet, disc. 1. num. 10. disc. 3. num. 10. disc. 2. num. 5. disc. 4 num. 14. disc. 12. num. 7.

Declara prout disc. 1. num. 11. discurs. 3 sub num. 10. disc. 4. num. 15.

Rediens ad sæculum ob promotionem ad Episcopatum, vel aliam dignitatem, seù causam, an recuperet bona, & iura renunciata, disc. 17. per tot.

Distingue plures casus, de quibus ex num. 4. ibidem.

Et diuersas bonorum, & renunciationum species ex num. 16. ibidem.

Affirmatiua procederet, vbi egressus à Religione procederet à nullitate professionis, disc. 17. num. 4.

Vel vbi nouitius amplius profiteri nollet, num. 4. & 5. ibidem.

Nisi conuentum esset, vt egressu non obstante, renunciatio effectum sortiri debeat, disc. 17. sub num. 5.

Quid de egressu à Religione Societatis Iesu, num. 6. & 7. ibidem.

Non resoluitur, vbi egressus esset ex eo, quod esset incorrigibilis, discurs. 17. num. 8.

Quid vbi fieret transitus de vna Religione ad aliam, num. 9. ibid.

Præsertim vbi fiat transitus de incapaci ad capacem, ibidem.

Quid de egressu ob Episcopatum, vel aliam Dignitatem, discur. 17. num. 10. & 14. & seq.

Et quid vbi id sequatur ex causa suppressionis Monasterij ex numer. 12. ibidem.

Et si professus in Religione suppressa, priùs professus esset in altera Religione, quæ extet, num. 13. ibidem.

RENVNCIATIO REALIS, VEL PERSONALIS QVANDO DICATVR.

Realis quænam dicatur, discurs. 1. num. 8. discurs. 4. ex num. 14. disc. 6. ex numer. 12. discurs. 2. ex num. 4. disc. 11. num. 5.

Et quæ personalis, disc. 1. num. 9.

Quomodo vna, vel altera species dignosci valeat, discurs. 1. num. 10. discurs. 8. num 4.

Vbi fiat occasione matrimonij carnalis censenda est personalis, secùs occasione matrimonij spiritualis, discurs. 1. num. 10. discurs. 2. num. 5. discurs. 3. num. 10. discurs. 4. num. 14. discurs. 12. num. 7.

Declara prout disc. 1. num. 11. disc. 3. sub num. 10. disc. 4. num. 15.

Terminus *realis* an conueniat semper extinctiuæ, & *personalis* translatiuæ, disc. 3. sub num. 4.

REPRÆSENTATIO

Matris renunciantis an obstet filijs ex propria persona venientibus.

Vide Mater.

ROTÆ

Romanæ Decisio quid differat à Discursu, disc. 6. num. 2.

S

SOLEMNITAS

IN contractu ex causa dotis inito, an & quando requiratur, disc. 11. sub num. 8. & 9.

Insinuationis an requiratur in renunciationibus.

Vide Insinuatio.

Statutaria an requiratur in renunciationibus, disc. 13. num. 4. 10. 13. & seq.

Et quid vbi agatur de renunciatione iuris quærendi, num. 17. ibidem.

Et de renunciatione ob conseruationem agnationis, disc. 13. num. 16.

SPES

Futuræ successionis an cedi, vel donari possit.

Vide Donatio, & *vide* Pactum. Successio.

STATVTVM

Bergomen. excluſiuum fœminarum enunciatur, disc. 18. num. 2.

Excluſiuum fœminarum deseruit pro adminiculo contemplatæ agnationis, disc. 10. num. 10.

Extrà territorium attenditur pro voluntate morientis, disc. 18. num. 6.

Moriens an censeatur se conformare cum illo domicilij, vel originis, discurs. 18. num. 9.

Vrbis requirens insinuationem quid differat ab ea, quæ requiritur de iure communi, disc. 6. num. 23.

SVCCESSIO

De futuro, seù illius spes potest vendi, & donari, disc. 3. num. 15. disc. 4. num. 17. disc. 6. num. 18. & 34.

Vbi præsertim agatur de iure de futuro, & sperato, originem trahente à causa certa de præterito, disc.7.num.8.

Quomodo incertitudo regulari debeat, discurs.6.sub num.34.

Declara tamen principalem conclusionem prout disc.6.num.19.

Quid vbi agatur de hæreditate, vel successione personæ certæ absque consensu eiusdem, discurs.4.num.11.discurs.7.sub num 7.

Vide Consensus,& Pactum.

An requiratur insinuatio, discurs.6. sub num.34.& 35.

Vide Insinuatio.

Et an intrent termini læsionis, disc. 6.sub num.34.

Quænam comprehendatur sub renunciationibus.

Vide Renunciatio quoad Comprehensionem.*Vide* Renuncians,& Fœmina.

T

TESTAMENTVM

MOrientis ab intestato dicitur lex communis, seù municipalis, disc. 18.num.4.

Religiosus post professionem, an illud reuocare possit, disc.10.num.3.

TRANSACTIO

An & quando sit priùs tollenda de medio, vt priora iura exerceri valeant, discurs. 14.num.2.

TRANSITVS

De vna ad alteram Religionem,an operetur vt bona,& iura renunciata recuperentur, disc.17.num.9.

Vide Renunciatio obingressum in Religionem,Vers.Rediens.

TRANSMISSIO

Commodi successionis ad extraneos,an fiat per renunciatarium, disc.3.num.5.in fine.

*Vide*Renunciatio quoad Comprehensionem.

V

VICARIVS. *Vide* Episcopus.

VOLVNTAS

REnunciatarij potiùs, quàm renunciantis est attendenda, discurs. 2. num.9.

FINIS.